


BIBLIA SACRA
VULGATAE EDITIONIS,
SIXTI V. PONTIFICIS MAXIMI
iuſſu recognita,
& CLEMENTIS VIII.
auctoritate edita
cum ſelectiſſimis Litteralibus Commentariis

IOANNIS GAGNAEI,
IOANNIS MALDONATI,
EMMANUELIS SA,
GUILIELMI ESTII,
IOANNIS MARIANAE,
PETRI LANSSELII,
THOMAE MALVENDAE,
IO. STEPHANI MENOCHII
IACOBI TIRINI,
IACOBI GORDONI,
& IACOBI BENIGNI BOS[illegible]..

ACCEDUNT

Romanæ Correctiones, ac Lectionum Varietates a FRANCISCO LUCA BRUGENSI obſervatæ, & Notationes in loca variantia ab eodem concinnatæ, in ſua ſingulæ capita tributæ: nec non ſelecta variorum Prolegomena, nunc primum in unum collecta: indices denique plures accuratiſſimi.

TOMUS DECIMUSSEPTIMUS
complectens reliqua Capita ex ISAIA.



VENETIIS
MDCCLII.

Excuderunt { MODESTUS FENTIUS, & IOANNES TYBERNINUS ſub ſigno Providentiæ.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

[illegible]



I S A I AE

CAPUT VIGESIMUMNONUM.

Obsidio & afflictio Ierusalem, contritio gentium illam obsidentium: de libro signato ac cæcitate Iudæorum: væ profundis corde denuntiatur: reliquias Iacob prædicit illuminandas, & ad Deum convertendas.

1. VAE Ariel, Ariel civitas, quam expugnavit David: addi-
tus est annus ad annum: solemnitates evolutæ sunt. 2.
Et circumvallabo Ariel, & erit tristis & mœrens, & erit
mihi quasi Ariel. 3. Et circumdabo quasi sphæram in
circuitu tuo, & iaciam contra te aggerem, & munimen-
ta ponam in obsidionem tuam. 4. Humiliaberis, de
terra loqueris, & de humo audietur eloquium tu-
um: & erit quasi pythonis de terra vox tua, & de
humo eloquium tuum mussitabit. 5. Et erit sicut pulvis tenuis multitudo ven-
tilantium te: & sicut favilla pertransiens multitudo eorum, qui contra te præ-
valuerunt: 6. eritque repente confestim. A Domino exercituum visitabitur in
tonitruo, & commotione terræ, & voce magna turbinis & tempestatis, * &
flammæ ignis devorantis. 7. Et erit sicut somnium visionis nocturnæ multitu-
do omnium Gentium, quæ dimicaverunt contra Ariel, & omnes qui milita-
verunt, & obsederunt, & prævaluerunt adversus eam. 8. Et sicut somniat esu-
riens, & comedit, cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius:
& sicut somniat sitiens, & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus ad-
huc sitit, & anima eius vacua est: sic erit multitudo omnium Gentium, quæ
dimicaverunt contra montem Sion. 9. Obstupescite, & admiramini, fluctuate,
& vacillate: inebriamini, & non a vino: movemini, & non ab ebrietate. 10.
Quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros,
prophetas & principes vestros, qui vident visiones, operiet. 11. Et erit vobis
visio omnium sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti litteras, di-
cent: Lege istum: & respondebit: Non possum, signatus est enim. 12. Et da-
bitur liber nescienti litteras, diceturque ei: Lege: & respondebit: Nescio lit-
teras. 13. Et dixit Dominus: (a) Eo quod appropinquat populus iste ore suo,
& labiis suis glorificat me, cor autem eius longe est a me, & timuerunt me
mandato hominum & doctrinis: 14. Ideo ecce ego addam ut admirationem
faciam populo huic miraculo grandi & stupendo: (b) peribit enim sapientia a
sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur. (c) 15. Væ qui
profundi estis corde, ut a Domino abscondatis consilium: quorum sunt in te-
nebris opera, & dicunt: Quis videt nos, & quis novit nos? 16. Perversa est
hæc vestra cogitatio: quasi si lutum contra figulum cogitet, & dicat opus fa-
ctori suo: Non fecisti me: & figmentum dicat fictori suo: Non intelligis. 17.
Nonne adhuc in modico & in brevi convertetur Libanus in charmel, & char-
mel in saltum reputabitur? 18. Et audient in die illa surdi verba libri, & de
tenebris & caligine oculi cæcorum videbunt. 19. Et addent mites in Domi-
no lætitiam, & pauperes homines in sancto Israel exultabunt: 20. quoniam defe-

cit qui prævalebat, consummatus est illusor, & succisi sunt omnes qui vigilabant super iniquitatem: 21. qui peccare faciebant homines in verbo, & arguentem in porta supplantabant, & declinaverunt frustra a iusto. 22. Propter hoc, hæc dicit Dominus ad domum Iacob, qui redemit Abraham: Non modo confundetur Iacob, nec modo vultus eius erubescet: 23. sed cum viderit filios suos, opera manuum mearum, in medio sui sanctificantes nomen meum, & sanctificabunt sanctum Iacob, & Deum Israel prædicabunt: 24. & scient errantes spiritu intellectum, & mussitatores discent legem.

(a) Matth. xv. 8. Marc. vii. 6. (b) I. Cor. I. 19. (c) Abd. I. 8.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

Vers. 6. *Et flammæ ignis devorantis*. Alii pro secundo casu *flammæ* scribunt textum *flamma*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. VAE ARIEL. Ariel Leonem Dei significare scitum est. Quid autem sit, quod hoc loco Leo Dei appellatur, id est dubium. Alii putant templum propter figuram; alii altare sic vocari, ut apud Ezech. cap. XLIII. 15. 16. Alii totam urbem Ierosolymitanam, quod sicut Leo Dei, id est magnus, invicta esset & inexpugnabilis; quod probabilius est, & quia hoc ipso loco vocatur civitas, & quia certum est, non templo, non altari, sed urbi Prophetam minari. Vocat tamen eam Ariel, id est altare Dei, quod in ea multi homines tamquam victimæ ad altare essent occidendi, ut apparet vers. 2. CIVITAS, QUAM EXPUGNAVIT. Heb. קרית חנה דויד, *civitas in qua mansit David*; id est, civitas Davidis sic vocabatur Sion, ubi Davidis regia erat, I. Paral. XI. 5. 7. & XIII. 13. Est autem synechdoche, qua parte intelligitur totum. ADDITUS EST ANNUS; id est, iam tempus definitum a Deo pene elapsum est, ut puniaris. Heb. ספו שנה על־שנה, *addite annum anno*: חגים יכקפו, *agni excidentur*; id est, numerate annos, & invenietis fore, ut non multo post cessent vestra sacrificia everso templo, & tota urbe.

*V.*2. ET CIRCUMVALLABO: והציקותי, *& in angustias redigam*. ET ERIT MIHI QUASI ARIEL, id est sicut altare, quia multos in ea homines occidam.

V. 3. ET CIRCUMDABO QUASI SPHAERAM. Heb. וחניתי, *& castrametabor*, efficiam ut Romani cingant te exercitu quasi sphæra. Lucæ XIX. 43. *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo*. IN CIRCUITU TUO: עליך, *contra te*. ET IACIAM CONTRA TE AGGEREM: וצרתי עליך מוצב, *& arctabo contra te*, (id est te) *erectione*; id est, arctabo te erectis contra te machinis. ET MUNIMENTA: מצרות, *munitiones erigam adversus te*. Deus dicit se facturum quod Romani facturi erant, quia eorum ministerio ad puniendos Iudæos erat usurus.

V. 4. & 5. DE TERRA LOQUERIS, id est miserabiliter supplici ac demissa voce. Galli dicunt: *On vous fera abbaisser vostre caquet*. ET DE HUMO AUDIETUR: תשח, *humile erit eloquium tuum*, quemadmodum si ex terra egrederetur. ET ERIT QUASI PYTHONIS. Pythonici spiritus ex locis subterraneis, aut ex inferioribus partibus hominis respondere solebant tenui & obscura voce. ET DE HUMO TUO ELOQUIUM TUUM MUSSITABIT; id est, simile erit eloquio hominis mussitantis, quod vix intelligi potest. Quibus omnibus rebus indicat adeo affligendam Ierosolymam, ut vix loqui possit, nisi voce humili, obscura, demissa, miserabili. ET ERIT SICUT PULVIS, id est infinita, innumerabilis fortitudo VENTILANTIUM TE, id est hostium qui te

t am-

tamquam aream triturabunt, ac ventilabunt. Alludit ad id quod dixerat supra, cap. XXVIII. 27. & perseverat in eadem metaphora. ET SICUT FAVILLA, כמוץ *ficut atomi*, qui in radiis solis apparere solent huc illuc volitantes, qui sunt innumerabiles. MULTITUDO EORUM QUI CONTRA TE PRAEVALUERUNT, pro prævalebunt. Heb. עריצים *fortium*, *tyrannorum*, qui terrori tibi erunt.

V. 6. ERITQUE REPENTE; id est, & fiet repente ac de improviso, ut visitetur (id est, puniatur Ierosolyma: mutatio personæ.) IN TONITRUO, id est ad modum tonitrui: subito scilicet ac vehementer. Sicut tonitru & terræ motus subito & inopinato solent accidere, ב pro כ ut sæpe annotavimus. ET VOCE MAGNA, id est sicut solet venire strepitus magnus turbinis & tempestatis. ET FLAMMAE IGNIS DEVORANTIS, id est fulminis omnia quæ offendit consumentis. Omnem sonitum & strepitum Hebræi vocant קול, *vocem*. Alii in contrarium sensum interpretantur: *Erit ficut pulvis multitudo, non diu durabunt hostes, cito dissipabuntur:* haud scio quam bene.

V. 7. ET ERIT SICUT SOMNIUM; id est, efficient hostes qui contra Ariel dimicaturi sunt, (ponuntur enim præterita pro futuris) ut Iudæi qui se securos esse somniabant, ab hostibus expergefacti videant se in periculo versari. Alii contrario sensu: *Hostes erunt similes somniantibus*, cum enim existimaverint se vicisse, dissipabuntur. At non agit hic Propheta contra hostes, sed Iudæos. Itaque priorem interpretationem magis approbo. ET PREVALUERUNT ADVERSUS EAM: המציקים לה, *qui angustiis affligent eam*.

V. 8. ET SICUT SOMNIAT ESURIENS. Explicatio est præcedentis versus. SIC ERIT MULTITUDO: sic accidet Iudæis, *cum multitudo gentium dimicaverit contra*, &c. vel, *sic erit multitudo gentium, ficut fames & sitis:* cum existimaverint Iudæi se ab illis liberatos, invenient se magis quam ante premi.

V. 9. OBSTUPESCITE. התמהמהו, alii vertunt, *Tardate*: quod non videtur ullum congruentem habere sensum. Multo melius noster Interpres, *obstupescite*, sicut Septuag. ἐκλύθητε: ponuntur imperativi pro futuris: *Obstupescetis & admirabimini* (aut attoniti eritis: est enim Heb. idem verbum) *fluctuabitis, & vacillabitis*. Heb. השתעשעו ושעו, possumus vertere, *consistetis attoniti*, *& obstupefietis*, aut ut R. David in Lib. rad. *excæcabimini*, *& excæcabitis* (alios) sicut versu sequenti ait: *Claudet oculos vestros*. INEBRIAMINI, ET NON A VINO: MOVEMINI; id est, delirabitis, incertique eritis quid agatis. ET NON AB EBRIETATE. Heb. ולא שכר, *fine sicera;* quasi dicat: Magnitudo miseriæ & afflictionis delirare faciet vos, inopesque consilii reddet, non minus quam si vino, aut sicera ebrii essetis. Aut: Dominus excæcabit vos, & obstupefaciet sicut ebrios, ne intelligatis qua ratione liberare possitis vos a periculo, sicut ante noluistis intelligere eius admonitiones ebrii superbia vestra, & non vino: ut sup. cap. XXVIII. I. III. & infra cap. LI. 21. & Iob XII. 25. *Errare eos faciet quasi ebrios:* & Psal. CVI. 27. *Moti sunt ficut ebrius*.

V. 10. QUONIAM MISCUIT VOBIS: נסך quod alii vertunt, *operuit;* sed melius meo iudicio noster Interpres. *Miscuit vobis;* id est, potavit vos spiritu soporis soporifero; quemadmodum si quis medicus vinum ægroto papavere mistum dedisset; quasi dicat: Tradet vos Deus in reprobum sensum. Præt. pro fut. ET CLAUDET OCULOS VESTROS.... PROPHETAS OPERIET; id est, velabit oculos eorum, ne videant quæ vobis expediunt.

V. 11. ET ERIT VOBIS VISIO, SICUT VERBA LIBRI SIGNATI, id est, epistolæ obsignatæ, vel privatis notis scriptæ: eodem enim nomine ספר vocant Hebræi *librum* & *epistolam*. Visionem autem omnium appellat, quidquid Deus illis dicturus erat per bonos Prophetas ad eorum salutem. Alii id referunt ad litteras sacras, in quarum lectione velamen positum dicit D. Paulus super corda Iudæorum, II. Cor. III. 14. QUEM CUM DEDERINT SCIENTI LITTERAS, id est homini docto. Qui doctus est, respondet epistolam esse signatam: qui indoctus est, respondet se non posse legere, quod sit indoctus; quasi dicat uno verbo: Nemo reperietur qui possit verba Dei intelligere, neque doctus, neque indoctus, sicut dixerat supra cap. XXVIII. II.

V. 13. EO QUOD APPROPINQUAT: נגש, *appropinquat*, ita Septuag. legerunt, ἐγγίζει & Christus Matth. XV. 8. Alii legunt נגש

cum

cum puncto in dextro cornu, quod significat *arctare;* quasi dicat: Populus hic cum in angustiis est, tunc ad me appropinquat. Sed alter sensus & lectio est melior: idem enim est ore appropinquare, & labiis glorificare, non ex animo, sed externis cæremoniis Deum colere. ET TIMUERUNT ME, id est coluerunt me. Timere enim Deum est eum colere. MANDATO HOMINUM, id est humanis traditionibus, non divinis, ut Christus interpretatur Matth. XV. 9. Heb. *Timor eorum erga me præceptum ab hominibus institutum.*

V. 14. ECCE EGO ADDAM. Verbum *addam*, hanc habet vim: Illi cum ego eos admonerem, quasi obstupescentes noluerunt audire. Ego igitur addam ipsis maiorem stuporem, ut non intelligant quæ ipsis sint salutaria. Hoc est quod dicit, PERIBIT SAPIENTIA.... ET INTELLECTUS PRUDENTIUM EIUS ABSCONDETUR; id est, non apparebit ex effectu, quia nihil intelligent. Sensus huius versus pendet ex versu 9. 10. & 11.

V. 15. VAE QUI PROFUNDI ESTIS; id est, qui tantum confiditis prudentia vestra, ut celetis Deum vestra consilia, omniaque arbitrio vestro geratis. Heb. חוי מעמקים מיהוה, *Væ qui profundi* (id est, occulti) *sunt a Deo*, id est qui putant se Deum latere cum male agunt, ut statim explicat: QUORUM SUNT IN TENEBRIS OPERA. *Qui enim male agit odit lucem*: Ioan. III. 20.

V. 16. PERVERSA EST. Heb. הפככם אם כחמר היוצר יחשב, *Subversio vestra sicut lutum figuli*; id est, tam facile possum subvertere vos, quam figulus lutum. Vel: Perversitas vestra quemadmodum si esset perversitas luti contra figulum, ita reputabitur, id est similis est perversitati luti contra figulum. כי־יזמר, *quando dicit opus*, &c.

V. 17. NONNE ADHUC IN MODICO: הלא עוד מעט, *Nonne adhuc modicum & pusillum* (tempus restat) UT CONVERTATUR LIBANUS IN CHARMEL; id est, fiet omnium rerum conversio cum Christus venerit. Libanus mons infrugifer erat tantum arboribus sylvestribus coopertus; Charmel autem quamvis pro monte aliquando accipiatur, plerumque sumitur pro agro Moabitidis regionis. Itaque sensus est: *Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prava in directa, & aspera in vias planas:* Isai. XL. 4. Luc. III. 5. Alii interpretantur ex alio loco, qui est infra cap. XXXII. 11. *Et erit desertum in Charmel, & Charmel in saltum reputabitur*; id est, quæ prius erant deserta colentur, & quæ erant culta, deserta erunt: Libanus enim desertus erat, Charmel cultus. Prædicit autem hac similitudine vocationem & culturam populi gentilis, qui prius desertus erat, & reprobationem ac desertionem populi Iudaici, qui prius per legem cultus fuerat.

V. 18. ET AUDIENT IN DIE ILLA SURDI; id est, Gentiles qui prius quasi surdi non audiverant legem Dei. ET DE TENEBRIS; id est, oculi cæcorum qui prius in tenebris & caligine esse videbantur, aperientur, ut legant atque intelligant verba libri, id est prophetias de Christo, quas vos intelligere noluistis. Ioan. IX. 39. *In iudicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant.*

V. 19. ET ADDENT MITES, id est inopes, qui mites esse solent. IN DOMINO LAETITIAM; id est, gentiles, qui prius abiecti esse videbantur, maiore cum lætitia & voluptate Dominum recipient, quam Iudæi. Hoc enim significat Heb. *addere lætitiam.*

V. 20. QUONIAM DEFECIT (id est deficiet tunc) QUI PRAEVALEBAT: עריץ, *qui vim inferebat*. CONSUMPTUS EST ILLUSOR: לץ, *impius peribit*. ET SUCCIDENTUR OMNES QUI VIGILABANT, id est qui noctes insomnes ducebant in peccatis.

V. 21. QUI PECCARE FACIEBANT HOMINES IN VERBO; id est, qui subornabant, ut falsum testimonium dicerent in iudicio contra iustum. ET ARGUENTEM IN PORTA, id est iudicem fallebant falsis testibus. Fiebant enim iudicia in porta civitatis: II. Reg. XV. 2. & Psal. CXXVI. similis phrasis est Amos V. 10. *Odio habuerunt corripientem in porta.* ET DECLINAVERUNT (iudicem active) A IUSTO; id est, deflectere fecerunt ab æquitate falsis testibus. Heb. ויטו בתהו צדיק, *& declinare fecerunt iustum*, id est cadere causa: בתהו, *frustra*, sine ullo eius merito: aut, *per vanitatem*, id est per falsa testimonia.

V. 22. AD DOMUM IACOB. Per Abraham intelligit patrem omnium credentium, ut loquitur D. Paulus ad Rom. IV. 11.

Per

Per Iacob omnes Abrahami posteros, quia Iacob inter eos fuit facile princeps; ac propterea eos duos nominat. QUI REDEMIT ABRAHAM, id est liberavit multis periculis, primum a Chaldæis, Gen. XII. 4. deinde a Pharaone; ibid. vers. 16. postea a quatuor regibus, quos vicit, Genes. XIV. 15. cuius liberationis ideo mentionem facit, ut tacite ostendat eum qui Abraham liberavit ab hominibus, liberaturum etiam Iacob, id est eius posteros qui crediderint, a tyrannide diaboli. NON MODO CONFUNDETUR IACOB; id est, non ultra confundetur, non amplius punietur, cum in Christum crediderit, sed salvabitur.

V. 23. SED CUM VIDERIT, id est postquam viderit, non enim significat fore ut cum videat erubescat; sed potius ut desinat erubescere. Quod clarius dicitur Heb. כי בראתו, *cum viderit*, vel, *quia videbit, in medio eius*, id est in Ecclesia, *opus manuum mearum*, id est quos ego regeneravi. ET SANCTIFICABUNT SANCTUM IACOB, id est Deum Iacob. Idem quod sequitur, ET DEUM ISRAEL PRAEDICABUNT: vel, יעריצו, *timebunt*, id est colent.

V. 24. ET SCIENT ERRANTES SPIRITU, id est ebrii delirantes mente, de quibus supra vers. 9. INTELLECTUM, id est veram sapientiam rerum divinarum. ET MUSSITATORES, רגנים, *murmuratores*, id est qui prius nesciebant loqui, sed solum mussitabant & balbutiebant, eloquentes erunt & diserti, & docebunt legem: quod factum videmus in Apostolis per donum linguarum Act. II. 3.

S A.

Vers. 1. ARIEL. Chald. *altare*. Quidam templum intelligunt, vel Ierusalem, quæ dicitur *Ariel*, id est *leo Dei*, ob fortitudinem, vel Principatum. CIVITAS. Chald. *constructum in civitate*. EXPUGNAVIT. Vide I. Par. XI. ADDITUS EST, &c. quasi dicat, Post aliquot annos cessabunt festi dies.

V. 2. CIRCUMVALLABO, id est obsidebo, scilicet per Assyrios, vel Romanos. QUASI ARIEL, id est ut leo, circa quem multa cadavera. Chald. *ut altare circumdatum sanguine victimarum*.

V. 3. QUASI SPHAERAM, id est undique.

V. 4. DE TERRA, scilicet deiecta, seu prostrata. QUASI PYTHONIS, id est submissa.

V. 5. SICUT PULVIS, &c. id est innumera. VENTILANTIUM, scilicet hostium. PERTRANSIENS, scilicet velociter. PRAEVALUERUNT; pro, prævalebunt.

V. 6. VISITABITUR, id est punietur, scilicet civitas.

V. 7. SICUT SOMNIUM, &c. quasi dicat, Non diu lætabuntur victores.

V. 9. OBSTUPESCITE, scilicet o Iudæi increduli; quasi dicat, O stupidi, fluctuantes, & ebrii, Deo sic vos ob peccata puniente.

V. 10. MISCUIT, scilicet ut solet qui potum temperat & propinat: quamquam etiam *miscere*, *propinare* significat: vide sup. cap. XIX. Chald. *immisit in vos*. LXX. *potavit vos*. SOPORIS. Chald. *erroris*. LXX. *compunctionis*, id est pertinaciæ in malo defixæ, ut Græci interpretantur. OPERIET; id est, faciet ne intelligantur, aut ut errent permittet.

V. 13. APPROPINQUAT, scilicet mihi. ET TIMUERUNT, &c. LXX. *Frustra autem colunt me docentes præcepta hominum & doctrinas*. MANDATO HOMINUM, id est iuxta hominum traditiones perversas. Vide Matth. XV.

V. 14. ADMIRATIONEM. Chald. *percussionem*. PERIBIT, &c. LXX. *perdam sapientiam sapientum*.

V. 15. ABSCONDATIS, id est abscondi putetis.

V. 16. NON INTELLIGIS. LXX. *non sapienter me fecisti*. Chald. *non intelligis me*.

V. 17. LIBANUS IN CHARMEL, id est alta deprimentur, vel steriles Gentiles fertiles fient. ET CHARMEL, id est ager fertilis, scilicet olim Iudæi. IN SALTUM, scilicet infrugiferum; quasi dicat, Steriles fient.

V. 19. ADDENT, id est augebunt.

V. 20. PRAEVALEBAT, scilicet diabolus. CONSUMMATUS EST. Chald. *consumptus est*. LXX. *periit*. ILLUSOR, scilicet deceptor diabolus. Chald. *deprædator*. LXX. *superbus*. SUPER INIQUITATEM, id est ut inique agerent.

V. 21. IN PORTA, id est publice, vel in iudicio, quod olim ad civitatis portam fiebat. FRUSTRA, id est sine causa.

V. 22. REDEMIT, id est eripuit, scilicet a Chaldæis, vel idololatria. MODO, id est nunc. Chald. *posthac*.

V. 23.

V. 23. Sed, ſcilicet lætabitur.

V. 24. Mussitatores, id eſt ſuſurrones, ſcilicet Iudæi contra Deum ſoliti murmurare.

ESTII.

Verſ. 1. VAE Ariel, Ariel, civitas, quam expugnavit David. Per Ariel Ieroſolyma intelligitur. Significat autem Ariel, leonem Dei, vel leonem fortem: nam *El* utrumque apud Hebræos ſignificat, & Deum, & fortem. Unde in Pſal. xli. *ad Deum fortem vivum*, quidam verterunt, *ad Deum*, *Deum vivum*. Ieruſalem itaque vocatur *Ariel*, id eſt leo Dei; quia quondam fortiſſima fuit civitas, id quod etiam ſignificat verbis ſubjectis: *civitas*, *quam expugnavit David*, id eſt quam David rex fortiſſimus ægre expugnare potuit, quando adhuc tenebatur ab Iebuſæis. Putant quidam vocem hanc *Ariel* primario attributam fuiſſe apud Iudæos altari templi, quod erat Ieroſolymis. Nam conſtat ex Ezech. xliii. altare vocatum fuiſſe Ariel ubi dicitur: *Ipſe autem Ariel quatuor cubitorum.* Ita ſenſus erit: Væ altari, altari, quod eſt in civitate, quam expugnavit David. Et iuxta hunc ſenſum ſynecdoche erit in ea voce *Ariel*, ut per altare, quod eſt in civitate, ipſa civitas intelligatur. Et ita comminatio iſta nihilominus ad totam civitatem pertinebit.

V. 13. Eo quod appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem eius longe est a me, &c. Hoc contra hypocriſim Iudaicæ gentis dictum eſſe, manifeſtum eſt ex Evangelio Matth. xv. & Marci vii. ubi a Domino eadem verba contra eos proferuntur: illi enim ſummam pietatis in externo cultu tantum ponebant. Quin etiam Sasboldus ſcriptor pius, & doctus in hunc locum ita commentatur: Sane qui & hodie legunt certas preces, & audiunt ſacrum, & iis abſolutis conferunt ſe ad pocula, aut his ſimilia, illi quoque ſunt qui hic dicuntur labiis ſuis honorare Deum, cor autem eorum longe eſſe. Quod valde horribile eſt in homine Chriſtiano, & maxime in ſacerdote, exiſtimante omnia tunc recte ſe habere, quando lectæ ſunt horæ, non cogitante interim, ut mens elevetur in in Deum, & cor ei per amorem iungatur; ut ſit humiliatum & contritum; & res fluxas atque mundanas contemnat. Sic ille. Neque eſt quod dicamus tantum contra eos hæc poſita, qui in precibus evagationes mentis patiuntur. Nam Iudæi & Phariſæi vere de Deo cogitabant, quando Deum laudabant, nominatim Phariſæus dicens: *Gratias tibi ago*, *quia non ſum ſicut ceteri homines*; ſed generaliter ponitur hæc ſententia contra eos qui verbis Deum honorant, factis autem eum contemnunt.

MARIANAE.

Verſ. 1. VAE Ariel. Chald. *Væ altare.* Sic *altare* vocatur Ezech. xliii. 15. Vocatur autem *altare Ariel*, id eſt *leo Dei*, aut *leo fortis*, vel ab igne, qui leonis adinſtar ſemper in altari cubabat; aut ob pecudum multitudinem, quæ ibi conſumebantur. Ab altari Ieruſalem vocabatur *civitas Ariel*, id eſt civitas ubi altare erat. Quam expugnavit David. Nota eſt hiſtoria II. Reg. v. & I. Paral. xi. Septuag. ut Noſter, *expugnavit*. Chald. *in qua manſit David*. Verbum חנה *hanah*, & *caſtrametari* ſignificat, & *manere*. Prior ſignificatio magis placet, & *caſtrametari* pro *expugnare* recte ſumitur. Additus est annus ad annum. Heb. *addite annum*, pro *additus eſt*, ut Noſter dixit. Solemnitates evolutae sunt. Quidam ſic Heb. vertunt, *Agni iugulati ſunt;* quod perinde eſt, nam in ſolemnitatibus agni iugulabantur. Significat ergo, aliquot annis & anniverſariis ſolemnitatibus decurſis, fore quæ prædicit.

V. 2. Et circumvallabo. Heb. *coangustabo Ariel*, id eſt Ieruſalem. Et erit tristis et moerens. Heb. *erit planctus ac luctus*. Quasi Ariel, id eſt ſicut altare, circum quod multæ pecudes iugulatæ iacent, ſic circum urbem multa cadavera.

V. 3. Et circumdabo quasi sphaeram in circuitu tuo. Heb. *& caſtrametabor pilam ſuper te*, id eſt inſtar pilæ & circulo caſtra hoſtium circum te erunt. Iaciam contra te aggerem, aut turrim ligneam, ut ſcilicet inde cives vulnerentur, excitabo. Et munimenta ponam in obsidionem tuam. Gotth. commodius, *in obſidione tua*. Heb. *& ponam ſuper te munitiones*, ſcilicet quando te obſedero.

V. 4. De terra loqueris, id eſt quaſi de ſub terra loqueris. Vox præ metu exilis

erit.

erit. QUASI PYTHONIS, qui non loquuntur, sed murmurant. DE TERRA, id est quasi de sub terra. DE HUMO. Heb. *de pulvere*, sed *pulverem* pro *humo* sumit. MUSSITABIT. Heb. *garriet*. Vox erit non humanæ similis, sed avium, exilis, tenuis.

V. 5. VENTILANTIUM. Heb. *alienorum*, seu *hostium tuorum*. FAVILLA PERTRANSIENS. Heb. *gluma*, seu *pulvis*, pro, sicut gluma erunt hostes tui, tum ob multitudinem, tum quia cito deficient. Psal. I. 4. *Sed sicut pulvis, quem proiicit ventus*: ibi vox *moz* est, quæ etiam hic ponitur. MULTITUDO EORUM, QUI CONTRA TE PRAEVALUERUNT. Heb. *multitudo fortium*, id est militum. REPENTE CONFESTIM. Non significat continuo hæc mala ventura; nam initio dixit, fore post aliquot annos: sed improviso ventura, cum minime id cogitent.

V. 6. VISITABITUR, id est punietur, Ierusalem scilicet. COMMOTIONE TERRAE. Heb. *concussione*; significatque hoc malum instar procellæ & ignis fore, qui cuncta consumit.

V. 7. ET ERIT SICUT SOMNIUM VISIONIS NOCTURNAE. Somniamus quæ fieri non possunt. Subito & præter spem venit somnium, & continuo disparet: sic tam multæ gentes convenient contra Ierusalem, ut vix credi possit, reque cito patrata evanescent. ET OMNES QUI MILITAVERUNT. Heb. *oppugnaverunt eam*. ET OBSEDERUNT, ET PRAEVALUERUNT. Heb. *& munitionem eius* (scilicet oppugnaverunt) *& angustiantes eam*. Sententia eadem & perspicua.

V. 8. ET SICUT SOMNIAT ESURIENS; quasi dicat: Non Iudæi tantum somniabunt, sed hostes, qui putantes, præda se expleturos suam cupiditatem, contra illis eveniet, spolia unius urbis tam multis gentibus non sufficient. LASSUS ADHUC SITIT, qui somniat. Heb. *lassus, & anima eius desiderat*, scilicet potum; quod Noster uno verbo dixit, *sitit*. Porro *anima* hic pro stomacho sumitur, aut pro ipso homine qui esurit & sitit. Sic erit multitudo gentium, quæ dimicaverunt contra montem Sion.

V. 9. OBSTUPESCITE. Sic Chald. Alii vertunt, *moramini*, scilicet cogitantes unde hoc malum vobis venit. FLUCTUATE, ET VACILLATE. Chald. *terremini, & admiramini*. INEBRIAMINI, ET NON A VINO, sed ob ærumnæ magnitudinem sensibus deficite. MOVEMINI, ut ebrii moventur. ET NON AB EBRIETATE. Heb. *& non a sicera*. Hæc omnia significant cladis magnitudinem, qua mentes de suo statu cadere possint. Porro codices Heb. hoc loco variant, quia hæc verba in imperativo ponunt, quod Hieronymus, Chald. & Septuag. sunt secuti, alii in præterito indicativi, *Obstupuerunt, admirati sunt, fluctuarunt*. Utroque modo mali vis significatur.

V. 10. MISCUIT, id est potavit, propinavit. SPIRITUM SOPORIS, ut dormientium instar nihil provideatis. *Thardemah*, quod hoc loco ponitur, *gravem soporem* significat. QUI VIDENT VISIONES, Heb. *Videntes*. Ii sunt Prophetæ. OPERIET; scilicet eorum oculos, ut non videant quid fieri debeat.

V. 11. VISIO OMNIUM, scilicet Prophetarum. SICUT VERBA LIBRI SIGNATI. Non intelligetis quidquam eorum quæ illi monuerunt. Hoc sopor, hoc ebrietas facit. Quidam vertunt, *& erit visio omnis*.

V. 13. ET TIMUERUNT ME MANDATO HOMINUM ET DOCTRINIS. Heb. *& timor* (id est religio) *eorum erga me mandatum hominum doctum*; id est, non ut ego iubeo me colunt, sed ut homines docent. Septuag. *Frustra autem colunt me docentes præcepta hominum & doctrinas*: quomodo locus hic citatur Matth. XV. 8.

V. 14. PERIBIT ENIM SAPIENTIA A SAPIENTIBUS EIUS; scilicet ut quod facto sit opus non intelligant. Illi homines prætulerunt mihi: ego faciam ut illi in errorem eos mittant, excæcabo eos.

V. 15. VAE QUI PROFUNDI ESTIS CORDE. Heb. *væ qui profundi sunt a Domino*, id est eum latere se putant. Quæ in profundo sunt non videmus. QUORUM SUNT IN TENEBRIS OPERA, scilicet væ illis: Dei oculus omnia videt, & per omnia permeat.

V. 16. PERVERSA EST VESTRA HAEC COGITATIO. Heb. *perversio vestra*, scilicet hæc est. QUASI SI LUTUM CONTRA FIGULUM COGITET. Heb. *si* (pro, sane) *sicut lutum figuli reputabitur*, id est vere instar luti estis in manu figuli, quod scilicet formare ut voluerit poterit. ET DICAT OPUS. Heb. *quia* (pro, numquid) *dicet opus factori suo*. NON INTELLIGIS. Heb. *non intellexit*. Ergo sicut lutum figulo dicere non potest,

potest, Non intelligit quod facit; nec homines Deum latere possunt, ut eorum cogitationes non intelligat.

V. 17. Convertetur Libanus in charmel, id est magna rerum brevi commutatio erit. *Libanus*, id est divites *in charmel* vertentur, id est fient pauperes. Et charmel in saltum reputabitur? erunt divites qui erant pauperes, ut saltus arboribus est plenus. Adhæc surdi audient, cæci videbunt. Id continet versus sequens. Hieronymus hic ait, duos Carmelos montes fuisse; alterum in tribus Aser prope Ptolemaidem, ubi Elias versabatur, qui fertilis erat, ac vini ferax; alterum ad Austrum, ubi Nabal Carmelus. Hunc montem sterilem fuisse aiunt: & de eo videtur loqui hic Isaias.

V. 19. Et addent mites in Domino laetitiam, id est auctore Domino addent ad lætitiam. Mites semper sunt læti tunc erunt lætiores.

V. 20. Defecit qui praevalebat. Ea est lætitiæ causa. Heb. *fortis*, *tyrannus*, qui scilicet opprimebat pauperes. Succisi sunt omnes qui vigilabant super iniquitatem, id est ad eam toto pectore ferebantur iniqui.

V. 21. Qui peccare faciebant homines in verbo, id est verba aliorum sinistre interpretabantur. Et arguentem in porta, id est litigantem, aut eos accusantem publice, coram Iudicibus eum supplantabant. Iudices ad portas urbis erant. Supplantabant, aut laqueis implicabant: calumnia se tuebantur. Et declinaverunt frustra a iusto, id est eum oppresserunt. *Frustra*, id est sine causa. Heb. *& declinare faciunt in vanitate iustum*, id est eum ob res vanas pervertunt. Ii omnes succidentur, peribunt.

V. 22. Non modo confundetur, aut, *non nunc pudefiet*. Iacob, id populus Iudæorum. Erubescet. Heb. *non albescet*. In timore facies albescit. Ergo non timebit. Timoris causam rebus mutatis ego removebo.

V. 23. Sed cum viderit. Sic Septuag. & Chald. Verum Heb. non est *sed*, & sine illa planior oratio redditur. Quando Iacob non confundetur? Cum viderit filios suos ad me conversos, sanctificare nomen meum, id est me sanctum fateri. Praedicabunt. Heb. *timebunt*: sic Septuag. Chald. *Deum Israel fortissimum dicent*. Kimhi hoc secutus, explicat, *roborabunt*, id est robustum dicent.

V. 24. Et mussitatores. Heb. *murmurantes*, *susurrones*; scilicet qui vana esse dicebant hæc omnia, ut Chald. addit, ii. Discent legem, continebunt se in officio, ad legis præscriptum vivent. Ii videbunt vera esse quæ dicimus.

MALVENDAE.

Vers. 1. Vae Ariel, Ariel &c. Nonnulli observant, huius concionis, quam tribus hisce capitibus contineri iudicant, quatuor esse in universum partes: prima est, denuntiatio summa iudiciorum in totum regnum & populum Iudæorum, quæ per Babylonios erat effecturus Deus, usque ad versum 15. secunda & tertia sunt prioris denuntiationis partes, quibus iudicium illud universe pronuntiatum duobus modis accommodat personarum ratione: secunda enim pars est denuntiatio contra hypocritas, a vers. 15. huius capitis ad finem usque: tertia vero, contra desertores Dei manifestos, cap. xxx. quarta est conclusio, populum ad bonam frugem revocans, cap. xxxi. Primæ autem denuntiationis partes sunt duæ; propositio, usque ad versum 9. & narratio causarum, ex quibus hoc iudicium eventurum est, usque ad vers. 15. Hoc enim *væ*, non est imprecantis, sed prænuntiantis vocabulum, quo Propheta excidium cum ipsius templi, tum civitatis ostendit. Ariel, Ariel. S. Hieronymus: *Ariel*, id est, Leo Dei, *quondam fortissima vocatur Ierusalem, sive ut alii arbitrantur, templum & altare Dei quod erat in Ierusalem*. Hebræi notant, Altare Holocaustorum dici hic Ariel, ut etiam Ezechiel. xliii. 15. & 16. id est, *leo Dei*, vel *leo fortissimus & potentissimus*, quod ignis sanctus, qui e cælis descendebat, cubabat super illud ut leo; vel Templum Ariel dici, quod esset extructum in similitudinem leonis, nempe angustum retro, & latum ante. Plerique ipsam Ierusalaim Ariel hic vocari asserunt, & singulariter arcem Tziionis, figurate, quod munitissima & fortissima esset, & ut leo hostes discerperet. Mercerus, altare Dei leonem appellatum putat, quod sanguine victima-

ftimarum maderet, ut leo prædam difcerpens fanguinem exprimit. Simile eft Genef. XLIX. 27. Tremellius & Iunius exponunt: *Væ Arieli*, *Arieli*, id eft altari, ac proinde templo, fynecdochice: eft autem *Ariel* vox compofita, fignificans de verbo ad verbum *Leonem Dei fortis*: quo nomine intelligitur ἐσχάρα, five fovea ingentis illius Altaris ænei, de quo II. Paralipom. IV. 1. quia velut immanis leo holocaufta allata confumebat igne perpetuo, cuius mentio eft in fine huius prophetiæ cap. XXXI. 9. Nifi quis forte malit exponere, *id quod Deus Fortis videt*, vel *refpicit* a ראה *raah*; fic etiam accipitur Ezechiel. XLIII. 15. & 16. Eft autem in priore huius verfus membro prolepfis, five propofitio fumma utriufque calamitatis, & regni, & populi, five excidii cum ipfius Templi, tum civitatis, ob idque geminatur nomen Ariel: quam prolepfin fequentia verba ex ordine interpretantur. CIVITAS, QUAM EXPUGNAVIT DAVID. Varie alii ex Heb. I. *civitatis*, vel *civitati*, *contra quam caftrametatus eft David*, I. Paralipom. XI. 5. & 7. & II. Samuel. cap. V. 7. & 9. II. *civitas*, *in qua refedit David*. III. *civitas*, *in qua manfit David*; id eft, ubi habuit refidentiam & regiam. IV. quod altare eft in urbe, in qua habitavit. V. *urbi*, *in qua caftrametatus eft David*; id eft, ubi David militiam fuam forenfem habuit, & totum fuum comitatum: nam urbs Davidis ex eo dicta eft. VI. Plerique חנה *chanah*, non verbum, fed nomen faciunt: *civitas*, *arx*, *caftrum*, *fedes*, *refidentia*, *habitaculum Davidis*; vel *urbi*, *arci*, &c. *Davidis*; id eft, quæ fuit arx, fedes, &c. Davidis: quod non placet. Quod קרית *kiriath*, *civitas*, fcribatur forma regiminis, nonnulli hic regimen agnofcunt, & fi *chanach* nomen eft, reddunt, *civitati refidentiæ Davidis*; fi verbum, præteritum pofitum pro infinito feu gerundio, *civitas habitandi*, feu *refidendi Davidis*: vide in Genef. I. 1. Sed ftatum fyntacticum poni fæpius pro abfoluto obfervant. Vide Thefaurum noviffimum Sanctis, colum. 747. ADDITUS EST ANNUS AD ANNUM. Heb. *addite annum fuper annum*. Varie exponunt: I. Id eft, poft non multos annos, numerate paucos annos; vel elapfis pauculis annis, id eft uno aut altero anno. II. Poft aliquot annos. III. Id eft, poft multos annos, numerate multos annos, annum anno addentes. SOLEMNITATES EVOLUTAE SUNT. Plurifariam alii ex Heb. I. *agni deficient*. II. *victimæ excidentur*, id eft ceffabunt; quafi dicat, Tandem definent facrificare & immolare hoftias fuper te, o Ariel, five altare. III. *hoftias excident*, five *exterminabunt*, hoftes Babylonii, excifo templo & altari. IV. *& agnos iugulent*, id eft amoveant facrificia. V. *addite annos*, *quibus iugulentur agni*; quafi dicat: Tametfi facrificia affidue faciatis, nihilominus vindictam fuam exequetur Dominus, ut fubditur. VI. Forfterus: *folemnia ad folemnitates decidentur*, id eft frondes; vel *fecate feftivalia*, id eft frondes ad feftivitates. VII. Forerius: *feftivalia decidantur*; id eft, decidantur frondes feftivales uno atque altero anno; quafi dicat, Non diu erit, quod feftivitates in templo agitentur, cito deficient. VIII. Leo Iudas & Avenarius: *adiicite annum ad annum*, *fefta exfcindentur*, feu *evertentur*; id eft, poft aliquot annos non celebrabuntur fefta, nec immolabuntur hoftiæ in te. IX. Marinus: *fefta præcident*; id eft, agnos dictorum feftorum mactabunt, ut fit in facrificiis. X. Montanus: *agni excervicabuntur*, id eft mactabuntur: in Commentariis tamen, *folemnitates decidentur*; id eft, decerpite, & frondes metite, coronas, ramos feftivos identidem plectite. Permiffio; quafi dicat, Non diu ifta facietis. Sic Iuvenalis Satyra VI.

Ornentur poftes & grandi ianua lauro.

XI. Schindlerus: *fefta decidentur*; id eft, facrificia ad fefta mactabuntur: aut frondes feftivæ decutientur. XII. Buxtorfius: *fefta excidant*; id eft, facrificia feftorum mactent: vel intranfitive iuxta Aben-Ezram: *excidentur*, hoc eft ceffabunt. XIII. Tremellius, & Iunius: *Adiicite annum ad annum*, *feftis*, id eft facrificiis feftorum, *capita exfecent*. Apoftrophe ad obfeffos, qua Propheta oftendit diuturnam fore obfidionem, & inutilem Iudæorum laborem in defendenda urbe, atque adeo irritum externum cultum Dei, quem adhibuerint: nam obfidionis illius decretum & everfionis effe irrevocabile. SOLEMNITATES, חגים *chaghim*, proprie, *feftivitates*. Plerique metonymia fynecdochica, pro agnis, pecudibus, victimis, facrificiis, quæ in feftivitatibus Iudæorum mactabantur: vel pro feftis frondibus, quibus templum, & altare feftivis diebus ornabantur accipiunt: vide in Exod. XXIII. 18.

& in Psal. CXVII. 27.

V. 2. ET CIRUMVALLABO ARIEL, &c. Varie hunc versum ex Heb. explanant: *Et coarctabo angustiis & afflictionibus afficiam Arielem*, id est altare: *& erit mæror & luctus; & erit mihi sicut Ariel;* quasi dicat: Ego faciam civitatem sicut altare super quo effunditur sanguis, quia civitas erit plena sanguine interfectorum in plateis eius. II. *Et coangustabo Arielem;* id est, arcta obsidione cingam Ierusalem per Chaldæos: *eritque in urbe planctus, & luctus*, vel *mæror & tristitia, & erit mihi tamquam Ariel*, id est instar altaris, quasi dicat: Ut cum sacrificium fit, plurima cadavera iacent circum altare; sic in Ierusalem erunt multa cadavera hominum interfectorum. III. *Et pressuram faciam*, vel *inferam Arieli: & erit mæror, & mæstitia*, seu *impulsio*; *& erit mihi velut Ariel*, quem scilicet discerpam & dilaniabo: videlicet Ierusalaim prius fuit leo fortis; qui alios discerpsit, nunc ego tibi ero leo fortis & discerptor, qui te discerpam. IV. *In angustiam redigam Arielem*, id est Ierusalem; *ut sit mærens & tristis*: *tum erit mihi sicut Ariel*, id est instar altaris, iuxta quod multæ consueverunt cadere victimæ, sic cædem faciam in Ierusalaim. V. *Et inferam tortiones ipsi Ariel, ut sit invectus atque invectio;* id est, erunt contra eum naumachiæ, & variæ impugnationes hostium; *& erit quasi Ariel.* VI. *Attamen angustabo Arielem*: id est, neque viribus vestris, quas ad propulsandos Chaldæos occupabitis, neque sacrificiis, quibus vos iram meam amollituros præsumetis, impediar quominus in summas angustias templum meum, urbemque vestram, & vos ipsos redigam: *eritque mæror & mæstitia*, id est summa & incredibilis anxietas: *Cum erit mihi urbs ut Ariel;* id est, cum urbem æque atque templum perdam. Vide in Lament. II. 5.

V. 3. ET CIRCUMDABO QUASI SPHAERAM IN CIRCUITU TUO. Alii: I. *Et castrametabor in circuitu tuo, sicut pila rotunda contra te*. II. *Et ponam castra quasi pilam contra te*. III. *Et considebo, sicut circulus circa te*. IV. *Nam castra contra te figam instar pilæ*, seu *circumquaque*. V. *Et castrametabor instar trochi contra te*. VI. *Nam castrametabo* (ergasia superioris denuntiationis, usque ad vers. 9.) *pilata acie contra te*. Vide supra cap. XXII. 18. Coronam, seu globum, aut circumvallationem militarem intelligunt alii. ET IACIAM CONTRA TE AGGEREM. Alii: I. *& obsidebo te turri lignea*. II. *& cingam contra te stationem*, seu *propugnaculum*, in quo in obsidione stant milites. III. *& pressuram tibi faciam*, id est, pugnabo contra te, *statione*, id est obsidione. IV. *& angustum tibi faciam munitione*. V. *obsidebo te stativis*. VI. *& coarctabo super te constitutam*, vel *turrim stantem*. Hispanicus: *y combatirte he con ingenios*. ET MUNIMENTA PONAM IN OBSIDIONEM TUAM. Heb. *& surgere faciam*, vel *exigam, excitabo, contra te munitiones*, scilicet obsidionis. Alii: *aggeres munitionum*. Nonnulli: *obsidionalia munimenta*. Hispanicus: *y levantare contra ti baluartes*, id est propugnacula. Harum autem minarum complementum vide II. Reg. XXV. 1. & sequentibus.

V. 4. HUMILIABERIS, DE TERRA LOQUERIS. Heb. *Deprimeris, deiicieris*. Quidam: *Adeo ut deiecta de terra loquaris*, &c. id est, humillime & submississime loqueris, ut ii faciunt qui corpore & animo abiecti sunt. ET DE HUMO AUDIETUR ELOQUIUM TUUM. Futurum femineum תשח *tischschach*, a ישח *iaschach*, seu שחח *schachach*, aut שחה *schachah*, deducunt: *incurvabitur, humiliabitur, inclinabitur, prosternetur, deprimetur sermo tuus*. Alii cum *Scin* sinistro, a שוח *suach, meditabitur, confabulabitur, mussitabit, sermo tuus*. Quidam reddunt: *reflectetur dictum tuum*.

V. 5. ET ERIT SICUT PULVIS TENUIS MULTITUDO VENTILANTIUM TE. זרים *zarim*, diversimode reddunt: I. *Et erit sicut pulvis tenuis, multitudo, copia comprimentium tuorum*. II. *dispergentium, ventilatorum tuorum*, qui te dispergent & ventilabunt, ut Ierem. LI. 2. III. *Nam erit ut pulvisculus tenuis, multitudo extraneorum tuorum*, seu *alienorum;* id est, erit multitudo numerosissima hostium tuorum: nam omnes copias Nebuchadnezar adduxit. ET SICUT FAVILLA PERTRANSIENS, &c. Alii: I. *& multitudo tyrannorum quemadmodum palea, quæ momento ac subito fertur*. II. *Et veluti gluma transiens multitudo violentorum, adeo erit ad momentum, repente;* id est, promptissima, & velocissima erit ad exequenda sine mora iudicia mea. FAVILLA. מוץ *motz*, proprie, *emunctio, emunctura*, inde *gluma, acer, folliculus ex grano emunctus*.

Vide

Vide in Iob XXI. 18. & sup. cap. XVII. 13. EORUM QUI CONTRA TE PRAEVALUERUNT. Heb. *prævalidorum*, *violentorum*, עריצים *gharitzim*. Vide Iob VI. 23.

V. 6. ERITQUE REPENTE CONFESTIM. לפתע פתאום *lephetaagh phithom*; *casui*, *eventui*, vel *in casum*, seu *in eventum subitaneitatis*, vel *repentinitatis*. Vide in Numer. VI. 9. A DOMINO EXERCITUUM VISITABITUR IN TONITRUO. תפקד *thippaked*, futurum, potest esse secunda persona masculea: *Ab ipso Iehova exercituum visitaberis*, seu *requireris in tonitruo*, scilicet, tu popule mi: & tertia feminea: *A Iehova exercituum visitabitur*, *requiretur*, *recensebitur*, ipsa urbs Davidis videlicet; quod est aptius. IN TONITRUO. Alii, *in concussione*, *commotione*, *tremore*, qui sequitur tonitru, vel *in tumultu*. ET COMMOTIONE TERRAE. Alii: *in terræ motu*, *in concussione*. ET VOCE MAGNA. Alii: *sonoque magno*, vel *& fragore magno*, aut *strepituque ingenti*; id est, fragosis, repentinis, vehementibus, immedicabilibusque plagis, quæ hac verborum congerie allegorice designantur. ET FLAMMAE IGNIS DEVORANTIS, seu *absumentis*. Nonnulli: *consumente*, haud apte; nam Heb. participium cohæret cum igne, cum utrumque sit femineum, non cum flamma, quæ est generis masculini.

V. 7. ET ERIT SICUT SOMNIUM, &c. Hunc versum alii ex Heb. reddunt: I. *Eritque sicut somnium visionis nocturnæ multitudo omnium gentium, quæ dimicabunt contra Arielem: & omnium militantium contra eam, & munitionem extruentium contra eam, & angustiis afficientium ipsam*. II. *Et erit universa multitudo omnium gentium, quæ adversus Arielem*, id est civitatem Davidis, *veniunt militatum, seu copias eductura est; & omnis, inquam, exercitus militans contra eum, & qui aggeres contra eum excitat, & qui eum obsidione cingunt, ut somnium nocturni visi*. III. *Erit enim tamquam somniaret viso nocturno multitudo omnium istarum gentium, quæ militatura sunt contra Arielem, & singuli militaturi contra eam, munitionemque eius, & angustiaturi eam*. Ætiologia proxime præcedentis congeriei, qua gravissimas calamitates Propheta designavit: Non est mirum, inquit, si Chaldæi in vos intonaturi sunt, &c. nam rapientur odio contra vos insatiabili, neque satis habebunt umquam vos crudelissime & inhumanissime contumeliis, plagis, cædibus, incendiisque confecisse: quod genus odii sævissimi & inexplebilis, duabus somniantium figuris illustratur versu sequente. ET OBSEDERUNT. Heb. *& munitionem eius*. Quidam: *& ædificantes munitionem*, seu *propugnaculum*, *adversus eam*, ad capiendum eam. Forsterus: *& receptus eius*, id est contra eam. Loquitur autem de munitione, in quam milites se recipiunt, & ex illa urbem oppugnant. ET PRAEVALUERUNT ADVERSUS EAM. Heb. *& torquentes eam*, vel *pressuram facientes ei*, aut *angustiam*, *molestiam*, *inferentes ei*, ut supra vers. 2.

V. 8. ET SICUT SOMNIAT ESURIENS, &c. Dilucidius alii hunc versum ex Heb. transferunt: I. *Erit*, *inquam*, *ac si famelicus somniet quod comedat*, *cumque evigilat*, *desiderium eius frustratur; ac si quis siticulosus somniet se bibere*, *ceterum evigilans*, *fessus est*, *& desiderium eius adhuc fervet: sic eveniet multitudini omnium gentium*, *quæ contra montem Tzion pugnaturæ sunt*. II. *Erit*, *inquam*, *ac si somniaret famelicus quod ecce comedit*, *cum autem expergiscitur*, *vacua est anima eius; aut quasi somniaret sitiens quod ecce bibit*, *expergefactus autem*, *ecce lassus est*, *& anima eius appetit: ita erit multitudo omnium istarum gentium quæ militaturæ sunt contra montem Tziionis*; id est, hostis Chaldæus semper ardentissime esuriet, ut ita loquamur, & sitiet malis afficere te, neque adhuc allatis gravissimis malis acquiescet: quam rabiem optime describit Ieremias in Lamentationibus; quasi dicat, Numquam saturabitur calamitatibus tuis. VACUA EST ANIMA EIUS. נפש *nephesch*, hic plerique pro *desiderio*, *appetitu* accipiunt, ut alibi passim; quasi dicat, Frustratur eius appetitus. Sic paulo inferius. ET ANIMA EIUS VACUA EST. שוקקה *schokekah*, Forsterus: *& animas eius excurrens*, præ fame & siti. Alii: *& anima eius desiderans*, *appetens potus*.

V. 9. OBSTUPESCITE, ET ADMIRAMINI. Alii ex Heb. I. *Tardate*, *immoramini*, *insistite*, subandi, *in cogitatione vestra*; id est, diu ac multum cogitate, quæ causa fuerit tantæ miseriæ: *& admiramini*. II. Forsterus: *Interturbemini*, *& obstupescite*. Prius est negotii & moræ, alterum admirationis. III. *Facite vos ipsos tardos*, vel

vel *tardi estote*, id est multum defixi in consideratione vestræ calamitatis: *& obstupescite*, ad vestram stoliditatem & idolatriam. FLUCTUATE, ET VACILLATE. השתעשעו ושעו *hischthaghaschghu vaschoghu* utrumque verbum, primum geminatum, posterius simplex, alii præteritum, alii imperativum faciunt, & ab eadem Radice שעע *schaghagh*, aut שעה *schagha*, deducunt; varieque exponunt: I. *excæcati sunt* prophetæ, & vos *excæcaverunt*. II. *reprimite oculos*, vel vos, *& sitis repressi*. III. *facite vos vertere visionem*, vel *facite vos diverti*, *& divertimini*, vel *diversi estote*; id est, oculos aversos, aut repressos habete, ne virtus visiva exterius extendatur, & producatur. IV. *oblinite vobisipsis oculos*, *& estote obliniti oculis*. Ex significato Chaldaico V. *oblectare sese fecerunt*, *& vociferamini*; ut primum sit ex שעה *schaghah*, & posterius ex שוע *schuagh*. Alii utrumque ex *schuagh* derivant. VI. *clamaverunt*, *& vociferati sunt*, vel *vociferamini*, *& clamate*. Tremellius & Iunius hunc versum ita reddunt: *Cunctantur*, *quin admiramini*: *delicias agunt*, *quin vociferamini*: *inebriantur*, *at non vino*: *vacillant*, *non autem inebriante potu*. Exponunt: *Cunctantur*, narratio, ut diximus in vers. I. qua exponuntur excidii prædicti causæ duæ, una est stupor & cæcitas populi Iudæorum, versibus quatuor; altera, obdurationis a Deo sententia, vers. 13. & 14. In his autem verbis (quorum allusiones sunt elegantissimæ) est contestatio, qua Propheta primum omnibus palam facit stuporem populi, deinde per apostrophen ad populum, ipsius officium ostendit, quod si saperet, facturus esset. Hæc ita accipienda esse, distinctiones docent quæ extant in manuscriptis exemplaribus nostris: *Cunctantur*, inquit, nimirum resipiscere, & credere monitis servorum Dei; *quin admiramini*, id est, rapti in admirationem Deo vos tradite, & glorificate ipsum; *delicias agunt*, id est genio indulgent, & cupiditatibus; *quin vociferamini*, ad Deum videlicet, missis deliciis, & omni luxu, implorantes misericordiam eius, & tempestive iudicia prævertentes: *inebriantur*, Iudæorum animi studiis occupati, ne accipiant prophetarum verba: metaphoræ. Ceterum nos ex collatione Hebraicorum codicum, & meliorum Interpretum expositionibus ea tempora & distinctiones verbis huius versus in nostra Translatione apposuimus, quæ nobis aptiora visa sunt: (*Interturbare vos ipsos facite*, *& obstupescite*: *oblectare vos ipsos facite*, *& vociferamini*: *inebriati fuerunt*, *& non vino*: *moti fuerunt*, *& non ebriamine*.) MOVEMINI. Heb. potius est præteritum quam imperativum: *moti sunt*, *vacillarunt*, *nutaverunt*, *agitati sunt*, *concussi sunt*. AB EBRIETATE. שכר *schechar*, vide in Lev. x. 9.

V. 10. QUONIAM MISCUIT VOBIS DOMINUS SPIRITUM SOPORIS. Alii ex Heb. I. *Quoniam operuit super vos Iehova spiritum soporis*; id est, operuit vos mente soporis, hoc est stupore & stoliditate. II. *Nam perfudit vos Iehova spiritu soporis alti*; id est, Deus obturavit animum & oculos vestros iusto iudicio suo: vide Romanor. XI. 8. Allegoria. SOPORIS. תרדמה *thardemah*, vide in Genes. II. 21. CLAUDET OCULOS VESTROS. Heb. *& corroboravit*, *condensavit*, *compressit*, *compegit*, *consolidavit*, *constipavit*, *obstipavit*, *oculos vestros*. Proprie, *ossavit oculos vestros*; hoc est, osseos & solidos reddidit, sine ullo humore & diaphano visivo. PROPHETAS, ET PRINCIPES VESTROS, QUI VIDENT VISIONES, OPERIET. Alii: I. *prophetas vestros*, *& præcipuos vestros videntes*, id est principes vestros, qui providere incommodo debuerant, *obtexit*, id est obruit ignorantia. II. *cum prophetis etiam primorum vestrorum prudentissimorum oculos obtexit*; id est, neque tantum plebeios, sed etiam utriusque ordinis, civilis & Ecclesiastici, curatores soporavit: quod sequente similitudine illustratur.

V. 11. ET ERIT VOBIS VISIO OMNIUM, &c. Alii hunc versum ex Heb. efferunt: I. *Eritque vobis visio omnium* verorum prophetarum *sicut verba epistolæ obsignatæ*, *quam dabunt ad scientem librum*, *dicendo*, *Lege nunc istam*: *& dicet*, *Non possum*, *quia obsignata est*. II. *Eritque vobis visio omnium perinde atque verba libri*, *qui obsignatus est*, *quem si offerat quis litterarum perito*, *& dicat*, *Lege*, *quæso*, *istum*, *respondebit is*, *Nequeo*, *quoniam obsignatus est*. III. *Ideo est vobis visio istorum omnium similis verbis litterarum obsignatarum*, *quas si dent*, (impersonaliter dictum, pro quæ dantur) *scienti litteras* (periphrasis peritorum, ut prophetæ atque primores sunt) *dicendo*, *Lege*, *quæso*, *hoc*; *dicit autem*, *Non possum*, *quia obsignatum*.

V. 12.

V. 12. Et dabitur liber, &c. Alii: I. *Quod si detur liber*, seu *epistola ei*, *qui non novit litteras*, *dicendo*, *Lege nunc istam*; *& dicet*: *Non novi litteras*. II. *Quod si detur liber litterarum rudi*, *ac dicatur*, *Lege*, *quæso*, *istum*; *respondebit*: *Non novi litteras*. III. *Sin autem dentur litteræ ei*, *qui nescit litteras* (periphrasis imperiti & illiterati vulgi) *dicendo*, *Lege*, *quæso*, *hoc*: *dicit*, *Nescio litteras*.

V. 13. Et dixit Dominus. Alii: *Dixit enim Dominus*. Altera pars narrationis, ut dictum est supra in vers. 9. nimirum sententia obdurationis a Deo, exponens caussam & iudicium eius, his duobus versibus. Eo quod appropinquat populus iste ore suo, &c. Alii: *Propterea quod appropinquans populus iste*, *ore suo & labiis suis honorant me*, &c. Notant duas hic iudiciorum caussas explicari: una est hypocrisis, altera superbia, non acquiescens præceptis Dei, sed humana anteponens. Verbi *Niphal* נִגַּשׁ *nighas*, duplex est hic lectio; plerique enim Hebræorum, quos sequuntur Forsterus, Avenarius, & Schindlerus, cum *Scin* sinistro legunt: *Eo quod adductus fuit*, *angariatus fuit*, oppressus, obrutus calamitatibus, & angustiis, *populus iste*, *ore suo & labiis suis honoraverunt me*; vel *quando affligitur*, *coarctatur*, *adigitur populus iste*, *ore suo*, *& labiis suis honorant me*. Alii cum *Scin* dextro: *Propterea quod accessus est*, vel *accessit*, *appropinquavit populus iste*, &c. utitur verbo passivo, ut indicet, non sponte, non vere, non simplici & sincero animo, sed ficto & hypocritico, atque coacto accessisse. Quæ sane lectio omnino præferenda est, quam diserte habet Græcus Interpres Matthæi xv. 8. Glorificat me. Heb. *aggravaverunt me*, vel *honoraverunt*, *glorificaverunt me*. Possit accipi in malum, ut I. Samuel. vi. 6. quasi dicat, Propterea quod ore tantum & labiis fictis ad me accesserunt, graves mihi fuerunt, molesti, importuni, &c. Cor autem eius longe est a me. רִחַק *richak*, ex Pihel, activam habet significationem, *longe*, *procul removit a me*, *ablegavit*, subaudi, omnia studia sua; vel populus *cor suum procul removit a me*: nam suppositum verbi *richak* potest esse & *populus*, & *cor*. Et timuerunt me mandato hominum et doctrinis. Heb. I. *fuitque timor eorum*, *quo timuerunt me*, *mandatum hominum edoctum*, vel *quod docetur*, id est humanum, & ab hominibus institutum. II. *& est timor eorum erga me doctus præcepto hominum*, id est, religio eius populi, qua me colunt, sita est in præceptis ab hominibus institutis, sine spiritu Dei. III. *estque reverentia eorum erga me*, *præcepto hominum edocta*; seu *quam præcepto hominum edocti sunt*.

V. 14. Ideo ecce ego addam ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi et stupendo. Nostra translatio fideliter verba ipsa suo more sectata est: (*Ad sic ecce ego addens ad arduum facere ad populum istum*, *arduum facere*, *& arduum*.) Alii: I. *Propterea*, *inquam*, *ecce ego addens ad mirificandum in populo isto*, *res mirificas faciendo*, *& mirum*. II. *Propterea ecce*, *ego addo ut mirificem cum populo isto mirabile & miraculum*. III. *Idcirco ecce ego addo mirificare populum istum*, *mirificatione & miraculo*; id est, reddere populum istum valde mirandum ac mirabilem; quasi dicat, Efficiam ut omnes posthac mirentur sortem, & calamitatem huius populi. Geminatio illa *mirabile & miraculum*, rem maximam & stupendam significat. IV. *Idcirco ecce*, *ego addo*, *ut mirari faciam populum hunc*, *ut mirificem & mirabile*, vel *mirificando & miraculo*; id est, miris modis etiam atque etiam admirabilem reddam. V. *Propterea*, *ecce*, *ego adiiciam excelsum facere populum istum*, *arduum scilicet & excelsum*. VI. *Ideo en ipse quoque addam ut mirifice agam cum populo isto*, *mira scilicet & portentosa*. VII. *Propterea*, *ecce*, *ego adiicio ad mirifice tractandum populum istum*, *mirificatione & mirabili*. VIII. *Propterea ego addam separare*, seu *segregare populum istum separando*, seu *segregando*, *& separatione*, vel *segregatione*. IX. *Idcirco*, *ecce*, *ego perrecturus sum res mirificas agere cum populo isto*, *res mirificas faciendo & mirificum*, vel *indesinenter*, *& admirabiles*. X. Possis apte reddere: *Propterea ego pergam obvelare populum istum*, *obvelare*, *& obvelatione*, id est obvelare densissima & validissima obvelatione, hoc est cæcitate & ignorantia: *nam peribit sapientia sapientum*, &c. Peribit enim sapientia, &c. Alii: *& peribit sapientia sapientium eius*, *prudentia-*

que

Que prudentium eius sese abdet; id est, non amplius extabit, peribit, ut modo dixit: metaphora; vel evanescet, & de medio tolletur; quasi dicat: Immittam magnam ignorantiam in eos, inter quos erant ante multi viri sapientissimi, & prudentissimi. Vide I. Cor. I. 19.

V. 15. VAE QUI PROFUNDI ESTIS CORDE, UT A DOMINO ABSCONDATIS CONSILIUM. Heb. *Væ profundantibus*, vel *profundare facientibus a Iehovah, ad abscondere consilium*. Alii: I. *Væ latitantibus a Iehova abdere consilium*; id est, qui student latitare & abscondere consilia sua Iehovæ; qui statuunt ac putant se facturos aliquid, quod lateat Deum. II. *Væ iis, qui sese in profundum abstrudunt, ut a Iehova abscondant consilium*. III. *Væ acutis & subtilibus, ut a Iehova*, &c. IV. *Væ profundantibus abdere*, vel *abdentibus in profundum a Iehova consilium*. Secundus hic concionis locus explicat unum peccati genus, cuius causa in populum iudicium denuntiatum est, nimirum hypocrisin, ut diximus in vers. I. Sunt enim tres huius loci partes: prima est, propositio summa iudicii in hypocritas, hoc versu: secunda, confirmatio per redargutionem, a vers. 16. ad 22. tertia, piorum consolatio inde ad finem capitis. Ait ergo: *Væ abdentibus in profundum*, &c. id est iis, qui omnem industriam consumunt in consiliis capiendis, quæ etiam Deum ipsum fugere videantur, adeo sua hypocrisi conantur celare Deum, & putant notitiam eius posse subterfugere, ut sequentia verba explicant. Notabis futurum *abscondere*, ex Hiphil, studiosam, diligentem, & accuratam absconsionem denotare, qua res suas hypocritæ Deum celare contendunt. QUORUM SUNT IN TENEBRIS OPERA. Heb. *& erit in obscuritate opera eorum*, id est vel multitudo operum, vel unumquodque ex operibus illorum, distributive. Quæ numeri enallage significat, vel eos magno studio & cura satagere ut quodque opus eorum lucem & inspectionem divinam subterfugiat; vel unumquodque ex operibus illorum esse magnopere obscurum ac pudendum. Alii: I. *& ut opera eorum sint in tenebris*. II. *qui existentes in tenebris, opere suo quoque dicunt*, &c. id est, in abditissimo, occulte institutis, & sententia ipsorum impervestigabilibus consiliis. QUIS VIDET NOS? quasi dicat, Ne Deus ipse videt nos.

V. 16. PERVERSA EST HAEC VESTRA COGITATIO, QUASI SI LUTUM CONTRA FIGULUM COGITET. Alii ex Heb. I. *Subversio vestra vere sicut lutum figuli reputabitur*, id est versio, seu mutatio vestra; quasi dicat: Non tantummodo novit Deus opera quæ facitis, sed vos quoque perdere potest; tam facile enim potest vertere ac mutare sortem vestram, quam facile potest figulus ex luto facere vas quod vult. II. *Conversio vestra*, seu *vertere vestrum*, id est consilia, quæ animo versatis, *an sicut lutum figuli reputabitur?* id est, an instar luti figulini erunt? Miranda plane superbia! nam perinde agitis ac si vos ipsi factores rerum essetis, atque omnia in manu vestra posita haberetis, ut figulus lutum. III. *Si versio vestra*, id est formatio vestri est *veluti lutum*, seu *versio luti in manu figuli, quando dicet opus factori suo*, &c. quasi dicat: Qui estis vos, qui audetis vos Deo opponere, eiusque decreta aut sapientiam intervertere, cum sitis opus Dei, magisque ab illo pendeatis, quam lutum a figulo? IV. *Quæ vestra perversitas ut lutum figuli reputabitur, si dicat opus factori suo*, &c. V. *Vertere vos*, vel *res inverti a vobis, an sicut lutum figuli reputandum est?* Confirmatio per redargutionem ex antitheto a persona ipsorum & persona Dei; prius enim argumentum est: Putatisne vobis esse tam facile factu ut evertatis consilia Dei, & rebus omnibus utamini arbitratu vestro, quam facile est figulo tractare lutum atque transformare? hoc versu: posterius autem: Immo vero hoc unius Dei est, atque ita se habere, facto experiemini, versibus sequentibus. ET DICAT OPUS FACTORI SUO, &c. Quidam hanc partem ex Heb. ita reddunt: *Cum dicet opificium de opifice suo, Non fecit me, etiam figmentum* dicere poterit (nam potentialis est, ut vocant, significatio) *de fictore suo, Non intelligit*. Hypothesis ironica, sive concessio, qua in ludibrium traducit Deus hypocritarum arrogantiam: Mirum est, inquit, vos ita desipere, ut ne ipsa quidem naturæ principia cognoscatis; prius enim opus negabit opificem suum, aut factum infectum erit, quam consilia & cogitationes vestræ fugiant cognitionem meam, nedum ut minimam eorum consiliorum partem labefactent. NON IN-

TEL-

TELLIGIS. Heb. *Non intelligere fecit*. Verbum ex Hiphil significatum intendit ; id est, non cum iudicio & intelligentia observavit, quid fecerit.

V. 17. NONNE ADHUC IN MODICO ET IN BREVI, &c. Alii ex Heb. I. *Nonne adhuc paululum paululum, & convertetur Lebanon in Carmelum, & Carmelus ut silva reputabitur?* quasi dicat: Intra brevissimum tempus omnia immutabuntur ; nam futurum est ut superbi, & qui in summo sunt honore, humilientur ac deprimantur, humiles vero ac depressi exaltentur. Kimchius ita exponit : Metaphorice notat quod ii, qui modo sunt excelsi ut cedri Lebanon excelsæ, erunt sicut arbores Carmel, quæ sunt humiles: & Carmel in silvam reputabitur; id est, ii qui modo sunt humiles ut arbores Carmel, erunt excelsi ut arbores silvæ Lebanon. II. *An non adhuc brevissimo tempore Libanus redigetur in agrum planum*, seu *feracem*, *& ager planus in silvam*, seu *& ager ferax in saltum?* III. *At non adhuc paulisper tempore pusillo, etiam convertetur Libanus in arvum ? & arvum pro silva reputabitur?* Altera pars antitheseos, qua Deus contra quam putabant hypocritæ, potentiam suam asserit ; quasi dicat, Meum est momento deiicere elatos, ut exaltare humiles : quod per allegoriam hoc versu dictum, in sequentibus ab effectis illustratur. כרמל *Carmel*, hic non proprie accipiunt pro monte Carmelo tribus Asseris, sed pro agris, arvis, vallibus, planis ac depressis & frugiferis: ut supra cap. X. 18. & cap. XVI. 10. Vide infra cap. XXXII.

V. 18. ET AUDIENT IN DIE ILLA, &c. Quidam hunc versum ita ex Heb. explanant: *Et audient die illa surdi isti verba litterarum*, de quibus supra vers. 11. & 12. *& ex caligine atque e tenebris*, in quas putaverunt se profundissime abditos esse a Iehova, supra vers. 15. *oculi cæcorum videbunt*. Notant hoc versu describi effectum interminationis de cædendo Libano, quo fere elati & insolentes homines figurantur: Tam graviter (inquit Deus) percutiam illos, ut velint nolint cogantur audire, videre, & sentire modis omnibus iudicia mea: ad quorum denuntiationes agebant surdos, & cæcutiebant ad signa. ET DE TENEBRIS, ET CALIGINE. Heb. *& de caligine, & de obscuritate*. Quidam: *ablatis caligine ac tenebris*.

V. 19. ET ADDENT MITES IN DOMINO. &c. Alii: *Et cumulabunt mansueti in Iehova lætitiam*: *egentissimique hominum in Sancto. Israelis exultabunt*, vel *gestient præ lætitia*, *tripudiabunt*. Effectus promissionis de arvo in silvam attollendo, supra vers. 17.

V. 20. QUONIAM DEFECIT QUI PRAEVALEBAT. Alii: *Quod desierit prævalidus*, vel *violentus*, *formidabilis*, *tyrannus* : vide in Iob XV. 20. ET CONSUMMATUS EST ILLUSOR. Heb. *& consumetur*, *deficiet*, *cessabit*, *evanescet illusor*, vel *derisor*. Quidam, *defeceritque derisor*. ET SUCCISI SUNT OMNES QUI VIGILABANT SUPER INIQUITATEM. Alii ex Heb. I. *exscindenturque omnes, qui iniquitati invigilant*, vel *qui perseverant in iniquitate*. II. *& excisi fuerint quicumque sedulo observant vanitatem*. III. Forsterus: *& exscindentur omnes advigilantes iniquitatis*. IV. Forerius : *& succisi sunt omnes vigiles concupiscentiæ*, seu *cupiditatis*, id est qui excubias agunt, & in hoc maxime intenti sunt, ut concupiscentiam tueantur ac foveant. De voce און *aven*, quam hic *concupiscentiam*, seu *cupiditatem* vertimus, vide in Genes. XLIX. 3. & Numer. XXV. 21. Possit hic cultum sine fide significare, seu vanum, superstitiosum & idololatricum cultum, ut supra cap. I. 13. & I. Samuel. XV. 23. Ex Heb. proprie reddes : *& exscindentur omnes advigilantes concupiscentiæ ;* id est, vigilanter attendentes, intente observantes concupiscentiæ, seu pravæ cupiditatis.

V. 21. QUI PECCARE FACIEBANT HOMINES IN VERBO. Alii: I. *peccare facientes hominem in verbo ;* id est, peccatum ei imponentes, & iudicantes eum peccasse in verbis ; quasi dicat: Qui in singulis verbis carpere solent doctorem prophetam, qui eos corripuit, omnia in malam partem accipientes. II. *peccati reum peragentes hominem propter verbum*, id est suscepta offensione etiam levissima de causa, aut plane nulla. III. Hispanicus Interpres: *Los que hazian peccar al hombre en palabra*, id est, *los impios prophetas que hazian grangeria de los votos temerarios del pueblo*, Eccles. V. I. ET ARGUENTEM IN PORTA SUPPLANTABANT. Heb. *& arguenti in porta*, id est publice, palamque, nam in portis habebantur iudicia, & con-

ventus publici, laqueos ponent, tendent, complicabunt. Nonnulli Hebræorum futurum יקושון *iekoschun*, non a יָקַשׁ *iakasch*, *illaqueare*, sed a קוּשׁ *kusch*, vel קָשַׁשׁ *kaschasch*, *colligere quisquilias*, deducunt: ut sit hic minutissima quæque in aliquo contumeliose colligere, perscrutari, ingerere, unde pro increpare sumunt, redduntque: *& arguentem in porta increpabunt*; proprie, *quisquiliabunt*; id est, perscrutabuntur in eo quisquilias, paleas, stipulas, & minutias quasvis calumniarum, contumeliarum, & undequaque venabuntur etiam ex levissimis rebus materiam iniuriarum. Nonnulli reddunt: *& corripienti ponentes tendiculam in porta*, ut facilius in ingressu vel egressu urbis impingat, seu corruat. ET DECLINAVERUNT FRUSTRA A IUSTO. Alii ex Heb. I. *& declinant in vanitate iustum*. II. *& cadere faciunt falso iudicio iustum*. III. *denique pervertentes sua inanitate iustum*. IV. *declinareque faciunt frustra iustum*. V. *& declinant ad nihilum*, vel *ad vanitatem iustum*, id est causam iusti; quasi dicat, Cadere faciunt causa sua iustum, evanescere faciunt causam iusti. VI. Forsterus: *& flectunt inordinatione iustum*; id est, abducunt in impia doctrina. Nam hoc nomine תהו *tohu*, interdum Spiritus Sanctus appellat idola, & numina commentitia, adeoque illam ipsam idololatriam, atque falsos cultus contra præscriptum verbum Dei, & ordinationem divinam institutos: qui conscientias neque excolunt, neque confirmant, sed potius confundunt, perturbant, & vastant: ut I. Samuel. XII. 21.

V. 22. PROPTER HOC HAEC DICIT DOMINUS AD DOMUM IACOB. Alii: *Idcirco ita ait Iehova de domo Iahakobi*. Tertia pars, ut dictum est in vers. 15. consolatio reliquiarum a promissionibus Dei malum arcentis ab Ecclesia, eamque servantis, & informantis. QUI REDEMIT ABRAHAM: id est, adductus sola sua & gratuita misericordia, qua Abrahamum servavit, ex idololatria liberans, & posterorum salutem spopondit ei. Alii: liberavit eum de manibus impiorum Chaldæorum, & de consortio ac contagio nationis pravæ. NON MODO CONFUNDETUR IACOB. Alii: *Non iam*, vel *posthac erubescet*, seu *pudefiet*, id est cum prædictum opus effecero, *Iahakob*, id est Ecclesia, quæ hactenus abundavit filiis degeneribus, ac propterea probris affecta est atque deformata. NEC MODO VULTUS EIUS ERUBESCET. Alii: I. *neque nunc rubore perfundentur facies eius*. II. *neque iam facies eius expallescet*. III. *neque nunc facies suas avertent*, scilicet pudefacti. IV. *neque nunc facies eius verebuntur*, id est verecundia afficientur. Potest significatus verbi חור *chavar*, desumi a חור *chur*, *albo*, *candido*, *albescent*, id est expallescent præ metu ac trepidatione: vel a חור *chor*, *foramine*, quasi præ pudore, seu timore velint se in foramen abdere. Similis est acceptio verbi חפר *chaphar*, *infodere*.

V. 23. SED CUM VIDERIT FILIOS SUOS, OPERA MANUUM MEARUM. Alii: *Nam cum videbit natos suos opificium manuum mearum*; id est, regeneratos Spiritu meo: quo modo accipit Paulus Ephesior. II. 10. Hic natos per Spiritum, nedum reliquias Israelis secundum carnem, sed universe filios Dei, etiam ex gentibus adunatos in Ecclesia accipiunt. ET SANCTIFICABUNT: Ecclesia cum filiis. SANCTUM IACOB. Heb. *Sanctum Iahakobi*; id est, eum quem sancte colit Ecclesia, sanctissimum & sanctificatorem hominum. PRAEDICABUNT. Varie alii ex Heb. 1. *timebunt*, *formidabunt*. 2. *prævalescere facient*; id est, facient ut eum alii timeant, & tamquam terribilem admirentur. 3. *prævalescere sinent*, in ipsos, sive facient ut eis prævaleant, id est expavescent. 4. *expavescendum prædicabunt*. Nos: *prævalidabunt*, seu *prævalescere facient*; hoc est, celebrabunt eius prævalescentiam, robur, potentiam, vim, &c.

V. 24. ET SCIENT ERRANTES SPIRITU INTELLECTUM. Alii: *Ut cognoscant errabundi spiritu prudentiam*; id est, miseri homines seducti a via veritatis, ac proinde huc illuc impulsi variis doctrinarum ventis. ET MUSSITATORES. Heb. *& grunnientes*, *ringentes*, *mussitantes*, *murmurantes*, *susurrones*, *obstreperi*. DISCENT LEGEM. Heb. *acceptionem*, *perceptionem*, *doctrinam perceptam*, *disciplinam*, *institutionem*, ut Proverb. I. 5. Quidam reddunt: *& susurrones discant doctrinam*; id est, qui prius prophetis obstrepuerant, eorumque monita tulerant indignissime, discant conticescere, & placide accipere doctrinam Dei.

ME-

MENOCHII.

Vers. 1. VAE Ariel. Ariel hic significat Ierusalem, ut patet ex sequentibus, & dicitur Ariel, id est Leo ob fortitudinem, & principatum. Quam expugnavit David: cum prius illam tenerent Iebusæi. Vide I. Paralip. cap. XI. 5. Additus est annus ad annum; quasi dicat: Post duos, id est paucos annos, Ierosolymæ maiestas evertetur, tuncque eius festa erunt evoluta, & cessabunt.

V. 2. Circumvallabo Ariel: primo per Chaldæos, deinde per Romanos. Huc allusit Christus Luc. XIX. 43. cum ait: *Circumdabunt te inimici tui vallo*, &c. Et erit mihi quasi Ariel, id est ut Leo, circa quem multa sunt cadavera: vel, quia Ariel significat etiam altare, sensus erit: Ierusalem erit similis altari sanguine redundanti, iuxta quod multæ victimæ occisæ iacent. Tandem quia Ariel etiam significat maledictionis, seu peccati arietem, qui pro peccato in altari offerri solebat, sensus esse potest: Væ tibi Ierusalem, quæ prius eras quasi Leo fortissimus, nunc autem quasi aries propter scelera mactaberis.

V. 3. Quasi sphaeram, id est undique cingam obsidione.

V. 4. De terra loqueris: ut victi atque prostrati solent, dum sibi parci a victoribus rogant. Erit quasi pythonis vox tua: gracilis, flebilis, confusa, qualem edebant ii qui habebant spiritum pythonis. Vide dicta I. Reg. XXVIII. 7. Mussitabit, id est submissa loquetur voce.

V. 5. Sicut pulvis tenuis, id est innumeræ. Ventilantium te, exagitantium te. Et sicut favilla pertransiens: significatur multitudo hostilis exercitus, & simul innuitur mox a clade Ierosolymorum Chaldæos dissipandos, sicut pulvis, aut favillæ disperguntur, quas vehemens difflat ventus.

V. 6. Visitabitur in tonitruo, &c variis metaphoris significat acrem, & gravem fore cladem Chaldæorum, qua illos puniet Deus.

V. 7. Sicut somnium visionis nocturnae: ipsi, eorum exercitus, magnitudo, potentia, & superbia, ut somnium nocturnum evanescet.

V. 9. Obstupescite. Redit ad vastitatem Iudæorum, & eos alloquitur; quasi dicat: O stupidi, fluctuantes, & ebrii, Deo sic vos ob peccata puniente. Vel sunt imperativa pro futuris: Obstupescetis, admirabimini, fluctuabitis, eritis quasi ebrii, &c.

V. 10. Miscuit vobis spiritum soporis: metaphora sumpta est ab iis, qui potum temperant, & propinant: sententia est, permissurum Deum ut in errores labantur, nec tamen se decipi magis intelligant quam si gravi veterno sopiti essent: vide dicta supra XIX. 14. Prophetas, &c. Operire Prophetas, est facere ne intelligantur, mentem non illuminando ut eorum sensa assequi possint. Principes vestros: frequens enim erat apud Iudæos, ut Duces, & Principes populi visiones, & revelationes a Deo acciperent, essentque Prophetæ.

V. 11. Omnium, Prophetarum. Sicut verba libri signati: involuti, complicati, & clausi. Quem cum dederint, &c. Sententia est: Oracula hæc tam sapientibus quam insipientibus fore abstrusa, & incognita.

V. 13. Appropinquant ore suo. Hoc est quod ex hoc Isaiæ loco dicit Dominus Matth. XV. 8. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Timuerunt me mandato hominum, et doctrinis; id est, coluerunt me (timere enim Deum est Deum revereri, & colere,) sed non iuxta id quod a me præceptum est, sed iuxta hominum, & scribarum suorum traditiones inanes, & perversas.

V. 14. Ideo ecce ego, &c. Sententia est: Idcirco miraculo plene grandi, in hoc genus hominum tale edam offensionis, & indignationis documentum, ut populo, si sapiat, admirationem afferre debeat. Peribit enim sapientia, &c. Faciam ut Iudæorum magistri, qui præ ceteris sapere videntur, insipientes fiant. Hoc est, quod miraculum fore dixit. Sapientia enim est sapientis; quare quasi miraculum est facere ut sapiens sapientiam non habeat, immo fit insipiens. Et intellectus, &c. est repetitio eiusdem sententiæ.

V. 15. Profundi corde: qui adeo profun-

funda, & secreta initis consilia, ut putetis ad ea providenda non posse penetrare Dei oculos.

V. 16. PERVERSA: stulta, & mala. NON INTELLIGIS. Chald. *non intelligis me*. LXX. *Non sapienter fecisti me*.

V. 17. IN MODICO. Post septingentos annos, qui tamen modicum quid sunt comparatione æternitatis, & respectu temporis, quo duratura est Christi Ecclesia. CONVERTETUR LIBANUS IN CHARMEL; id est, steriles, & incultæ gentes colentur ab Apostolis, & fertiles fient bonorum operum, per fidem, & gratiam Christi. CHARMEL IN SALTUM REPUTABITUR; id est, ager ante fertilis, id est Iudæi, in saltum infrugiferum, & incultum degenerabunt.

V. 18. SURDI. Per surdos, & cæcos Gentiles intelligit. VERBA LIBRI: oracula Scripturarum. DE TENEBRIS, &c. e tenebris, & caligine educti in admirabile lumen Dei.

V. 19. ADDENT LAETITIAM: augebunt lætitiam Ecclesiæ. MITES IN DOMINO: Gentiles per Christum mansuefacti, qui mitis, & docili animo se formandos permittunt Evangelii ministris. PAUPERES: & censu, & spiritu. IN SANCTO ISRAEL EXULTABUNT, id est in Deo, qui veros Israelitas sanctificat, & ab iis colitur. Ita exultavit Christus cum ait: *Confiteor tibi Pater Domine cœli, & terræ, qui abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis:* Matth. XI. 25.

V. 20. QUI PRAEVALEBAT, &c. Iudæos intelligit, qui in religione, & scientia usque ad Christum prævalebant, quique erant illusores Prophetarum dicentes, *Manda, remanda*, &c. SUCCISI SUNT, a Tito, & Romanis. VIGILABANT SUPER INIQUITATEM; id est, qui toti erant intenti ad malum.

V. 21. IN VERBO, id est verbis suis eos decipientes, & male instituentes, pro divinis præceptis traditiones suas inducentes. ARGUENTEM IN PORTA: Prophetas intelligit, qui eorum scelera in portis, id est publice arguebant. SUPPLANTABANT: irridebant, vexabant, & perdere conabantur, calumnias struendo, & falsas accusationes, ut damnarentur ad mortem. FRUSTRA, id est temere, & sine causa. A IUSTO: ab æquitate, & iustitia; vel, a iusto, id est Christo, cuius prædicationem secundis auribus non admittebant, ut par fuisset.

V. 22. DOMINUS, QUI REDEMIT ABRAHAM: qui Abraham liberavit, & eduxit de Ur Chaldæorum. NON MODO CONFUNDETUR IACOB: sed tempore Christi, & Apostolorum, qui Iudæos obstinatos convincent, & confundent.

V. 23. FILIOS SUOS, Apostolos. OPERA MANUUM MEARUM: quos ego gratia mea abunde instruam, ut apti sint ad evangelizandum. SANCTIFICANTES NOMEN MEUM: prædicatione, & miraculis illud glorificantes.

V. 24. ERRANTES SPIRITU, &c. Iudæi, qui prius errabant, scient intellectum ab Apostolis edocti: loquitur de iis, qui Christianam religionem erant amplexuri. MUSSITATORES: qui prius erant murmuratores contra Deum, & illusores Prophetarum.

TIRINI.

Vers. 1. VAE ARIEL, id est leo Dei *a*, seu leo maximus, id est urbs Ierusalem QUAM olim a Iebusæis infessam EXPUGNAVIT rex DAVID, & ab eo constituta est princeps, regina & caput urbium Orientalium, quæ ut leæna fortissima frendebat & sæviebat in vicinas gentes; nunc heu delenda & stirpitus exscindenda mihi ante oculos obiicitur. ADDITUS EST ANNUS AD ANNUM, id est excurrent adhuc aliquot anni *b* & SOLEMNITATES EVOLUTAE SUNT, seu evolventur; id est, excurrent aliquot Paschata, & alia anni festa recurrentibus annis peragentur: & ritibus primo Chaldæorum, dein & Romanorum,

V. 2. CIRCUMVALLABO ARIEL: ET ERIT MIHI QUASI ARIEL; id est, sic me erga Ierusalem geram, sicut venatores solent erga feroces & noxios leones & leænas, cum illis capiendis insudant: nempe vallis, aggeribus, fossis, cuniculis, retibus, hastis aggrediar illam.

V. 4. DE TERRA LOQUERIS; quasi dicat: Non tunc amplius attolles cristas, nec grandi tonabis eloquio; sed humi prostrata, eversa & excisa, gemes de terra in qua prostrata iaces sub victoris pedibus: ET ERIT QUASI PYTHONIS VOX TUA; nempe exilis, hiulca, gemebunda, flebilis & lugubris, qualis est spirituum vel umbrarum, quas python, id est necromanticus, evocat ab infe-

inferis, & facit loqui sub terra, vel ex ventre hominis, aut alterius animalis: vocanturque etiam ipsæ *Pythones*.

V. 5. MULTITUDO VENTILANTIUM & exagitantium TE, nempe Chaldæorum & Romanorum, (nam de utrisque hæc exponunt S. Hieronymus, S. Thomas, Hugo, Pintus, & Alvarez) ERIT innumerabilis SICUT PULVIS ET FAVILLA.

V. 6. ERITQUE REPENTE CONFESTIM, id est aderunt celerrime, & imparatos occupabunt. ET VISITABITUR Ariel A DOMINO; id est, Ierusalem cælitus oppugnabitur omnibus quatuor elementis *c*. Id ad litteram accidisse volunt Vatablus, Castrius & Alvarez. Et de Romana obsidione constat ex Iosepho *d*, oculato teste: de Babylonica, licet expresse scriptum non sit, non difficulter tamen colligitur ex IV. Reg. ult. & Ierem. XXXIX. & LII.

V. 7. ET ERIT hostilis illa Ierosolymæ oppressio, invasio & destructio per *multitudinem* OMNIUM GENTIUM; erit, inquam, SICUT SOMNIUM VISIONIS NOCTURNAE, ita ut videntes vix credant; addubitent potius, num vigilent, an somnient. Quodque omnium erit miserrimum, hac Ierosolymæ destructione & exspoliatione non satiabitur, non minuetur hostium in vos odium, & insatiabilis aviditas. Erit enim non secus atque ESURIENS ET SITIENS, & *in somnio* solo nocturno *comedens ac bibens*: qui cum evigilat, nihilo minus esurit & sitit, pergitque quærere quod voret & bibat. Sic Chaldæus, sic Romanus ab excidio & exspoliatione urbis vestræ regiæ tam divitis, tam opulentæ, nihilo ob multitudinem capitum factus ditior, nihilo mitior, perget in vos perpetuo sævire, nec umquam illo utemini placato. Ita Forerius, Osorius & Sasbout.

V. 10. MISCUIT VOBIS DOMINUS SPIRITUM SOPORIS; Hebraice, *altissimum soporem* & quasi veternum. PROPHETAS ET PRINCIPES VESTROS, puta Isaiam, Ieremiam, & reges Iuda, QUI VIDENT, seu videre frequenter solent VISIONES ac revelationes divinas; Deus iam vobis OPERIET: opericulum seu velamen iis obducens, ut, cum legeritis, vel audieritis, non intelligatis: ita S. Hieronymus, Cyrillus & Procopius. Quomodo vero faciat hæc Deus, nempe non directe, neque in intentione, sed per accidens & indirecte, dixi Exodi VII. & alibi.

V. 13. EO QUOD POPULUS ISTE Iudaicus APPROPINQUAT quidem mihi ORE SUO, sed COR EIUS LONGE EST A ME separatum: ET TIMUERUNT, id est coluerunt *me*, non iuxta mea præcepta & præscripta, sed iuxta HOMINUM traditiones & institutiones partim futiles & inanes, partim impias & legi meæ *e* contrarias. En causam excæcationis & reprobationis Iudæorum!


V. 15. PROFUNDI CORDE; id est, machinantes secreta consilia, quæ putatis etiam Deum ipsum latere.

V. 17. ADHUC IN MODICO; id est, post modicum *&* *breve* tempus, nempe inchoative post 180. annos soluta captivitate Babylonica: completive vero post 700. annos, soluta per Christum captivitate diabolica, maximam videbitis rerum commutationem. LIBANUS enim mons infrugifer in Phœnicia, nec nisi arboribus, iisque infructiferis, constans, CONVERTETUR IN CHARMEL montem Iudææ fertilissimum, frugibus, vitibus, olivis maxime abundantem; id est, Gentes steriles hactenus & incultæ, gratia Christi & ope Apostolorum, fertiles reddentur bonorum operum. E converso CHARMEL; id est, Iudæi olim tempore Patriarcharum & Prophetarum fœcundissimi & fertilissimi, IN SALTUM infructiferum & incultum degenerabunt: ita S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius & Theodor.

V. 18. ET SURDI hactenus, *&* *cæci* Gentiles, fide Christi illuminati AUDIENT *f*, intelligent & amplectentur VERBA LIBRI, id est oracula Prophetarum, mysteria S. Scripturæ, quæ Iudæis tam *scientibus*, quam *nescientibus litteras*, id est tam doctis, quam indoctis, velata & incognita sunt: ita iidem. Atque hac via

V. 19. MITES IN DOMINO, id est mansuefacti per Christum Gentiles, ET PAUPERES, id est inopes fidei ac gratiæ, ADDENT augebuntque Ecclesiæ LAETITIAM.

V. 20. QUI PRAEVALEBAT religione, scientia, gratia, nempe populus Iudaicus, sed ILLUSOR & contemptor Prophetarum & mysteriorum divinorum, DEFECIT, CONSUMMATUS EST, id est plene absumptus, *&* *succisus* est; primo, per Chaldæos; secundo, per Romanos, quia VIGILABANT SUPER INIQUITATEM; id est, ad



ad hoc unum excubabant, ut nocte non minus quam die explerent scelera sua nefanda.

V. 21. ET PECCARE FACIEBANT HOMINES IN VERBO, non divino, sed suo humano, nempe per futiles & perversas traditiones suas, de quibus vers. 13. itemque per prava consilia, adulationes, minas & subsannationes, quibus homines avellebant a pietate & cultu Dei. ET ARGUENTEM IN PORTA, id est iudicem, qui pro tribunali subinde nequitias illorum damnabat, & castigare parabat, ipsi structis calumniis, dolis, largitionibus, aliisque insidiis SUPPLANTABANT & eludebant, *declinantes* A IUSTO, id est a iustitia & æquitate, idque FRUSTRA, id est sine causa, sine fructu.

V. 22. PROPTER HOC, & propter omnia supradicta scelera, HAEC DICIT DOMINUS, QUI REDEMIT ABRAHAM de Ur Chaldæorum, CONFUNDETUR IACOB, seu populus Iudaicus, confusione maxima & coram toto orbe, *non* tamen MODO, tempore Isaiæ:

V. 23. SED CUM VIDERIT FILIOS SUOS, paucos aliquot & selectos, OPERA MANUUM MEARUM, id est singulari cura mea formatos & instructos, IN MEDIO SUI, id est publice & passim, SANCTIFICANTES & celebrantes NOMEN MEUM, ET SANCTUM IACOB, ET DEUM ISRAEL, id est Messiam prædicantes. Quod inchoarunt captivi Babylone, sed compleverunt Apostoli & discipuli Christi omnes filii Iudæorum, & ex Iudæis prognati. Hos enim cum Iudæi videbunt, impune colentes ubique terrarum Deum & Christum, se vero privatos omni cultu & sacrificio, utpote exciso & exusto templo suo, confundentur iure merito, & ab omnibus etiam irridebuntur: ac tum demum, sed malo suo

V. 24. SCIENT INTELLECTUM libri iam clausi, ET DISCENT LEGEM, seu decreta veræ legis Dei, quam prædicarunt Prophetæ, & Christus explicuit, & tot signis ac miraculis, tum per se, tum per discipulos suos comprobavit. Nempe videbunt & sentient, cogenturque tunc fateri, quia *digitus Dei est hic*, quantumcumque maneant ipsi ERRANTES SPIRITU, ET MUSSITATORES, seu murmuratores contra Deum & Christum & veram legem ipsius. Interim probro summo sibi ducent, quod, exheredatis Iudæis, qui filii erant & hereditas Dei, Gentiles & alienigenæ adoptentur. Quod toties prædictum, noluerunt umquam credere futurum: at, cum factum viderint, pudore protinus, sed serius suffundentur: ita fere Procopius & Dionysius.

(a Genes. xxxiii. 10. & Psal. xxxv. 7.
(b) Prolegom. de Idiotis. Heb. n. 44.
(c) Sap. v. 18. & seqq.
(d) Ioseph. Lib. VIII. Belli c. xii.
(e) Matth. xv.
(f) Ioan. ix. 39.

GORDONI.

Vers. 1. & 2. VAE ARIEL, &c. Dixi iam hanc civitatem esse Ierusalem. David Sionem expugnavit: additus est annus ad annum, hoc est, post paucos annos cessabunt dies festi. Sed quam inepte Calvinus per Ariel intelligit Romanam Ecclesiam; o vatem infulsum! eversa quidem Roma sæpe, sed non Romana Ecclesia: nulla Scriptura id docet, sed potius expresse facit Scriptura Ecclesiam perpetuam contra portas inferi. At quid illud, ERIT MIHI QUASI ARIEL? Per allusionem videtur quibusdam τὸ Ariel idem quod maledictus; sed rectius designat altare illud sic vocatum Ezech. cap. XLIII. hoc est, erit ut altare, circa quod iacent iugulatæ pecudes, & quasi natantes in sanguine; sic Sion erit.

V. 5. ET ERIT SICUT PULVIS, &c. Hic vaticinatur de excidio Chaldæorum: Brevi, inquit, flagellum hoc Sionis flagellabitur a Cyro; quod varia similitudine explicat.

V. 9. OBSTUPESCITE, ET ADMIRAMINI, &c. Post parenthesin de Chaldæis, regreditur ad Iudæos, quibus zelo sancto iratus, obiicit cæcitatem & vecordiam, declarans quæ obvenient a Domino, qui immisso spiritu soporis claudet Iudæorum oculos, subducendo gratiam efficacem ob eorum demerita. Sicut signatus & clausus illis liber manebit continens Prophetarum oracula; recte, & vers. 15. hos vocat corde profundos, seu occultantes ita suas cogitationes, ut putent Deum non videre quod moliantur.

V. 17. NONNE ADHUC IN MODICO, &c. Sermo est de Iudæis, non de eversione; sed quod

quod longe probabilius est, de multarum gentium conversione ad Christum: nec est quod quisquam obiiciat, non esse modicum seu breve tempus ab Isaia ad Christum. Sunt quidem (quod probabile est) 800. anni; at Prophetis, quibus res sunt praesentes, & distantiora intuentur, breve tempus hoc est. Est itaque hic sermo de vocatione gentium, & reprobatione Synagogae, quando, ut plures interpretantur, Libanus gentes designans vertetur in Carmelum; & Carmelus designans Iudaeos vertetur in saltum. Sic Gentiles multos docebunt Apostoli, ut sint feraces bonorum operum, & exultabunt in Sancto Israel Christo.

V. 22. PROPTER HOC, &c. Loquitur Deus (qui vocavit Abraham de Ur Chaldaeorum) designans veniente Christo, non tantum tunc confusionem, pudorem & poenitentiam quorumdam Iudaeorum (per Apostolos qui sunt ex semine Abrahae) sed etiam plenam conversionem in fine mundi.



CAPUT XXX.

Comminatio adversus Iudaeos, qui Domino inconsulto prementibus Assyriis ad AEgyptios confugiebant: ipsis quoque prophetarum admonitiones audire nolentibus, sed vana praesidia quaerentibus, gravem denuntiat afflictionem: & quam sit Deus futurus benignus ad ipsum revertentibus: & de magna revertentium felicitate, ac iudicio impiorum.

1. VAE filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium,
& non ex me: & ordiremini telam, & non per spiritum
meum, ut adderetis peccatum super peccatum: 2. qui
ambulatis ut descendatis in AEgyptum, & os meum non
interrogastis, sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis,
& habentes fiduciam in umbra AEgypti. 3. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, & fiducia umbrae AEgypti in ignominiam. 4. * Erant enim in Tani
principes tui, & nuntii tui usque ad Hanes pervenerunt. 5. Omnes confusi
sunt super populo, qui eis prodesse non potuit: non fuerunt in auxilium &
in aliquam utilitatem, sed in confusionem & in opprobrium. 6. Onus iumentorum Austri. In terra tribulationis & angustiae leaena, & leo ex eis, vipera,
& regulus volans, portantes super humeros iumentorum divitias suas, & super gibbum camelorum thesauros suos, ad populum qui eis prodesse non poterit. 7. AEgyptus enim frustra & vane auxiliabitur: ideo clamavi super hoc:
Superbia tantum est, quiesce. 8. Nunc ergo ingressus scribe ei super buxum,
& in libro diligenter exara illud, & erit in die novissimo in testimonium usque in aeternum: 9. populus enim ad iracundiam provocans est, & filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei. 10. Qui dicunt videntibus: Nolite videre; & aspicientibus: Nolite aspicere nobis ea, quae recta sunt: loquimini
nobis placentia, videte nobis errores. 11. Auferte a me viam, declinate a me
semitam, cesset a facie nostra sanctus Israel. 12. Propterea haec dicit sanctus
Israel: Pro eo quod reprobastis verbum hoc, & sperastis in calumnia & in
tumultu, & innixi estis super eo: 13. propterea erit vobis iniquitas haec sicut
interruptio cadens, & requisita in muro excelso, quoniam subito, dum non
speratur, veniet contritio eius. 14. Et comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida: & non invenietur de fragmentis eius testa, in qua
por-

portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea. 15. * Quia hæc dicit Dominus Deus ſanctus Iſrael: Si revertamini & quieſcatis, ſalvi eritis: in ſilentio & in ſpe erit fortitudo veſtra. Et noluiſtis: 16. & dixiſtis: Nequaquam, ſed ad equos fugiemus: ideo fugietis. Et ſuper veloces aſcendemus: ideo velociores erunt, qui perſequentur vos. 17. Mille homines a facie terroris unius: & a facie terroris quinque fugietis, donec relinquamini quaſi malus navis in vertice montis, & quaſi ſignum ſuper collem. 18. Propterea expectat Dominus ut miſereatur veſtri: & ideo exaltabitur parcens vobis; quia Deus iudicii Dominus: beati omnes qui expectant eum. 19. Populus enim Sion habitabit in Ieruſalem: plorans nequaquam plorabis, miſerans miſerebitur tui: ad vocem clamoris tui ſtatim ut audierit, reſpondebit tibi. 20. Et dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam brevem: & non faciet avolare a te ultra doctorem tuum: & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. 21. Et aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis: Hæc eſt via, ambulate in ea: & non declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram. 22. Et contaminabis laminas ſculptilium argenti tui, & veſtimentum conflatilis auri tui, & diſperges ea ſicut immunditiam menſtruatæ. Egredere; dices ei: 23. Et dabitur pluvia ſemini tuo, ubicumque ſeminaveris in terra: & panis frugum terræ erit uberrimus, & pinguis; paſcetur in poſſeſſione tua in die illo agnus ſpatioſe: 24. & tauri tui, & pulli aſinorum, qui operantur terram, commiſtum migma comedent ſicut in area ventilatum eſt. 25. Et erunt ſuper omnem montem excelſum, & ſuper omnem collem elevatum, rivi currentium aquarum, in die interfectionis multorum cum ceciderint turres. 26. Et erit lux lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum, in die qua alligaverit Dominus vulnus populi ſui, & percuſſuram plagæ eius ſanaverit. 27. Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, & gravis ad portandum: labia eius repleta ſunt indignatione, & lingua eius quaſi ignis devorans. 28. Spiritus eius velut torrens inundans uſque ad medium colli, ad perdendas gentes in nihilum, & frænum erroris, quod erat in maxillis populorum. 29. * Canticum erit vobis ſicut nox ſanctificatæ ſolemnitatis, & lætitia cordis ſicut qui pergit cum tibia, ut intret in montem Domini ad fortem Iſrael. 30. Et auditam faciet Dominus gloriam vocis ſuæ, & terrorem brachii ſui oſtendet in comminatione furoris, & flamma ignis devorantis: allidet in turbine, & in lapide grandinis. 31. A voce enim Domini pavebit Aſſur virga percuſſus. 32. Et erit tranſitus virgæ fundatus, quam requieſcere faciet Dominus ſuper eum in tympanis & citharis: & in bellis præcipuis expugnabit eos. 33. Præparata eſt enim ab heri Topheth, a rege præparata, profunda, & dilatata. Nutrimenta eius, ignis & ligna multa: flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 4. *Erant enim in Tani*. Non eſt mutandum *erant* a ſum, in *ierant* ab eo.

Verſ. 15. *Quia hæc dicit Dominus Deus ſanctus Iſrael*. Non omittas nomen *ſanctus*,

Verſ. 29. *Canticum erit vobis, ſicut nox ſanctificatæ ſolemnitatis*. Egregie Correctores ſcripſerunt *nox*, quæ eſt altera pars diei, pro eo quod plerique vitioſe legunt *vox*, id eſt clamor.

COM-

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verf. 1. VAE FILII. Filiis (est enim comminantis) desertoribus, id est rebellibus, qui contra Deum rebellatis. UT FACERETIS, id est qui a Deo rebelles fuistis, ut exequeremini vestra consilia, & non mea. ET ORDIREMINI TELAM, id est consultaretis sine spiritu meo. Heb. לנסוך מסכה, quod alii vertunt, *ut tegeretis* (vos) *tegumento*, id est ut confugeretis ad protectionem AEgyptiorum. Alii, *ut absconderetis secretum*, id est iniretis secreta consilia sine me, ut ante dixit. UT ADDERETIS PECCATUM. Unum peccatum erat Dominum relinquere: aliud ad AEgyptios hostes Dei se conferre.

V. 2. QUI AMBULATIS. Verbum ambulandi, & descendendi hanc vim habet hoc loco, ut si diceret, Magnum laborem suscipitis ut peccetis: longum iter suscipitis ut quaeratis humanum auxilium, cum habere possetis divinum domi. ET OS MEUM, id est Prophetas meos. SPERANTES AUXILIUM. Heb. לעוז במעוז, *ad roborandum in robore Pharaonis* (ad verbum) id est, ut se defendant auxilio Pharaonis regis AEgypti. Heb. non est secunda persona, sed tertia. IN UMBRA, id est in protectione: metaphora ab umbra arborum, in qua fessi requiescunt.

V. 3. ET ERIT VOBIS; id est, sentietis nihil vobis prodesse Pharaonis auxilium, id est humanum, (ponit enim certum pro incerto) & poenitebit vos non usos fuisse meo.

V. 4. ERANT ENIM IN TANI PRINCIPES TUI; id est, legati tui erant semper in Tani, quae praecipua AEgypti civitas erat, ut vidimus supra cap. XIX. 13. & Psal. LXXVII. 12. ET NUNTII TUI USQUE AD HANES. Et haec AEgypti civitas est; aut, ut alii putant, etiam ultra AEgyptum, quod valde est probabile, quia statim describit gentis barbariem.

V. 5. OMNES. Nuntii, quos ad petendum auxilium misisti, erubuerunt cum viderunt gentis imbecillitatem & barbariem. Hoc idem de iis Christianis dici posset, quorum legati semper sunt Constantinopoli, ut a Turca postulent auxilium.

V. 6. ONUS IUMENTORUM; id est, prophetia adversus legatos, qui magno iumentorum numero eunt in terram Australem, id est in AEgyptum. Ideo enim iumenta nominavit, ut significaret & legationis amplitudinem, & copiam munerum quae a legatis in iumentis portabantur. IN TERRA TRIBULATIONIS. Describit difficultatem itineris, quod a legatis suscipiebatur: transeundum enim illis desertum, quod Propheta vocat terram tribulationis & angustiae, ubi sunt leones, & viperae, & reguli, qui ex eis (terris) egrediuntur. PORTANTES: ישאו, qui legati portant super humeros iumentorum divitias suas, ut AEgyptiis donent.

V. 7. IDEO CLAMAVI SUPER HOC; id est videns hoc. SUPERBIA TANTUM EST; id est, ex superbia tua provenit (o Ierusalem) ut opem ab AEgyptiis petas. QUIESCE *ergo*, id est, ne inanem laborem sumas, ut ad AEgyptum eas. Alii: לכן קראתי לזאת, *ideo clamavi ad hanc* (Ierusalem dicens) רהב הם שבת, *fortitudo eorum*, *quiescere*; id est, quod eius fortitudo non consisteret in longa ad AEgyptum profectione, sed in eo potius ut domi maneant, & a solo Deo precibus auxilium petant.

V. 8. NUNC ERGO INGRESSUS. בוא, *vade, & scribe eis super buxum, in tabula buxea, ut longius duret:* על לוח, *in tabula*. Verba Dei ad Prophetam. Alludit autem ad Prophetarum consuetudinem: solebant enim prophetias scribere, & templi valvis affigere, ut omnes legerent, quae postea refixae inde, in templo asservabantur. Cum autem aliquid maioris erat momenti, Deus iubebat accuratius scribi, ut ab omnibus legi posset, ut Isai. VIII. 1. Ierem. XVII. 1. & Habacuc II. 2. ET ERIT IN DIE NOVISSIMO, id est in die iudicii.

V. 9. POPULUS ENIM AD IRACUNDIAM PROVOCANS: כי עם מרי, *qui populus rebellis est*, id est inobediens. ET FILII MENDACES, id est dissimiles mei patris sui: ut Psal. XVII. 46. *Filii alieni mentiti sunt mihi*.

V. 10. QUI DICUNT VIDENTIBUS, id est Prophetis, ut I. Reg. IX. 9. NOLITE ASPICERE, id est vaticinari. VIDETE NOBIS: מהתלות, *seductiones*.

V. 11. AUFERTE A ME VIAM (Domini) sub. dicit unusquisque eorum; id est, ne mihi loquamini de via & lege Domini. REMOVETE A ME SEMITAM, id est sermones de eius lege. CESSET A FACIE NOSTRA; id est, ne fiat ulla mentio de Deo coram nobis. Alii, סרו מני דרך, *recedite a via* (Domini, o Prophetæ, id est ne de ea loquamini) הטו מני אורח, *Declinate a semita* (eius) השבִיתו, *cessare facite a facie nostra sanctum Israel*; id est, removete longe a nobis omnem mentionem de Deo.

V. 12. SANCTUS ISRAEL. Utitur iisdem verbis, quibus Iudæi usi fuerant, energiæ causa. PRO EO QUOD REPROBASTIS VERBUM HOC, id est prophetiam hanc, & consilium meum. ET SPERASTIS IN CALUMNIAM: בעשק, *in calumnia*, *in violentia*, *in oppressione*: ונלון, *& perversitate*, *& enixi estis*, עליו, *in eis*, *super eis*.

V. 13. SICUT INTERRUPTIO CADENS, id est sicut pars muri interrupti & corruentis. ET REQUISITA, id est per quam hostes exquisiverunt & exploraverunt urbem. Heb. נבעה, id est *tumens*, *eminens*, *extans*, ut partes muri quæ ruinam minantur, extare solent: ita R. Ionah; vel *tumens*, id est quæ crassior est quam fundamentum: nam murus altus qui crassior est superne, quam inferne, facillime ruit. Illi ergo comparat iniquitatem Iudæorum, id est superbiam elatam & tumidam, quæ sicut murus ille altus & turgens inopinato corruet.

V. 14. ET COMMINUETUR. Heb. *& confractio eius*, (id est superbiæ Iudæorum) *erit sicut confractio lagenæ* (aut *figuli*, id est fictilis terræ quæ facillime conquassatur CONTRITIONE PERVALIDA, Heb. לא יחמיל, *non parcet* (illis Deus) vel *non parcet lagenæ*; id est, absque misericordia confringetur, vel *non parcet viribus qui eam rumpit*, id est rumpet eam totis viribus: quem sensum expressit noster Interpres. ET NON INVENIETUR. Sensus est, fore ut Iudæorum ruina peior sit, quam ruina excelsi & tumentis muri; murus enim cum cadit, manent lapides & lateres saltem integri, ex quibus reædificari possit: sed Iudæi cum ceciderint, ita comminuentur, ut in pristinum statum restitui non possent, sicut lagena minute confracta refingi non potest; id est, damnabuntur ad infernum, unde nulla est redemptio.

V. 15. QUIA HAEC DICIT (אמר *dixit*) DOMINUS, id est monuit vos dicens: SI REVERTAMINI, id est si pœnitentiam egeritis, & quiescatis, id est domi vos contineatis, neque confugiatis ad AEgyptios, salvi eritis. IN SILENTIO, בהשקט, *in quiete & spe*; in eo ut non conferatis vos ad AEgyptios, & in eo ut in Domino speretis, fortitudo vestra consistet.

V. 16. AD EQUOS FUGIEMUS; id est, confugiemus ad AEgyptiorum auxilium, qui equitatu plurimum valent. Ideo fugietis (ab hostibus vestris) elegans paronomasia. ET SUPER VELOCES (equos) ASCENDEMUS: IDEO VELOCIORES ERUNT. Altera paronomasia: Psal. XXXII. 17. *Fallax equus ad salutem*: & Psal. CXLVI. 16. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit*.

V. 17. MILLE HOMINES. Heb. אלף אחד, *mille unum*, id est una chilias, Gall. *Une milliace d'hommes*. A FACIE TERRORIS. Heb. *propter unius hominis terrorem*, id est uno homine vos terrente. Deut. XXXII. 30. *Quomodo persequebatur unus mille, & duo fugarent duo millia? Nonne ideo quia Deus suus vendidit eos; & Dominus conclusit illos?* DONEC RELINQUAMINI QUASI MALUS NAVIS; id est, donec ex vobis nemo remaneat præter unum, aut alterum, qui sit veluti testimonium & monumentum calamitatis reliquorum; sicut post magnam tempestatem mari altissimos montes aut scopulos superanti, in summis scopulis malus aliquis navis visi solet, tamquam monumentum præteriti naufragii, qui prætereuntibus nautis exemplo est ut navim avertant. ET QUASI SIGNUM SUPER COLLEM; id est, ruinosi aliqui parietes, qui ex veteri ædificio remansere, qui longe conspiciuntur. Sensus est, ita puniendos esse Iudæos, ut omnibus gentibus exemplo sint.

V. 18. PROPTEREA EXPECTAT DOMINUS, id est tardat ut misereatur; quasi dicat: Quia hæc facitis, Deus differt misericordiam suam, quam vobis alioqui præstitisset. Ita ego interpretor ut conveniat particula causalis: nam si interpretemur ut alii, *expectat ut misereatur*, id est expectat conversionem vestram, ut occasionem habeat miserendi vestri, non video quomodo conveniat. Alii, sicuti R. David Kimhi, ver-

bum

bum יחכה vertant active: *expectare iubet vos*, quod multo minus mihi videtur cohærere. ET IDEO EXALTABITUR. Heb. ולכן ירום, ut magnitudinem suam misericorde & patiente expectatione magis quam subita severitate declaret. Sicut Ecclesia orat: *Deus, qui potentiam tuam parcendo maxime & miserando manifestas*. QUIA DEUS IUDICII DOMINUS, id est patiens, misericors, longanimis. Opponit enim iudicium præcipiti severitati, & impatienti iræ, ut Psal. XXXII. 5. *Diligit misericordiam & iudicium:* pro eodem enim accipit, & Psal. CII. *Faciens misericordias Dominus, & iudicium omnibus iniuriam patientibus:* & Prov. XXI. 3. *Facere misericordiam & iudicium, magis placet Domino, quam victima:* & Ier. X. 24. *Corripe me Domine, verumtamen in iudicio, & non in furore tuo*.

V. 19. POPULUS ENIM, id est reliquiæ, quæ superfuerint, sicut malus navis. Vel, ut alii interpretantur, כי עם בציון ישב, *quando populus in Sion sederit;* id est, si se domi suæ continuerit, (ut dixit supra vers. 15.) neque eat ad AEgyptios, plorans nequaquam plorabit. AD VOCEM CLAMORIS, id est simulatque clamaveris.

V. 20. ET DABIT TIBI DOMINUS PANEM ARCTUM. Heb. *& dabit vobis Dominus*, ומים לחץ, *& aquam oppressionis* לחם צר *panem angustiæ*; id est, in mediis angustiis, inque rebus maxime adversis non deerit vobis Dominus, (si in Sion, id est in Ecclesia Catholica manseritis) sed suppeditabit vobis omnia necessaria. Vel, ut ו accipiatur pro *postquam*; quasi dicat: Quamvis Dominus det vobis panem angustiæ & aquam tribulationis, id est affligat vos rerum omnium penuria, res enim omnes ad vitam necessariæ per panem & aquam intelliguntur, tamen postea recreabit vos earumdem rerum abundantia, quia *cum iratus fuerit, misericordiæ recordabitur:* Tob. III. 13. & Habac. III. 2. & Psal. LXXXIX. 15. *Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti, annis, quibus vidimus mala*. ET NON FACIET AVOLARE A TE DOCTOREM TUUM; id est, tunc non deerit tibi qui te doceat, quia *erunt omnes docibiles Dei:* Isai. LIV. 13. & Ioan. VI. 45. *Et Christus doctor vester vobiscum erit usque ad consummationem sæculi*. Verba Hebraica alium sensum habere possunt: ולא יכנף עוד מוריך, *& non auferetur ultra pluvia. Et videbunt oculi tui pluviam tuam*, id est non erit ultra sterilitas. Prior sensus quem noster Interpres reddidit, mihi magis placet; quia statim sequitur: ET AURES TUAE AUDIENT, &c.

V. 21. VERBUM POST TERGUM (tuum) MONENTIS, id est *pone* מאחריך, id est Dei pone loquentis, & viam ostendentis, sicut solet prædagogus pueros præeuntes ducere, ac viam illis ostendere.

V. 22. ET CONTAMINABIS, id est profanabis, eiicies, confringes, ac ita profana esse declarabis, nihilque habere sanctitatis. LAMINAS, צפוי, *opertorium*, id est argenteam cælaturam idolorum. Solebant enim esse deargentata, vel deaurata: deargentationem ergo & deaurationem noster Interpres vocat *laminas argenti & auri tui*, id est sculptilis tui deargentati & deaurati. ET DISPERGES, id est eiicies e templo sicut דוה, *menstruatam*, quæ non poterat in templum ingredi, Levit. XII. 2. & XV. 25. EGREDERE, DICES EI: צא תאמר לו: potest etiam verti, *Dices illi, Immunditiæs* (es tu.)

V. 23. ET DABITUR PLUVIA. Describit futuram abundantiam rerum omnium. PASCETUR IN POSSESSIONE TUA: ירעה מקניך, *pascetur pecus tuum pascuum latum*.

V. 24. ET TAURI TUI ET PULLI ASINORUM; id est, non solum equi tui, sed abiectissima etiam animalia quibus terram colis. COMEDENT MIGMA, id est mistionem. Ita vocat noster Interpres triticum cum hordeo aut siligine mistum, quale homines solent edere. Hebraice, בליל חמיץ יאכלו, *pabulum purum, quod ventilatum est pala & ventilabro*.

V. 25. ET ERUNT SUPER OMNEM MONTEM; id est, etiam in locis aridissimis, quales solent esse montes, magna erit fertilitas, quæ per aquarum copiam significatur. RIVI CURRENTIUM. Heb. פלגים יבלי מים, *rivi, rivi aquarum*, id est multi rivi. IN DIE INTERFECTIONIS MULTORUM. Heb. הרג רב, *interfectionis magne*, id est postquam Deus magna strage iniquos de medio sustulerit. CUM CECIDERINT TURRES, id est homines superbi.

V. 26. ET ERIT LUX LUNAE. Theologi solent hoc de fine mundi interpretari post

post resurrectionem, putantque ad verbum esse intelligendum, Solem & Lunam futuros multo splendidiores quam nunc. II. Pet. III. 13. *Novos vero cælos, & novam terram secundum promissa ipsius expectamus.* Videtur enim ad hunc locum alludere, & ad illud Isai. LXV. 17. *Ecce ego creo cælos novos, & terram novam:* & Isai. LXVI. 22. *Sicut cæli novi, & terra nova, quæ ego facio stare coram me.* Ioannes etiam in Apoc. XXI. 1. dicit se vidisse cælum novum & terram novam. Possumus etiam hunc locum mystice interpretari de tempore Evangelii, quo lux Lunæ est sicut lux Solis; id est, cognitio & scientia rerum divinarum tanta est in mulieribus, quæ non discunt nisi ex viris, quanta prius erat in viris magnisque Doctoribus. ET LUX SOLIS; id est, scientia in viris ac Doctoribus Ecclesiæ erit septuplo, id est multo maior: numerus certus pro incerto. Potest etiam lux accipi pro gaudio & lætitia spirituali. IN DIE QUA ALLIGAVERIT DOMINUS, id est in die redemptionis; tunc enim eventus ipse melius nobis, quam Iudæorum Doctores, omnia Prophetarum vaticinia declaravit.

V. 27. ECCE NOMEN DOMINI, id est Deus, qui vocatur יהוה, VENIT DE LONGINQUO, id est longo intervallo, vel ex cælo: describit enim Christi adventum ad iudicium; vel, *de longinquo;* id est, qui longe abesse putabatur, inopinatus venit, ut Evangelica heri parabola significatur, qui peregre profectus erat: Matth. XXIV. 48. ARDENS FUROR EIUS, ET GRAVIS AD PORTANDUM, id est intolerabilis, quem nemo sustinere poterit. Psal. XLIX. 1. 2. *Deus manifeste veniet, Deus noster & non silebit. Ignis in conspectu eius exardebit, & in circuitu eius tempestas valida.* LABIA EIUS. Labiorum & linguæ mentionem tantum facit, quia in illo iudicio lingua Christus pugnabit, non manu, dicens, *Ite maledicti in ignem æternum:* Matth. XXV. 41.

V. 28. SPIRITUS EIUS; id est, furor, ira eius, sicut TORRENS INUNDANS USQUE AD MEDIUM COLLI. Heb. עַד־צַוָּאר יחצה, *usque ad collum mediabit*, ad verbum, id est usque ad medium colli, ut noster vertit Interpres multo melius quam Hebraizantes, qui nescio quid fingunt, quod ad regem Assyriorum accommodent. Sed manifestum est Prophetam de Christi adventu ad iudicium, non de Assyriorum rege loqui: vide vers. 31. Per torrentem autem usque ad medium colli inundantem nihil aliud significat, quam impetum & vim, cui nemo possit resistere: nemo enim torrenti usque ad medium collum ascendenti potest resistere. AD PERDENDAS GENTES. Heb. להכפה גוים בכפת שוא, *ad ventilandas gentes ventilabro vanitatis*, id est inutili. Vocat autem inutile ventilabrum quo separantur paleæ inutiles, ut comburantur. Sic enim Deus ventilabit malos ut mittat in ignem æternum: bonos autem etiam ventilabit, sed ventilabro utili; id est, quo triticum & grana utilia ventilari solent, ut a paleis repurgentur. Agricolæ alio ventilabro paleas ventilant, scilicet furca, alio grana, nempe vano. Hinc ergo metaphora translata est. Idem Christus faciet in die iudicii: Matth. III. 12. & Lucæ III. 16. *Cuius ventilabrum in manu eius.* ET FRAENUM. Repetendum est *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ spiritus eius erit sicut frænum errare faciens.* Fræno ducimus equum quo volumus, sive ad pascua, sive ad mortem & præcipitium, ita ut resistere non possit. Significat ergo ita Deum omnes gentes, id est iniquos ad infernum præcipitaturum, atque hoc vocat frænum errare faciens. Psal. XXXI. 9. *In chamo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.*

V. 29. CANTICUM ERIT VOBIS SICUT VOX SANCTIFICATAE SOLEMNITATIS: כלול, *sicut nox*, aut sicut (canticum) noctis, qua sanctificatur solemnitas. Nota est Iudæorum consuetudo, qui a vespere præcedentis diei solemnitates inchoabant, quo tempore incipiebant laudes Deo canere. Huic ergo lætitiæ comparat eam, quam Iudæi qui tempore Evangelii erant convertendi, habituri erant. Similitudine vocis credendum est in nostram versionem errorem inductum, ut aliqui pro *nox* scriberet *vox*. ET SICUT QUI PERGIT CUM TIBIA, id est cum instrumento musico, UT INTRET IN MONTEM DOMINI, id est in templum quod erat in monte Sion.

V. 30. ET AUDITAM FACIET, id est audiri faciet, resonare faciet gloriam vocis suæ, id est tonitru suum, quo suam gloriam & maiestatem declare solet. ET TERROREM BRACHII SUI: נחת זרעו, *descensum brachii sui*, id est potentiæ suæ. Metaphora sumpta a fortiter percutientibus,

qui

qui sublatum prius brachium fortius demittunt. IN COMMINATIONE: בזעף, *in indignatione*. IN FLAMMA IGNIS, id est fulminibus. ALLIDET (Heb. non est) IN TURBINE ET LAPIDE GRANDINIS, id est magna præcedente tempestate. Versu præcedenti descripsit bonorum lætitiam, hic describit adventum Christi ad iudicandos malos: ut sup. vers. 27.

V. 31. A VOCE ENIM DOMINI: ab illa scilicet, *Ite maledicti in ignem æternum*, quam ante tonitru vocavit. PAVEBIT ASSUR, id est omnes hostes Dei, omnes iniusti. Erant enim Assyrii nobilissimi Dei hostes, quos pro omnibus nominat. Alii de Assyriis Ierosolymam obsidentibus intelligunt, quibus non repugno; sed tamen videtur Propheta longius spectare. VIRGA PERCUSSUS; id est, quemadmodum tremit canis, si virga percutiatur, aut quemadmodum si ipse virga percuteretur. Alii יכה active, *quemadmodum* (ipse alios) *virga percutiebat*. Vel, qui alios, &c.

V. 32. ET ERIT TRANSITUS VIRGAE. Heb. והיה כל מעבר מטה מוסדה, *& erit omnis transitus virgæ fundatæ*, vel *fundamenti*; id est, Dei punitio pervadet quocumque ille decrevit, aut toties virga Dei hostes percutiet, quoties ab eo decretum est. Virgam fundatam aut fundamenti vocat punitionem a Deo firmiter statutam atque decretam. QUAM (virgam) REQUIESCERE FACIET, id est imponet, infliget super eum (Assur.) IN TYMPANIS ET CITHARIS, ET IN BELLIS PRAECIPUIS, id est prosperis ac bene succedentibus: תנופה, *elevationis*, id est in quibus manus præ lætitia tollantur. EXPUGNABIT EOS (hostes.) Heb. nunc legimus בה *eam*, id est Babylonem, quia fecerat mentionem Assur. Noster Interpres videtur legisse בם, *eos*; sensusque est melior, aut *pro eis*, id est pro Iudæis; quasi dicat: Dominus ita pro eis contra hostes pugnabit, ut victoriam tympanis, citharis, manuumque sublatione celebrent.

V. 33. PRAEPARATA EST ENIM AB HERI TOPHETH, id est gehenna. Topheth locus erat in valle filii Ennon, ubi solebant Iudæi filios suos igne crematos immolare idolo Moloch IV. Reg. XXIII. 10. & Ierem. VII. 31. & XIX. 6. II. Hoc autem loco manifestum est accipi pro inferno, vel propter vallis profunditatem, vel propter dæmonem Moloch, qui tam multas illic animas devorabat. Sicut Gehenna aut Gehennom nomen erat vallis tribus Beniamin, Iosue XV. 8. quod posi pro inferno poni cæptum est Matth. XVIII. 9. Dicit ergo Topheth, id est Gehennam præparatam esse a Deo ab heri, id est a constitutione mundi, ut ad Heb. XIII. 8. *Iesus Christus heri & hodie*. A REGE PRAEPARATA. Heb. גם למלך, *etiam regi præparata*. PROFUNDA ET DILATATA, id est capacissima: nusquam in sacris litteris tam proprie describitur infernus. NUTRIMENTA EIUS, IGNIS, id est ignivora. Heb. מדורתה אש, *pyra eius*, (sub. sicut pyra) *ignis*. ET LIGNA MULTA, id est habens multa ligna. Ligna autem vocat mystice peccata. FLATUS DOMINI; id est ira Domini, sicut torrens sulphuris succendet eam, id est faciet perpetuo ardere.

S A.

Vers. 1. DESERTORES. Chald. *transgressores*. LXX. *apostatæ*. EX ME. Chald. *ex verbo meo*. LXX. *per me*, id est iuxta meam voluntatem.

V. 2. OS MEUM. Chald. *verba Prophetarum meorum*. LXX. *me*. UMBRA, id est protectione.

V. 4. PRINCIPES, scilicet legati. TANI. Heb. *Zoan*, seu *Tsoan*, est enim צ prima littera: civitas est AEgypti, itemque *Hanes*, quæ Heb. *Chanes*, per ח.

V. 6. ONUS, &c. quasi dicat: Onusta duxerunt iumenta ad Austrum, id est AEgyptum. IN TERRA, &c. quasi dicat: Transierunt per desertum, ubi magna rerum inopia. EX EIS; pro, in eis, scilicet locis degunt. LXX. *inde*. PORTANTES, scilicet Legati per ea loca transibant. DIVITIAS, scilicet munera ad Regem AEgypti.

V. 7. SUPERBIA. LXX. *vana consolatio*. QUIESCE; quasi dicat: Desine petere auxilium a superbis AEgyptiis.

V. 8. INGRESSUS, scilicet ad populum. SCRIBE, scilicet prophetiam. BUXUM, id est buxeam tabulam, scilicet ut diu conservetur. NOVISSIMO. Chald. *iudicii*.

V. 9. AD IRACUNDIAM PROVOCANS, scilicet me. Chald. *rebellis*. LXX. *incredulus*.

V. 10. VIDENTIBUS. Chald. & LXX. *Pro-*

Prophetis. VIDERE. Chald. *prophetare*. LXX. *annuntiare nobis*. ASPICIENTIBUS. Chald. *doctoribus*. LXX. *visiones videntibus*. ASPICERE. LXX. *loqui*. Chald. *docere*.

V. 11. AUFERTE A ME VIAM. Chald. *avertite nos a via recta*. DECLINATE, &c. repetitio. SANCTUS ISRAEL. Chald. *verbum sancti Israel*.

V. 12. CALUMNIA. Chald. & LXX. *mendacio*. ET IN TUMULTU. Chald. *& rapina*. LXX. *& murmurastis*. SUPER EO, scilicet mendacio, &c.

V. 13. ET REQUISITA, id est dum quis quærit ibi inniti, seu salvari. EIUS, scilicet muri.

V. 14. COMMINUETUR, scilicet civitas, per murum significata. ET NON INVENIETUR; pro, ita ut non inveniatur. IGNICULUS, id est parum ignis.

V. 15. SI REVERTAMINI, &c. LXX. *cum conversus ingemueris, tunc salvaberis*. QUIESCATIS, id est cessetis, scilicet a peccatis. SILENTIO; quasi dicat, Patientia. SPE, scilicet in Deum. NOLUISTIS, scilicet audire.

V. 16. FUGIETIS, scilicet hostes.

V. 17. QUINQUE, id est paucorum. FUGIETIS. LXX. *fugient multi*. MONTIS, scilicet fixus, quem navigantes aspiciant, ut rectum cursum teneant, sic vestræ calamitatis exemplo vitabunt pericula multi: vel in montem e naufragio eiectus.

V. 18. PROPTEREA. LXX. & *rursum*. EXALTABITUR, id est glorificabitur. IUDICII, id est iustus. LXX. *Iudex*. Chald. *faciens iudicium*. EXPECTANT EUM. Chald. *sperant in salutari eius*.

V. 19. POPULUS. LXX. *populus sanctus*. SION. Chald. & LXX. *in Sion*. IN. LXX. *&*. PLORABIS, scilicet ut solent destituti. MISEREBITUR, scilicet Deus.

V. 20. PANEM, &c. quasi dicat: Etsi ad tempus affliget, tamen non deseret, sed liberabit. ARCTUM. LXX. *tribulationis*. BREVEM. Heb. *afflictionis*; quasi dicat, Cibabit pane lacrymarum, id est tribulatione. AVOLARE, &c. quasi dicat: Numquam deerit qui te doceat, &c. vel, semper habebis Christum docentem te per Scripturas, & suos ministros.

V. 21. MONENTIS, scilicet quod sequitur.

V. 22. CONTAMINABIS, id est convertes in usus profanos, per hæc intelligitur errorum & peccatorum abiectio. EGREDERE; quasi dicat: Abi in malam crucem.

V. 23. PLUVIA, &c. per hæc intellige etiam spiritualia.

V. 24. MIGMA, id est commistionem, scilicet multorum granorum. LXX. *paleas mistas hordeo ventilato*.

V. 25. RIVI, &c. quasi dicat, Magna fertilitas. MULTORUM, scilicet hostium. TURRES, id est fortissimi quique. Chald. *principes*.

V. 26. LUX LUNAE, &c. quasi dicat, Erit tunc maxima lætitia. Quidam tamen id referunt ad Beatorum statum, quo cæli renovandi.

V. 27. NOMEN, id est Verbum, scilicet filius. DE LONGINQUO, scilicet e cælo. FUROR, scilicet in hostes animæ spirituales. LABIA, id est prædicatio. INDIGNATIONE, scilicet contra peccata.

V. 28. SPIRITUS, id est indignatio. GENTES, id est Gentilium errores.

V. 29. VOBIS, scilicet liberatis, seu redemptis.

V. 30. GLORIAM VOCIS; pro, gloriosam vocem. IN TURBINE; pro, velut in turbine.

V. 31. ASSUR, id est diabolus. VIRGA, scilicet Dei punitione.

V. 32. FUNDATUS, id est firmus & fortis. IN TYMPANIS, &c. id est cum summa piorum lætitia. PRAECIPUIS. Chald. *fortibus*. EOS, scilicet hostes.

V. 33. AB HERI, id est antea, seu olim. TOPHETH, id est *infernus*. Chald. *gehenna*. Not. *Topheth* locum esse prope Ierusalem in valle Hennom, unde Gehennæ nomen: nam *Ge vallis*, ubi parentes filios comburebant in honorem idolorum. Vide Ierem. VII. Significat autem in Scriptura *infernum*. REGE, scilicet Deo. LIGNA, scilicet ipsi damnati. Quidam sulphur per *ligna* intelligunt, de quo Apoc. XIV. & XX. & XXI.

E S T I I.

Vers. 1. VAE FILII DESERTORES DICIT DOMINUS; UT FACERETIS CONSILIUM, ET NON EX ME, Et vers. 2. QUI AMBULATIS, UT DESCENDATIS IN AEGYPTUM, ET OS MEUM NON INTER-

ROGA-

ROGASTIS. Hæc verba ita sonare videntur prima facie, quasi sine oraculo divino illicitum fuerit Iudæis in AEgyptum fugere, persequentibus eos Assyriis. Sed si legamus ea quæ habentur Ierem. XLII. & XLIII. intelligemus aliter hæc esse accipienda, & ex negatione intelligendam esse oppositam affirmationem. Ibi enim legimus Iudæos, deserto & contempto Dei consilio, quod eis dabatur per Ieremiam, per rebellionem quamdam voluntatis abiisse in AEgyptum: Deus enim expresse id prohibuerat. Unde & hic vocantur, *filii desertores*: & alibi ubi de cultibus idololatricis dicit Deus, *quæ non præcepi eis*, id est quæ prohibui. Sensus igitur huius loci est: *Ut faceretis consilium, & non ex me*, id est expressæ voluntati meæ repugnaretis. ET ORDIREMINI TELAM, ET NON PER SPIRITUM MEUM, id est profectionem illam suscepcritis contra voluntatem meam. *Et os meum non interrogastis*: quin etiam oraculum meum per Ieremiam Prophetam vobis significatum respuistis.

V. 18. EXSPECTAT DOMINUS, UT MISEREATUR VESTRI. Sensus est, quod Deus nostram expectat pœnitentiam, ut auferat a nobis flagella, & tribuat bona, pœnitentibus & legem servantibus promissa. Interim ipsa etiam pœnitentia Dei donum est, quam tamen recte exigit Dominus, nempe quia etiam est actus liberi arbitrii.

V. 26. ET ERIT LUX LUNAE SICUT LUX SOLIS, ET LUX SOLIS SEPTEMPLICITER, SICUT LUX SEPTEM DIERUM IN DIE, QUA ALLIGAVERIT DOMINUS VULNUS POPULI. Hieron. refert ad diem iudicii, in quo, sicut dicit Apostolus Paulus Rom. VIII. *Expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat, & ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*. Tunc enim omnis creatura, (scilicet cui convenit permanere in illo statu incorruptionis) in melius commutabitur. Sic luna accipiet splendorem solis, & solis splendor augebitur in septuplum, ac denique omnia tam cælestia quam terrestria, quæ tunc permansura sunt, longe fient præstantiora, ut serviant beatorum immortalitati, eorumque felicitati.

MARIANAE.

Vers. 1. VAE FILII DESERTORES. Septuag. *apostatæ*. Chald. *transgressores*. Alii, *væ filiis declinantibus*, aut *rebellibus*. Loquitur contra Iudæos ad AEgyptiorum opem confugientes. UT FACERETIS CONSILIUM, ET NON EX ME, id est non auctore & consultore me id fecistis. ET ORDIREMINI TELAM. Heb. *& operiremini operimento*, scilicet AEgypti protectione. ET NON PER SPIRITUM MEUM, id est non ex mea voluntate, me consulto.

V. 2. OS MEUM NON INTERROGASTIS, id est responsum a me non quæsistis. IN UMBRA AEGYPTI confidistis: *umbram* vocat auxilium, in quo fidebant.

V. 3. IN CONFUSIONEM: in pudorem erit vobis fortitudo Pharaonis.

V. 4. IN TANI PRINCIPES TUI; id est, fuerunt Iudæorum proceres missi ad petendum auxilia. Porro *Tanis* & *Hanes* urbes sunt AEgypti. Legationis huius nulla præterea in Sacris mentio. Sed certe contra Assyrios hæc auxilia petebantur, cum Sennacherib obsedit Ierusalem.

V. 5. OMNES CONFUSI SUNT. Heb. *omnis pudore affectus est*, scilicet populus Iudæorum.

V. 6. ONUS IUMENTORUM AUSTRI; id est, prophetia hæc est de bestiis, quæ sunt ad Austrum versus AEgyptum, in quas incident Legati a Iudæis missi. *Iumenta* hic pro feris accipit. Quæ sunt illæ feræ? LEAENA ET LEO. Septuag. & Chald. *leo & catulus leonis*, id est leones seniores & iuniores. EX EIS, VIPERA. Sic distingue, id est præter eos vipera, scilicet ibi erit. ET REGULUS VOLANS. Heb. *& serpens ignitus volans*, supple, affligent, aut aggredientur Legatos eos. PORTANTES SUPER HUMEROS IUMENTORUM DIVITIAS SUAS. Heb. *asinorum*. AD POPULUM; ut scilicet eos thesauros Regi AEgypti, & eius aulicis dent, qui utilitatem nullam illis afferent.

V. 7. AUXILIABITUR AEgyptus, id est conabitur auxiliari, sed inanis conatus erit. IDEO CLAMAVI SUPER HOC. Heb. *ad hanc*, id est ob hanc rem, quod Noster dixit *super hoc*. SUPERBIA TANTUM EST, QUIESCE. רהב *rahab* est *fortitudo*, sed bene pro

super-

superbia sumitur & *obstinatione*. Ergo Heb. sic verto: *obstinatio ipsis sedere*, pro, sede & quiesce, ne progrediaris ulterius in eo quod male cæpisti. Quidam vertunt: *Robur eorum* (id est Iudæorum) *sedere*, id est manere in urbe, neque ire in AEgyptum.

V. 8. SCRIBE EI. Hieronymus in Comment. legit, *scribe eis*. SUPER BUXUM. Heb. *super tabulam*, *cum eis*, id est ipsis Iudæis videntibus. Testes illos adhibe. EXARA ILLUD, aut *illam*, scilicet prophetiam, quam renuntiasti. IN TESTIMONIUM USQUE IN AETERNUM. Sic Chald. & Pagn. Nimirum עַד priori loco legerunt cum *Zere*, quo modo *testem*, seu *testimonium* significat. Alii legentes cum *Pathah*, ut modo est in Bibliis, Heb. sic vertunt: *In æternum usque in sæculum*, scilicet servetur quod scribis.

V. 10. QUI DICUNT VIDENTIBUS, Prophetis. ET ASPICIENTIBUS, id est Prophetis loqui vetant. Male se habent res, cum Prophetis concionatoribus tollitur loquendi libertas. PLACENTIA, seu *blanda*. ERRORES, imposturas, illusiones loquimini nobis, non alia.

V. 11. AUFERTE A ME VIAM, scilicet hanc, quam tenebatis, adversa dicendi. Heb. *recedite de via*, scilicet recta. DECLINATE A ME SEMITAM. Heb. *declinate a semita*, scilicet recta. CESSET A FACIE NOSTRA, id est ne toties inculcate nobis Dei nomen. Quid Deus?

V. 12. PRO EO QUOD REPROBASTIS, aut *sprevistis*. VERBUM HOC, scilicet Prophetarum, quæ illi dixerunt. SPERASTIS IN CALUMNIA. Heb. *in rapina*, seu *oppressione*, id est divitiis fraude partis & violentia comprimitis Prophetas. ET IN TUMULTU. Heb. *in pravitate*, & *in ea confidistis*.

V. 13. SICUT INTERRUPTIO erit vobis, seu ruptura. ET REQUISITA, id est manifesta. Alii *tumor*, cum scilicet paries prominet. DUM NON SPERATUR. Additum ab Interprete. Ergo sicut ea muri pars repente corruit, sic vos.

V. 14. LAGENA. Heb. *nebel*, quæ vox sæpe *utrem*, sed & aliquando *lagenam* significat. Ergo ut lagena conteritur, sic vestra iniquitas conteretur. CONTRITIONE PRAEVALIDA. Heb. *conterendo non parcet*, id est valide & violenter conteret. IGNICULUS, seu *ignis pruna*. DE INCENDIO; id est, de foco, de camino, non portabitur in fragmentis lagenæ, in minutissima fragmenta conteretur.

V. 15. DICIT, seu *dixerat* Deus. SI REVERTAMINI, de via scilicet qua itis in AEgyptum, & quiescatis in vestra urbe. IN SILENTIO. Heb. *in quiete eritis salvi*.

V. 16. AD EQUOS FUGIEMUS. Heb. *super equos*: sic Septuag. & Chald. IDEO FUGIETIS, id est fiet, ut vos dicitis: ob hanc diffidentiam continget fuga. ET SUPER VELOCES, scilicet equos, aut camelos (ex eo a *dromo*, id est *cursu*, *dromedarios* vocatos) ut scilicet fugiamus, eos ascendemus. IDEO, ob has voces, qui persequentur vos, veloces erunt, scilicet magis quam vos; quod Noster dixit, *velociores erunt*.

V. 17. MILLE HOMINES. Heb. *millenarius unus*. ET A FACIE TERRORIS. Chald. & alii, *a facie increpationis*. Id significat vox Heb. גערה *ghaharah*. Sed *increpatio* pro minis & terrore sumitur. Mille homines unum, aut quinque ex hostibus fugient. DONEC RELINQUAMINI QUASI MALUS NAVIS, quem erigunt supra montis culmen, & in eo vexillum, ad quod seu navigantes, seu milites confugiunt. Et ut ii mali sunt pauci, ita & vos. ET QUASI SIGNUM. Repetitio est, & explicatio eius quod dixerat.

V. 18. PROPTEREA EXPECTAT DOMINUS. Sic Pagn. Verti etiam potest: *Propterea expectare iubet Dominus*, id est vetat ire in AEgyptum, & inde auxilia petere. *Propterea*, id est ne decidatis in ea mala quæ dixi. ET IDEO EXALTABITUR, vel *exaltabit se* Deus, scilicet occidendo Assyrios. PARCENS VOBIS. Heb. *ut misereatur vestri*. QUIA DEUS IUDICII DOMINUS, id est iustus.

V. 19. HABITABIT IN IERUSALEM, seu *sedebit*; pro, si sederit populus in Ierusalem, ut illi præcipio, non plorabit malis oppressus. RESPONDEBIT TIBI, id est concedet quæ petieris Deus.

V. 20. PANEM ARCTUM, seu *panem angustiæ* dabit Deus. ET AQUAM BREVEM, seu *aquas oppressionis*. Hoc fiet cum ab Assyriis obsidebitur. ET NON FACIET AVOLARE A TE ULTRA DOCTOREM TUUM. Heb. & *non avolabit ultra doctor tuus*. *Doctor* hic est Deus, aut Ezechias Rex, qui fortassis de fuga cogitabat, cum urbs obsi-

dere-

deretur ab Assyriis. Ideo ait, *non faciet ultra avolare a te*. Quidam sic vertit: *& non avolabit*, seu *elongabitur pluvia tua;* quasi dicat: In iis angustiis pluviæ tamen copia erit. Vox מורה *moreh* significat & *doctorem* & *pluviam*. Variæ interpretationis ea occasio. Præstat tamen cum Vulgata, & plerisque omnibus *doctorem* intelligere. PRAECEPTOREM TUUM. Doctorem tuum videbis, id est eius opem præsto esse in iis angustiis experieris.

V. 21. ET AURES TUAE AUDIENT VERBUM POST TERGUM MONENTIS. Heb. *verbum de post te dicendo*. Dixerat, non defore illis doctorem. Modo ait, illum, scilicet Deum, aut Ezechiam locuturum a tergo. Quare a tergo? Fingit homines a Deo aversos, aut etiam illum fugere, & Deum tamen fugientes docere. ET NON DECLINETIS NEQUE AD DEXTERAM, NEQUE AD SINISTRAM. Sic Chald. Heb. *quia declinatis ad dexteram, & quia ad sinistram*, quod scilicet facere non debebatis. Idcirco viam vobis ostendo. Via autem Lex est.

V. 22. ET CONTAMINABIS LAMINAS. Heb. *operimentum*. Hæc est doctoris doctrina, ut idola amoverent. ET VESTIMENTUM. Chald. *ornamentum*, scilicet idoli. SICUT IMMUNDITIAM MENSTRUATAE. Heb. *sicut menstruum*. EGREDERE, DICES EI, id est proiicies illud vestimentum idoli.

V. 23. ET DABITUR PLUVIA. Hoc erit pietatis præmium. PASCETUR IN POSSESSIONE TUA. Heb. *pascetur pecus tuum*. AGNUS SPATIOSE. Heb. *in loco pascuo* (id כר *char*, id est *campus* est) *lato*. Quis pascetur? pecus tuum.

V. 24. COMMISTUM MIGMA comedent pulli. Pagn. *migma purum comedent*. *Migma*, id est farraginem, multa semina diversi generis & mixta. SICUT IN AREA VENTILATUM EST. Heb. *quod ventilatur pala & ventilabro*.

V. 25. RIVI CURRENTIUM AQUARUM erunt super montes. Sic Chald. Septuag. *aqua pertransiens*. Vatabl. *rivi rivi aquarum*: יבל *iebel* pro *rivo* sumpsit, ut ponunt Dictionaria. Ego dicerem, *rivi decursus aquarum*, quod Noster aliis verbis dixit. Per rivos in montibus rerum copiam intelligit. Aut vere cum multæ sunt pluviæ, in montibus novi fontes scaturiunt, qui aquæ currentes vocantur. IN DIE INTERFECTIONIS erunt ii rivi. Ut bonis & Iudæis omnia feliciter cadent, sic impios vindicabit Deus, ac Assyrios maxime una nocte prosternet. CUM CECIDERINT TURRES; id est, diruentur illæ turres, quas Assyrii contra Ierusalem excitaverunt: de illorum enim interfectione proprie agit.

V. 26. ET ERIT LUX LUNAE. Sic Iudæis videbitur astra lucere multo illustrius quam antea, ob lætitiæ magnitudinem, ob Assyrios cæsos. In tristitia stellæ obscurari videntur, in lætitia fulgere maiori luce. IN DIE QUA ALLIGAVERIT DOMINUS VULNUS. Heb. *contritionem alligaverit*, sanaverit, cum sanaverit, erit ea lux & lætitia.

V. 27. ECCE NOMEN DOMINI. Contra id quod exprobrarunt Legati Assyriorum: IV. Reg. XVIII. 22. VENIT DE LONGINQUO, id est de cælo. ET GRAVIS AD PORTANDUM. Heb. *& gravitas oneris*, pro, onus grave. Multis describit iracundiam Dei.

V. 28. SPIRITUS EIUS, id est ira eius, aut Angelus, quem mittet ut occidat Assyrios. USQUE AD MEDIUM COLLI, pervenict, scilicet *hasta que llegue a la boca*. Heb. *usque ad collum dimidiabit*, id est usque ad *collum medium*, ut dixit Hieronymus. AD PERDENDAS GENTES IN NIHILUM, id est funditus, ita ut earum nihil maneat. Heb. *ad ventilandum ventilatione vana*, scilicet quæ non fit ad purgandum grana, sed ad proiiciendum paleas. ET FRAENUM ERRORIS, supple, ut frænum erroris erit. Heb. *frænum errare faciens erit*, scilicet spiritus eius. Fræno diriguntur equi, Deus autem errare faciet (permittendo) Gentes, quæ convenerunt contra Ierusalem.

V. 29. CANTICUM ERIT VOBIS. Reliquum est, ut eam lætitiam canticis celebretis. SICUT NOX, aut, sicut in nocte. SANCTIFICATAE SOLEMNITATIS. Heb. *sanctificari*, pro, qua solet sanctificari solemnitas, id est celebrari. AD FORTEM. Heb. *ad petram*. Sed *petra* pro Deo sumitur, seu pro defensore, præsidio. Canticum erit sicut eius qui cum tibia intrat in templum.

V. 30. GLORIAM VOCIS SUAE auditam faciet Deus. Quæ est vox Dei? Tonitrua, procella. ET TERROREM BRACHII SUI. Sept. *furorem*. Chald. *fortitudinem*. Alii *descensionem brachii*, a gestu percutientis, qui brachium demittit. IN COMMINATIONE. Heb. *in ira furoris*. ALLIDET IN TURBINE. Chald. *allisione*. Alii, *dispersione & turbine*. IN LAPIDE GRANDINIS. *Lapide*, pro, lapi-

lapidibus. Qua nocte Assyrii sunt occisi, magna fuisse tempestas videtur ex hoc loco.

V. 31. Pavebit Assur. Heb. *confringetur*. Sic Chald. Virga percussus, id est flagello Dei. Heb. *virga percutiet*, scilicet illum Deus.

V. 32. Transitus virgae fundatus, id est percussio virgæ erit stabilita a Deo, ut prohibere nemo possit. Requiescere faciet. Non ad breve tempus percutiet, sed quiescet flagellum super eum, scilicet Regem Assyrium. In varia mala præcipitabit. In tympanis, scilicet celebrantium eius cladem, vincet scilicet eum. In bellis praecipuis, id est sine armis vincet, quæ victoria præcipua est. Heb. *in bellis elevationis*, *agitationis*, *pulsationis*, id est non armis, sed pulsu tympanorum. Expugnabit eos, seu *pugnabit cum illis*. Victoriæ genus maxime illustre.

V. 33. Praeparata est enim ab heri Topheth. Chald. *gehenna*. Ex II. Regum xxiii. 11. & Ierem. vii. constat, *Topheth* fuisse montem, ubi Iudæi idolo Moloch filios immolabant, prope Ierusalem, ubi erat vallis Hennom. Ea impietas fecit ut tartarus significetur vocibus *Topheth*, & *Gehennæ*, quæ idem est quod *vallis Hennom*. *Ge* enim *vallis* est. Ergo *Topheth*, id est tartarus, *ab heri*, id est iam dudum parata est. Assyrii non hic solum, sed in futura vita pœnas dabunt. A rege praeparata, profunda, et dilatata, id est Regis Assyrii pravis operibus id factum est. Heb. *Regi parata est*, *profundam fecit*, *& dilatavit*, scilicet ipse Rex, ut tot homines capiat, ipsum etiam qui brevi est occisus. Nutrimenta eius. Heb. *pyra eius ignis & ligna*. Fortassis in eo ipso monte Assyrii tendebant. Quorsum ignis & ligna? Ut cadavera cremarentur. Eam, id est *Topheth* aut *pyram* succendit flatus Domini.

MALVENDAE.

Vers. 1. **V**AE filii desertores, dicit Dominus. Alii: I. *Væ filiis declinantibus*, *recedentibus*, *perversis*, *dictum Iehovæ*. II. *Væ filiis rebellibus*, *seu contumacibus*, *dictum Iehovæ*. III. *Væ filiis defectoribus*, *apostatis*. IV. *O filios contumaces*, *fidelis sermo Iehovæ*. *Hoi* hic stomachantis interiectionem esse volunt. V. *Væ filiis contumacibus*, *dictum Iehovæ*. Tertius hic concionis locus, ut dictum est cap. xxix. in vers. 1. qui hoc toto capite exponitur, alterum genus peccati explicat, quo populus in se accersivit iudicia Dei, nimirum defectionem. Constat autem ex quatuor partibus: prima est, propositio & denuntiatio summa contra defectores, usque ad versum 8. secunda, narratio mandati, quod Propheta accepit a Deo denuntiandum populo, inde usque ad versum 15. tertia, attestatio gravissima cum populo usque ad vers. 27. postrema, confirmatio ab exemplo Assyriorum, ad finem usque capitis. Ait ergo: *Væ filiis contumacibus*, id est Iudæis, qui regnante Tzidkiia contumaciam maiorum sua cumularunt, obdurantes cervicem suam, & animum obfirmantes, II. Paralipom. xxxvi. 13. cuius contumaciæ insigne documentum fuit rebellio in Nebuchad-netzarem contra fidem datam, & prophetarum monita, & consociatio cum AEgyptiis, de qua hic agitur, & Ieremiæ xxxvii. & Ezechiel. xvii. Ut faceretis consilium. Alii, *ad agitandum consilium*, de rebellione in Babylonium, & fœdere cum AEgyptio. Et non ex me. Alii: *at non ex me*, cuius videlicet dicuntur filii: sic amplificatur criminis atrocitas. Et ordiremini telam, et non per spiritum meum. Notant verbum נסך *nasach*, cum suo nomine verbali מסכה *massechah*, quod etiam hic ponitur, cum de liquidis dicuntur, per *fundere*, & *fusionem* reddi; unde hic exponunt: *& ad fundendum fusionem*, *& non spiritus mei*; id est, ut perfundamini in fusione quadam spiritus, non quidem spiritus mei, sed alti soporis, ut dixerat supra cap. xxix. 10. Quando vero de aridis, per *operire*, & *obtegere*; quocirca hic convertunt: *& ad obtegendum*, *operiendum*, *protegendum se opertorio*, *tegumento*, *protectorio*. Nonnulli exponunt: *& ad tegendum tegumento*, sive *& ad obducendum tegumentum*, *at non spiritus mei*; id est, adsciscendum sibi protectionem defensionemque aliam quam spiritus Dei, nimirum eam, quæ sequentibus sex versibus exponitur, idque tam occulte, ut non prius de ea Nebuchad-netzar cognoverit, quam copias in Iudæam immisisset, ac propterea recipere eas coactus sit inopinato adventu AEgyptii, Ierem. xxxi. 9. & 11. Hebræi

hic

hic *fundere fusionem*, seu *tegere tegumentum*, metaphorice accipiunt, pro consulere consilium. Significatio ordiendi ac texendi, quam Noster secutus est, non est aliena, ut supra cap. XXV. 7. & Iudic. XVI. 13. UT ADDERETIS PECCATUM SUPER PECCATUM. Alii: *quo peccatum peccato accumulent*; vel, *ut adiiciant peccatum peccato*.

V. 2. QUI AMBULATIS UT DESCENDATIS, &c. Alii ex Heb. hunc versum clarius efferunt: *Proficiscentibus*, seu *pergentibus ut descendant in AEgyptum*; id est, Euntibus in AEgyptum, ut fœdus iungant, & consequantur auxiliares copias: *cum os meum non consuluerunt*; quin potius nuntios meos subsannarunt, & spreverunt verba mea, II. Paralipom. XXXVI. 16. Miosis: *ut roborentur robore Pharhonis, & recipiant se in umbram AEgypti, ad fruendum protectione eius*, ut modo dixit, & figuratur Ezechiel. XVII. 7.

V. 3. ET ERIT VOBIS FORTITUDO PHARAONIS, &c. Quidam: *nam erit vobis robur Pharhonis, pudori; & receptus iste in umbram AEgypti, ignominiæ*. Ergasia, sive exornatio denuntiationis præcedentis versus. Alii: *vertetur itaque vobis fortitudo Pharhonis in pudorem, & fiducia in umbram AEgypti, in ignominiam*.

V. 4. ERANT ENIM IN TANI PRINCIPES TUI. Heb. *Quia fuerunt in Tzoan principes eius*. Quidam: *Cum fuerint Tzohane principes istius*, regis Iehudæ, nimirum Tzidkiiæ, quos ad auxiliares copias a Pharhone adducendas miserit: hæc autem historia habetur Ezechiel. XVII. ut diximus in vers. 2. De Tzoane vide Numeror. XIII. 23. ET NUNTII TUI USQUE AD HANES PERVENERUNT. Alii: *& legati istius*, scilicet Tzidkiiæ, *Chanesum pervenerint*. S. Hieronymus: *Hanes autem urbem AEgypti alibi in Scriptura non legimus, sed ex eo quod ait: Nuntii tui usque ad Hanes pervenerunt, intelligimus ultimam iuxta AEthiopas & Blemmyas esse AEgypti civitatem*. Tremellius & Iunius exponunt: *Chanesum, id est Daphnas Pelusias, ut Herodotus vocat Libro* II. *Numer.* XXX. *&* CVII. *quæ ceteris Scripturæ locis appellantur Thachpenes de nomine illius reginæ, quæ memoratur* I. *Reg.* XI. 19. *aut etiam Thachpanches Ierem.* XLIII. 7. *Obiter tamen observandum est, corruptum esse Herodoti locum istum in Græco contextu, tum in Latina interpretatione, ubi hoc modo legendum est*: Sub Psammiticho rege custodiæ collocatæ fuerant in Blephantine urbe adversus AEthiopas, & in Daphnis Pelusiis, aliæ adversus Arabas & Assyrios &c. *Huius interpretationis nostræ auctorem secuti sumus Ionathanem Chaldæum*. Hæc illi. Daphnem circa Pelusium, memorat etiam Stephanus in urbibus: quam a Pelusio XVI. mill. pass. distare auctor est Antoninus in Itinerario.

V. 5. OMNES CONFUSI SUNT SUPER POPULO &c. Varie alii hunc versum transfundunt ex Heb. I. *Omnis pudefactus est super populo, non relevabunt eis: non ad adiutorium, non ad relevandum; sed ad pudorem, & etiam ad opprobrium*. II. *Omnem*, id est unicuique *pudebit*, sive *omnes pudore affecti sunt*, vel *omnes pudefaciet*, *super populo, qui non proderunt eis; nec ad auxilium, neque ad proficiendum*, vel *neque ad afferendum utilitatem; sed in confusionem, & etiam in opprobrium*. III. *Omnes fœtuerunt apud populum, qui nihil sublevaminis afferat ipsis: non in adiutorium, neque in sublevamen; sed in pudorem insuper & in opprobrium fuerunt*; quasi dicat: Iudæi illis suis AEgyptiacis legationibus nihil aliud lucrati sunt apud populum AEgyptium, quam infamiam & contemptum, ut peius audirent apud AEgyptios quam antea: nam eos ignavos & imbelles ac timidos reputarunt. Sic accipitur verbum באש *baasch*, *fœtuit*, Genes. XXXIV. 30. I. Samuel. XIII. 4. II. Samuel. X. 6. & cap. XVIII. 21. IV. *Omnes pudefaciet per populum*, nempe ipse Tzidkiia rex Iudæorum; id est, hac defectione sua, & AEgyptiorum societate ruinam pudendam omnibus suis popularibus afferet; *per populum* AEgyptium, seu AEgyptios, qui ipsis potius confusioni & damno futuri erant: ut sequentia verba ostendunt, & docet Iirmeia II. 36. *per homines non profuturos illis: non adiumento, neque emolumento; sed pudori, etiamque probro futuri sunt*. Præteritum Hiphil הובאיש *hobisch*, cum *Aleph*, & *Iod* quiescentibus alii a בוש *busch*, seu יבש *iabasch*, deducunt, *omnes pudefecit*, *exsiccavit*, *arescere fecit pudore*. Fortasse additum fuit *Aleph*, ut maiorem pudorem denotet, inquit Marinus. Alii, a *baasch*, *omnes fœtere fecit*, scilicet Zedechias.

V. 6. ONUS IUMENTORUM AUSTRI. &c. Hunc versum varie alii ex Hebræo

convertunt: I. *Onus*, seu *prophetia gravis*: vide supra cap. XIII. 1. *animalium* seu *iumentorum*, aut *bestiarum meridiei*, id est deserti illius vastissimi, quod est ad meridiem terræ sanctæ, quo descenditur in AEgyptum: nam feræ potissimum versari solent in regionibus squalidis ac desertis, qualis in primis erat illa australis inter Iudæam & AEgyptum: vide Deuteronom. I. 19. & cap. VIII. 15. quasi dicat, Prophetia eorum, quæ eventura sunt Iehudæis descendentibus in AEgyptum auxilii habendi causa. *In terra tribulationis & angustiæ, leo & tigris* egredientur *ex illis* animalibus, vel partibus seu locis, *vipera & serpens ignitus volans* ad eos, qui *deferunt super humerum pullorum*, seu *asinorum divitias suas, & super gibbum camelorum thesauros suos, populo qui non proderit*, hoc est AEgyptiis, a quibus nihil opis habebunt. II. *Onus iumentorum meridionalium per terram angustiæ & pressuræ, unde leæna & leo, vipera & urens volans portabunt super scapula pullorum facultates suas, & super gibbo camelorum thesauros suos ad populum, qui nihil sublevaminis afferet*. Putant ludere Prophetam in voce משא *massa*, *onus*, quæ & onera, quæ dorso deferuntur, & graves & onerosas prophetias designat. Ergo cum Iudæos videret Isaias dorso iumentorum deferre divitias suas in AEgyptum per vastum illud & horrendum desertum australe, & eorum onera videret, quæ in AEgyptum importabant auxiliorum comparandorum causa, atque propter hoc a Deo duriter tractandos esse; usus est voce ambigua, ac si diceret: Prævideo eorum onera, quæ deferunt in AEgyptum, ob quod onus gravissimum a Deo subire cogentur. Plerique tamen hic *Onus*, non in metaphorica gravis prophetiæ significatione, sed in propria oneris accipiunt. III. *Baiularunt iumenta onus per viam australem, per terram discriminis & angustiæ plenam, a quibus prodeunt leones & leænæ, regulus & prester urens ac volitans: baiularunt, inquam; in humeris pulli* ipsi *facultates illorum, & in gibbis cameli* ipsi *thesauros eorum, ad populum, qui prodesse non poterit*. IV. Tremellius, & Iunius: *Onus iumentis australibus in terram oppressionis & angustiæ, ad eos, ex quibus immanis leo, iuvenisque leo, vipera & prester volans proditurus est, deportabunt humero asinorum opes suas, & gibbo camelorum thesauros suos, ad populum, qui non proderunt*. Amplificatio per antithesin sive comparationem studii & munerum ad AEgyptios transmissorum, cum malis, quibus Iudæos ipsos affecturi sunt, & beneficia illorum compensaturi. Hæc autem verba non facere initium novæ alicuius prophetiæ, tam perspicue verborum series commonstrat, & interpretatio nostra, ut pluribus non sit opus. *Iumentis australibus*, id est camelis Arabicis & asinis, quemadmodum sequentia docent: *in terram*, id est AEgyptum, ad cuius nomen alludit Hebræum oppressionis vocabulum quod sequitur: nam AEgyptus dicitur מצרים *mitzraim*, oppressio vero צרה *tzarah*: *oppressionis & angustiæ*; id est, qua tantum opprimi & in angustias cogi ex more, non adiuvari Iudæi possunt: *ad eos, ex quibus*, &c. id est, AEgyptios Iudæis tam mortiferos quam sunt leones, viperæ, &c. *ad populum, qui non proderunt*, ut supra vers. 5. LEAENA. לביא *labi*, *leo cordatus: animosus*. Vide in Genes. XLIX. 9. ET LEO ליש *laiisch*, *leo vetus*, *annosus*, *decrepitus*, vide in Iob IV. 11. Tremellius & Iunius, vel lapsu memoriæ, vel errore typographi habent: *iuvenisque leo*, cum alibi *vetus leo* reddant. VIPERA. אפעה *ephgheh*: vide in Iob XX. 16. ET REGULUS. שרף *saraph*, *prester*: vide in Numeror. XXI. 6. SUPER HUMEROS IUMENTORUM. Ex Heb. reddi potest in genitivo: *supra humerum pullorum*, *asinorum*: & in nominativo, *super humerum* suum *asini*, vel *pulli*; sic statim: SUPER GIBBUM CAMELORUM, seu *super gibbum* suum *cameli*. AD POPULUM QUI EIS PRODESSE NON POTERIT. Heb. *super populum non relevabunt*. Potest bifariam accipi: I. *super*, vel *ad populum*, AEgyptium, qui *non proderunt ipsis* Iudæis, ut supra vers. 5. II. Tametsi principes legationis multa & pretiosa munera AEgyptiis afferant, ad impetrandas auxiliares copias pro Iudæis; hac tamen sua diligentia nihil prorsus efficient, nec populum Iudæum obsidione aut excidio sublevabunt.

V. 7. AEGYPTUS ENIM FRUSTRA, &c. Alii hunc versum ex Heb. I. *Et AEgyptii vane & inaniter auxiliabuntur: ideo clamavi ad hanc* Ierusalem: *Fortitudo eorum est manere*, seu *quiescere*, subaudi, in

ipsa

ipsa urbe Ierusalaim, & non descendere in AEgyptum auxilii causa. II. *Et AEgyptii vanitas, & vacue adiuvabunt, idcirco vocavi hanc superbiam earum flatum*. שבת *schebeth*, infinitivum, vel nomen infinitum faciunt verbi נשב *naschab*, *flare*; quasi dicat: Tota hæc fiducia, qua superbiunt fisi viribus AEgypti, in ventum difflabitur: sed non observant, haud apte Heb. construi *superbiam hanc*, cum *hanc* sit femineum, *superbia* vero masculeum. III. *futiliter auxiliabuntur: propterea clamavi ad hanc* Ierusalaim: *Robur eorum quiescere* vel *cessare*, ab eiusmodi procurandis auxiliis. IV. *Nam AEgyptii in vanum & inaniter adiuvabunt: idcirco proclamo de hoc*, consilio & instituto Iudæorum ad legationem mittendam: *fortitudinem ipsis fore, ut maneant*; id est, si fortes & salvi esse volunt, ne legationem in AEgyptum mittant: vide in Ierem. XXXVII. 7. SUPERBIA TANTUM EST, QUIESCE. רהב *rahab*, *tumor*, *elatio*, *altitudo*, *superbia*, *amplitudo*, *robur*, *fortitudo*. Ex verbo: *Tumor ipsi*, sunt; id est, totus AEgyptus nihil nisi tumor & ampullæ inanissimæ sunt; *manere* vel *cessare*, subaudi, præstat, vel vobis utilius est. Kimchius exponit: *Fortitudo eorum* AEgyptiorum, *cessare*, id est cessabit. Plerique *rahab* pro AEgypto ponunt: vide in Psalm. LXXXVI. 4. atque exponunt: *Idcirco vocavi*, seu *aperte prædicavi super hac re*, *AEgyptum eorum* Iudæorum esse *manere*; vel aptius, *idcirco clamavi ad hanc* vel, *de hac* legatione: *AEgyptus ii*, sunt nempe gens perpetuo adversaria populi Dei, a qua nihil opis sperandum, sed potius omnem oppressionem & angustiam, iuxta nominis sui etymon, ut præcedente versu dicebamus, expectandam: *manere*, subaudi, utilius vobis erit, vel *cessare* ab hoc instituto; sic concise interdum loquuntur prophetæ. Nonnulli explanant: *Amplitudo ipsi*, vel *ipsorum*, *quiescere*, seu *cessare*; quasi dicat: Tota illa ampla & magnifica AEgyptiorum promissio seu iactatio de mittendis auxiliis, eo tandem recidet, ut nihil agant.

V. 8. NUNC ERGO INGRESSUS SCRIBE, &c. Alii hunc versum ex Heb. I. *Nunc ergo ingredere ad eos, & scribe ipsam*, id est hanc prophetiam, *in tabula apud eos*, vel *coram ipsis*, seu *ipsis videntibus: & in libro scribe eam*, vel *insculpe*, *exara eam*, *ut sit in die novissimo in testimonium usque in sæculum*, vel *in sæculum*, *atque in æternum*, id est in sæcula sæculorum. II. *Nunc veni*, vel *eia age*, *scribe illud* vel *illam*, scilicet hanc Iudæorum defectionem, *super tabulam cum eis*, vel *coram eis*: *& super librum constitue illud*, *ut sit in postremo die*, id est futuris temporibus, *in testimonium usque in sempiternum*. III. *Nunc ergo vade*, *& scribe eam rem eis in tabulam*, *atque in librum concipe eam*, *ut duret ad dies posteros*, *& usque in sempiternum*. IV. *Nunc veni*, *inscribe hoc tabulæ apud eos*, *& in libro exara ipsum*, *ut sit die post venturo*, vel *temporibus sequentibus in sempiternum*, *usque in sæculum*. Secunda pars huius loci, nimirum narratio, ut diximus in vers. 1. cuius membra sunt duo: unum, obsignatio prophetiæ propter incredulitatem populi, quatuor versibus; cuius generis obsignationem adhibuerat Moseh ex præcepto Dei Deuteron. XXXI. 19. & sequentibus: alterum, summa prophetiæ de exitio populi, inde ad vers. 15.

V. 9. POPULUS ENIM AD IRACUNDIAM, &c. Alii ex Heb. I. *Populus enim rebellionis*, vel *rebellis est*, *filii mendaces*, *filii*, *inquam*, *qui noluerunt audire legem Iehovæ*. II. *Quoniam populus amarus est*, *filii defectores*, *filii qui noluerunt audire doctrinam Iehovæ*. Ex Heb. proprie: *Quia populus mutationis*, *mutabilitatis*, *rebellionis*, *defectionis*, &c. id est, *contumax*, *irritans*, *mutans*, *defector*, *rebellis*, vel *amaricationis*, *amaritudinis*.

V. 10. VIDENTIBUS. Hispanicus Interpres: *a los veyentes*, id est Prophetis: vide in I. Samuel. IX. 9. EA QUAE RECTA SUNT. Heb. *rectitudines*, *directiones*, *æquitates*. PLACENTIA. חלקות *chalakoth*, *dispertitiones*, *perplexitates*, *lubricitates*, *blanditias*, *levitates*; seu *levores*, *adulationes*, *mollities*. VIDETE NOBIS ERRORES. Heb. *prævidete*, vel *providete*, hoc est prædicite, *fallacias*, deceptiones, illusiones.

V. 11. DECLINATE A ME SEMITAM. Alii ex Heb. *declinare facite*, *deducite*, *deflectere facite de semita ista*, vel *de itinere isto recto*. CESSET A FACIE NOSTRA SANCTUS ISRAEL. Heb. *facite ut cesset a facie nostra sanctus Israelis*; id est, desinat nos per prophetas obtundere: vel, ne toties nobis faciatis verba de Sancto Israelis, a quo magnopere abhorremus.

V. 12.

V. 12. REPROBASTIS VERBUM HOC. Heb. est infinitivus, *reprobare vos in verbo isto*. Alij, *sprevistis verbum hoc*, vel *abhorruistis a verbo*, proprie, *fastidium habuistis in verbo hoc*. Quidam exponunt: *A verbo hoc*, id est a vocabulo isto & nomine sancti Israelis. Alii, a verbo hoc prophetarum, a verbo Dei, eiusque salutari doctrina. ET SPERASTIS IN CALUMNIA ET IN TUMULTU. Alii ex Heb. I. *& confisi estis in violentia & perversitate*, id est in opibus calumnia & violentia partis, atque in defectione a Deo. II. *& confidistis in fraude & perversitate*. III. *confidistis autem fraudi, & præfracto*, seu *præfractæ vitæ*. נלוז *naloz*, quod formam habet participii Niphal, nominaliter in abstracto usurpant: *& in deflexione, defectione, desertione, pravitate, perversitate, præfractione, diversione*. Vide in Proverb. III. 32.

V. 13. SICUT INTERRUPTIO CADENS, ET REQUISITA IN MURO EXCELSO. Alii ex Heb. I. *Velut ruptura cadens*, id est murus ruptus, aut ædificium, seu pars muri minantis ruinam: *aut tumor in muro excelso*, quando murus tumore quodam vitium facit. II. *sicut ruptura labascens, & eruta in muro excelso*; id est cum crustæ murorum vetustate erutæ concidunt. Quidam: *& prominens*, vel *eminens in muro excelso*, id est quæ eminebat velut tuberculum, & tumebat, & quæ ruinam minabatur. Kimchius cum Nostro: *requisita in muro excelso*; id est, per quam ingrediuntur, & inde inquirunt: vel quam requirunt hostes ad pervadendam urbem. III. *tumens*, vel *inflata ut bulla*, proprie *bullata*, *in muro excelso*. IV. *Similis rupturæ cadentis muri tumentis*, seu *quæ ventrem faciebat in muro edito, cuius repente momento advenit fractura*; id est, perinde facitis hac iniquitate vestra, ac si vectibus aut malleis seu machinis iam inclinantem murum vestræ reipublicæ momento deturbaretis in cervices vestras: sic Psalm. LXI. 4. QUONIAM SUBITO, DUM NON SPERATUR, VENIET CONTRITIO EIUS. Alii: I. *cuius subito ad momentum*, vel *derepente veniet confractio eius*. II. *cuius repente & subito veniet fractura*. III. *cuius ruina & conquassatio subito ex improviso venit*: vide supra cap. XXIX. 5. Sensum huius versus ita concipiunt: Ut murus altus subita & improvisa ruina impulsus omnes prope astantes opprimit; sic pravitas vestra in vos recidet, ac vos evertet.

V. 14. ET COMMINUETUR SICUT CONTERITUR LAGENA FIGULI CONTRITIONE PRAEVALIDA. Varie alii ex Heb. I. *Franget enim Dominus illum iuxta confractionem lagenæ figulinæ contritæ, non parcet*. II. *Et confractio eius sicut confractio vasis figulorum contusa sine commiseratione*. III. *Et fractura eius velut fractura vasis figulorum contusi absque parcendi affectu*. IV. *Cuius ruptura similis erit rupturæ vasis figulini, quod absque ulla commiseratione comminuitur*. V. *Franget autem eam quasi fractura utris figulorum contusi, non est usurus clementia*; id est, & quidem franget minutissime, ut Ierem. XIX. 11. Amplificatio. ET COMMINUETUR. Heb. diserte nunc habent: *Et franget eam*. Affixum femineum referri non potest ad *iniquitatem*, de qua præcedente versu, nam hæc Heb. est masculei generis, nec ad rupturam, quæ est etiam masculini generis; sed referendum est ad murum, qui est feminei generis: *Et conteret eum* murum; vel ad civitatem Ierusalaim, quæ subaudiatur, ut sit relativum sine antecedente. LAGENA FIGULI. נבל *nebel*, hic *Lagena*, *laguncula*, *urceus*, *amphora*, *hydria*, *fidelia*: vide in I. Samuel. I. 24. CONTRITIONE PRAEVALIDA. Hebræa exemplaria passim legunt in infinitivo חתות *chathoth*, *conterere non parcet*; id est, non desinet conterere, indesinenter, sine clementia, aut commiseratione conterere. Non pauci *Pahul* legunt חתות *chathuth*, levissima tantum unius punctuli mutatione a dorso *Vau*, in ventrem: *Nebel contusi* id est, *vasis contriti*, deinde sequatur, *non parcet*. DE FOVEA. גבא *ghebe*, cum postrema *Aleph*, *de fossa*, *de fovea*, *scrobe*, *cavea*, *lacuna*, *palude*.

V. 15. QUIA HAEC DICIT DOMINUS DEUS SANCTUS ISRAEL. Alii: *Ita enim dicit Dominus Iehovi* (vide in Genes. XV. 2.) *Sanctus Israelis*, &c. Tertia pars huius concionis loci tertii, ut observatum est in vers. I. contestatio, qua Propheta primum contumaciam populi cum Dei mandato comparat, hoc versu & sequentis parte; deinde gravissimas calamitates prænuntiat, tribus sequentibus: ac postremo piorum animos consolatur, erigitque amplissimis promissionibus, usque ad vers. 27. SI REVERTAMINI ET QUIESCATIS, SALVI ERITIS. Alii ex Heb. I. *In quiete & requie*

sal-

salvi eritis; id est, si manseritis & quieveritis in Deo, urbs vestra non expugnabitur. II. *In conversione*, seu *resipiscentia*, *& in remissione*, seu *quiete salvabimini*; id est, si ab ista vana fiducia conversi fueritis ad me, & quieti fueritis de auxilio meo persuasi, liberabimini ab hostibus vestris. III. *Sedendo*, *quiescendo servabimini*. IV. *reversione & descensu servabimini*; id est, si tranquillis, & sedatis animis certa fide conquiescentes in Deo, non autem AEgyptios implorantes, ut supra vers. 7. ad Chaldæorum regem, cui vos Deus tradidit, revertamini atque descendatis, ut Ierem. XXXVIII. 17. & sequentibus. De voce נחת *nachath*, quam hic nos vertimus *depositionem*, vide in Iob XVII. 16. Novæ nostræ Translationis hic sensus est: *In reversione* ab adorta aut cœpta legatione in AEgyptum, *& depositione* huius consilii & instituti vestri *servabimini*. IN SILENTIO ET IN SPE ERIT FORTITUDO VESTRA. Heb. *in tranquillare*, vel *tranquillari*, id est tranquillos, quietos, sedatos vos esse: aut *in tranquillitate*. Nam infinita Hebræis passim nominaliter sumuntur: *& in fiducia*, *confidentia*, *securitate erit prævalescentia*, *potentia*, *præpotentia*, *prædominatio*, *superioritas*, *victoria vestra*. ET NOLUISTIS. Alii: *& non acquievistis*, vel *non acquiescitis autem*.

V. 16. ET DIXISTIS: NEQUAQUAM. Alii: *Sed dixistis*, *Nequaquam*; id est, nolumus reverti, sed potius omnia tentare, ut illorum effugiamus manus: vide Ierem. XXXVIII. 17. & sequentibus. SED AD EQUOS FUGIEMUS, &c. Alii: *nam insidentes equo fugiemus*, *idcirco fugietis*: *at levi iumento vehemur*, *idcirco leviores erunt qui persequuntur vos*. Vide historiam II. Regum & II. Paralipom. ultimis capitibus, & Ierem. XXXIX. & LII.

V. 17. MILLE HOMINES A FACIE TERRORIS UNIUS. Heb. *Mille unum*, vel *millenarius unus a facie increpationis unius*. Alii: I. *Chilias una fugiet a facie increpationis unius*; id est, Mille homines vertentur in fugam ab uno homine. II. *Mille hominum ab increpatione unius*, *ab increpatione quinque fugietis omnes*. Confer cum Ierem. XXXVII. 10. idque ex decreto Dei Levit. XXVI. 8. & Deuteron. XXXII. 30. DONEC RELINQUAMINI QUASI MALUS NAVIS IN VERTICE MONTIS, &c. Alii: I. *donec relicti fueritis ut malus navis in vertice montis*; quasi dicat: Ut pauci mali statuuntur in promontoriis altis ad quos dirigant cursum nautæ, ita pauci vos supereritis. II. Forsterus: *donec relinquamini*, seu *residui sitis sicut malus navis in cacumine montis*; id est, sicut arbor una ramis privata in summo montis vertice, tamquam malus in navi; quasi dicat, Solitarii, omni ope destituti. Simile supra cap. I. 30. S. Hieronymus: *Et quomodo si fracta navi*, *& compage illius dissoluta*, *sola arbor quæ malus dicitur*, *remaneat*, *& ponatur pro signo in summitate montis*, *sive in excelso colle*: *sic pro signo atque vestigio vix unus aut alter resideant ad Dei potentiam demonstrandam*. III. Tremellius, & Iunius: *donec reliqui fiatis similes cippo in vertice huius montis*, *& similes vexillo in hac colle*; id est, reliquiæ ex nobis servatæ per electionem gratuitam parvo numero, spectandæ proponantur in oculis omnium gentium, ad colligendam Ecclesiam Dei, ut supra cap. II. 2. *in vertice huius montis*, id est in Ecclesia versantes, quæ Tzione monte figuratur.

V. 18. PROPTEREA EXPECTAT DOMINUS UT MISEREATUR VESTRI. Alii ex Heb. I. *Et ob id expectare iubet vos Iehova*, *ut misereatur vestri*; id est, iubet vos bono animo esse, & expectare opem eius, ut eam vobis præstet. II. *Atque ob hanc causam anhelat*, *inhiat Iehova*, *ut vos in gratiam recipiat*, vel *ut gratificet vos*; id est, ut gratiam seu beneficium vobis præstet. Magna vis inest verbo *anhelandi*, seu *inhiandi*, ad demonstrandum summum Dei amorem, quo bonum nostrum curat, & inhiat nobis semper benefacere. III. *Idcirco autem*, cum ut vos perdat, tum ut reliquias ex vobis servet, *expectabit Iehova*, id est differet, donec de impiis iudicium fuerit executus: *gratiam facere vobis*; id est, propter se utrumque effecturus est. Nos alium sensum satis, ut videtur, aptum odorati sumus: *Itaque prolongabit*, *protrahet Iehovah gratificare vos*; id est, longe, ample, copiose, protracte, prolixe, diffuse nos sua gratia ac beneficio cumulabit. ET IDEO EXALTABITUR PARCENS VOBIS. Alii ex Heb. I. *& idcirco elevabit se ut commisereatur vobis*. II. *& propterea se exaltabit ad miserescendum vestri*. III. *& idcirco elevaturus est se ad miserendum vestri*. IV. Leo Iudas: *& ob id ictum suspendit*, *ut sit vobis propitius*.

pitius. Sed verbum רום *rum*, in Kal, cuius hic futurum ponitur, semper est intransitivum. Ex verbo reddidimus: *& ad sic*, Hispaniee *y an si*, *elevabitur*, id est insurget, excitabitur, *ad invisceranduum vos*, id est condendum vos intra viscera sua; ad complectendum vos visceribus misericordiæ suæ, ut loquitur Zacharias Lucæ I. 78. QUIA DEUS IUDICII DOMINUS. Heb. *quia Deus iudicii*, seu *iuris*, IHUH, id est Deus iustissimus, & servantissimus æqui. BEATI OMNES QUI EXPECTANT EUM. Alii: I. *Beati omnes qui inhiant*, *anhelant ad eum*; quasi dicat: Si ipse inhiat & anhelat ad benefaciendum nobis, uti in principio versus dixerat; o quam præclare agitur cum iis, qui vicissim ei inhiant, & ad eum amplectendum anhelant! II. *beati omnes expectantes eum*. Epiphonema metabaticon, seu transitorium ad alterum locum de consolatione piorum, ut diximus in vers. 15.

V. 19. POPULUS ENIM SION HABITABIT IN IERUSALEM. Quidam reddunt: *Nam populus Tziione habitabit Ieruschalaimis*. Consolatio piorum a promissionibus Dei, primum de restitutione Ecclesiæ, hoc versu; tum de incorrupto Dei cultu, tribus sequentibus; postremo de benedictionibus Dei in terra & cælo, vers. 23. & sequentibus. PLORANS NEQUAQUAM PLORABIS, &c. Alii: *flendo non flebis*, *gratiam faciendo gratiam faciet tibi*; vel *porro non flebis*, *omnino gratiam faciet tibi*: *ad vocem clamoris tui simul ac audierit*, *exaudiet te*. RESPONDEBIT TIBI. Heb. præteritum *respondit*, *exaudivit te*: emphatice, ut indicaret summam Dei promptitudinem & celeritatem in opitulando; quasi dicat: Cum primum clamaveris, extemplo puta te exauditum ab eo; non prior erit clamor tuus quam auxilium Dei.

V. 20. ET DABIT VOBIS DOMINUS, &c. Hunc versum diversimode alii ex Heb. exponunt: I. *Si*, vel *quando*, aut *ubi vobis Dominus dederit panem angustiæ*, *& aquam oppressionis*, *non elongabitur ultra doctores tui*; id est, vel multitudo doctorum tuorum, vel quisque e doctoribus tuis, vel doctor tuus, scilicet Deus, qui ita pluraliter nominatur, vel propter auctoritatem & honorem, vel propter mysterium Trium personarum: vel *non subducet sese longius doctor tuus*; quasi dicat, Non diu relinquet vos in tribulatione Deus: finit enim Dominus ad tempus suos affligi, sed postea eos eripit: *videbuntque oculi tui doctores tuos*. II. *Dabit quidem vobis Dominus panem angustiæ*, *& aquas oppressionis*: *verum non includetur angulo amplius ullus docentium te*, *sed oculi tui videbunt doctores tuos*. Occupatio ne offenderentur piorum animi malorum sensu, quæ inciderunt post restitutionem: docet enim Deus se quidem castigaturum esse virga hominum, sed numquam suos relicturum esse orphanos, quin a doctoribus & ministris Dei assidue corrigantur, informentur, &c. ET NON FACIET AVOLARE A TE. Futurum Niphal יכנף *iichanneph*, quod verbum alibi in Scriptura non legitur, non est dubium quin factum sit a כנף *chanaph*, *ala*, *ora*, *angulo*, *extremitate*. Varie exponunt: I. *& non alabitur*, *non præditus erit alis ad volandum*, *non alatus erit*, *non alis utetur*, *non alis aufugiet*, seu *non avolabit*. II. *& non colligetur*, *arcebitur*, *includetur in extremam oram*, *in angulum*: *non recipiet sese velut in extremitatem quamdam*. DOCTOREM TUUM. מוריך *morecha*, scribitur cum *Iod* interiecto, quod nota solet esse pluralis, *docentes tui*, vel *doctores tui*, & iungitur suppositum verbo singulari: *non avolabit docentes tui*, vel *te*, id est, *ullus docentium te*, vel *doctorum tuorum*. Aut est epithetum Dei propter sacram Triadem, ut antea dicebamus. Alii vero singulare esse volunt, & *Iod* per epenthesin interpositum: *& non avolabit amplius doctor tuus*. Sic etiam statim: *& erunt oculi tui videntes doctorem tuum*, vel *doctores tuos*. Nec significatio *pluviæ*, ut sumitur Psalm. LXXXIII. 7. & Ioel. II. 23. hic aliena est: *non colligetur*, *excludetur*, *arcebitur*, vel *avolabit ultra pluvia tua*; *& erunt oculi tui videntes pluviam tuam*; ac si dicat: Etsi ad tempus labores penuria frugum & aquarum, at opportune postea mittet tibi Deus in abundantia pluvias, quas tuis oculis videbis ac lætaberis. Sic infra vers. 23.

V. 21. VERBUM POST TERGUM MONENTIS. Alii I. *Verbum a tergo tuo*, *dicendo*. II. *Verbum eius qui erit post te*, *dicendo*. III. *Verbum eius*, *qui post te dicet*. IV. *Verbum a tergo tuo dicentium*, scilicet doctorum, de quibus præcedente versu.

Qui-

Quidam significare volunt, eos aversos a Deo, a tergo docendos. Alii metaphoram esse ab itinerantibus, qui aberrantes a via vocibus a longe post tergum admonentur, & reducuntur in rectam viam: ut subditur. HAEC EST VIA, AMBULATE IN EA. Alii: *Hæc est ista via, incedite per eam;* scilicet, via fidei & mandatorum Dei. ET NON DECLINETIS NEQUE AD DEXTERAM, NEQUE AD SINISTRAM. Alii ex Heb. I. *quando dextrabitis, & quando sinistrabitis.* II. *sive ad dexteram, sive ad sinistram eatis.* III. *cum dexteram, aut cum sinistram petetis;* id est, cum aberrabitis a recta via, aut aliquantum deflectetis.

V. 22. ET CONTAMINABIS LAMINAS SCULPTILIUM ARGENTI TUI. Alii ex Heb. I. *Contaminabitisque*, vel tunc profanabitis *operimentum sculptilium auri tui*; id est, eiicietis omnino e templo Dei, & ex omni loco idola, quæ solebatis operire argento & auro. II. *Et contaminabitis obductionem sculptilium argenti tui*, id est laminas argenteas, quibus sculptilia vestra obducta erant. III. *Et polluetis tectorium sculptilium argenti tui*, &c. id est, abhorrebitis ab iis omnibus, quæ cultui divino adversantur. IV. Hispanicus Interpres: *Entonces profanaras la cobertura detus sculpturas de plata*, id est, *los vestidos*. ET VESTIMENTUM CONFLATILIS AURI TUI. Alii ex Heb. I. *& operimentum fusilis auri tui*. II. *& pretiosum amictum conflatilis auri tui*. III. *& artificium fusilis auri tui*, id est idola tua aurea artificiose facta. IV. *& superhumerale, pallium cinctorium, superindumentum, superamictum*, &c. V. *& elegantiam operimenti ex auro tuo*, id est pretiosum ornatum vestium idolorum tuorum ex auro tuo factorum vel factarum, vel idoli tui operti & obducti auro. VI. *& textile fusilis ex auro tuo*. Nos אפדת *ephuddah*, idem esse quod Ephod existimamus: vide in Exod. XXVIII. vers. 8. CONFLATILIS. מסכה *massechah*, potest reddi *operimentum*, *tectorium*; & *fusio* seu *fusile*: nam & de aridis & de liquidis dicitur, ut supra in vers. 1. observavimus. ET DISPERGES EA SICUT IMMUNDITIAM MENSTRUATAE. Alii ex Heb. I. *disperges ea tamquam menstruum*, id est tamquam lintea menstrui. II. *complicabis ea tamquam menstruum*, nam eiusmodi lintea solent convolvi & complicari, & ita abiici. III. *abalienabis ea tamquam languidam, debilem;* id est, horrebis ea tamquam mulierem menstruo laborantem & languentem. IV. *separabis ea ut laborantem ex menstruis*; id est, abiicies & abstinebis studiosissime velut a re turpissima & impurissima. V. *& semovebis ea veluti pannos menstruo imbutos*. EGREDERE, DICES EI: vel *Exi, dices*; id est, Exi de templo Dei, dices unicuique ex sculptilibus. Profligabis a templo, & a te omnia idola. Quidam: *Apage, dices eorum cuique*. Nonnulli Hebræorum צא *tze*, non pro imperativo, sed pro nomine accipiunt, *exitus, sordes, stercus, excrementum dices unicuique eorum*, sculptilium: non alio honoratiore nomine eos dignaberis.

V. 23. ET DABITUR PLUVIA SEMINI TUO, UBICUMQUE SEMINAVERIS IN TERRA. Alii: I. *Dabit praterea pluviam semini tuo, quo terram seminasti*. II. *Tum dabit pluviam sementis tuæ, qua conseveris terram*, &c. id est, Deus tibi se hoc modo colenti benedicet. ET PANIS FRUGUM TERRAE ERIT UBERRIMUS ET PINGUIS. Alii ex distinctione vocum Hebraicarum: I. *& panem*, seu *cibum fructuum terræ; eritque fructus pinguis & uberrimus*. II. *& panem proventus telluris; &* vel *qui erit pinguis & uber*. III. *adeo ut panis proventus terræ sit uber & pinguis*. PASCETUR IN POSSESSIONE TUA IN DIE ILLO AGNUS SPATIOSE. Alii ex Heb. I. *pascet etiam acquisitiones tuas in tempore illo pascuum spatiosum*. II. *& depascet pecus tuum in die illa prata spatiosa*. III. *depascet pecus tuum in die illa campum pascuum amplum*. IV. *depascent pecora tua die illa pascuum latum*. V. Hispanicus Interpres: *y tus ganados en aquel tiempo seran apaceniados en anchas dehesas*. De voce כר *car*, quam reddidimus *pascuum*, vide in Deuteron. XXXII. 14.

V. 24. ET TAURI TUI, ET PULLI ASINORUM, &c. Hunc versum alii ex Heb. I. *boves quoque & pulli asinorum operantes terram, farraginem mundam comedent, quæ ventilatur pala & ventilabro*. II. *& boves & pulli asinorum colentes tellurem migma infectum comedent, ventilatum ventilabro & vanno*. III. *boves & pulli asinarum, qui colunt terram, pabulum acidum comedent*, vel *migma infectum acredine comedent*, id est misturam acetosam: *quod ventilatum est* ven-

ventilabro & vanno, vel potius *vanno & ventilabro*. IV. *tauri quoque & asini iuniores, qui terram colunt, farraginem sapidissimam* seu *diligenter repurgatam comedent, quæ pala purgatoria, & vanno eventilata est*. V. *boves etiam, & aselli colentes tellurem, farraginem meram comedent, quæ ventilata fuerit vanno & ventilabro*; id est, adeo abundabitis proventu terræ, ut etiam optimus & purgatissimus cibo iumentis esse possit. Hyperbole. VI. Hispanicus Interpres: *Tus bueyes, y tus asnos que labran la tierra, comeran limpio grano, el qual sera ablentado con pala y caranda*. COMMISTUM. בליל *belil*, de hac voce vide in Iob VI. 5. nos *migma* vertimus, vel farraginem, a miscendo & confundendo. MIGMA. חמיץ *chamitz*, alibi hæc vox in Scriptura non legitur. Aiunt esse nomen adiectivum masculini generis, *infectum fermentatum acredine, merum, purum, pabulum subacidum*: Rabbi Ionah scribit, pabulum optimum, & purissimum iumentorum, vocari חמצה *chamtzah*. Mercerus, inquit: *Ceterum chamitz, subacidum proprie sonat, nonnihil gustu asperum, & acrimonia seu acore sive acedine quadam conditum, quod saporis genus Aristoteles in libro de sensu, δριμὺ appellat: migma acidum vel acetosum potes dicere, Gallice, aigret*. Marinus suspicatur esse *granum cum palea*. Chaldæus exponit, פטיש *pattis*, *pingue, opimum*. SICUT IN AREA VENTILATUM. Heb. *quod sparsum*, seu *ventilatum cum vanno & cum ventilabro*, seu *sparsorio*. Prior vox רחת *rachath*, a spiritu seu vento nomen habet, *vannum* reddunt. Servius in I. Georgicorum: *Vannus, id est cribrum areale*. Hispanice, *garandu, o harneto*, inquit Antonius Nebrissensis. Alii, *palam* exponunt, instrumentum, quo ventilando frumentum in aera tollitur & purgatur a paleis.

V. 25. RIVI CURRENTIUM AQUARUM. Heb. *dispertitiones, divisiones, rivi, pelagi, divergia, productiones, emanationes, processus, fluxus, aquarum*. Alii: I. *rivi, rivi aquarum*. II. *distincti fluxus aquarum*. III. *rivi, processus aquarum*. IV. *rivi, fuenta*, seu *scaturigines aquarum*; id est, irrigua erant omnia magna aquarum abundantia, etiam quæ natura fuerint aridissima. IN DIE INTERFECTIONIS MULTORUM, CUM CECIDERINT TURRES. Alii: *tempore cædis magnæ*; id est, cum Deus Ecclesiam suam repurgaverit, cæsis hypocritis & contumacibus, in quos antea invectus est: *cum ceciderint*, vel *corruerunt turres*, ut supra cap. II. 15.

V. 26. ET ERIT LUX LUNAE SICUT LUX SOLIS, &c. Exponunt: Id est, illustrissima & gloriosissima erunt omnia in rectitudine Ecclesiæ. Hyperbolica parabola ad explicandam lætitiam & felicitatem illius temporis. ET LUX SOLIS ERIT SEPTEMPLICITER. Heb. *duo*, vel *bis septem*, aut *septies*, id est quatuor decies: nam שבעתים *schibghathaim*, est duale. Alii: *lux autem solis erit septupla*. Plerique: *erit species intensior*; nam mox se ipsum declarat, SICUT LUX SEPTEM DIERUM; id est, si lux septem dierum intensive sumatur; unde quidam reddunt: *& lux solis septies clarior erit, ut tanta sit quanta est lux septem dierum*. Sed satius est sumere numerum finitum pro infinito, ut Genes. IV. 15. & Proverbior. VI. 31. quasi dicat, Erit intensissima & fulgentissima ultra solitum morem. IN DIE QUA ALLIGAVERIT DOMINUS, &c. Alii ex Heb. I. *in die, qua superalligabit Iehova fracturam populi sui, & cruentationem*, seu *cruorem plagæ eius sanabit*. II. *in die, quo Iehova obligabit conquassationem*, seu *rupturam*, id est rupta membra *populi sui, & transfossionem* seu *transfixionem percussuræ eius sanaverit*. III. *quo die obligaverit Iehova fracturam populi sui, & fractionem plagæ illius curaverit*; id est, cum Ecclesiam ex inutilibus & abalienatis membris laborantem, admota manu, tamquam chirurgus curaverit: metaphora.

V. 27. ECCE, &c. Notant esse postremam partem huius loci, ut dictum est in versu I. nimirum confirmationem prophetiæ ab exemplo Assyriorum, quod exponitur versibus quinque; tum vero ad prophetiam accommodatur, duobus ultimis. In exemplo autem proponuntur duo: primum est mirificum iudicium Dei contra Assyrios, duobus versibus; alterum fructus inde perveniens cum ad Iudæos exultantes, tum vero ad Deum ipsum, cuius beneficium & gloria perpetuo cantico celebratur, vers. 29. 30. & 31. NOMEN DOMINI; id est, maiestas Domini nominatissima & celebratissima. VENIT DE LONGINQUO; id est, quando iudicio non tantum Assyriorum, sed Iudæorum quoque, ac denique

carnis,

carnis, procul a Iudæis abesse videbatur, ut hos liberaret, illosque perderet: concessio. **Ardens furor eius, et gravis ad portandum**. Alii ex Heb. I. *ardens facies, vultus eius, & gravitas oneris*, vel *grave onus eius*. II. *ardens ira eius, & gravissimum pondus*, subaudi, imponet humeris Assyrii. III. *ardens ira sua, & gravitate incendii*; id est, zelotypus pro defensione & liberatione Ecclesiæ suæ, ac proinde armis potentissimis instructus ad præstanda iudicia sua, quæ allegorice & humanitus tribuuntur Deo. IV. *ardens nasus eius, & gravior quam ut sustineatur*. V. *cuius vultus ardet, ut gravissimus sit ferendo*. משאה *massaah, levanda, onus, pondus*. Nonnulli Hebræorum pro *incendio*, seu *elevatione flammæ*, aut *fumi* accipiunt, ut Iudic. xx. 40. & Ierem. vi. 1. Extremum *He*, affixum femineum faciunt, *onus eius*, seu *incendium eius*. Sed præterquam quod caret Mappik, non habet pronomen quo referatur, nam omnia præcedentia nomina sunt masculea: unde præstat cum Kimchi, ut signum femineum nominis accipere.

V. 28. **Spiritus eius velut torrens** &c. Alii hunc versum ex Heb. diversimode explanant: I. *Estque spiritus eius torrens inundans usque ad collum dividet*, vel in duas partes secabit; id est, qui usque ad collum perveniens, quasi dividere hominem in duas partes videtur, sed tamen inæquales, in partem quæ extat, & aliam quæ sub aqua est. Metaphorice loquitur de rege Assyriorum, qui perdendus erat pene usque ad internecionem & consumptionem, veluti cum quispiam est in aqua usque ad collum, propinquus est submersioni: & ita accidit cum Angelus Assyriorum castra percussit. Ita quidem Sanctes exponit, ex quo Vatablus mutuatus est. Verum addit ista Mercerus: *Ut hæc desumpta videntur ex Libro Radicum Kimchi, vel de industria ea Sanctes Monarchæ Assyrio accommodavit, vel ipsum Kimchi minus attente legit, qui hanc allegoriam in Ierusalem appositissime competere ita demonstrat; dividetur (vel dividet) corpus: nam usque ad collum erit opertum ipsis aquis, & a collo sursum versus, erit discoopertum, quemadmodum dixit Iesahi.* viii. *vers.* 8. *ad collum usque pertinget. Est ergo allegoria de vastatione regis Assyriorum, qua perditurus erat universam terram, ita ut parum abesset quin tota vastaretur: eo prorsus modo, cum quis aquis ad collum usque immersus fere submergitur & obruitur. Atque hoc, quod ait, usque ad collum dividet, dicit de clade, qua Angelus Domini castra Assyriorum prostravit: quia tunc terra liberata est a præsenti excidio*. Ita Mercerus. *Ad ventilandum gentes in ventilabro vanitatis*, vel *ad cribrandum gentes cribro vano* seu *inutili*. Cribrum fit ad expurgandum frumentum a palea; sed hoc cribrum, quo cribrabit gentes Deus, erit cribrum vanitatis, quia non remanebit in eo quidquam, sed omnia affluent & ibunt in perditionem; quasi dicat: Tunc omnes perdet, & nihil relinquet: *& frenum errare faciens in maxillis populorum*. Freno iumenta reguntur & continentur; id est, solvet gentibus frena ad errandum. II. *Flatus eius velut torrens inundas mediumque collum ambiens, ut eventilet gentes ventilatione nihili, & ut frenum errare faciat in maxillis populorum*. III. *Et spiritus eius tamquam torrens inundans eum, qui ad collum dividebat*, id est Assyrium, qui iamque rerum omnium potiri videbatur, omnibus ferme occupatis præter Ieruschalaima: vide supra cap. viii. 8. *agitando gentes*, ex quibus conflatus erat Assyriorum exercitus, *agitatione vanitatis*, id est tanta agitatione, ut illi in vanitatem abeant: *fecit ut errent*; id est, ita propulsavit, ut palantes reliquiæ reverterentur in regionem suam: *freno imposito maxillis populorum*. Vide II. Reg. xix. 28. & infra cap. xxxvii. 29. **Ad perdendas gentes in nihilum**. Heb. *ad agitandum, elevandum, cribrandum, ventilandum, in agitatione, elevatione, ventilabro, cribro, vanno*, proprie *in agitaculo, præcipitantiæ, temeritatis*; id est, quo agitaculo præcipites in fugam temerariam aget Assyrios. Alii: *agitatione*, vel *cribro vanitatis*, seu *nihili*; id est, ut in omnimodam vanitatem & nihilum resolvantur. **Et frenum erroris, quod erat in maxillis populorum**. Heb. *& frenum errans*, vel *errare faciens super maxillas populorum*. Mercerus secutus Vatablum, metaphorice accipit frenum, id est gubernacula & administratio, seu magistratus, qui coercet & regit, ceu frenum, rempublicam, qui errantes ipsi in errorem subditos præcipitant. Sed præstat intelligi allusum hic ad locum II. Reg. xix. 28. &c. Potest & in nomi-

nandi, & accusandi, & in auferendi casu accipi.

V. 29. CANTICUM ERIT VOBIS SICUT NOX SANCTIFICATAE SOLEMNITATIS. Alii ex Heb. I. *Canticum erit vobis sicut in nocte, qua sanctificatur solemnitas*; id est, simile erit cantico, quod cani solet nocte præcedente solemnitatem, hoc est præcedente lucem, in qua celebratur solemnitas: incipiebat enim solemnitas a nocte seu vespera præcedente, ex lege. Solemnitatem hic Hebræi intelligunt Pesach, qua nocte tradunt excisa castra Assyriorum: erat ea nox celeberrima ac festivissima. II. *Canticum erit vobis sicut noctis præparandi hostiam*; id est, cantabitis canticum simile cantico, quod canitur ea nocte qua præparatur hostia orta luce sacrificanda. Solebant Hebræi in pervigiliis festivitatum cantica plena lætitiæ in honorem Dei decantare. Forte alludit ad mactationem agni Paschalis, qui vespera antecedente diem azymorum festivo ritu & canticis lætitiæ celebratur. III. *Et erit vobis canticum quemadmodum in nocte, cum se ad diem festus sanctificare*, seu *præparare solent*. IV. *Illud canticum futurum est vobis*; id est, hoc tanto beneficio habebitis, quo lætemini, & unde glorificetis Deum: *ut noctis, qua sanctificatur festum*; id est, tam celebre & lætum, quam est principium festorum solemnium, quæ a nocte incipiebant, ex lege. SANCTIFICATAE SOLEMNITATIS. Heb. est infinitivus Hithpahel, *sanctificare sese facere festum*; id est, qua festum summa sanctitate ac solemnitate incipit celebrari: nam coniugatio Hithpahel significationem intendit. ET LAETITIA CORDIS, SICUT QUI &c. Alii: I. *& lætitia cordis, ut eius qui ad tibiam incedit, ut veniat ad montem Domini, ad petram Israelis.* II. *& lætitia animi, qualis est euntis cum tibia, ut veniat in montem Iehovæ ad rupem Israelis*: vide Psal. XLI. 5. & LXXX. 4. & sequentibus, lætitiæ istius exempla.

V. 30. ET AUDITAM FACIET DOMINUS GLORIAM VOCIS SUAE. Heb. *Et audire faciet Iehova celebritatem, decus, gloriam, potentiam, dignitatem, maiestatem vocis suæ.* Nonnulli futura huius versus per infinita perfecta reddunt: *Fecisse Iehovam ut exaudiatur maiestas vocis suæ*, &c. ut sit formula seu argumentum cantici prædicantis beneficium Dei erga Ecclesiam suam, duobus versibus. Quidam per hypallagen exponunt, Gloriam, seu potentiam vocis suæ, id est gloriosam, potentem ac magnificam vocem suam. Tonitrua plerique intelligunt, quæ cladem illam nocturnam Assyriorum præcesserunt. ET TERROREM BRACHII SUI OSTENDET. Alii ex Heb. I. *& concussionem brachii sui ostendet*. II. *& descensionem*, seu *descensum brachii sui demonstrasse*; id est, tamquam homo exerto & vibrato brachio virium suarum documentum insigne contra Assyrios edidisse. Alludit ad gestum ferientis, quando magno impetu deponitur, aut descendit brachium ad ictum: id est, ostendet quam potenter deferire valeat. IN COMMINATIONE FURORIS. Heb. *in fervore nasi*, seu *in æstu iræ*, seu *æstuante ira*, vel *cum furore vultus*. ET FLAMMA IGNIS DEVORANTIS, &c. Alii I. *& flamma ignis absumentis, & collisione, seu dissipatione, nimbo, & lapide grandinis*. II. *& flamma ignis consumentis, dispersione, & mundatione, ac lapide grandinis*. His quatuor comparationibus effecta iræ Dei, qua profligati sunt Assyrii, optime describuntur, perinde ac si igne fuissent consumpti in minutissima frusta (quod supra dixit vers. 14.) dissiliissent; torrentibus arrepti & mersi, aut grandine attriti essent. Etsi, utrum angelus Dei his revera armis adversus Assyrios usus fuerit, an vero hæc dicantur parabolice, non possumus confirmare. Et vero simile exemplum est Exod. XIV. 24.

V. 31. A VOCE ENIM DOMINI PAVEBIT ASSUR VIRGA PERCUSSUS. Alii: I. *Nam a voce Iehovæ conteretur*, vel *terrebitur, formidabit, preterrefiet Assyrius*: *virga* sua *percutiet* illum Iehova. II. *Cum voce Iehovæ contritus est Assyrius, virga*, ut supra cap. X. 5. & 24. *solitus percutere*. Nam multoties Israelem afflixerant Phul, Thiglath-phileser, Schalmaneser, Sancherib, de quibus II. Reg. XV. & sequentibus capitibus. III. *Quia Assyrius a voce Iehovæ*, id est tonitru, *perterrefiet*, *in baculum incutiet*, vel qui *virga percutiebat* alios.

V. 32. ET ERIT TRANSITUS VIRGAE, &c. Alii hunc versum ex Heb. convertunt: I. *Et erit omnis transitus baculi fundati*, vel *fundamenti*, id est fundati & statuti a Deo ad perdendum Assyrios, *quem incutiet ei Iehova, cum tympanis & citharis*; quasi dicat: Omnis locus, per quem transierit flagel-

gellum Dei contra Assyrios, ordinatum, decretum fundamentum ab ipsomet Deo pulsabit tympana & citharas, id est ob virgam Dei gaudebunt, exultabunt fideles: *bellis motationis*, seu *elevationis*, aut *pulsationis*, subaudi instrumentorum musicorum, *pugnabit contra ea*, scilicet castra Assyriorum; vel *cum eo*, exercitu Assyriorum. Ac si dicat: Dominus vincet Assyrios non armis, aut instrumentis bellicis, nec serio pugnans, sed quasi ludens instrumentis musicis. II. *Et erit in omni transitu, baculus fundatus, quem infliget Iehova super eum*, vel, *quocumque ille transierit, erit virga ei affixa, quam Iehova imponet illi, eum tympanis, & citharis, & præliis elevationis* manuum ad psallendum *pugnavit contra illam*, scilicet Assyriam, vel ut alia lectio habet, *contra illos*, Assyrios. III. *Et erit totum fundamentum eius transitus virgæ*; id est, tota Assyriorum castra pertransibit & permeabit virga percutiens: *quam requiescere faciet Iehova super eum*; id est, quam impactam lateribus eorum affiget: *tympanis, & cytharis, & bellis oblationum pugnabit cum ea*, vel *cum eis*, ut hæc verba de populo Ierosolymitano accipiantur; ac si dicat: Populus Dei psalmis & hymnis ad instrumenta musica decantatis, & bellis oblationum & victimarum Deo in templo oblatarum, vincet Assyrios: quæ est optima pugnandi & vincendi ratio. תנופה *thenuphah*, quam hic oblationem reddunt, est peculiaris ritus oblationum: vide in Exod. XXIX. 24. IV. *Sicut erit omnis transitus virgæ fundationis*, sive *omnis locus, qua transibit virga fundatissima*: Apodosis, sive accommodatio exempli ad argumentum huius prophetiæ, qua docet Propheta populum quidem Dei ab hostibus mala perpessurum, ut castigetur paterna dispensatione; sed tamen semper illis fore exitum lætum a Deo, hostibus vero ingratissimum: *virga fundatissima*, id est certissima, ex Dei decreto immutabili, super quo fundata est, ac proinde immota, & nulla arte evitabilis; *cui imposuerit Iehova eam, cum tympanis & citharis*; id est, reddetur lætissima & exhilarabitur liberatione a Deo: Synecdoche ab usu veterum, cuius exempla sunt Exod. XV. 20. & I. Samuel. XVIII. 6. & Psal. LXVII. 26. *quando bella agitationis*, hypallage, pro, quando bellorum agitationem *ipsam expugnaverit*; id est, hostes, quorum suos agitat opera, profligaverit. V. Hispanicus interpres singularem huius versus explanationem affert: *y en todo mal passo aura baculo*, sive *madero fundado sobre el mal passo el qual Iehova hara hincar sobre el*, scilicet, *sobre el mal passo, con tamborinos y vihuelas: y con bastallas de altura*, id est *con fuerca del cielo, pelcara contra ella*, scilicet *Assyria o Babylonia*. BELLIS PRAECIPUIS. Heb. *bellis*, seu *præliis* תנופה *thenuphah*, id est, *elevationis, ventilationis, motitationis, agitationis*. Noster intellexit bella elevata, id est præstantia, præcipua: ut sane fuit illud, quo angelus exercitum Assyriorum una nocte delevit.

V. 33. PRAEPARATA EST ENIM. Heb. participium masculeum: *Quia ordinatus, instructus, dispositus, paratus*. AB HERI: vel, *ab hesterno*, id est *iam antea, iam olim*; synecdoche: vide in Genes. XXXI. 2. TOPHETH. Heb. תפתה *thophteh*, inquit Forsterus, *denominativum nominis* תופת *thopheth*, de quo II. Reg. XXIII. 10. *quo Iesaias in poetica sua descriptione pro inferno, & horribili loco damnatorum usus est: sicut & Christus sæpe gehennæ, & ignis gehennæ tristissimum aspectum ob oculos ponit*. Non est dubium id vocabulum singulariter ex *thopheth* ab Isaia confectum ad significandum infernum, tartarum, locum tartareum. Videtur esse generis communis, nam cum adiunctis masculeis & femineis hoc versu construitur: non sine mysterio, ut significetur locus communis virorum ac mulierum, qui a Deo desciscunt. A REGE PRAEPARATA. Heb. *etiam ipsa*, vel *ipsi, regi apparata*, seu *statuta, decreta, certificata, constituta fuit*. PROFUNDA, ET DILATATA. Est utrumque verbum ex Hiphil, *profundavit, profundare fecit, dilatavit*, seu *dilatare fecit*, scilicet Deus; id est, profundiorem & laxiorem fecit eam Deus ipsi regi, vel pro ipso rege. Assyrio, vel Babylonio, ut eum ample caperet. NUTRIMENTA EIUS. מדרה *medurah*, aiunt esse *pyram, rogum*, vel ab ordine & serie lignorum, vel quod successive apponantur ligna. Quidam, *habitationem*; alii *penetrale*, reddunt. Totum versum Forsterus ita expressit: *Quoniam ordinata est ab heri Thapteh, etiam ipsi regi decreta*, vel *stabilita est, in profundum & in latum*, vel *profundata fuit, & dilatata: habitatio eius ignis & ligna multa; sicut*

tor-

torrens sulphuris inflammans eam, vel *exardet in eam*, aut *flagrantis in ea*. Tremellius & Iunius: *Etenim paratus est iam ante*, &c. exornatio proxime præcedentis membri de adversariorum expugnatione, cuius forma hic allegorice describitur: *exitii locus*. Hic singularem vocem adhibet ad notandum singulare iudicium, quo in regem Babyloniæ erat usurus Deus: nam deducitur a nomine Thopheht, qui locus fuit amplius (unde nomen habet) ab idololatris celebratus, ut ex Ierem. VII. 31. & 32. & Ierem. XIX. 6. constat: quemadmodum etiam ante hæc tempora filios ab Achazo Rege in eodem loco fuisse exustos legimus, II. Paralipom. XXVIII. 3. Cum itaque impurissima illa sacrificia palam fierent ad portam Ierusalaimorum maxima pompa atque apparatu, Propheta illustrissimum Babylonii regis exitum magnificentissime efficiendum in oculis Ecclesiæ ipsius, nominat coniugata & affini voce; quo etiam spectant singula illa descriptionis verba sequentia: *hic etiam ipsi regi constitutus est; profundissimum, latissimum fecit Iehova:* exegesis magnifica loci, quem Propheta modo nominavit, ut ostendat convenientia fore Dei iudicia cum personis: vide supra cap. XIV. nam quod illic Propheta prædicit fore ut Babylonius sepulcro cum aliis non capiatur, hic altera locutione ostendit: *pyræ eius*, *ignis & lignorum multum est; flatus Iehovæ quasi torrente sulphuris incendit eam*. Sic pergit in allegoria a comparatione eorum, qui in valle Hinnomi comburebantur, adhibitis rebus quæ hic dicuntur, ad incendium & conflagrationem illorum. Itaque hunc versum non de Assyrio rege, sed de Babylonio capiunt, per exornationem expugnationis hostium Ecclesiæ.

MENOCHII.

Vers. 1. VAE FILII, &c. Est prophetia contra Iudæos, qui post 150. annos tempore Ieremiæ occiso ab Ismaele Godolia, timentes Chaldæos, qui eum Iudææ præfecerant, ne eius necem vindicarent, fugerunt in AEgyptum, contra præceptum Domini, ut narrat Ieremias XLII. & XLIII. DESERTORES: qui scilicet deserto Dei consilio in AEgyptum se contulerunt, ut dixi. ET NON EX ME: quod consilium ego non probavi. ORDIREMINI TELAM: opus inchoaretis. ET NON PER SPIRITUM MEUM: non ex inspiratione mea, seu me non probante. PECCATUM SUPER PECCATUM: pristina peccata novo inobedientiæ crimine cumulantes.

V. 2. OS MEUM NON INTERROGASTIS. Interrogarunt, ut patet ex cap. XLII. Ierem. sed parere noluerunt, quod perinde est ac si non interrogando consilium suum secuti essent. IN UMBRA AEGYPTI: protectione Regis AEgyptiorum.

V. 3. IN CONFUSIONEM: nam Nabuchodonosor persecutus est Iudæos in AEgyptum, ibique eos cum AEgyptiis cecidit, Ierem. XLII. 15. & sequentibus.

V. 4. IN TANI: Tanis regia erat Pharaonis. PRINCIPES TUI. Significat Propheta Iudæos præmisisse nuntios scilicet aliquos e principibus suis ad Pharaonem, qui ab eo peterent locum Iudæis Chaldæos fugientibus, & facultatem in AEgypto commorandi. USQUE AD HANES: quæ, ut docet S. Hieronymus, erat ultima civitas AEgypti iuxta AEthiopas, & Blemmyos.

V. 5. CONFUSI SUNT, id est confundentur, præteritum pro futuro, ut etiam sunt explicanda quæ sequuntur. SUPER POPULOS, AEgyptiorum.

V. 6. ONUS: triste, & minax vaticinium. Non est hic nova prophetia, sed inchoatæ prosecutio. Itaque præcedentia huc usque fuerunt quasi præfatio præambula ad sequentem prophetiam, cuius hic ponitur titulus. Ita S. Hieron. IUMENTORUM, &c. Intelligit eosdem Iudæos in AEgyptum fugientes, quos iumenta appellat, quia stolide egerant, cum hoc consilium proficiscendi AEgyptum ceperunt, & quia bonis suis, quæ secum extulerant, onusti incedebant. AUSTRI: quia fugiebant in AEgyptum, quæ Iudææ est ad Austrum. IN TERRA TRIBULATIONIS ET ANGUSTIAE; quasi dicat: Videor mihi videre fugientes Iudæos per desertum, quæ est terra tribulationis, & angustiæ, propter inopiam rerum, & quia ut dicitur Deut. XXXI. 10. est *locus horroris, & vastæ solitudinis*. LEAENA, ET LEO EX EIS, scilicet terræ locis, & antris prodeunt, viperæ, & volantes basilisci. AD POPULUM: AEgypti.

V. 7. SUPERBIA TANTUM EST; id est, in AEgypto nihil est nisi superbia, id est inanis opum, & roboris ostentatio. QUIE-

sci: noli in AEgyptum fugere, sed remane in patrio solo.

V. 8. Ingressus, scilicet in cubiculum. Super buxum: ut diuturna sit memoria huius prædictionis, nam buxus, ut ait S. Hier. est lignum imputribile.

V. 9. Filii mendaces: perfidi, adulterini, & degeneres a fide, & pietate suorum Patriarcharum.

V. 10. Videntibus, id est Prophetis. Aspicientibus, idem est quod *videntibus*: est enim usitata Hebræis repetitio. Placentia: quæ nostris cupiditatibus faveant. Errores: quæ placent, sub quibus sæpe error latet, & deceptio. Vel errores sunt falsa oracula de prospero successu fugæ in AEgyptum.

V. 11. Auferte a me viam: sunt verba Iudæorum. Chald. *Avertite nos a via recta*. Nolumus vitæ modum, & rationem sequi, quem nobis præscribitis. Declinate, &c. Est repetitio. Sanctus Israel. Chald. *Verbum sancti Israel;* sæpe enim Prophetæ repetebant: *Hæc dicit sanctus Israel*.

V. 12. Sperastis in calumnia: sperastis, & innixi estis in calumnia, & tumultu, quo scilicet tumultuose calumniati estis Ieremiam vetantem fugam, quasi falsum prophetam, ut eum opprimeretis. Vide Ieremiam XLII. 2.

V. 13. Sicut interruptio cadens: sicut murus interruptus, rimis fatiscens, & pronus in ruinam. Et requisita, id est ingens, subita, & improvisa, cuius scilicet post lapsum causa, quæ non apparet, per admirationem inquiritur: sic de subito, & tristi casu Saul, & Ionathæ inquirit David: *Quomodo ceciderunt fortes?* II. Reg. I. Veniet contritio eius. Sicut murus repente cadit, & opprimit eos qui sub illo fuerint; sic iniquitas hæc, id est fiducia hæc superba, & vana, quam contra Dei iussum collocatis in AEgyptiis, vos opprimet, & ipsi etiam AEgyptii cæsi a Chaldæis conterentur.

V. 15. Si revertamini, et quiescatis: si ab hac fuga desistatis, & solum patrium non deseratis, sed in eo quiescatis. In silentio, et in spe: hoc est, si quiescatis in terra vestra, & in Deum speretis, fortes eritis, & tuti a Chaldæis.

V. 16. Ad equos fugiemus: ad equos AEgyptiorum; abundat enim AEgyptus equis, & equitatu, ut patet III. Regum X. 28. cum Iudæi in bellis vix uterentur equitatu. Ideo fugietis: victi, & profligati. Super veloces, scilicet equos AEgyptiorum. Ideo: me vindice.

V. 17. Mille homines, scilicet fugient. A facie terroris unius: unum dumtaxat Chaldæum timentes. Et a facie terroris quinque: & si Chaldæi fuerint quinque, omnes vos in fugam vertemini. Quasi malus navis in vertice montis: scilicet fixus, quem navigantes aspiciant, ut rectum cursum teneant, sic vestræ calamitatis exemplo, multi pericula vitabunt. Vel sensus est, quasi malus navis e naufragio eiectus, & in scopuli vertice temere & neglectus iacens: prior explicatio videtur verior. Quasi signum super collem. Est repetitio eiusdem sententiæ.

V. 18. Propterea expectat Dominus, &c. quasi dicat: Quia tanta futura est clades, propterea expectat Deus, ut moniti pœnitentiam agatis, & ipse vestri misertus exilium hoc auferat. Et ideo exaltabitur parcens vobis; id est, in altum tolletur, quasi elongans se, suamque manum, & ut Vatablus explicat, suspendet ictum. Deus iudicii, id est iustus, nec punit eos qui peccatum deserunt. Qui expectant eum: qui spem suam in illo collocant.

V. 19. Populus enim Sion, &c. id est, veri, & fideles Iudæi, qui sperant in Deo sub Ezechia, vel post reditum ex captivitate Babylonica, habitabunt in Ierusalem. Videtur Propheta sub his symbolis significare populum Christianum, qui pacifice habitabit in Sion, & in Ierusalem, hoc est in Ecclesia. Clamoris tui, orationis tuæ.

V. 20. Dabit vobis Dominus: Sennacherib & in captivitate Babylonica. Panem arctum, &c. Exiguum cibi, & potus demensum. In Hebræo est, *Panem angoris*, sive *tribulationis*, *& aquam angustiæ*, sive *oppressionis*, ut vertunt LXX. Non faciet avolare a te doctorem: quia scilicet Prophetæ non deerunt a quibus instituaris, inter illas angustias, & calamitates. Respicit Propheta Christum doctorem orbis, qui non avolat ab Ecclesia, sed perpetuo illam docet per inspirationes, scripturas, & doctos ministros suos.

V. 21.

V. 21. Verbum post tergum monentis. Est periphrasis magistri, & paedagogi, qui discipulis semper adesse solet, eosque sequi, & post tergum monere. Haec est via, &c. sunt verba doctoris monentis. Per viam intelligit doctrinam legis, & Prophetarum, ac praesertim Christi.

V. 22. Et contaminabis, &c. sub Esdra, & magis sub Christo, abiicies, combures, calcabis idola, convertens in usus prophanos. Laminas sculptilium: laminas in idoli similitudine figuratas, vel in quibus sculpta, & expressa erant idola. Vestimentum conflatilis auri tui; id est, idolorum vestimenta, quae ex auro conflata erant, ut etiam ipsum idolum. Egredere; quasi dicat, Abi in malam crucem, aut in sterquilinum.

V. 23. Dabitur pluvia, &c. pro pane arcto, & aqua brevi, dabit vobis Dominus rerum omnium ubertatem. Spatiose: in amplis, & late patentibus pascuis.

V. 24. Commistum migma comedent. Migma est mixtio, sive farrago variorum granorum: LXX. habent, *Paleas mistas ordeo ventilato*. Super omnem collem: super omnes ecclesias. Rivi currentium aquarum: rivi, immo flumina gratiarum, per Christum fluxerunt in lege gratiae. In die interfectionis multorum, &c. occisis, vel prostratis tyrannis fidei hostibus. Cum ceciderint turres: Gentiles imperatores, & philosophorum elata sapientia.

V. 26. Sicut lux solis; &c. Referenda haec sunt ad diem iudicii, & resurrectionem cum D. Hieronymo, & aliis: eo enim avolat Propheta. Accipient autem haec sidera incrementum hoc luminis, non a corporibus beatorum, ut nonnemo opinatus est, sed immediate a Deo, ita disponente, ut in caelis Dei maiestas magis resplendeat, & ut sol & luna sibi invicem opposita, divisim, sed clarissime utrumque hemisphaerium illuminent. Sicut lux septem dierum, septuplo, scilicet maior quam nunc sit. Aut multo maior, & clarior; ponitur enim numerus definitus pro indefinito. In die qua alligaverit, &c. cum scilicet Deus vulnus omnis corruptionis, miseriae, tristitiae, mortalitatis, sanaverit in nobis, per quatuor dotes corporis gloriosi.

V. 27. Ecce nomen Domini, &c. id est, ecce maiestas, potentia, & vindicta irati Dei, quam ipse in die iudicii exercebit in reprobos, longo post tempore veniet.

V. 28. Spiritus eius, id est halitus qui efflatur ab ore Dei irati. Torrens inundans: metaphora torrentis significatur maxima celeritas, copia, & impetus irae Dei. Usque ad medium colli, id est usque ad medium colli pertingens, ut tam rapidum torrentem aquis tam alte tumentem, transvadare dificillimum sit, & periculi plenissimum. Et frenum erroris, &c. Deus enim in die iudicii auferet, & perdet potestatem daemonis, qua ipse velut freno regebat peccatores, eosque in omnem ducebat errorem, & impietatem; auferet etiam frenum mundi, & carnis, quo multi iam infrenantur.

V. 29. Sicut nox sanctificatae solemnitatis; quasi dicat: Canent sancti tale canticum, quale cecinerunt Hebraei, quando nocte, transito mari rubro, & submerso Pharaone, cecinerunt: *Cantemus Domino*, &c. Exod. xv. 3. Hoc enim canticum Mosis cantaturos electos, docet S. Io. Apoc. xxi. Ita S. Hieronymus. Aliter Pintus, qui ait solitos fuisse Hebraeos cum manne immolanda esset victima, totam praecedentem noctem cum laetitia, & cantu transigere. Sanctificatae, sanctae. Sicut qui pergit cum tibia, &c. solebant enim vota reddituri, & sacrificaturi exultantes cum citharis, & tibiis ad templum ire sive ad Deum, qui est fortis, immo fortitudo Israel.

V. 30. Gloriam vocis suae: potentiam vocis suae, qua quasi tonitru impios in tartara praecipitabit, sanctos vocabit ad gloriam. Flamma ignis: tum conflagrationis mundi, tum gehennae. In turbine, id est quasi in turbine, & grandine.

V. 31. Assur, id est diabolus, ac quivis tyrannus, & oppressor Dei sententia ferietur, & damnabitur: ita Sanctus Hieron. alludit ad Assur, id est Sennacherib, qui a Deo vindice fuit percussus. Virga, divinae ultionis.

V. 32. Fundatus. Flagellum divinae vindictae transiens per reprobos erit fundatum, forte, firmum, stabile, & perpetuum in inferno. In tympanis, &c. id est cum summa piorum laetitia. In bellis praecipuis

CIPUIS EXPUGNABIT EOS; id est, inclyto, & glorioso pugnandi, & hostes subiugandi modo, solo scilicet nutu, & imperio, quique celebrari solet cum tympanis & citharis, ut factum est Mosi Exod. xv. & Davidi Goliath prostrato.

V. 33. AB HERI, id est antea, olim, iam pridem. TOPHETH, id est *gehenna*, ut habet Chald. LXX. verterunt, *Vallis profunda*. Quid sit Topheth, & quæ sit huius vocis etymologia diximus IV. Reg. XXIII. 10. A REGE, Deo, regum Rege. LIGNA; scilicet ipsi damnati qui erunt quasi torres huius incendii: vide Luc. XXIII. 31. & Eccl. XI. 3. vel intellige sulphur æternum ardens: de quo Apoc. XIV.& XX. & XXII. FLATUS DOMINI: vis divina ignem conservans, suscitans, & quodammodo acuens.

TIRINI.

Vers. 1. PECCATUM novum inobedientiæ, superbiæ & contemptus mandati mei (quo iubeo vos in Iudæa persistere) additis; SUPER PECCATUM vestrum antiquum multiplex & varium crapulæ, iniustitiæ, idololatriæ, &c.

V. 2. OS MEUM NON INTERROGASTIS; nempe animo obsequendi, quod perinde est atque non interrogare. Patet Ieremiæ XLII.

V. 4. TANIS regia *a* Pharaonis erat. HANES ultima civitas AEgypti versus AEthiopas & Blemmyos, inquit S. Hieronymus.

V. 6. IUMENTA AUSTRI vocantur Iudæi, qui contra mandatum Dei stolide & brute sarcinis suis onusti quasi iumenta proficiscebantur versus AEgyptum, inquit Forerius. IN TERRA TRIBULATIONIS ET ANGUSTIAE, id est in deserto *b* invio & inaquoso iter fecerunt. LEAENA ET LEO EX EIS desertis locis & antris prodire solent, & viatores inuadere: quin & VIPERA ET REGULUS *c*, seu basiliscus, transeuntibus insidias struunt. Et hæc Iudæos non terreant?

V. 7. SUPERBIA TANTUM EST in AEgypto, & inanis opum, præsidii & roboris ostentatio.

V. 8. INGRESSUS in cubiculum tuum, vel in conventum publicum Iudæorum, SCRIBE, O Isaia, hæc quæ iam prædico, & scribe SUPER BUXUM, id est in tabula buxea cerata, ut IN DIE, seu tempore, NOVISSIMO, nempe post 150. annos, ipsis sit IN TESTIMONIUM AETERNUM meæ erga eos curæ ac providentiæ, suæ vero obstinatæ malitiæ ac proterviæ contra tot monita & iussa mea.

V. 11. AUFERTE A ME VIAM ET SEMITAM mandatorum Dei. Est mimesis, voces sunt pervicacis populi; quasi dicat: Cessent hæ amaræ & ingratæ voces, *Hæc est via, hæc est semita quam Deus præscribit: Hæc dicit sanctus Israel Deus*, nolumus hæc audire.

V. 12. SPERASTIS IN CALUMNIA ET TUMULTU, quo tumultuose calumniati estis Ieremiam vetantem hanc fugam, quasi falsum Prophetam, Ieremiæ XLII. 2.

V. 13. PROPTEREA INIQUITAS HAEC, id est iniqua fiducia, quam contra Dei iussum collocatis in AEgyptiis, ERIT VOBIS SICUT INTERRUPTIO, id est sicut murus interruptus & pronus in ruinam, subito tandem & repente CADENS, & casu suo opprimens quotquot sub illo degebant. Quod quia subito & ex improviso fit, ideo vocat hic ruinam *requisitam*, id est cuius latens causa per admirationem inquiritur, & requiritur, rogando: *Quomodo id fieri potuit? quomodo factum?* ita Sasbout, Alvarez & a Lapide.

V. 15. IN SILENTIO ET IN SPE ERIT FORTITUDO VESTRA; id est, si sileatis de migratione in AEgyptum, & quiescatis in Iudæa, sperantes in Deo & divina protectione, fortes eritis & salvi a Chaldæis. Alludit ad Exodi XIV. 14.

V. 16. DIXISTIS: AD EQUOS AEgypti FUGIEMUS: abundat enim AEgyptus *d* equitatu, quo vix utebantur *e* Iudæi. IDEO, id est in pœnam huius, vere FUGIETIS, sed victi & profligati ante faciem Chaldæorum vastantium AEgyptum. Et licet VELOCES sint equi AEgyptiaci, VELOCIORES tamen ERUNT Chaldæi.

V. 17. MILLE ex vobis fugient A FACIE TERRORIS, id est terrore, UNIUS Chaldæi: & terrore QUINQUE Chaldæorum, seu paucissimorum, ita in fugam agentur omnes Iudæi, ut vix aliqui superstites futuri sint, in signum extremæ iræ Dei, & ad alios per orbem vestro exemplo erudiendos, sicut fracta navi solet MALUS a nautis colligi, & IN VERTICE vicini MONTIS, seu scopuli in altum attolli, ut aliis navigantibus serviat pro indicio, locum illum ob syrtes

syrtes vel arenas periculosum ac cavendum esse: ita S. Hieronymus.

V. 18. PROPTEREA; id est, propter omnia hæc ingentia mala vobis impendentia, quia miseret vestri Deum, & mallet vos tanta clade non affligi, EXPECTAT UT obsequentes monitis eius, desistatis a turpi & noxia fuga in AEgyptum, atque in ipso confidatis, malens ipse *misereri* VESTRI, vobisque succurrere, & *parcendo* potius *exaltari* & glorificari, quam puniendo: ita S. Hieron. QUIA DEUS IUDICII DOMINUS; id est, Deus non agitur furore, sed iusto iudicio iudicat & vindicat. Quo vero facilius persuadeat Iudæis in Iudæa subsistere, promittit

V. 19. POPULUM SION, id est Ierosolymitas e captivitate Babylonica reduces brevi fore, & rursus tuto *habitaturos* IN IERUSALEM: ita Procopius, S. Thomas & Hugo. Allegorice, populus fidelis pacifice deget in Ecclesia Christi, inquit S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus.

V. 20. DABIT quidem DOMINUS VOBIS ad breve tempus PANEM ARCTUM: Heb. *tsar*, id est angoris, seu tribulationis, ET AQUAM BREVEM; Hebraice, *lachats*, id est angustiæ vel oppressionis, uti vertunt LXX. hic, & Noster III. Reg. ult. vers. 27. quasi dicat: Inopiam aliquam, famem, sitim, aliaque adversa patiemini; sed Deus NON FACIET AVOLARE A TE ULTRA DOCTOREM TUUM; id est, non destituet vos præsentia Ieremiæ Prophetæ, & aliorum Prophetarum, qui instar prædagogorum vos *a tergo* sequentes, monebunt de omnibus necessariis ad iram Dei placandam, eiusque clementiam vobis reconciliandam, atque ita pro *pane arcto*, & *aqua brevi* rerum omnium abundantiam recuperandam: ita Procopius, S. Thomas, Hugo, Lyranus. Ex horum monitu

V. 22. CONTAMINABIS LAMINAS SCULPTILIUM ARGENTI TUI; id est, idola ex argento tuo conflata tractabis ut soles res pollutas, id est detestaberis, abiicies, exures, eorumque *vestimenta*, licet *aurea* & pretiosa, habebis pro rebus fœdissimis, quales sunt sordes menstruatæ. DICESQUE EI, EGREDERE, apage hinc, abi in malam crucem. Abiectis idolis pro præmio ubertas rerum omnium tibi obveniet.

V. 24. TAURI ET ASINI TUI COMEDENT non iam paleas aut nuda gramina, sed COMMISTUM MIGMA, id est miscellam, seu mixtionem frumenti varii generis, puta tritici, viciæ, lentis, avenæ, hordei, SICUT IN AREA VENTILATUM EST, id est puri, sine paleis; hæ enim in area eventilantur: ita S. Hieronymus, qui addit, adeo commisceri pro iumentorum pabulo tot genera frumenti & leguminum, quia varietate sua appetitum acuunt, & nauseam tollunt. Allegorice, migma fidelibus est S. Scriptura inquit S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, e Leo Castrius: vel, ut S. Bernardus & alii, Christus, maxime in Eucharistia.

V. 25. SUPER OMNEM MONTEM Iudææ ERUNT RIVI CURRENTIUM AQUARUM, seu pluviarum, seu fontanarum, e montibus exsilientium, & ipsos fœcundantium: unde maxima fertilitas & copiosissimæ messes, idque IN DIE INTERFECTIONIS MULTORUM, immo omnium hostium Israelis; nempe in excidio Babylonis & regni Chaldæorum per Cyrum & Darium, CUM CECIDERINT TURRES, tum murorum, tum palatiorum Babylonicorum. Allegorice, cum sub Constantino deiecti fuerint Gentiles principes, & superba philosophorum Ethnicorum sapientia, inquit S. Hieron. Cyrillus, Procopius & Haymo. Maxime vero cum per Christum deiectus fuerit Antichristus, & per ignem conflagrationis destructæ fuerint omnes totius orbis turres & urbes. Huc enim Isaiam ad finem usque capitis respicere docent S. Hieron. Haymo, Dionysius, Lyranus, Salbout & a Lapide. Nolim tamen negare, quin etiam alludat ad gaudium felicitatemque Iudæorum e carcere Babylonico in patriam remigrantium, ut Hugo, Forerius, Vatablus, Sanchez, Alvarez & Rabbini exponunt. Erant enim hæc typus & figura gaudii & triumphi Sanctorum in die iudicii.

V. 26. LUX LUNAE ERIT SICUT LUX SOLIS: ET LUX SOLIS ERIT SEPTEMPLICITER intensa, quanta est LUX SEPTEM DIERUM: nempe post diem iudicii; idque, ut divina maiestas per clariorem totius machinæ cælestis & utriusque hemisphærii illuminationem æternum magis resplendeat. Sed aptando hæc Iudæis e Babylone remigrantibus, sensus est, tantam fore ipsorum lætitiam, ut luna & sol septuplo clarius eis splendere videantur. Sic iisdem ab impio Aman liberatis Esther XI. dicitur: *Lux & sol*

sol ortus est eis; & cap. VIII. *Iudæis nova lux oriri visa est*.

V. 27. ECCE NOMEN DOMINI, id est maiestas, potentia & vindicta Dei, VENIT DE LONGINQUO, id est longo post tempore veniet.

V. 28. FRAENUM ERRORIS, QUOD ERAT IN MAXILLIS *g* POPULORUM, est imperium tyrannicum Chaldæorum, & etiam Antichristi, quod oberrat seu versatur in faucibus tot nationum vi subactarum, & in tot errores quasi freno pertractarum.

V. 31. PAVEBIT ASSUR, id est Chaldæus tyrannus, qui simul erat Assyriorum, ut alibi *h* dixi.

V. 32. ET ERIT TRANSITUS VIRGAE divinæ a Iudæis ad Chaldæos, FUNDATUS & perpetuo manens apud Chaldæos, & asseclas Antichristi; idque cum TYMPANIS ET CITHARIS, id est cum gaudio & iubilo aliarum omnium nationum antea per ipsos tyrannice subactarum. EXPUGNABIT autem Deus tum Chaldæos, tum Antichristum, non vulgaribus aut levibus velitationibus; sed BELLIS PRAECIPUIS, id est acerrimis præliis, & nobilissimo pugnandi & hostes subigendi modo, puta prostratione & excidio omnium copiarum & virium, & quidem nutu & imperio potius quam armis. Ut vero æternum *fundetur* & permaneat apud Chaldæos & Antichristianos virga furoris divini;

V. 33. PRAEPARATA EST iam AB HERI, id est ab antiquo, TOPHETH; Chaldaice, *gehenna*, id est locus horrendi supplicii, & inauditi tormenti, puta infernalis, cuius typus & figura erat sacrilegum illud incendium, quo in *valle* filiorum *Ennom* iuxta Ierusalem vivos cremabant Iudæi filios suos idolo Moloch, ut dixi IV. Reg. XXIII. 10. Et PRAEPARATA est AB REGE regum Deo opt. max. cuius NUTRIMENTA quoque perpetua, nempe IGNIS igni adiectus, ET LIGNA MULTA: est catachresis, pro quibusvis fomentis, puta pice, sulphure, &c. quæ eadem numero manebunt semper ardentia inferno, sicut & ipsa corpora damnatorum ardebunt perpetuo, nec tamen umquam absumentur. Porro flabellum excitans & acuens hunc ignem est FLATUS DOMINI, id est spiritus, seu ventus procellosus divinitus ibi excitatus, qui gehennam perinde accendit, ac si TORRENS SULPHURIS ardentis in eam infunderetur. Quo quid horribilius animo concipias?

(a) Isaiæ XIX. 11.
(b) Deut. XXXII. 10.
(c) Deut. VIII. 15. & Num. XXI. verſ. 6.
(d) III. Reg. X. 28.
(e) Deut. XVII. 16.
(f) Bern. Ser. III. in vigilia Natalis Domini & Ser. II. de Nativitate Domini.
(g) Ezech. XXIX. 4.
(h) Isaiæ VIII. 4. &c.

GORDONI.

Verſ. 1. VAE FILII DESERTORES, &c. Hi sunt Iudæi qui occiso Godolia descenderunt in AEgyptum contra consilium Domini per Ieremiam: omnia, inquit, vobis in confusionem vertentur. Ceterum ex Hieronymo *Hanes* est extrema AEgypti urbs, versus AEthiopes; *Tanis* vero regia Pharaonis.

V. 6. ONUS IUMENTORUM AUSTRI, &c. Præfatus est de peccato fugientium in AEgyptum; iam onus addit & mala quæ hos desertores expectant. Vocantur autem hi desertores iumenta austri, quia versus austrum pergebant, onusti suis thesauris, velut iumenta: sed properant, inquit (verſ. *6.* & *7.*) ad mala, & ad spem fallacem; hæc, ut dixi, evenient tempore Ieremiæ: & ut extet monimentum posteris, iubetur Isaias hæc scribere (buxo ad scribendum utebantur veteres, seu tabula buxea) & quam insipienter se gesserit populus.

V. 12. *& deinceps*. PROPTEREA HAEC DICIT, &c. Explicat quam sit innais hæc spes in AEgypto, ex similitudine muri minantis præsentem pene ruinam. Interruptionem muri vocat requisitam, hoc est manifestam, spectatam, inventam: confractio erit fractæ lagenæ. Adde ex verſ. 17. fore ut unus Chaldæus agat in fugam mille ex vestris, quinque Chaldæi totam vestram multitudinem.

V. 18. PROPTEREA EXPECTAT DOMINUS, &c. Hactenus de futura clade; nunc vero post tenebras promittit lucem expectantibus Dominum, & pleraque renuntiat feliciter eventura sub Esdra post reditum a captivitate, & tandem sub Christo: quod vero est de pane & aqua, est afflictio sub Sennacherib.

V. 24. & 25. TAURI TUI, &c. Hæc etiam inter alia evenient illis temporibus.

Migma, commistio est, (μίγνυμι, *misceo*) nam sunt in pabulo iumentorum grana varii generis & paleæ. Septuag. habent paleas mistas hordeo ventilato. Speciatim autem quod additur vers. 25. de prostratis hostibus & occisione, victoria est, & ubi Propheta respicere potuit Ezechiam contra Sennacherib, Esdram item ac Cyrum, atque etiam Constantinum Magnum.

V. 26. & deinceps. ET ERIT LUX LUNAE, &c. Hæc ad diem iudicii referunt Hieron. Lyra. Haymo, & alii non pauci, sed unde hoc lumen auctum in sole? non certe ex splendore corporum beatorum, sed a Deo immediate, ubi insigniter resplendebit Dei maiestas, tunc lux solis erit septuplo maior, seu erit tanta, quanta est lux septem dierum: tunc, inquam, quando per immortalitatem & dotes sanabitur vulnus omnis corruptionis: hinc intellige sequentia.

V. 30. ET AUDITAM FACIET, &c. Terror magni illius diei describitur: percutitur Assur, hoc est Diabolus, & cum eo tyranni & bonorum persecutores, ac Dei virga seu flagellum, transiens per reprobos, erit virga bene fortis & fundata solide, ac stabilis in inferno; idque in tympanis & nubilo Sanctorum.

V. 33. PRAEPARATA EST ENIM AB HERI TOPHETH; hoc est, gehenna: vide IV. Reg. XXIII. 11. Topheth mons erat prope Ierusalem, ubi idolo Moloch Iudæi filios immolabant; ibi erat vallis Hennon. Est autem gehenna idem quod vallis Hennon. Heb. גיא *vallis*, & הנם *hinnom*, ut habes Ieremiæ XIX. 6. *vallis filii Hennon*: ait autem paratam gehennam ab heri, hoc est iamdudum.



CAPUT XXXI.

Iudæos qui fiducia in Deum relicta, ad AEgyptios & humana confugiunt præsidia, prædicit consumendos una cum suis auxiliariis; revertentes vero ad Dominum, virtute divina liberandos.

1. VAE qui descendunt in AEgyptum ad auxilium, in equis
sperantes, & habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt; & super equitibus, quia prævalidi nimis: & non
sunt confisi super sanctum Israel, & Dominum non requisierunt. 2. Ipse autem sapiens adduxit malum, & verba sua non abstulit: & consurget contra domum pessimorum, & contra auxilium operantium iniquitatem. 3. AEgyptus, homo, & non Deus: & equi eorum, caro, &
non spiritus: & Dominus inclinabit manum suam, & corruet auxiliator, &
cadet cui præstatur auxilium, simulque omnes consumentur. 4. Quia hæc dicit Dominus ad me: Quomodo si rugiat leo, & catulus leonis super prædam
suam, * & cum occurrerit ei multitudo pastorum, a voce eorum non formidabit, & a multitudine eorum non pavebit: sic descendet Dominus exercituum
ut prælietur super montem Sion, & super collem eius. 5. Sicut aves volantes, sic proteget Dominus exercituum Ierusalem, protegens & liberans, transiens & salvans. 6. Convertimini sicut in profundum recesseratis filii Israel. 7.
In die enim illa abiiciet vir idola argenti sui, & idola auri sui, quæ fecerunt
vobis manus vestræ in peccatum. 8. Et cadet Assur in gladio non viri, &
gladius non hominis vorabit eum, & fugiet non a facie gladii: & iuvenes eius
vectigales erunt: 9. & fortitudo eius a terrore transibit, & pavebunt fugientes

tes principes eius: dixit Dominus; cuius ignis est in Sion, & caminus eius in Ierusalem.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

Vers. 4. *Et cum occurrerit ei multitudo pastorum*. Non omittas coniunctionem *&*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. VAE QUI DESCENDUNT, id est Iudæis: vide vers. 1. cap. præcedentis. ET NON SUNT CONFISI. Heb. ולא שעו, *& non aspexerunt ad Sanctum Israel*, id est non confugerunt ad Deum. Noster Interpres videtur legisse, לא שרנו, *non sunt confisi*, sicut paulo ante, ועל סורים ישענו, *& in equis confiderunt*.

V. 2. IPSE AUTEM SAPIENS. Heb. וגם הוא חכם, *& etiam ipse* (est) *sapiens*; id est, quamvis sapiens sit non consuluerunt eum, sed ad AEgyptios se se contulerunt. ADDUXIT MALUM: ויבא, ו hoc loco causalem esse arbitror: itaque verto, *Propterea adduxit malum*, id est decrevit adducere contra iniquos ac rebelles. ET VERBA SUA NON ABSTULIT, non auferet: præt. pro fut. id est, quæ locutus est contra eos, perficiet, non mutabit consilia sua. *Quæ processerunt de labiis suis non faciet irrita*: Psal. LXXXVIII. 33. ET CONTRA AUXILIUM OPERANTIUM INIQUITATEM; id est, contra eos qui petiverunt, & contra eos qui præstiterunt auxilium; ut declarat versu sequenti.

V. 3. AEGYPTUS, HOMO, ET NON DEUS; quasi dicat: *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum*: Ierem. XVII. 5. ET EQUI EORUM (AEgyptiorum) CARO: ET NON SPIRITUS; id est, vires eorum humanæ sunt, non divinæ. Carnem vocat Scriptura vim humanam; spiritum, divinam; ut Ioan. VI. 63. *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam*. ET DOMINUS INCLINABIT MANUM SUAM; quasi dicat, Nunc Deus habet manum extentam & sublatam, id est solum minatur, non percutit: sed tunc *inclinabit manum suam*, id est re ipsa percutiet; non aget verbis, sed verberibus; non minis, sed suppliciis. ET CORRUET AUXILIATOR, id est Assur, ET CADET CUI PRAESTATUR AUXILIUM, id est Iudæus. Non potuit Interpres Latine exprimere paronomasiam, quæ est in verbis Hebraicis עוזר, & עזר.

V. 4. QUIA HAEC DICIT DOMINUS (אמר *dixit*.) QUOMODO SI RUGIAT LEO; id est, non magis poterunt omnes homines Deum impedire quominus puniat hostes Iudæorum, quam multitudo inermium pastorum leonem rugientem impedire potest, quominus rapiat prædam. A MULTITUDINE EORUM: מהמונם, *ab strepitu eorum*. SIC DESCENDET, id est ita ut nemo eum deterrere queat. UT PRAELIETUR SUPER MONTEM SION: על הר ציון, *pro monte Sion*, ut declaratur versu sequenti, id est pro electis qui credituri sunt: *Nemo enim rapiet eos de manu eius*: Ioan. X. 28.

V. 5. SICUT AVES VOLANTES (sup. solent pullos suos protegere) SIC PROTEGET DOMINUS EXERCITUUM IERUSALEM. *Ierusalem, Ierusalem..... quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti*: Matth. XXIII. 37. Alii, *Sicut aves volantes*, id est celeriter ac sine mora, sicut videtur statim explicare. TRANSIENS ET SALVANS: פסוח והמלים, *transeundo & salvabit*, id est celeri cursu salvabit, nullo negotio, obiter, & quasi aliud agens.

V. 6. CONVERTIMINI SICUT IN PROFUNDUM RECESSERATIS: לאשר העמיקו סרה, ad verbum, *quemadmodum profundam fecistis defectionem*; id est, pro magnitudine peccati vestri agite pœnitentiam. Aut, tam serio tantoque animi affectu ad Dominum convertimini, quanto ab eo recesseratis, ut explicat versu sequenti.

V. 7. ABIICIET VIR, id est unusquisque usita-

usitatus Hebraismus. Idola argenti sui, id est idola sua argentea & aurea. Quae fecerunt vobis manus vestrae. Mutatio personæ, prius enim de secunda persona per tertiam locutus est. In peccatum, id est ad exercendam idololatriam.

V. 8. Et cadet Assur, id est omnis hostis vester; unum enim ponit pro omnibus. In gladio non viri, id est divinitus. *Fugient nemine persequente*: Prov. xviii. 1. Et fugiet non a facie gladii, non propter ullum gladium, quem districtum videat, sed divino correptus metu, ut Assyriis accidit: IV. Reg. xix. 35. Hebræi nunc legunt ונם לו, *& fugiet sibi*, id est fuga sibi consulet. Noster Interpres videtur legisse לא, *non*: itemque Septuag. καὶ φεύξεται καὶ οὐκ ἀπὸ προσώπου μαχαίρας. Quæ lectio multo melior est, sensumque reddit cum proximis verbis magis cohærentem. Et iuvenes eius vectigales erunt, id est *Captivam ducet Dominus captivitatem*: Psal. lxvii. 19. & ad Ephes. iv. 8. Heb. למס יהיו, quod etiam interpretari possumus, *In desolationem erunt*; id est, eorum animi, qui propter florentem ætatem animosissimi esse solent, mœtu solventur; quod valde hæret præcedentibus.

V. 9. Et fortitudo eius, id est fortissimi quique eius milites (sub. Assur.) A terrore transibit, id est præ terrore fugient. Heb. וסלעו ממגור יעבור, *& a munitione sua præ terrore transibit*; id est, deseret munitionem suam; quod ad verbum quidem accidit Senacheribo: IV. Reg. xix. 35. Mystice vero diabolo forti armato, qui cum fortior illo Christus supervenit, munitionem suam reliquit: Luc. xi. 21. 22. Et pavebunt fugientes. Heb. וחתו מנס שריו, *& pavebunt a signo*, id est a vexillo Domini, *principes eius* (Assur.) Mystice vero, omnes dæmones & principes diaboli pavebunt a signo Crucis Christi. Cuius est ignis in Sion; id est, cuius altare est in Sion, aut cui sacrificia offeruntur in Sion. Per ignem enim, quem Deus iusserat in altari perpetuo conservari, Levit. vi. 12. altare ipsum & sacrificia intelliguntur. Et caminus eius in Ierusalem? Repetitio est idem significans.

S A.

Vers. 2. Ipse, scilicet Deus. Sapiens. Chald. *in sapientia sua*. LXX. *sapienter*. Malum, id est calamitatem, scilicet super Iudæos. Abstulit. Chald. *fecit irrita*. LXX. *frustrabitur*; quasi dicat, Punivit, ut prædixit. Auxilium, &c. LXX. *spem illorum vanam*.

V. 3. Inclinabit. Chald. *levabit*. LXX. *inducet*.

V. 4. Praelietur, scilicet contra hostes populi sui.

V. 5. Volantes, scilicet & pullos suos protegentes; vel quasi dicat, Cito subveniet. Transiens, scilicet inter suos, more ducis.

V. 8. Non viri, scilicet sed Angeli. Non a facie gladii, scilicet humani. Heb. & Chald. *a facie gladii*, scilicet Angeli. Vectigales. Chald. *occisi*. LXX. *victi*.

V. 9. A terrore, id est ob terrorem. Cuius ignis, &c. id est qui colitur sacrificiis, quæ comburuntur in Sion. Potest etiam ad caritatem referri, qua in Ecclesia colitur. LXX. *Beatus qui habet semen in Sion, & domesticos in Ierusalem*.

E S T I I.

Vers. 8. Et cadet Assur in gladio non viri, et gladius non hominis vorabit eum: et fugiet non a facie gladii. Loquitur Propheta de exercitu Sennacherib regis Assyriorum, de quo IV. Reg. xix. ut ibidem narratur, percussit angelus Domini una nocte in castris centum octoginta quinque millia. Sensus ergo est: Cadet exercitus Assyriorum in gladio non viri, & gladius non hominis vorabit eum, id est percutietur, non ab homine aliquo, cui resistere possit, & quem vicissim repercutere possit, sed ab angelo. Et fugiet ipse rex, non a facie gladii, sed territus nimirum subita clade sui exercitus. Quidam legendum postremum illud putant affirmative: *Et fugiet a facie gladii*, putantes Hebræa favere illi lectioni; tum etiam quod hoc ipso vers. 8. dicat: *Et cadet Assur in gladio*; quasi dicat: In gladio scilicet etsi non viri, nec hominis, sed in gladio angeli; sed Sixtina biblia legunt nega-

negative, & ſenſus, ut vidimus, eodem recidit.

V. 9. Et pavebunt fugientes principes eius: dixit Dominus, cuius ignis est in Sion, et caminus eius in Ierusalem. Periphraſis mirabilis, & terribilis veri Dei, ſeu Dei Iſrael. Nempe Propheta iſte paſſim in deſcriptionibus ſuis utitur grandibus admodum figuris, ſicut & totus eius ſermo & ſtylus ſupra modum ſublimis eſt, & heroicus; adeo ut ceteri Prophetæ huius comparatione admodum humiles in ſermone videantur. Quod ergo ait: *Cuius ignis eſt in Sion, & caminus eius in Ieruſalem*; periphraſim continet ex ea re, quæ ſoli vero Deo debetur; videlicet ex ſacrificio, quod nulli prætorquam uni vero Deo licite offertur; quaſi dicat: Dominus cui ſacrificium & holocauſta offeruntur in Sion, & in Ieruſalem, hæc dicit, & ſuo tempore rata faciet. Per ignem ergo & caminum ſacrificia intelliguntur, maxime holocauſta, quæ tota incendebantur.

MARIANAE.

Verſ. 1. VAE qui descendunt in AEgyptum. Rurſus increpat eos, qui ex AEgypto auxilia petebant. Non sunt confisi. Heb. *non reſpexerunt*. Super sanctum Israel. Heb. *ad ſanctum Iſrael*. Non requisierunt, ſcilicet quid illi placeret.

V. 2. Ipse autem sapiens, ſcilicet eſt, ut ulciſci iniuriam poſſit. Adduxit malum. Heb. *& adducet malum*, ſcilicet vindictam. Verba sua non abstulit, id eſt vaticinia irrita eſſe non patietur. Contra domum, id eſt domos peſſimorum, qui non obedierunt. Et contra auxilium, ſcilicet AEgyptiorum operantium iniquitatem. Illa auxilia perdet.

V. 3. Et non Deus. AEgyptus non poteſt opem ferre, niſi Deus annuat. Caro, et non spiritus, id eſt Angelus, qui perire & vulnerari non poteſt. Dominus inclinabit manum suam, ſcilicet ad percutiendum.

V. 4. Quia haec dicit Dominus. Promittit nihilominus Iudæis auxilium venturum. Cum occurrerit ei multitudo pastorum, ſcilicet leoni. Heb. *contra quem convocatur turba paſtorum. Paſtores* Chald. רעין *rabaian*. Inde deduci videtur noſtris vox *rabadan*. Non formidabit, ſcilicet leo. Chald. *non contereretur*. Idque proprie ſignificat vox יחת *iebath*. A multitudine, ſive *a tumultu* eorum. Non pavebit. Heb. *non humiliabitur leo*.

V. 5. Sicut aves volantes; ſcilicet tuentur nidum & pullos ſuos: cap. x. 14. Aſſyrius minatur nidis gentium. Nunc Deus contra pollicetur nidos ſervaturum. Protegens et liberans. Heb. *protegendo & liberando, tranſeundo & ſervando*. Hieronymus infinitivos in participia vertit, & bene.

V. 6. Sicut in profundum recesseratis, convertimini. Heb. *in quem profundarunt defectionem filii Iſrael*, id eſt profunde receſſerunt, id eſt vehementer. Suſpicor tamen Hebraica aliter habuiſſe, & pro לאשר *laaſer*, legiſſe כאשר *chaaſer*, id eſt *ſicut*. Tum pro העמיקו *hehmiku*, id eſt *profundarunt*, legiſſe תעמיקו *thahmiku*, id eſt *profundaſtis*. Eamque credo veram eſſe lectionem, & Hieron.

V. 7. Abiiciet; ſeu *reprobabit*. Vir, id eſt unuſquiſque, idola quæ feciſtis. In peccatum. Heb. *peccatum*. Sed bene ſuppletur *in*, ut ſupplevit etiam Chald. Aut dic, *peccatum*, id eſt cognoſcetis fuiſſe peccatum, quod licere putabitis. Peccatum quiſque abiiciet, nempe idola. Quid ex eo? Cadet Aſſur.

V. 8. In gladio non viri. Nimirum Angelus occidit Aſſyrios. Et iuvenes eius vectigales erunt, id eſt captivi ſervient. Chald. *in interitum erunt*. Alii *in liquefactionem erunt*, id eſt metu liqueſcent. Vox מס *mas*, & *tributum* & *liquefactionem* ſignificat. Priorem ſignificationem Hieronymus eſt ſecutus. Ergo *in tributum erunt*, id eſt vectigales.

V. 9. Et fortitudo eius a terrore transibit, id eſt fortitudinem ignavia Aſſyrius mutabit præ metu. Heb. (ad) *petram ſuam* (arcem) *præ metu tranſilit*, fugiet. Et pavebunt fugientes. Heb. *a vexillo* (id eſt ſicut a vexillo) *principes eius* (Aſſyrii) *pavebunt*, ſcilicet ut ſolent homines timere viſo hoſtilis exercitus vexillo. Dixit Dominus, cuius ignis, ſcilicet ad incendendum Aſſyrios. Est in Sion: hoc ad templum refertur & altare Ieroſolymitanum. Chald. *Cuius ſplendor eſt in Sion facientibus legem, & caminus*

nus in Ierusalem transgredientibus verbum eius.

MALVENDAE.

Vers. 1. VAE QUI DESCENDUNT, vel *descendentibus*, IN AEGYPTUM, &c. Observant esse hoc capite ultimam partem concionis, ut dictum est cap. XXIX. in vers. 1. nempe Conclusionem, cuius partes sunt duae: una est, prophetiae praecedentis repetitio summa, usque ad vers. 6. altera exhortatio ad resipiscentiam, & veram poenitentiam, promissionibus coniuncta, ad finem usque. Repetitionis porro duo sunt loci, minae contra Iudaeos & AEgyptios, tribus versibus; & promissiones erga Ecclesiam, vers. 4. & 5. Hunc versum clarius alii ex Heb. reddunt: I. *Vae iis, qui descendunt in AEgyptum pro auxilio, quique equis nituntur, & fiduciam habent in quadrigis, quod multae sint, & in equitibus propter ingens robur eorum; sed ad Sanctum Israelis non respiciunt, & ipsum Iehovam non quaerunt*. II. *Vae descendentibus in AEgyptum ad auxilium, & qui innituntur equis: qui confidunt curribus, cum multi sunt, & equitibus, cum sunt numerosi valde; neque respiciunt ad Sanctum Israelis, & Iehovam non requirunt*. Vide supra cap. XXX. 2. QUIA PRAEVALIDI NIMIS: Heb. *quia corroborati, confirmati, condensati, compacti sunt;* vel *numerosi, potentes, praevalidi sunt, valde*. Ex verbo: *quia ossati, ossei sunt valde*.

V. 2. IPSE AUTEM SAPIENS ADDUXIT MALUM, &c. Hunc versum quidam ex Heb. ita accipiunt: *Atqui ipse etiam sapiens est, qui cum infert malum, verba sua non sinit amoveri; sed insurget in domum maleficorum, & in auxilium operam dantium iniquitati*. Antanaclasis, qua refringit Propheta vanam Iudaeorum AEgyptiorumque confidentiam per comparationem sapientiae & potentiae Dei: Esto sane, inquit, sint sapientes, sint potentes AEgyptii; iam vero multoties fecerunt periculum, quam facile ipsorum sapientiam & potentiam deludat & evertat Deus, ut legimus Exod. 1. & sequentibus: quamobrem non dubium est, quin idem porro sit facturus ad vindicandam gloriam suam. *In domum maleficorum*, quos filios contumaces & populum rebellem nominavit, supra cap. XXX. 1. & 9. *& in auxilium operam dantium iniquitati;* id est, in AEgyptios opitulantes Iudaeis.

V. 4. QUIA HAEC DICIT DOMINUS AD ME. Alii: *Sed ita ait Iehova mihi*. Occupatio, qua temperat Propheta proxime praecedentes minas: Cadent quidem, inquit, adiutor AEgyptius, & adiutus Iudaeus, Babyloniorum opera; sed reliquias servabo & liberabo e manibus illorum: ut copiose promisit supra cap. XXX. 19. & sequentibus. QUOMODO SI RUGIAT LEO, ET CATULUS LEONIS, &c. Alii: I. *Quemadmodum leo, aut catulus leonis ad praedam suam rugit, & nihil pavet ad examen pastorum, qui ei occurrunt, & vociferantur, neque ad tumultum eorum animum deiicit;* vel, *contra quem convolatur coetus pastorum, ob quorum clamorem nihil commovetur, neque ob tumultum eorum humiliatur;* id est, nihilo redditur mitior. II. *Quemadmodum rugiens leo, & iuvenis leo ad praedam suam, cum vocatur contra eum multitudo pastorum, a voce eorum non terretur, & a strepitu eorum non demittit se;* id est, plane imperterritus a numero potentiaque hostium Ecclesiam infestantium. UT PRAELIETUR SUPER MONTEM SION, ET SUPER COLLEM EIUS. Alii: *ad militandum*, seu *propugnandum pro monte Tziionis, & pro colle eius*, id est pro Ecclesia, synecdochice.

V. 5. SICUT AVES VOLANTES, SIC PROTEGET DOMINUS, &c. Exponunt: Id est, sicut aves volatu quamcelerrimo opem suis pullis, sic Iehova quamcitissime, &c. Alii: *sicut aves volucres*, &c. nimirum protegunt nidum suum, ita Deus Ecclesiam perget protegere, protegendo eripere, &c. Gradatio. Est autem hic ellipsis relati nominis, ut Levit. XXI. 4. Ut Assyrius minabatur supra cap. X. 14. nidos cum avibus se perditurum; ita nunc Deus promittit se defensurum suas reliquias de manu Babylonii, ut solet avis nidum suum. TRANSIENS, ET SALVANS. Heb. *transsaltando, transiliendo, & salvam evadere faciendo*. Quidam: *transiliendo, atque servando*. Alii: *transcundo etiam liberabit*; quasi dicat, Nocte una, sicut in AEgypto factum est, Exod. XII. 29. siquidem nocte una similiter deiectum est Babyloniorum regnum ad liberationem populi, Daniel. V. 30. Nam ut alluderet ad noctem AEgyptiacam, usus est eodem verbo *transiliendi*.

V. 6. CONVERTIMINI SICUT IN PROFUNDUM

DUM RECESSERATIS, FILII ISRAEL. Alii ex Heb. I. *Convertimini ad id, a quo admodum declinastis, filii Israel.* II. *Convertimini ab ea incredulitate in quam vos demersistis, filii Israel.* III. *Revertimini, filii Israel, quantum defectione in profundum descendistis.* IV. *Convertimini, filii Israel, ad eum contra quem plures vestrum machinati sunt rebellionem.* V. *Revertimini ad eum, contra quem, multiplicaverunt perversum filii Israelis*, id est multa perversa fecerunt. VI. Forsterus bifariam exponit: *Revertimini ad illum, a quo profundaverunt defectionem*, id est *multiplicaverunt, filii Israel;* vel *revertimini ab ea, qua demersi sunt aversione, filii Israel.* VII. Mercerus: *Revertimini ad eum, a quo profundam fecistis aversionem, filii Israelis;* quasi dicat, A quo plurimum recessistis, & defecistis, & in quem multiplicastis defectionem. Enallage personæ huic linguæ familiaris. VIII. Tremellius, & Iunius: *Revertimini ad eum, in quem profundant*, sive *profundam faciunt apostasiam*, vel *quem summa & profunda apostasia provocant filii Israelis.* Alter conclusionis locus, ut diximus in vers. 1. reliquias populi exhortans ad veram pœnitentiam, hoc versu; tum promissiones subnectens. De voce סרה *sarah*, quam hic nos *discessionem* vertimus, vide supra cap. 1. 5.

V. 7. IN DIE ENIM ILLA ABIICIET VIR IDOLA, &c. Alii: *Cum die illa spernent quisque idola, simulacra*, &c. Expositio promissionum in resipiscentes, quorum seria pœnitentia describitur hoc versu periphrasticos. De voce אלילים *elilim*, quam hic *idola* vertunt, vide supra cap. II. 8. & cap. X. 10.

V. 8. ET CADET ASSUR, &c. Alii: *Tunc cadet*; id est, quando reconciliatus fuerit Deus cum resipiscente Ecclesia, omnia succedent optime: Deus enim ipse Ecclesiam suam protegens victoriam tribuet ab omnibus hostibus, eorum spoliis locupletabit Ecclesiam, denique cumulabit benedictionibus: quæ promissio synecdochice ab exemplo recentis victoriæ contra Assyrium (quo uno potentissimo hoste fuerat tunc infestata Ecclesia) describitur: *Assyrius*, id est quisquis, ut Assyrius, fuerit hostis Ecclesiæ Dei: synecdochice, ut supra cap. XXV. 10. *gladio non virili*, sed divino, id est spiritu Dei, ut Zecariæ IV. 6. *& gladius non humanus consumet eum; & fuga consulet sibi metu gladii, iuvenesque eius & lectissimi eius tributarii erunt;* id est, Ecclesiæ ministrabunt, & servient, ut Psal. LXXI. 8. & sequentibus. Hinc autem apparet non proprie hoc quidem loco agi de cæde exercitus Assyriorum regnante Chizkia (quia tunc temporis minime effectum est, ut ulli Asyriorum fierent tributarii) sed victoriam Ecclesiæ in regno Christi cum illa victoria de Assyrio comparatam, numeris omnibus illi anteferri; quasi dicat: Et illud fiet, & multo amplius. ET IUVENES EIUS VECTIGALES ERUNT. Heb. *& electi iuvenes eius contributioni, tributo*, vel *in tributum erunt.* Hoc cladi Sancheribi aptari commode nequit. Quidam reddunt: *iuvenes eius in liquefactionem erunt*, id est animis destituentur, vel corporibus contabescent ac dissolventur ab angelo percussi: quod apte militibus Sancheribi congruit.

V. 9. ET FORTITUDO EIUS A TERRORE TRANSIBIT. Alii ex Heb. I. *& ad rupem*, vel *ad arcem suam*, seu *ad propugnaculum suum* munitissimum, id est Asyriam, *transibit*, vel se recipiet Sancherib. II. *nam petra eius*, id est receptus eius, cui confidit tamquam firmissimo munimento regni, *præ formidine transibit*, id est evanescet, deiicietur, & habitatores diffluent formidine. ET PAVEBUNT FUGIENTES PRINCIPES EIUS. Alii ex Heb. I. *& pavebunt principes eius a signo*, seu *a vexillo*. II. *& conterentur pro signo principes eius*, id est metu signi, aut vexilli, quod contra ipsos Deus erexerit, ut Exod. XVII. 15. DIXIT DOMINUS. Heb. *certum & indubitatum dictum Iehovæ*, vel *fidelis sermo Iehovæ:* vide in Genes. XXII. 16. CUIUS IGNIS EST IN SION, ET CAMINUS EIUS IN IERUSALEM. Plerique putant esse Hebraismum, quem nos Hispani apte exprimimus: *Tiene casa y hogar en Sion y en Ierusalem;* quasi dicat, Deus est quasi inquilinus & habitator Ierusalaimorum, concivis eorum, unde non poterit non adesse illis, & curam ac protectionem eorum agere. Alii respectum putant ad altare holocaustorum, & ad perpetuum ignem consumentem sacrificia; unde reddunt: *qui habet focum in Tziione, & furnum in Ierusalaim;* quasi dicat, Qui perpetuis sacrificiis in templo Ierosolymitano colitur: unde non pote-

poterit non protegere suos, ac propugnare a quibus iugiter colitur; nam sacrificia sunt, quæ melius bellum adversus hostem gerunt. Sic supra cap. xxx. 32. dicuntur *bella oblationum*: & notum illud Numæ dictum, quo nuntiis de adventu hostium respondebat: *At ego sacrifico*. Tremellius, & Iunius exponunt: *cui ignis est Tziione, & furnus Ierusch alaimis*. His attributis Dei summas causas attingit Propheta prædictæ administrationis: Deus, inquit, in Ecclesia sua habitat, & in ea deposuit quidquid cum ad cultum suum, tum ad ultionem de hostibus sumendam pertinet; ac proinde quicumque in Ecclesiam invehuntur, & Dei cultum labefactare volunt, seipsos tamquam in furnum cadentem ingerunt, in iram Dei, ut dictum est supra cap. xxx. 30. & 33. *Ignis est*, &c. ad colendum Deum sacrificiis. *Et furnus*: ad consumendos adversarios Dei & Ecclesiæ. De voce תנור *thannur*, *furnus*, vide Notas in Genes. xv. 17.

MENOCHII.

Vers. 1. VAE QUI DESCENDUNT IN AEGYPTUM. Prophetat contra decem tribus, quæ quia non Dei, sed AEgypti opem implorarunt, a Salmanasar eversæ, & in Assyriam sunt abductæ.

V. 2. IPSE, Deus. SAPIENS. Chal. *in sapientia sua*. LXX. *sapienter*. ADDUXIT, id est adducet; est enim prophetia & prædictio rei futuræ. VERBA SUA NON ABSTULIT, id est *non fecit irrita*, ut habet Chaldæus. CONTRA DOMUM PESSIMORUM, id est contra decem tribus, quæ spreto Deo ad vitulos aureos, & ad AEgyptios confugerunt. ET CONTRA AUXILIUM OPERANTIUM INIQUITATEM, id est contra AEgyptios, qui decem tribubus auxiliantur, suntque homines scelerati, & operantes iniquitatem.

V. 3. AEGYPTUS, HOMO, ET NON DEUS: id est, AEgyptii homines sunt fragiles, & imbecilles, ideoque spem vestram in iis collocare non debetis, sed in Deo. INCLINABIT MANUM SUAM, scilicet ad percutiendum, tam eos, qui petunt, quam eos qui ferunt auxilium.

V. 4. QUIA HAEC DICIT DOMINUS, &c. Exemplo duarum tribuum, quæ auxilio Dei invocato tutæ fuerunt, ostendit Propheta male fecisse Samaritas, qui ad AEgyptios confugerunt. SUPER MONTEM SION: super Ierusalem, ut illam tueatur ab hostium incursu, ut leo prædam suam tuetur ab impetu pastorum.

V. 5. SICUT AVES VOLANTES, &c. Sicut aves nidis suis incubant, & pullos protegunt, ne rapiantur ab accipitre, sic Deus proteget Ierusalem. In similitudine leonis notatur robur, in similitudine avium pietas, clementia, & sedulitas; quasi dicat: Deus poterit ut leo, & volet eos defendere, ut aves pullos suos. TRANSIENS: circum nidum volitans, & se accipitri, aut milvo opponens.

V. 6. SICUT IN PROFUNDUM RECESSERATIS. Hebraice est, *sicut profundastis iniquitatem*; quasi dicat: Sicut profunde a me declinastis ad idola, & scelera descendentes, ita nunc serio ad me redite. Alloquitur decem tribus.

V. 7. IN DIE ILLA, &c. quasi dicat: Convertimini ad Deum, o decem tribus, sic enim eius opem experiemini, perinde ac mox experientur duæ tribus, cum abiectis omnibus idolis, quæ nonnulli eorum tempore Achab fecerunt, unanimes toto corde me colent, & invocabunt; tunc enim liberabo eos, & cædam Assur, id est Sennacherib eos impugnantem.

V. 8. NON VIRI; sed angeli 185. millia interficientis. NON A FACIE GLADII: non ab humano gladio, a quo nihil passi sunt. IUVENES EORUM VECTIGALES ERUNT, id est Assyrii qui prius solebant aliis vectigal imperare, iam ipsi illud pendere cogentur.

V. 9. FORTITUDO EIUS A TERRORE TRANSIBIT, id est ob terrorem solvetur. CUIUS IGNIS EST IN SION: qui colitur sacrificiis quæ incenduntur in Sion. ET CAMINUS EIUS, &c. Repetitio eiusdem sententiæ.

TIRINI.

Vers. 2. IPSE SAPIENS, nempe Deus; quasi dicat: Iudæi quantumcumque sagaces & prudentes sibi videantur in hac sua fuga in AEgyptum, non effugient tamen manus sapientissimi Dei. Quare sapientiores essent, si abnegato proprio sensu, se totos crederent Deo, & eius ope tuti hærerent in Iudæa. NON enim ABSTULIT, neque auferet VERBA SUA, id est non revocabit ea quæ verbis suis minatus est eis, sed CONSURGET acerrimus ultor

ultor CONTRA DOMUM PESSIMORUM, id est contra omnem illam Iudæorum Deo rebellium congregationem in AEgyptum properantem: & simul consurget CONTRA AUXILIUM OPERANTIUM INIQUITATEM, id est contra AEgyptios qui impius Iudæis auxiliari contendent. Patet ex vers. seq. ubi contra utrosque ait: DOMINUS INCLINABIT MANUM SUAM; nempe ad percutiendum, ad prosternendum, ad consumendum. Quanto sapientius acturi sunt Iudæi sub Ezechia, cum ingruente maiore tempestate per Sennacherib excitata, non confugient ad AEgyptios, fragiles & imbecilles, sed ad Deum immortalem, fortissimum atque invictissimum? Qui instar

V. 4. LEONIS SUPER PRAEDAM SUAM RUGIENTIS, ac pro ea tutanda satagentis, DESCENDET UT PRAELIETUR SUPER MONTEM SION, & tueatur Ierosolymam, totamque Iudæam adversus Assyrium prædatorem Sennacherib.

V. 5. ET SICUT AVES VOLANTES, quæ nidum suum rostro & unguibus adversus accipitrem & aucupem defendunt, immo vitam suam pro pullis periculo obiiciunt; ita se geret Deus pro Ierosolyma. Alludit ad verba Sennacheribi supra x. 14. minitantis Iudæis, se eos quasi nidos cum pullis perditurum. Horum Iudæorum exemplo

V. 6. CONVERTIMINI, O FILII, non iam Iuda, seu duarum tribuum Deo adhærentium, sed ISRAEL, seu decem tribuum Deo rebellium: nam licet ex Iuda sitis oriundi, cum Israelitis tamen a Deo deflexistis, & IN PROFUNDUM idololatriæ & aliorum scelerum delapsi estis. Convertimini tandem aliquando: sic enim præsentem Dei opem experiemini, sicut sub Ezechia iam experientur antecessores vestri Iudæi, qui abiectis omnibus idolis suis a tempore impiissimi Achaz reliquis, se totos converterunt ad Deum sibi propitium reddendum. Ita facite & vos, & omne hostile robur, quod formidatis a Chaldæis, prorsus concidet & evanescet: sicut iam sub Ezechia mox

V. 8. CADET blasphemus ASSUR Sennacherib prosternendus GLADIO NON VIRI, sed angeli, qui una nocte cædet ex eius exercitu 185. millia. ET IUVENES EIUS, seu subditi ipsius, nempe Assyrii, qui alis iam dominantur, & tributum ac vectigal imperant, post paulo VECTIGALES ERUNT aliis, nempe primo, Chaldæis; secundo, Persis & Medis; tertio, Græcis; quarto, Romanis; nec umquam pristino imperio & splendori restituentur: ita S. Hier. Nempe, pari modo Deus pro vobis, si fideles illi adhæseritis, pugnabit adversus hostes vestros: Chald. Quia

V. 9. IGNIS EIUS EST IN SION, ET CAMINUS IN IERUSALEM; id est, a Ierosolimitanis & Ierosolymæ vult sacrificiis coli in suo altari igne perpetuo succenso; quasi dicat: Non est quod Ierosolyma fugiatis in AEgyptum, cum decreverit Deus Ierosolymæ cultum divinum una cum templo instaurare: AEgyptum vero funditus exscindere. Mystice, ignis Dei in Ecclesia, & in anima nostra est caritas, qua maxime colitur Deus, inquit S. Gregorius *a*.

(a) Gregorius homil. XXI. in Ezech.

GORDONI.

Vers. 1. VAE QUI DESCENDUNT IN AEGYPTUM, &c. Hunc descensum in AEgyptum melius referemus ad tempora Salmanasar, quando ipse septimo anno Ezechiæ transtulit decem tribus: nam tunc multi timore correpti descenderunt in AEgyptum, inde petentes auxilium, & non a Deo.

V. 4. & 5. Nunc de duabus tribubus sub Ezechia quas protegens Deus liberavit confugientes ad Deum, qui ut leo fortis protegit suos. Hæc velut per parenthesin.

V. 6. CONVERTIMINI SICUT IN PROFUNDUM, &c. Hortatur decem tribus, ut redeant ad Deum exemplo duarum tribuum; Qui, inquit, ivistis in profundum malorum, ita nunc redite profundo corde. IN DIE sane ILLA (vers. 7.) sub Ezechia, ABIICIET VIR IDOLA, ET ASSUR (Sennacherib) CADET IN GLADIO NON VIRI, sed Angeli gladio. Nota est historia ex Libris Regum. IV. Reg. cap. XXIX.



CAPUT XXXII.

De rege ac principibus in iustitia regnaturis, & de populi subditi felicitate: stulto autem principi & opulentis mulieribus futura prædicitur calamitas: pacis quoque pulchritudo ac requies opulenta promittitur populo Dei.

1. ECce in iustitia regnabit rex, & principes in iudicio præe-
runt. 2. Et erit vir sicut qui absconditur a vento, & ce-
lat se a tempestate, sicut rivi aquarum in siti, & umbra
petræ prominentis in terra deserta. 3. Non caligabunt o-
culi videntium, & aures audientium diligenter ausculta-
bunt. 4. Et cor stultorum intelliget scientiam, & lingua
balborum velociter loquetur & plane. 5. Non vocabitur
ultra is, qui insipiens est, princeps: neque fraudulentus appellabitur maior: 6.
stultus enim fatua loquetur, & cor eius faciet iniquitatem, ut perficiat simu-
lationem, & loquatur ad Dominum fraudulenter, & vacuam faciat animam
esurientis, & potum sitienti auferat. 7. Fraudulenti vasa pessima sunt: ipse e-
nim cogitationes concinnavit ad perdendos mites * in sermone mendaci, cum
loqueretur pauper iudicium. 8. Princeps vero ea, quæ digna sunt principe,
cogitabit, & ipse super duces stabit. 9. Mulieres opulentæ surgite, & audite
vocem meam: filiæ confidentes percipite auribus eloquium meum. 10. Post
dies enim & annum, vos conturbabimini confidentes: consummata est enim
vindemia, collectio ultra non veniet. 11. Obstupescite opulentæ, conturbami-
ni confidentes: exuite vos, & confundimini, accingite lumbos vestros. 12. Su-
per ubera plangite, super regione desiderabili, super vinea fertili. 13. Super
humum populi mei spinæ & vepres ascendent: quanto magis super omnes do-
mos gaudii civitatis exultantis? 14. Domus enim dimissa est, multitudo urbis
relicta est, tenebræ & palpatio factæ sunt super speluncas usque in æternum.
Gaudium onagrorum pascua gregum, 15. donec effundatur super nos spiritus
de excelso: & erit desertum in charmel, & charmel in saltum reputabitur. 16.
Et habitabit in solitudine iudicium, & iustitia in charmel sedebit. 17. Et erit
opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium, & securitas usque in sempiter-
num. 18. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis
fiduciæ, & in requie opulenta. 19. Grando autem in descensione saltus, & hu-
militate humiliabitur civitas. 20. Beati, qui seminatis super omnes aquas, im-
mittentes pedem bovis & asini.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

Vers. 7. *In sermone mendaci*. Alii pro adiectivo *mendaci*, scribunt substantivum *mendacii*.

COM-

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. I. **E**CCE IN IUSTITIA REGNABIT REX, id eſt Chriſtus. ET PRINCIPES, id eſt Apoſtoli, IN IUDICIO PRAEERUNT. Heb. ישרו; *principabuntur:* paronomaſia.

V. 2. ET ERIT VIR, id eſt rex ille Chriſtus. SICUT QUI ABSCONDITUR A VENTO. Heb. כמחבא, *ſicut abſconſio a vento;* id eſt, tam gratus hominibus, quam locus apricus iis, qui a vento fugiunt. ET CELAT SE A TEMPESTATE: וסתר זרם, *& latibulum imbris;* id eſt, ſicut locus tectus, in quem confugimus ingruente imbre, id eſt erit aſylum & confugium omnium hominum.

V. 3. ET NON CALIGABUNT OCULI VIDENTIUM, id eſt volentium videre. ET AURES AUDIENTIUM, id eſt volentium audire: ut *qui habet aures audiendi audiat:* Matth. XI. 15. quaſi dicat: Non erunt homines cæci & ſurdi ad intelligendum verbum Dei, ſicut nunc ſunt; ſed *erunt omnes docibiles Dei*: Iſai. LIV. 13. & Ioan. VI. 43. ut ſupra cap. XXX. 20. 21.

V. 4. ET COR STULTORUM, id eſt qui ante ſtulti erant & imperiti, quod in Apoſtolis factum videmus. ET LINGUA BALBORUM, id eſt qui ante neſciebant de divinis myſteriis loqui, deque eius laudibus. VELOCITER LOQUETUR, ET PLANE: צחות, *polite*.

V. 5. NON VOCABITUR ULTRA IS QUI INSIPIENS EST, PRINCEPS. Vel, לנבל נדיב, *ſtultus, liberalis & fraudulentus appellabitur maior*. Vel, לכילי שוע, *& avarus non dicetur dives*, ut alii vertunt. Senſus eſt, fore ut Chriſto regnante non habeantur pro virtutibus vitia, ſicut ante. Aut, non eſſe futuros homines hypocritas; Chriſtum enim ponendum *in ruinam & reſurrectionem multorum, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes:* Lucæ II. 35. Hunc enim ſenſum declarat verſu ſequenti.

V. 6. STULTUS ENIM FATUA LOQUETUR; id eſt, talis unuſquiſque & verbis & factis apparebit, qualis re ipſa eſt. UT PERFICIAT SIMULATIONEM; id eſt, ſcelus quod ante ſimulabat, ac tegebat, re ipſa patrando declarabit. ET LOQUATUR AD DOMINUM FRAUDULENTER; id eſt, ita fraudem contra Deum conceptam non ſimulabit, ſed efferet & patefaciet. Vel, ולידבר ליהוה תעה, *& ut loquatur Deo* (aut de Deo) *errorem*, id eſt blaſphemias contra Deum. ET VACUAM FACIET; id eſt, eſurientes & ſitientes fame & ſiti perire faciat; quaſi dicat: Contra Deum & contra homines quam iniquus quiſque fuerit, apparebit: primo enim loco poſuit peccata contra Deum, ſecundo contra homines.

V. 7. FRAUDULENTI VASA: כלי כליו רעים, *& avari vaſa mala* (erunt) id eſt, rationes, artes avari malas eſſe conſtabit, neque diſſimulare poterit. Pergit enim Propheta in eadem ſententia, & ut doceat fore, ut talis unuſquiſque appareat, qualis revera erit. IPSE ENIM COGITATIONES CONCINNAVIT; pro, concinnabit tunc, præt. pro fut. Heb. זמות רעץ, *fraudulenta inibit conſilia*. AD PERDENDOS MITES, id eſt ad fallendos pauperes verbis mendacibus, ſicut avari mercatores pauperes ruſticos ſpecioſis verbis circumvenire ſolent. CUM LOQUERETUR PAUPER IUDICIUM; id eſt, cum pauper in iudicio cauſam ſuam aget, avarus eum opprimet falſis teſtibus. Alii vertunt, ומדבר אביון משפט, *& ut loquatur contra pauperem in iudicio*; aut *iudicium*, id eſt ut cauſam contra illum agat.

V. 8. PRINCEPS VERO EA QUAE DIGNA SUNT PRINCIPE, id eſt, *liberalis liberaliter aget:* ונדיב נדבות רעץ; quaſi dicat: Sicut avarus avarum, ita liberalis liberalem ſe ſe re ipſa oſtendet. ET IPSE SUPER DUCES STABIT, id eſt præ ceteris magnis viris notus erit. Vel, והוא על נדיבות יקום, *& ipſe propter liberalitates ſurget*, ad verbum; id eſt, fama & opinione creſcet, non erit occultus, ſed celebris; vel, ipſe ad liberalitates ſurget, id eſt magis liberalis fiet.

V. 9. MULIERES OPULENTAE. Prænuntiavit ante felicitatem eorum qui in Chriſtum credituri erant; nunc denuntiat calamitatem eorum qui non erant. *Mulieres opulentæ*. Heb. שאננות, *otioſæ* ac domi ſecuræ deſidentes. SURGITE, id eſt attente audi-

audite: hanc vim habere arbitror hoc verbum; solemus enim surgere cum aliquid attentius audire volumus. Mulieres autem potius quam viros alloquitur, quia in illis maxime solet luctus, vel lætitia civitatis apparere: ut cap. III. 16. 17. *Pro eo quod ambulaverunt filiæ Sion extento collo*, &c. *Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion*. Alii Hebræos secuti putant mulieres hoc loco maiores civitates intelligi; filias autem minora oppida. FILIAE CONFIDENTES; id est, quæ securæ estis, nihil timentes periculi: easdem (ut ego arbitror) vocat filias, quas mulieres, & confidentes, quas otiosas vocaverat.

V. 10. POST DIES ENIM ET ANNUM, id est, tandem aliquando volvenda dies hanc vobis calamitatem afferet. Alii, *dies & annos*, id est diu (scilicet sub vobis hoc malum durabit.) Alii, *post aliquot dies & annum eveniet*: quod ego minime probo. ET VOS CONTURBABIMINI CONFIDENTES; id est, quæ nunc confidentes estis, tunc metuetis. Perturbationem futuram præsenti confidentiæ opponit. CONSUMMATA EST ENIM, id est consummabitur, deficiet. Præt. pro fut. כלה, *& collectio*; id est, messis ultra non erit: his verbis sterilitatem significat: per hanc autem sterilitatem omnia pœnarum genera intelliguntur; sed loquitur de iis, quæ homines maxime timere solent, ut supra cap. XXIV. 7. *Luxit vindemia, infirmata est vitis*.

V. 11. OBSTUPESCITE OPULENTAE: שאננת, *otiosæ*, *securæ* (vocativus) ut vers. 9. EXUITE vos (delicatis & luxuriosis vestibus) ET CONFUNDIMINI: וערה, *& nudate* (vos.) ACCINGITE LUMBOS VESTROS. Heb. וחגרה על חלצים, *& accingite* (vos sacco) *super lumbos*, quod magni luctus signum erat.

V. 12. SUPER UBERA, id est propter ubera; quasi dicat, Propter lactis inopiam. PLANGITE. Heb. ספדים, *plangentes* (erunt) SUPER REGIONE DESIDERABILI, id est propter agros alioqui fertiles, quia steriles erunt. ET SUPER VINEA FERTILI, quia scilicet non feret fructum.

V. 13. SUPER HUMUM POPULI MEI, id est super terram Iuda non credentis. SPINAE ET VEPRES ASCENDENT, id est terram cooperient, quia inculta erit & horrida: QUANTO MAGIS SUPER OMNES DOMOS GAUDII CIVITATIS EXULTANTIS; id est, multo magis ascendent super domos ipsas ad voluptatem factas. *Civitatis exultantis*, id est Babylonis civitatis superbæ, quia evertetur; quasi dicat: Si in terram Iuda tantum sterilitatem missurus sum, quanto maiorem mittam in terram hostium. Heb. כי על כל־בתי משוש. Alii, *quia super omnes domos gaudii* (ascendent.) Alii, *sed & super omnes domos gaudii*.

V. 14. DOMUS ENIM: כי ארמון נטש, *quoniam palatium* (quæ nunc sunt pulchra & magnifica palatia) *derelictum est*, id est derelinquetur: præt. pro fut. *erit desertum*. ET MULTITUDO: המון עיר, *tumultus urbis*, id est urbs propter frequentiam plena strepitus & tumultus. RELICTA EST, pro relinquetur; erit inhabitata. ET TENEBRAE ET PALPATIO; id est, urbes frequentissimæ fient obscuræ speluncæ, ut earum tenebræ palpari queant. Heb. עפל ובחן, &c. *arx & munitio erunt in speluncam usque in sæculum*. GAUDIUM ONAGRORUM (repetendum ἀπὸ τοῦ κοινοῦ,) erunt in gaudium onagrorum, id est in locum aptum, & gratum onagris. ET (in) PASCUA GREGUM.

Sunt segetes ubi Troia fuit.

Sic declarat futuram vastitatem, ut supra cap. XXVII. 10. *Ibi pascetur vitulus, & ibi accubabit*.

V. 15. DONEC EFFUNDATUR SUPER NOS SPIRITUS DE EXCELSO; id est, non prius desinet ita punire nos (loquitur Propheta pro populo suo) quam ira Dei effusa fuerit: hanc enim, ut opinor, vocat spiritum, ut Psal. XVII. 16. *Ab increpatione tua, Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ*. Vel, *donec effundatur super nos Spiritus sanctus*, id est donec & nos per Spiritum sanctum. ET DESERTUM ERIT CHARMEL, id est, omnis creatura renovata fuerit atque mundata; id est, donec *omnis vallis exaltetur, & omnis mons & collis humilietur*: Isai. XL. 4. & Lucæ III. 5. Similis locus supra cap. XXIX. 17.

V. 16. ET HABITABIT IN SOLITUDINE; id est, in loco qui prius desertus erat, erit ipsum tribunal iudicii, id est caput regni. ET IUSTITIA, id est locus ubi iustitia reddetur in Charmel, id est in eo qui ante erat ager frugifer. Repetitio præcedentis membri. Mystice vero significat fore, ut caput regni Christi sit in loco, qui prius desertus erat, in populo gentili, sicut nunc videmus esse Romæ.

V. 17.

V. 17. Et erit opus iustitiae pax; id est, ex iustitia quæ in Ecclesia administrabitur, consequetur pax. Et cultus iustitiae. Repetitio eiusdem sententiæ. Heb. והעבודת הצדקה, *& effecta iustitiæ* (erunt) *silentium*, id est quies השקט, *securitas* & confidentia. Alludit ad falsam illam securitatem, de qua dixit vers. 9. & 11. cui opponit veram & solidam securitatem, quam Christus erat allaturus. Psal. LXXI. 7. *Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis, donec auferatur Luna.*

V. 18. Et sedebit populus meus: non qui nunc est, sed qui tunc erit populus meus, id est Christianus. In pulchritudine pacis. Heb. בנוה שלום, *in* (pulchro) *habitaculo pacis*. Sedendi verbum securam tranquillitatem significat. Et in requie opulenta. Heb. ובנוחות שאננות, ad verbum, *in quietibus otiosis:* idem verbum quod posuit supra vers. 9. ad quod nunc alludit. Hæc autem omnia pro adverbiis ponuntur; quasi dicat: Christiani pacifice, confidenter, & tranquille agent.

V. 19. Grando autem in descensione saltus. Hebræi, & qui eos sectantur, sic exponunt: Quando grandinabit, non descendet neque cadet grando in vineas aut sata, ne illis noceat, sed in sylvas ubi nocere non poterit. Et humiliabitur civitas, id est ædificabitur in locis humilibus & planis, quia non erit ullum periculum, cum ante, propter frequentes hostium irruptiones, non nisi in montibus & locis difficilis accessus ædificaretur. Possumus etiam sic interpretari fore, ut montes grandine percutiantur, id est, ut superbi deprimantur, & ut superbæ civitates humilientur, ut Isai. XL. 4. & Lucæ III. v. Nam

—— *Feriunt summos fulmina montes.*

V. 20. Beati qui seminatis. (Heb. *beati vos qui seminantes eritis*) super omnes aquas, id est in omnibus locis aquosis. Per aquam, fertilitatem significari sæpe diximus, ut supra cap. XXX. 23. In regionibus enim calidioribus, qualis erat Palæstina, ex pluviæ abundantia fertilitas pendet. Immittentes pedem bovis, &c. Vulgaris interpretatio est: Tanta erit segetum luxuries, ut in eas boves & asinos immittatis, ut depascantur. Ego aliter interpretor: *Immittentes* (id est, figentes) *pedem bovis & asini*; id est, arabitis in locis tam aquosis, ut boves & asini, quibus arabitis, alte pedem defigant.

S A.

Vers. 1. Rex, scilicet Christus. Principes, scilicet Ecclesiæ Prælati.

V. 2. Vir, id est quisque piorum, scilicet tutus. Siti; pro, siccitate, scilicet loco arido. Chald. *terra sitiente;* quasi dicat, Nihil iustis deerit, scilicet rerum ad salutem necessariarum. Umbra; pro, sicut umbra.

V. 4. Stultorum, scilicet antea: tales gentiles ante fidem. Plane, id est aperte.

V. 5. Non vocabitur, &c. LXX. *non dicent ultra stulto, ut princeps sit*. Chald. *non dicentur amplius impii, iusti*. Maior. Chald. *fortis*.

V. 6. Stultus enim, &c. quasi dicat: Apparebit enim statim quis stultus sit. Ad, id est contra. Chald. *ante*.

V. 7. Vas, id est arma, seu instrumenta. Chald. *opera*. Iudicium, id est iusta, vel *in iudicio*, scilicet se defendens.

V. 9. Mulieres, id est urbes. Chald. *provinciæ*. Filiae. Chald. *civitates*. Confidentes, scilicet in divitiis & potentia.

V. 10. Dies enim et annum, id est aliquot annos. Consummata, id est consumpta.

V. 11. Exuite, scilicet pretiosis vestibus. Accingite, scilicet saccis.

V. 12. Ubera, scilicet lacte carentia.

V. 13. Super humum, &c. quasi dicat: Si iustos punire soleo, quid fiet impiis?

V. 14. Super speluncas, id est ad speluncas confugientium, ut lateant. In aeternum. Chald. *ad tempus*, scilicet longum. Onagrorum, scilicet qui illic pascentur. Pascua; pro, & pascua.

V. 15. Effundatur, scilicet tempore Evangelii. Spiritus. Chald. *refrigeratio*. Erit desertum, &c. vide sup. cap. XXIX.

V. 16. Solitudine, scilicet gentilitate, quæ antea sterilis, cum fuerit facta *charmel*, id est *fertilis*.

V. 17. Silentium, id est tranquillitas. Chald. & LXX. *quies*.

V. 19. Grando autem, &c. quasi dicat, Punientur iniqui. In descensione saltus, id est descendet in saltum, scilicet in homines incultis moribus. Civitas, scilicet Ierusalem.

V. 20. Omnes aquas, id est loca irrigua, scilicet spiritualiter. Immittentes, scilicet eo. Pedem, &c. Chald. *boves ad calcandum, & asinos ad colligendum*, scilicet frumentum. Quidam per bovem Iudæum intelligunt, per asinum Gentilem; quod ille fuerit sub iugo Legis, hic vero sub idololatriæ stultitia.

E S T I I.

Vers. 20. Beati qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bovis et asini. Apostolis hoc dictum est, qui seminarunt verbum Dei super omnes populos, concludentes, & quasi pedicis quibusdam illaqueantes *pedem bovis & asini*, id est populum iudaicum & gentilem. Ubi per bovem Iudaicus populus intelligitur, propter iugum, de quo Petrus Act. xv. *Et nunc quid tentatis Deum, imponere iugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?* Per asinum autem, populus gentilis, propter stoliditatem & ignorantiam unius veri Dei.

M A R I A N AE.

Vers. 1. Ecce in iustitia. Heb. *ad iustitiam*, iuste. *Lamed* iuncta nominibus vim adverbii habet, *ad iustitiam*, pro, iuste. Ezechiæ regnum describitur, & sub eo typo regnum Christi. Principes in iudicio praeerunt, id est iuste. Non est satis Regem esse iustum, nisi ministri sint probi.

V. 2. Et erit vir, scilicet Ezechias vir ille, aut *vir*, id est quisque Principum. Sicut qui absconditur. Heb. *sicut latibulum venti*; pro, a vento. Et celat se a tempestate. Heb. *& latebra a tempestate*, seu *turbine*. Proteget omnes Ezechias, erit commune perfugium. Sicut rivi aquarum in siti. Heb. *in siccitate*; pro, in terra sicca, in deserto. Et umbra petrae prominentis. Heb. *petræ gravis*, id est vastæ rupis. In terra deserta, sive *sitienti*. Sic erit Ezechias ut latebra, ut rivus, ut umbra.

V. 3. Non caligabunt; quasi dicat, Nullæ erunt tenebræ mœroris. Lux perspicua, nulli tumultus, qui aures impediant, sed tranquilla pax. Id significat, *Aures auscultabunt*.

V. 4. Cor stultorum. Heb. *cor festinantium*. Sed festinant stulti: Prov. xix. 2. Chald. *cor insipientium*. Septuag. *cor infirmorum*. Velociter loquetur et plane. Heb. *festinabit loqui nitida*, id est facunde: צחות *zahuth* Rabbinis *eloquentia* est.

V. 5. Is, qui insipiens est, princeps non vocabitur. Magna perversio est mutare nomina, vitiis affingere virtutum similium voces. Id vitium corrigetur eo tempore Ezechiæ. Heb. *Stultus non vocabitur liberalis*. *Stultus*, id est prodigus; qui sua sine iudicio effundit. Neque fraudulentus appellabitur maior. Heb. *neque tenax dicetur dives*. Avarus non sibi dives est, sed heredibus.

V. 6. Ut perficiat simulationem, seu *hypocrisim*, seu *pravitatem*, ut eam ad effectum perducat iniquitatem faciet stultus. Et loquatur ad Dominum fraudulenter. *Loquatur*, id est faciat contra Dominum fraudem. Heb. *errorem*: sic Chald. Quomodo errorem, aut fraudem? quia inopibus nihil dat, ac potius illis aufert quæ habent. Id est fraudem contra Deum nectere, & esurientis animam evacuare.

V. 7. Fraudulenti, tenacis. Vasa pessima sunt, id est mensuræ: sic emungit pauperes. Cogitationes concinnavit. Heb. *versutias consuluit*, id est concinnavit. Cum loqueretur pauper iudicium, id est cum iusta peteret pauper, ille fraude illum pervertit. Hebraica possunt etiam sic verti: *Et in loquendo pauperi in iudicio*. Ibi etiam suas nectit fraudes, ut illum spoliet, contra eum iudices pronuntient. Hæc tenax.

V. 8. Princeps vero. Heb. *liberalis liberalia consulit*; ut scilicet aliis benefaciat. Et ipse super duces stabit, id est ministros præstabit civibus, bonos faciet: non solum ipse faciet quæ Principem decent. Id sonant Vulgatæ verba. Hebr. *& ipse super liberalia exurget*, id est propter suam munificentiam extolletur, celebrabitur.

V. 9. Mulieres opulentae, audite, *Mu-*

Mulieres vocat urbes, *filias* minora oppida. Porro lætis tristia miscet, fore brevi annonæ inopiam.

V. 10. POST DIES ENIM ET ANNUM. Heb. *dies post annum*, id est dies aliquot supra annum. Quidam per *dies*, quando absolute ponitur, intelligunt annum; ac si diceret, Anno post annum, id est aliquot annis ea afflictio erit. De quo I. Reg. XXVII. 7. plura sunt dicta. VOS CONTURBABIMINI CONFIDENTES, id est qui nunc securæ estis. CONSUMMATA EST ENIM VINDEMIA. Defecit sive propter hostes circumfusos, sive ob malignitatem temporum. COLLECTIO, scilicet fructuum. ULTRA NON VENIET. Heb. non est *ultra*.

V. 11. OBSTUPESCITE, timete. EXUITE VOS, ET CONFUNDIMINI. Heb. *exue te*, *& nuda te:* singulare pro plurali. EXUITE VOS, scilicet pretiosis vestibus. ACCINGITE LUMBOS VESTROS, scilicet saccis. Heb. *accinge super lumbos*. Sic fit rebus asperis.

V. 12. SUPER UBERA PLANGITE, id est super infantes lactantes. Deerit illis alimentum. SUPER REGIONE DESIDERABILI. Heb. *super agros desiderii*, id est qui erant amœni. VINEA FERTILI, seu *frugifera*.

V. 13. QUANTO MAGIS. Heb. *quin etiam*. SUPER OMNES DOMOS GAUDII, supple, erit planctus. De quo dixerat vers. superiori. *Super omnes domos gaudii*, id est in omnibus domibus, quæ gaudere solebant.

V. 14. DOMUS ENIM. Heb. *palatium dimissum est*, scilicet sine habitatore. MULTITUDO, seu *turba*. RELICTA EST, defecit, urbe habitatoribus vacua. TENEBRAE ET PALPATIO. Heb. *arx & munitio*. Hieronymus ex Hebræorum sententia affert duas turres fuisse Ierosolymis. Altera אפל *Ophel*, id est *tenebræ*, quod propter sublimitatem nubes attingeret. Altera בחן *Bahan*, id est *probatio* & *firmitas*, seu *inquisitio*, quod inde tamquam ex specula subiecta contemplaretur. FACTAE SUNT SUPER SPELUNCAS. Heb. *fuerunt pro speluncis*, ad quas scilicet se recipiebant, vel homines, vel greges. USQUE IN AETERNUM, sive *usque in sæculum:* nam eam desolationem perpetuam non fuisse, sequens versus ostendit. *Donec*, &c. Hoc quo tempore contigit? forte loquitur de excidio sub Vespasiano. GAUDIUM ONAGRORUM, id est prope eas turres, aut arces, tum onagri, tum greges pascebantur, urbe scilicet deserta.

V. 15. DONEC EFFUNDATUR SUPER NOS SPIRITUS DE EXCELSO; scilicet Spiritus sanctus, cuius adventu omnia sunt immutata. Aut *spiritus* pro *respiratione*, ut Chald. *donec veniat respiratio de cælo*, aut pro *voluntate*, *donec effundatur spiritus*, id est donec fuerit voluntas eius, qui est in cælo. ERIT DESERTUM IN CHARMEL. *Charmel* mons erat, sed non e præcipuis, nam superius dixit, quod *Libanus vertetur in charmel*, id est deterior fiet. CHARMEL IN SALTUM. In saltu multæ sunt arbores. Itaque urbs deserta habitabitur.

V. 16. ET HABITABIT IN SOLITUDINE IUDICIUM, id est æquitas in Ierusalem, quæ erat deserta. Itaque per *solitudinem* & *Charmel* eam urbem intelligit, quæ periit ob iniquitatem, rebus mutatis iustitiam colet.

V. 17. ET ERIT OPUS, id est fructus iustitiæ. PAX, id est omnia bona. ET CULTUS IUSTITIAE; seu *opus*, id est fructus Repetitio. SILENTIUM, ET SECURITAS Heb. *requies & spes*: felices erunt Iudæi USQUE IN SEMPITERNUM, seu *sæculum*.

V. 18. ET SEDEBIT POPULUS MEUS IN PULCHRITUDINE PACIS. Alii vertunt, *in habitaculo pacis*, id est in pace. REQUIE OPULENTA, seu *tranquilla*. Cum pace opes augentur quæ bello evertuntur.

V. 19. GRANDO AUTEM IN DESCENSIONE SALTUS; id est, non fruges lædet, sed cadet in saltu, ubi arbores frugiferæ non sunt, id est malos puniet, non bonos. ET HUMILITATE HUMILIABITUR CIVITAS, scilicet Ierusalem, ubi multi mali erunt in quos tempestas desæviet, & quæ per *saltum* intelligitur.

V. 20. BEATI, QUI SEMINATIS SUPER OMNES AQUAS, id est in locis irriguis, humidis, ad quæ grando non perveniet. IMMITTENTES PEDEM BOVIS ET ASINI, scilicet in segetes, ut eas depascantur. Tanta copia & luxuries satorum erit.

MALVENDAE.

Vers. 1. ECCE IN IUSTITIA REGNABIT REX, &c. Alii hunc versum ex Heb. reddunt: I. *Ecce ad iustitiam faciendam regnabit rex, & principes ad iudicium faciendum præerunt*. II. *Ecce iuste* re-

regnabit rex, & principes iuste principatus administrabunt. III. *En iuste regnaturus est rex, & principes iure principatum gerent*. Huius, inquiunt, prophetiæ, quam Propheta scripsit ad consolationem Ecclesiæ per regnum Christi, partes præcipuæ sunt quatuor: prima est hypotyposis, sive propositio, oculis piorum subiiciens constitutionem illius regni usque ad vers. 9. secunda est; hortatio populi ad præveniendas per poenitentiam calamitates eventuras ante illius regni constitutionem, usque ad vers. 15. tertia, descriptio bonorum, quæ percepturi pii ex regno Christi, usque ad vers. 20. ubi est conclusio epiphonematica. Sunt autem in hypotyposi illius regni observanda duo: unum est, salutaris administratio, duobus versibus; alterum; vera institutio & simplicitas in publica & privata administratione omnium, versibus sequentibus. REX. Christus: nam de Chizkiia aut alio ullo accipere alienum esse a vero, cum sequentes promissiones ostendunt, tum vero antecedentium calamitatum descriptio, quam Propheta in hoc capite posuit de industria, ut superiorum esset corollarium. ET PRINCIPES IN IUDICIO PRAEERUNT. Heb. cum nota dativi *Lamed*: *& principibus ad iudicium principabuntur*. Exponunt: Et principibus dabitur, vel incumbet principatum iuste administrare; vel *& de principibus dicetur, quod iuste principabuntur*. Plerique tamen cum Nostro *Lamed* hic notam recti casus accipiunt: *& principes in iudicio, seu iure principatum gerent*; id est, administri regis Christi, & Ecclesiæ, sancte ministrabunt.

V. 2. ET ERIT VIR SICUT QUI ABSCONDITUR, &c. Alii hunc versum ex Heb. I. *Eritque vir sicut ocultatio venti*, vel *absconsio a vento*, seu *propter ventum*; *& ut latibulum a turbine*, vel *propter inundantiam imbrium: ut rivi aquarum in arido loco, ut umbra petræ gravis*, id est *magnæ, in terra sitiente*. II. *Et erit vir quasi absconsio ab imbre, quasi rivi aquarum in siccitate, quasi umbra rupis magnæ in terra defatigationis*. III. *Et erit ille vice latibuli a vento*; id est, tam gratus erit Christus hominibus, quam gratus esse solet locus, in quo abdunt sese homines ad iniuriam venti vehementis vitandam: sic in sequentibus: *& vice receptus a nimbo; sicut aquarum rivi in deserto, & sicut umbra immanis ac prominentis scopuli in terra ubi laboratur siti*. IV. *Et erit vir*, homo Christus, spes & perfugium nostrum, mala depellet a suis, & bona conferet; quæ figurantur suis comparationibus hoc versu: *tamquam absconsio a vento, & latibulum ab inundatione; ut rivi aquarum in arido loco, ut umbra petræ ingentis in terra fessa ex siti*, ut Psal. LXII. 2. Ac si dicat: Rex ille erit omnium afflictorum refugium, ad quem afflicti confugient haud secus quam homines qui tempore magnorum ventorum, & imbrium ad tuta latibula confugiunt: erit præterea omnibus vi malorum æstuantibus opportuna recreatio & refrigeratio.

V. 3. NON CALIGABUNT OCULI VIDENTIUM. Verbum שעה *schaghah*, hic reddunt: *Non avertentur, retrahentur, reprimentur, restinguentur, allucinabuntur, obducentur, oblinentur, occludentur, obscurabuntur*. Tremellius, & Iunius hunc versum ita accipiunt: *Neque connivebunt oculi videntium, sed aures audientium auscultabunt*. Expositio veræ institutionis in Ecclesia per Christum, hoc versu quidem allegorica, sequente vero plana; quasi dicat, Omnes erunt edocti a Deo veritatem, infra cap. LIV. 13. Est autem hoc versu appositio anantapodotos, sive ellipsis contrariorum, hoc modo: *Neque connivebunt oculi, neque obsurdescent aures; sed videbunt oculi, & aures auscultabunt*. Hispanicus Interpres: *No se cegaran entonces los oios delos veyentes*, id est, *delos maestros y ensennadores: y las oreias de los oientes*, id est, *de los discipulos, oyran*. Nobis visum est verbum ab usitata significatione non dimovere, sed alia tamen usurpatione accipere: *Et non respicient blande oculi videntium*; ut hic *blande aspicere* vitium oculorum indicet, quo oculi teneri, molles, humore defluentes, non solide & firme visionem intendunt, sed blande coguntur connivere, ut Leæ oculi Genes. XXIX. 17. quasi dicat: Oculi videntium non erunt blandi, molles, teneri, debiles, lusciosi, conniventes; sed firme ac perspicue figent obtutum, & cernent.

V. 4. ET COR STULTORUM. נמהרים *nimharim*, *festinatorum, festinorum, præcipitatorum, temerariorum, fatuorum*, quod horum sit proprium, omnia festinanter, ac præ-

præcipitanter agere. Quidam reddunt: *inconsideratorum*. INTELLIGET SCIENTIAM. Heb. *intelligere faciet cognitioni*, sive *ad cognitionem*. Quidam: *intentum erit scientiæ*. Verbum ex Hiphil, & constructio eius cum *Lamed*, seriam & accuratam intelligentiam, attentionem, animadversionem in scientiam denotat. BALBORUM. עִלְּגִים *ghillegim*, aiunt esse per metathesin idem quod לוֹעֲגִים *logheghim*, *subsannabiles propter linguæ absurditatem*: nos *blæsos*, aut *balbutientes* dicimus. Hebræi notant, eos qui non norint recte disponere sermonem suum, eo nomine appellari. VELOCITER LOQUETUR, ET PLANE. Alii: *festinabit loqui clara*, *nitida*; id est facunda & diserta verba; quasi dicat: Prompte, expedite, & facile loquentur verbum Dei. Quidam: *expedite eloquetur verba explanata*.

V. 5. NON VOCABITUR ULTRA, &c. Alii hunc versum ex Heb. I. *Non vocabitur ultra stultus liberalis*, *&* *avarus non dicetur dives*. II. *Non vocabitur amplius sordidus nobilis*; *&* *tenax*, *parcus*, *non dicetur liberalis*. III. Forsterus: *Non vocabitur amplius fatuus*, vel *stultus*, *princeps*; *nec parco dicetur opitulator*, vel *magnificus*; quasi dicat: Tempore Christi veritati locus erit, non adulationi, quæ omnia corrumpit, præsertim domos principum. IV. Tremellius, Iunius, Buxtorfius: *Neque flagitioso amplius indetur nomen ingenui*, *&* *tenax non dicetur liberalis*. Expositio simplicitatis tempore Christi ex certissima veri notitia profectæ: Vere, inquit, discernent spiritus, & vere ac sine hypocrisi agent quoscumque Christus instituerit; ac proinde malum, malum, & bonum, bonum appellabunt. INSIPIENS. נָבָל *nabal*, *fatuus*, *flagitiosus*, &c. Vide Deuteron. XXXII. 6. & versu sequente. PRINCEPS. נָדִיב *nadib*, *spontaneus*, *liberalis*, *munificus*, *heros*, *heroicus*, *beneficus*, *qui heroicum animum habet ad benefaciendum*, *ingenuus*, *princeps*. Vide in Numeror. XXI. 18. FRAUDULENTUS. כִּילַי *cilai*. Hic tantum & infra vers. 7. & non alibi hæc vox in Scriptura reperitur: *avarus*, *parcus*, *tenax*, *sordidus*. Varias ei cum Hebræi tum nostri etymologias affingunt. I. a כָּלָא *cala*, *omnino coercuit*, *cohibuit*, *prohibuit*, *conclusit*: quod avarus, seu parcus concludat suas facultates & ab aliis prohibeat ne eroget. II. a כּוּל *cul*, *mensurare*, *metiri*, quod avarus omnia faciat in mensura præcisa, nec excedat; vel quod se alat in mensura, seu parce. III. a כָּלָה *calah*, *consummari*, seu *consumi*, quod vel omnia appetat, & numquam se consummatum in divitiis reputet: vel quod perpetuo habendi desiderio se ipsum consumat, ac conficiat. IV. ut sit כִּלַי *cilai*, quasi כִּלִי *cili*, *Quia mihi*, vel *mea sunt*, omnia: vel כֹּל־לִי *col li*, *omnia mihi*, seu *omnia mea sunt*; nam omnia appetit, & vellet habere. MAIOR. שׁוֹעַ *schoagh*, *opitulator*, *opulentus*. Vide in Iob XXXIV. 19.

V. 6. STULTUS ENIM, &c. Hunc versum alii ex Heb. I. *stultus enim stultitiam loquitur*, *&* *cor eius facit iniquitatem*: *ut faciat impietatem*, *&* *loquatur contra Iehovam errorem*, hoc est verba erronea & blasphema: *ut vacuam reddat animam esurientis*, *&* *potum sitientis deficere faciat*. II. *quia sordidus sordida loquitur*, *&* *cor eius vanitatem concinnat*; *ut simulate agat*, *&* *ut loquatur contra Iehovam errorem*; *animam esurientem exhauriendo*, *&* *potum sitienti subtrahendo*. III. *cum flagitiosus flagitium eloquetur*, *&* *eius animus efficiet iniquitatem exercendo hypocrisin*, *&* *proloquendo in Iehovam errorem*; id est, quidquid aberrat a veritate eius, *exhauriendo animam famelici*, *&* *potum sitientis subtrahendo*. Est exegesis hoc versu hominis flagitiosi, qui designatur ab animo, verbis, & factis in Deum, atque in homines. FATUA. נְבָלָה *nebalah*, *fatuitatem*. Vide in Genes. XXXIV. 7. INIQUITATEM: אָוֶן *aven*, *concupiscentiam*, *pravam cupiditatem*, *iniuriam*. Vide supra cap. XXIX. 20. SIMULATIONEM. חֹנֶף *choneph*, *hypocrisim*, *infectionem*, *corruptionem*, *depravationem*.

V. 7. FRAUDULENTI VASA PESSIMA SUNT. Alii ex Heb. I. *Porro avari vasa mensuræ eius mala sunt*. II. *Equidem parci arma pessima sunt*. III. *Et parei vestes eius semper malæ*, vel tota supellex eius mala. Et experientia docet parcos vilem & pauperem supellectilem semper habere, atque cuncta utensilia & instrumenta domestica sordida. IV. *Et tenacis erunt instrumenta mala*; id est, non tantum ipse malus iudicabitur, sed etiam omnia quibus utetur, ingrata omnibus & fastidiosa erunt, tamquam maculata contagione peccati: quamobrem hac allusione emphatica

Propheta usus est, cuius lepos in vertendo perit: nam Hebraice est elegans paronomasia, כלי כליו *cellai chelau*; *Avari vasa eius*. Atque ob paronomasiam puto Prophetam *Iod* convertisse in *Tzere*. IPSE ENIM COGITATIONES CONCINNAVIT. Heb. *ipse cogitationes nefarias consuluit*, vel *consultavit*, *in consilium adhibuit*. Alii: I. *ipse scelerate secum consultat*: II. *ipse versutias consuluit*. III. *qui scelerata consilia init*. זמות *zimmoth*, *nefarias*, *pravas cogitationes*: vide in Levit. XVIII. 17. AD PERDENDOS MITES. Heb. *ad dissolvendum*, *abrumpendum*, *corrumpendum afflictos*, *oppressos*, vel *humiles*, *modestos*, *mansuetos*, *pauperes*. Alii: I. *ut circumveniat simplices*. II. *ad perdendum humiles*. III. *de dirumpendis inopibus*. CUM LOQUERETUR PAUPER IUDICIUM. Alii: I. *& loquatur contra pauperem in iudicio*. II. *& dum loquitur egenus iudicium*. III. *loquendo contra pauperem in iudicio*: IV. *tum etiam cum pauperi ius dicit*. V. *etiam cum egenus eloquitur ius*. Observant hoc versu esse exegesin tenacis & avari, quod falsitate corradit omnia, & ne egentissimo quidem ulli parcit in caussa iustissima.

V. 8. PRINCEPS VERO, &c. Alii hunc versum ex Heb. I. *Liberalis liberalia consulit*: *& ipse propter liberalitates consurget*; id est, liberalis nihil aliud mente agitat quam liberalitates, & liberaliter agendo progreditur; hoc est, dignitates magnas consequetur ob suas munificentias. II. Forsterus: *Magnificus magnifica cogitat*, *& ipse super magnificentiis subsistet*. III. Forerius: *Princeps vero magnifica cogitat*, *& ipse super magnificentiis consistet*, id est insistit, eas consilio, & animo versat: quasi hæc esse debeat prima cura & occupatio principis, quonam pacto omnibus prosit, nemini noceat, iustitiam colat, pacem conservet, felicitatemque populis afferat. Hæc sunt magnifica principis & digna principe consilia, *Benefacere omnibus*. IV. *Liberalis autem liberalia consultat*, *perque liberalia facta clarus surgit*. V. *Sed dicetur ingenuus*, *qui ingenua consilia init*, *& qui rebus ingenuis insistit*: ut hic versus respondeat quinto superiori.

V. 9. MULIERES OPULENTAE, &c. Alii: *Feminæ tranquillæ*, &c. Secunda pars capitis, qua regnum Iudæorum singulæque civitates eius provocantur ad resipiscentiam, ut antevertant iudicia severissima, quæ ante denuntiaverat Deus, & hic summatim complectitur. Ait ergo: *Feminæ tranquillæ*; id est, civitates diffluentes luxu, & nihil mali iam sentientes, aut imposterum præcaventes animo, sed otio torpentes. De voce שאננות *schaanannoth*, quam hic *quietas*, *tranquillas*, *otiosas*, *insolentes*, *securas* reddunt, vide in Iob XII. 5. sic infra vers. II. SURGITE. Vel est hortantis, pro eia, agite, ut alias: vel *surgite*, ut stantes audiatis & reverenter recipiatis verbum Dei. Vide in Genes. XLIX. 33.

V. 10. POST DIES ENIM, ET ANNUM. Heb. *Diebus super annum*; id est, post annum & aliquot dies, vel *diebus aliquot supra annum*. Sanctes: *Annum cum anno*; id est, plusquam per annum: nam dies sumit pro anno. Alii: *Annis dierum super annum*, vel *annis integris*, seu *multis continentibus*: vide in Genes. XXIX. 14. id est, septuaginta deportationis, & aliis etiam consequentibus, ut ostendit præfinitio temporis, infra vers. 14. & 15. CONTURBAMINI CONFIDENTES. Alii: I. *commovebimini*, *o confidentes*. II. *pavebitis*, *expavescetis*, *o securæ*; id est, quæ vivitis in magna fiducia & securitate animi, negligentes imminentium. CONSUMMATA EST ENIM VINDEMIA, COLLECTIO ULTRA NON VENIET. Quidam: *quia defecerit vindemia*, *collectio* frugum *non provenerit*; id est, terra exolverit sabbata sua, ut prædixerat Deus Levit. XXVI. 34. & 43.

V. 11. EXUITE VOS, ET CONFUNDIMINI, &c. Heb. *exuere*, *& nudare*, *& accingere super lumbos*. Tria infinitiva, quomodo & Latini loqui solent ad emphasim; quasi dicat: Tempus est nulli alteri rei vacare, & hoc solum agere, *exuere se*, *& nudare*, *atque accingere lumbos*. Alii imperativa esse malunt, aut pro imperativis sumi: *Exuite atque nudate vos*, *denique accingimini lumbis*, nimirum ordinariis vestibus, & lugubres induatis, & cilicio accingimini: quo etiam modo hortatur Ioel. I. 14. Quidam versum ita convertunt: *Obstupescite*, *o opulentæ ac otiosæ*, *imminet confidentibus & securis turbare*, *expoliare*, *nudare & accingere lumbos*. Nonnulli putant describi habitum in captivitatem euntium.

V. 12. SUPER UBERA PLANGITE. Alii: I. *Plangentes ad ubera*, vel *ob ubera*; quasi dicat, Lugebunt mariti cum viderint penuria alimenti uxores suas carere lacte ad infan-

infantes lactandos. II. *Propter ubera plangant;* id est, Estote in luctu gravissimo, ac ne infantes quidem sugentes ubera ab eo liberate, ut Ionæ III. 5. & sequentibus. III. *Super ubera plangentes:* metonymice, super, vel ob infantes lactentes ubera, allisos petris, vel interfectos. IV. *Super ubera plangentes*, significató Latino, id est tundentes, percutientes, verberantes ubera sua. Ovidius II. Metamorphoseon:

Plangere nuda meis conabar pectora palmis.

Utitur autem participio masculeo, vel ut validam verberationem seu planctum significet, vel ut viros & mulieres includat. V. *Super ubera plangent*, id est super ubertatem terræ, quam relinquent, abducti in captivitatem; unde Hispanicus Interpres reddit: *Sobres las tetas endecharan*, id est, *por la fertilidad que dexaran*. SUPER REGIONE DESIDERABILI. Alii: *propter agros desiderii*, seu *desideratissimos*. Quidam: *propter arva desiderabilia*, id est propter agros fertilissimos, vel ab hostibus devastatos, vel in sterilitatem versos: aut quos relinquere cogentur exilio acti. Sic sequente membro, *propter vitem fructiferam*.

V. 13. SUPER HUMUM POPULI MEI, &c. Hunc versum ex Heb. transfundunt: I. *Super humum populi mei spina & vepris ascendet: quia super omnes domos gaudii, & civitatem exultantem ascendent*. II. *Ob terram populi mei, quæ tunc spinas & vepres proferet: nam propter omnes domos gaudii, & propter civitatem lætabundam lugebunt*. Domos gaudii vocat, in quibus gaudere & lætari solebant, & in quibus omnia plena erant gaudio. III. *Super tellurem populi mei spinæ vepres ascendent: quinimmo super omnes domos gaudii civitatis exultantis*. VI. *Nam in terra populi mei ascendet spina & vepris, etiam in omnibus domibus gaudio deditis, & in civitate exultante*. V. *Super terram populi mei ascendet spina & vepris, etiam super domos lætitiæ in urbe exultationis*. IV. *Super tellurem populi mei spina & vepris excrescet: quia in omnibus domibus lætitia est, & in urbibus petulans exultatio;* quasi dicat, Desolabuntur propter luxum & delicias. VII. *In terra populi mei spina sentica assurget: ustio in omnibus domibus lætis in urbe exultabunda*. Vocem כי *ci*, pro *ustione* accipiunt, ut supra cap. III. 23. adducti fide historiæ II. Reg. XXV. 12. & II. Paralip. XXXVI. 19. & Nehem. I. 3. & II. 3.

V. 14. DOMUS ENIM DIMISSA EST. Alii: *Nam palatium desertum erit*, vel *deseretur;* id est, domus regis succensa igne. Nonnulli: *Quia palatia* disiecta, derelicta erunt. MULTITUDO URBIS RELICTA EST. Alii: I. *turba urbis deserta est;* id est, tumultus urbis non audietur. II. *strepitus civitatis derelinquetur*, vel *multitudo*, ut Lament. I. I. III. *urbes frequentissimæ desertæ erunt*. TENEBRAE ET PALPATIO FACTAE SUNT SUPER SPELUNCAS USQUE IN AETERNUM. Hebræa varie redduntur: I. *arx & munitio erunt*, vel *redigentur in speluncas usque in sæculum*. II. *recessus & munitio erunt in speluncas usque in æternum*. III. *turris & munitio versæ sunt in speluncas usque in sempiternum*. IV. *propugnaculum & probatio*, id est turris probationum, *in speluncas erunt in sæculum*. V. *turres & propugnacula in speluncas redigentur perpetuas*. VI. *clivus & exploratoria spelunca erit pro speluncis*, id est clivus, de quo II. Paralipom. XXVII. 3. & Nehem. III. 26. ubi erat turris magna & prominentissima (quam ab usu vocabant *speculatoriam*) teste Nehemiia ibidem. Iosephus a situ *Ophlam* vocat propter Hebræam *clivi* appellationem, Lib. VI. de Bello Iudaico, cap. VI. 7. TENEBRAE ET PALPATIO. עפל *ghophel*, & בחן *bachan*. S. Hieronymus: *Quas Hebræi duas turres in Ierusalem fuisse arbitrantur, excelsas atque firmissimas, quæ his appellabantur nominibus: quarum prior interpretatur* nebulæ *sive* nubilum, *quod usque ad nubes erigeret caput: altera* probamentum *&* firmitas, *sive ut Symmachus vertit*, inquisitio, *eo quod in contemplando culmine eius oculi fallerentur*. Ob id nos hæc duo vocabula tamquam nomina propria ininterpretata in Nostra Translatione posuimus. De *ghophel*, vide Notas in II. Regum V. 24. & in II. Paralip. XXVII. 3. De *bachan*, supra cap. XXIII. 13. USQUE IN AETERNUM. Alii: *usque in sæculum*, id est diu, per longum tempus: nam tempus calamitatum definitur sequente versu. GAUDIUM ONAGRORUM, PASCUA GREGUM. Alii I. *Gaudium onagris, pascuo gregibus*. II. *in onagrorum luxum, in pascuum gregum*. III. *ubi gaudeant onagri, & pascantur greges*.

V. 15. DONEC EFFUNDATUR SUPER

NOS

NOS SPIRITUS DE EXCELSO. Alii: *donec infundatur super nos*, &c. Tertia pars capitis, in qua describuntur bona piis eventura cum extiterit plenitudo temporum. Sunt autem duo bonorum genera proleptice hoc versu posita: unum est communicatio spiritus, & virtutis Dei in Christo; alterum, effectus sanctæ huius communicationis, bonis salutaris, & improbis capitalis. *Spiritus de excelso*, qui propter effecta proxime sequentia appellatur spiritus sublationis, supra cap. IV. 3. Alii: *donec effundatur super nos spiritus e supernis*; id est, donec Christus mittat superne Spiritum sanctum, qui omnia desolata instaurat, ac recreat, vel donec favor Dei effundatur super nos; quasi dicat: Tempore Christi omnia mutabuntur; & mentes prius infecundæ ac steriles, hoc est donis Spiritus sancti vacuæ, fecundæ reddentur: ut statim subditur. Putant ad hunc locum respexisse Paulum ad Titum III. 6. *Quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Salvatorem nostrum*. ET ERIT DESERTUM IN CHARMEL, ET CHARMEL IN SALTUM REPUTABITUR. Alii: I. *& redigatur desertum in arvum*, seu *in agrum cultum*; id est, pius, qui prius horridus esse videbatur, sit tamquam excultus ager fructum ferens Domino: *& arvum*, seu *ager cultus*, *pro silva reputetur*; id est, impius elatus, qui prius videbatur esse cultissimus, horrescat: quod nude dixerat vers. 5. & sequentibus. Sic supra cap. XXIX. 17. II. *sitque desertum ut Carmel*, *& Carmel ut silva reputetur*. Metaphorice significari notant Hebræi, quod urbes, quæ sunt vastatæ ut desertum absque arboribus frugiferis, erunt sicut Carmel, qui est mons plenus arboribus frugiferis & agris. III. *desertum quodvis in agrum feracem*, *& ager ferax in silvam reputetur*; id est, tandem fiat similis silvæ pomiferæ, & horto amœnissimo. Plerique putant promitti his allegoriis omnium bonorum spiritualium ubertatem tempore Christi.

V. 16. ET HABITABIT IN SOLITUDINE IUDICIUM, &c. Quidam: *Habitetque in deserto illo iudicium*, *& iustitia in arvo resideat*. Ergasia sive exornatio effectorum Spiritus Dei in Sanctis: Erunt, inquit, fructus spiritus in arvo, id est in Ecclesia Dei, iustitia, pax, & gaudium, ut Rom. XIV. 17. & hic sequente versu.

V. 17. ET ERIT OPUS IUSTITIAE PAX. Heb. *Et erit factura*, *factum*, *effectus*, *iustitiæ*, qua iustificamur per Spiritum Sanctum Christi, *pax*, id est salus, prosperitas, incolumitas, & omnimoda felicitas, notatione Hebraica, ut alias passim. ET CULTUS IUSTITIAE SILENTIUM. Heb. *& servitus*, *servitium*, *opus*, *factum*, *cultus*, *cultura iustitiæ*, *tranquillari*, *quiescere*, seu *tranquillitas*, *quies*, nam potest esse infinitivus, & nomen infinitum; quasi dicat: Iustitia per Christum non solum efficiet pacem, sed etiam in hoc inserviet ut quietem & tranquillitatem animorum perpetuo excolat, & conservet. Quidam hunc versum ita reddunt: *Tunc erit opus iustitia pax*, *effectus*, *inquam*, *iustitiæ tranquillitas*, *& securitas usque in sæculum*; quasi dicat: Iustitia, quæ erit per Christum, pariet fidelibus pacem, tranquillitatem & securitatem, quæ erit in mentibus hominum. Hispanicus Interpres: *Y el effecto de la iusticia sera paz*, *y*, *la labor de la Iusticia reposo*, *y seguridad para siempre*. Nonnulli notant, Paulum Roman. V. 1. hunc locum imitatum, sic reddidisse: *Iustificati per fidem pacem habemus erga Deum*.

V. 18. ET SEDEBIT POPULUS MEUS IN PULCHRITUDINE PACIS. Quidam: *Nam residebit populus meus in caula pacis*, id est in Ecclesia, ubi velut in caulam congregantur oves Christi: quæ omnium benedictionum locus est. Alii: *in habitaculo*. Nos: *in nomo*, *mapali*, *tesquo*, vel *tesco*: vide Exod. XV. 13. ET IN TABERNACULIS FIDUCIAE. Heb. *confidentiarum*, *fiduciarum*, *securitatum*. Alii: *& in habitaculis securissimis*; nam numerus pluralis auget significatum. ET IN REQUIE OPULENTA. Alii: 1. *& in residentiis tranquillis*, vel *securis*. 2. *& in mansionibus opulentissimis*. 3. *& in refrigeriis*, vel *quietibus tranquillis*. 4. *atque in locis ad quietem tranquillissimis*.

V. 19. GRANDO AUTEM, &c. Hunc versum diversimode reddunt ex Heb. I. *Grandinabit autem grando in silvam*: *& in humilitate humiliabit se civitas*; id est, quando grandinaverit, non cadet grando super civitatem, nec super sata, sed in silvis, ne lædat ea: at civitas in depresso loco sita servabitur a grandine. II. *Grandinabit autem in descensu silvæ*: *& in loco humili considet civitas*, vel *& in valle humiliter desidebit civitas*. Olim enim in editis & altio-

altioribus locis civitates extruebant, quo difficilior ad ipsas esset aditus: Matth. v. 14. III. *Et grandinabit in descensu silvæ;* id est, grando descendet in silvam: allegorice, in antiquum Carmelum, qui in horridam silvam versus est; hoc est, in Iudaicum populum infidelitate obcæcatum descendet grando malorum, & omnia adversa experietur. ET HUMILITATE HUMILIABITUR CIVITAS. Id est, Ierusalem. & omnis provincia Iudæa, ob infidelitatem extreme deprimetur iudicio Dei; vel quasi dicat: Et grandinabit grandinem super silvam infrugiferam, id est in infideles immittet calamitates: at Ecclesia fidelium neque ob id efferetur, superbiorve reddetur, sed sua se modestia & humilitate continebit. IV. *Ut ut grandinet descendente, vel ruente silva, & depressione deprimatur civitas;* id est, Quamvis totus mundus alioqui inhorrescat malorum tempestatibus, ii tamen pii ab omnibus immunes conservabuntur. Describitur autem mundus per merismon, seu distributionem, cum silvam & civitatem Propheta nominet; quasi dicat, Utut perdantur omnia in urbe & ruri: sic etiam piorum securitatem commendat Propheta Psal. XLV. Hoc modo cohæret hic versus cum superioribus: quem sensum aliis præferimus.

V. 20. BEATI, QUI SEMINATIS, &c. Alii versum ex Heb. I. *O vos felices, qui ad omnes aquas feretis,* id est in omni loco aquoso. Abundantia bonorum spiritualium promittitur sub allegoria temporalium: *immittentes pedem bovis & asini,* subaudi, in segetes ipsas ut pascant; quasi dicat, Tanta erit copia segetum, ut immissuri sint iumenta in ea. II. *O vos beatos, qui severitis:* conclusio epiphonematica, qua Propheta pios cum beatissimis agricolis comparat, qui agrum optimum coluerint propter venturam messem: *secundum omnes aquas;* id est, locis tam irriguis, ut est Ecclesia Dei: vide in Eccle. XI. I. *qui immiseritis eo pedem bovis & asini;* id est, colueritis immisso bove & asino ad arandum, & cetera, periphrasis agriculturæ. Quidam: *qui immittitis pedem bovis & asini,* in agrum vestrum, ut segetes luxuriantes depascantur.

MENOCHII.

Vers. I. ECCE IN IUSTITIA, &c. In typo Ezechiæ optimi regis describit regnum Christi (adhuc enim de more avolat) eiusque temp. Ecclesiam optime constitutam; miscet tamen typum cum antitypo, hoc est, regnum Ezechiæ cum regno Christi, unde quædam habet quæ uni, quædam quæ alteri magis conveniunt. REGNABIT REX: Ezechias, & eius antitypus Christus. PRINCIPES: proceres aulæ Ezechiæ, vel Apostoli.

V. 2. ET ERIT VIR, &c. erit quilibet pius sub illius protectione tutus. SICUT RIVI: nam bonus hic princeps erit tamquam rivus aquæ sitientibus, quia malis fessos recreabit. UMBRA PETRAE, &c. quam subeuntes æstu fatigati viatores vires instaurant.

V. 3. NON CALIGABUNT OCULI VIDENTIUM; id est, Prophetæ clariores habebunt a Deo visiones, & revelationes.

V. 4. STULTORUM: rudium, simplicium. Vel intelligit Gentiles qui prius cum suis idolis insaniebant, & stultam, inanem, & multis erroribus refertam philosophorum suorum sapientiam sequebantur. ET LINGUA BALBORUM, &c. id est, & lingua Prophetarum, qui prius obscure loquebantur, iam plane, aperte, & clare proponent mysteria salutis.

V. 5. IS QUI INSIPIENS EST, &c. Is erit sub Ezechia, & Christo Reip. status, ut boni tantum, ac prudentes dominentur, neque impostores, & fraudulenti cum imperio sint. Sub Christo Pharisæi, & Scribæ Principes prius in populo, & doctores, principatu exciderunt, & in eorum locum Apostoli & viri Apostolici subrogati sunt.

V. 6. STULTUS ENIM, &c. quasi dicat: Apparebit enim statim quis stultus sit comparatione sapientium, quorum magna tunc erit copia, qui etiam stultorum fatuitatem redarguent. COR EIUS FACIET INIQUITATEM, &c. apparebit eos fraudulentos esse, hypocritas, & simulate agere. AD DOMINUM, id est de Domino; vel etiam loquuntur ad Dominum fraudulenter, quia Deum labiis honorant, cor autem longe est ab eo. ET VACUAM FACIAT ANIMAM ESURIENTIS: neque enim eorum doctrina animum explebat; vel eorum notat impietatem

tem, qui specie religionis pecunias accipientes exhauriebant pauperes.

V. 7. FRAUDULENTI VASA: instrumenta, id est ministri, & minores magistratus a fraudulento Principe constituti. IPSE ENIM COGITATIONES, &c. id est, ipse cogitat, & concinnat quomodo perdat mites, & pauperes qui iustam habent causam, per mendacium & calumniam. CUM LOQUERETUR PAUPER IUDICIUM: cum iustam causam haberet is, & ius suum repeteret.

V. 8. PRINCEPS: Ezechias, & Christus. COGITABIT: & effecta etiam dabit. SUPER DUCES STABIT: vigilabit, & explorabit quomodo se gerat, an per fraudes grassentur & iniustitias.

V. 9. MULIERES, &c. Est alterius argumenti prophetia; transit enim ad cladem Hierosol. per Romanos. MULIERES OPULENTAE. Alloquitur feminas opulentas, & in suis divitiis confidentes, & superbas, quas etiam supra perstrinxit cap. III.

V. 10. POST DIES ET ANNUM; id est, post longum tempus, quo scilicet dies addentur diebus, & anni annis. CONTURBABIMINI CONFIDENTES: quæ confiditis timebitis, superveniente vobis clade, & excidio a Romanis. CONSUMMATA EST ENIM VINDEMIA: dicit post ultimam vastitatem, quæ sub Vespasiano, & Tito, Adrianoque accidit, nequaquam aliam captivitatem esse venturam, nec remansuros botros in populis qui deinde colligendi sint: ita D. Hier. COLLECTIO &c. Vel est repetitio eiusdem sententiæ Hebraico sermoni familiaris; vel *Collectio* racemationem significat, cum scilicet post vindemiam latentes botri, qui vindemiatorum manus fugerunt; colligunt.

V. 11. OBSTUPESCITE: magnitudo enim calamitatis stupentes, & attonitos reddit homines. CONTURBABIMINI: timore, & stupore. CONFIDENTES: in divitiis, & opulentia vestra. EXUITE VOS: vestibus pretiosis. CONFUNDIMINI: ad vile ministerium abiectæ. ACCINGITE LUMBOS VESTROS: quæ prius otiosæ quasi reginæ desidebatis, nunc ut ancillæ ad servile opus lumbos vestros succingite.

V. 12. SUPER UBERA PLANGITE: pectus percutite, vel plangite quod ubera præ fame sint arentia, nec lac parvulis sufficere possint. SUPER REGIONE DESIDERABILI: Iudæa scilicet, quæ vastata est, quæ vobis est deserenda. SUPER VINEA FERTILI: Iudæam intelligit amœnam, fertilem, & passim vitibus consitam.

V. 13. SUPER HUMUM POPULI MEI, &c. quasi dicat: Iudæa vastabitur a Romanis, ut inculta spinis, & vepribus repleatur; quanto magis Ierusalem effusior in luxuriam punietur, quæ ita voluptati indulget, ut videantur omnes eius domus gaudio esse plenæ.

V. 14. DOMUS ENIM DIMISSA EST, &c. Quod pluribus hoc versiculo dicitur, paucis comprehendit Christus cum dixit: *Relinquetur vobis domus vestra deserta*: Luc. XIII. 35. TENEBRAE, ET PALPATIO FACTAE SUNT SUPER SPELUNCAS, &c. id est, tam densa erunt rudera, & ruinæ tum templi, tum domorum, ut redigantur in antra, & speluncas ita profundas, & cæcas, ut in iis videantur esse tenebræ palpabiles, idque in perpetuum. GAUDIUM ONAGRORUM, &c. locis illis feri, & silvestres onagri gaudebunt, & greges ibi habitabunt, & pascentur.

V. 15. DONEC EFFUNDATUR SUPER NOS SPIRITUS DE EXCELSO. Cum enim Spiritum S. effuderit Deus super Apostolos, & discipulos; tunc reflorebit Ierusalem non terrena, sed spiritualis, scilicet Ecclesia. ET ERIT DESERTUM IN CHARMEL &c. Hæc supra explicata sunt XXIX. 17.

V. 16. IN SOLITUDINE, id est in gentilitate, quæ antea fuerat deserta, & sterilis. IUDICIUM, id est iustitia. IN CHARMEL: cum scilicet solitudo hæc facta fuerit charmel, id est frugifera, & fertilis per fidem Christi.

V. 17. OPUS IUSTITIAE PAX: merces iustitiæ erit pax. ET CULTUS IUSTITIAE SILENTIUM: cultura iustitiæ silentium, hoc est, quietem, & tranquillitatem pariet; sic Chaldæus: *Colentes iustitiam quiescent*.

V. 18. IN PULCHRITUDINE PACIS: in pulchra, & alta pace. IN TABERNACULIS FIDUCIAE: fidenter, secure, & quiete habitabunt domos suas. REQUIE OPULENTA: paci enim adiuncta erit rerum omnium affluentia.

V. 19. GRANDO AUTEM IN DESCENSIONE SALTUS; quasi dicat: E contra vero in saltum, hoc est, silvescentem, & desertam Synagogam, grando descendet, hoc est, malorum omnium agmen. In Hebræo

est:

eſt: *Grandinabit autem grando in ſilvam*, ut verterunt Pagninus, & Vatablus. CIVITAS: Ieruſalem.

V. 20. QUI SEMINATIS SUPER OMNES AQUAS: eſt apoſtrophe ad Apoſtolos, & viros Apoſtolicos; quaſi dicat: O vos beatos, quaſi ſuper omnes aquas, id eſt ſuper omnes populos ſeminatis Evangelium. IMMITTENTES PEDEM BOVIS, ET ASINI, id eſt prædicatores, & operarios Evangelicæ & ſalutiferæ meſſis.

TIRINI.

Verſ. 1. REx, nempe Ezechias: & per Ezechiam figuratus Meſſias, Rex regum & Dominus dominantium; REGNABIT, cæſo fugatoque Sennacheribo, non tyrannice, non impie, ut parens eius Achaz, ſed iuſte & pie.

V. 2. ET ERIT VIR quivis ipſi in hoc felici regno ſubiectus, ac ſub umbra eius tam ſecure deget, ſicut degunt naves in portu & ſtatione fida, ubi tutæ ſunt A VENTO procelloſo ET TEMPESTATE. Immo *rex* erit omnibus ſuis quaſi fons vel *rivus* AQUARUM ad *ſitim* reſtinguendam, *&* quaſi *umbra* ac refrigerium in deſerto, cum ardet ſol & æſtus.

V. 3. NON CALIGABUNT amplius OCULI VIDENTIUM, ſeu Prophetarum, ſed multo plures & clariores ipſis obvenient viſiones ac revelationes. ET (Sanchez & Alvarez particulam *&* cauſaliter exponunt, ut idem ſit quod *quia*) AURES AUDIENTIUM DILIGENTER AUSCULTABUNT dictis & monitis Prophetarum. Opponit enim hoc tempus Iſaias alteri tempori, quo ſupra *a* dixit, Deum clauſiſſe oculos Prophetarum, quia nolebant Iudæi monita illorum audire.

V. 4. COR STULTORUM tum Iudæorum, tum Gentilium, nonniſi mendaciis aſſuetorum, deinceps *intelliget*, admittet & hauriet veram SCIENTIAM de Deo rebuſque divinis. ET LINGUA BALBORUM, nempe Iſaiæ & aliorum Prophetarum, qui quaſi balbi, raro, hæſitanter, imperfecte & obſcure prædicabant, deinceps expedite, VELOCITER, PLANE & aperte LOQUETUR, divina oracula populo proponet. Ita factum ab Iſaia patebit ex cap. XL. & ſequentibus, ubi non tam Prophetam, quam hiſtoricum agere videtur. Sic etiam ab Apoſtolis factum conſtat in die Pentecoſtes. S. Hieronymus, Cyrillus & Procopius.

V. 5. IS QUI INSIPIENS EST, impiis vel ſtultis moribus, tempore Ezechiæ & Chriſti, NON VOCABITUR, neque erit ULTRA PRINCEPS, magiſtratus, iudex, rector populi Dei: NEQUE FRAUDULENTUS, doloſus, iniuſtus quiſpiam APPELLABITUR MAIOR, aut officiis publicis admovebitur, ut factum fuit tempore impii Achaz patris Ezechiæ, & ante adventum Meſſiæ ſub impiis regibus & pontificibus. Nulli enim bono ſunt eiuſmodi in republica, immo maximo malo; unde nec tolerandi.

V. 6. STULTUS ENIM FATUA LOQUETUR & aget, neque alia: cum COR EIUS & omne deſiderium ac conatus non alio tendat, neque alio collimet, quam ut hypocriſi & ſimulatione ſua *faciat* INIQUITATEM & iniuriam proximo ſuo. Certe talis iudicis impii &

V. 7. FRAUDULENTI VASA, id eſt inſtrumenta omnia, PESSIMA SUNT. Neque enim utitur niſi mendaciis, hypocriſi & calumniis, quibus ſtudet *perdere* atque evertere *mites* & inſontes *pauperes*. Unde Ezechias, & Meſſias conſtitutus a Deo rex &

V. 8. PRINCEPS, EA QUAE DIGNA SUNT PRINCIPE COGITABIT, decernet & perficiet, nempe magiſtratus impios ſubmovebit, pios ſubſtituet, qui remp. non evertant, ſed foveant, ſtabiliant, promoveant. Neque ipſe, ſeu per ſe, ſeu per ſuos, expilabit ſubditos, ſed eoſdem ſua providentia & beneficentia ditabit, extollet, recreabit: hoc enim proprium eſt animi magni, generoſi & regii. Porro hæc, quam iam dixi, ſeu Ezechiæ, ſeu Meſſiæ, vigilantia, cautela & providentia non divertet impendentem Ieroſolymæ, quam toties prædixi, cladem: etſi enim ob eximiam eius pietatem ac merita parcetur urbi, ne quid a Salmanaſſar vel Sennacherib, aliiſve tyrannis Aſſyriis detrimenti accipiat; exſtincto tamen Ezechia, & populo ad priſtina ſcelera ſub Manaſſe, Ioakim & Sedecia revertente, & in iis obſtinate perſeverante (quod etiam poſt mortem Chriſti, & tunc quidem vel maxime uſu veniet) omnia quæ alias prædi-

xi mala in impiam urbem inundabunt. Unde merito vos,

V. 9. O MULIERES & matronæ OPULENTAE, & in opibus vestris CONFIDENTES, ad luctum & lamentum hortor, & ad seriam pœnitentiam.

V. 10. POST DIES ENIM ET ANNUM, id est post certum aliquod tempus a me definitum, sed quod vobis definite nolo explicare, CONTURBABIMINI, vastabimini, exscindemini, primum per Chaldæos, deinde & per Romanos. Per quos CONSUMMATA EST; id est, consummate & plene colligetur, VINDEMIA populi Iudaici, per excidium & captivitatem omnium: adeo ut COLLECTIO ULTRA NON VENIAT; id est, ut nulli relinquendi sint racemi, qui peracta vindemia reliqui forte in vite colligi possint.

V. 12. SUPER UBERA fame arentia PLANGITE, & super parvulos ab uberibus pendulos, inquit Forerius, Sanchez & a Lapide. Omnes enim illi una vobiscum præda erunt Chaldæis & Romanis. Unde Christus *b*, *Væ*, inquit, *prægnantibus & nutrientibus in illis diebus*.

V. 13. SUPER omnem HUMUM POPULI MEI, id est super omnem Iudæam a Chaldæis & Romanis longo bello vastatam SPINAE ET VEPRES ASCENDENT: QUANTO MAGIS; Hebraice, Græce & Chaldaice, *quin etiam*, SUPER OMNES DOMOS GAUDII, id est amœnas & delitiosas, CIVITATIS Ierosolymæ adeo nunc EXULTANTIS.

V. 14. DOMUS ENIM Domini; id est, templum a me meaque tutela *dimissum est* ac derelictum, quin & flammis absumptum. TENEBRAE *c* ET PALPATIO, id est tenebræ palpabiles, FACTAE SUNT SUPER SPELUNCAS, quæ ex ruderibus & ruinis tum templi, tum urbis hinc inde hiantibus emerserunt, adeo vastæ & profundæ & firmæ, ut *onagri* & aliæ feræ silvestres *gaudeant* in iis delitescere. Idque IN AETERNUM, non absolute, sed phrasi Hebræa, id est in *d* longissimum tempus, nempe

V. 15. DONEC EFFUNDATUR SUPER NOS SPIRITUS DE EXCELSO; id est, donec nova vita, scilicet libertas, nobis a Deo per Cyrum restituatur: & spirituali vita ac libertate a Messia per Spiritum sanctum in Pentecoste recreemur, inquit S. Cyrillus, Procopius, Hieronymus & Theodoretus. Tunc enim etiam ERIT DESERTUM IN CHARMEL; id est, non solæ Iudæorum reliquiæ, sed etiam Gentiles quam plurimi subintrabunt in pristinas opes & felicitatem populi Iudaici. Populus vero Iudaicus pro maiori parte hærebit in miseriis & desolatione Gentilium, ut supra quoque dixit XXIX 17.

V. 16. IN SOLITUDINE, id est in populo ante a Deo deserto & sterili, HABITABIT deinceps IUDICIUM ET IUSTITIA, & sic ex solitudine fiet CHARMEL, id est locus frugifer & fertilis.

V. 17. ET OPUS, id est fructus, effectus, præmium, IUSTITIAE ET pii CULTUS divini ERIT PAX, ET SILENTIUM, seu quies, ET SECURITAS, tum quoad interna, tum quoad externa: ita Chaldæus, Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Theodoretus.

V. 19. GRANDO; id est, procellosa ira & plaga, erit IN DESCENSIONE SALTUS, id est descendet super saltum, in quem charmel, ut ante dixi, mutabitur, id est super populum Iudaicum qui sua malitia degeneravit in saltum. Porro hac grandine omnia quassante & vastante, HUMILIABITUR quoque omnimoda HUMILITATE, seu deiectione, CIVITAS Ierosolymitana: ita S. Hieronymus & Forerius. Interim

V. 20. BEATI vos, o principes e Babylonico carcere reduces, inquit Sanchez: & vos Apostoli aliique discipuli, e perditis Iudæis ad Christum conversi: felices vos & bis felices; primo, quod, aliis pereuntibus, vos salvemini; secundo, quod, ut alii quoque salventur, omnibus manum porrigatis, semen verbi Evangelici iacientes SUPER OMNES AQUAS, id est super omnes agros idoneos sementi, nempe aquis & pluvia madentes: ubique sine discrimine in omnes agros idoneos, & aptos regno *Dei* IMMITTENTES PEDEM BOVIS ET ASINI, quo celerius subigantur, arentur & colantur. Insinuat promiscue deinceps in Ecclesia Dei tam ex Gentilibus, quam ex Iudæis desumendos qui agrum Dominicum non modo incolant, sed & excolant, inquiunt S. Hieronymus, Clemens Alexandrinus, Ambrosius & Gregorius *e*. Lege enim Mosaica prohibita erat aratio *in bove simul & asino*, Deuter. XXII. Sed *in Christo non est distinctio Iudæi*

dæi & Græci. Ipse est *pax nostra*, qui *fecit utraque unum*, & utrumque populum amplexus est.

(a) cap. xx. 10. & xxx. 9.
(b) Matt. xxiv. 19.
(c) Proleg. de Idiotismis Heb. 41.
(d) Proleg. de Idiotismis Heb. n. 27.
(e) Clem. Lib. IX. Stromat. Ambr. Lib. V. epist. xlii. Greg. Lib. XXI. Moral. cap. viii. & Lib. XXXV. cap. xi.

GORDONI.

Vers. 1. ECCE IN IUSTITIA REGNABIT REX, &c. Facile est hæc aptare tum Ezechiæ quem dixi typum, tum Christo: & quidem Ezechiæ conveniunt post fusum exercitum Sennacherib, quando adhuc vivebat Isaias, & qui hunc typum Christi habebat præ oculis. Crebras habet descriptio metaphoras: aliqua vero magis conveniunt Christo, ut illud vers. 3. de oculis, &. vers. 4. de lingua & corde.

V. 5. NON VOCABITUR ULTRA, &c. Ezechias eiectis impiis principibus & doctoribus, pios & bonos substituit; quanto magis Christus qui reiectis Scribis & Pharisæis substituit Apostolos.

V. 9. MULIERES OPULENTAE, &c. En iam (quod alterum erat) de clade Iudæorum sub Romanis, ut ait Hieronymus: & eveniet hoc post dies & annum: hoc quisque interpretatur pro sua opinione de clade hic denotata; mihi qui cladem sub Tito intelligo, est hic sensus: Post dies plurimos & annum, ut sit designatio temporis, ab eo qui noluit ut certo sciretur. Ergo (vers. 12.) SUPER UBERA PLANGITE, hoc est, super filios uberum vestrorum præ fame, & quæ sequuntur.

V. 15. DONEC EFFUNDATUR SUPER NOS SPIRITUS DE EXCELSO. Hieronymus qui hic dicit agi de clade sub Tito, intelligit vastitatem Ierosolymæ durasse duplicem, nempe ab adventu Christi abrogata lege, & deinde in temporalibus post Titum; & eo usque donec per Spiritus S. gratiam coalesceret Ecclesia ex gentibus, & desertum verteretur in Carmel, seu gentes fierent pupulus Dei, & econtra Carmel olim populus Dei fieret saltus, & ut olim gentes extra populum Dei.

V. 16. ET HABITABIT IN SOLITUDINE (inter gentes vocatos ad fidem) IUDICIUM, ET IUSTITIA. Ibidem, seu in novo hoc & renovato Carmelo, ac securitas usque in sempiternum.

V. 20. BEATI, QUI SEMINATIS SUPER OMNES AQUAS, &c. Certe nemo seminat super solam & puram aquam; sed bene super terram aquosam & irriguam, vel imbribus & aquis decidentibus a cælo paratam, vel supra & ultra omnes aquas & per totum orbem, more Apostolorum: quin etiam quid vetat seminare apostolicis prædicationibus in mari? Loquitur certe Propheta more prophetico, & sub crebris metaphoris. Ceterum immittere pedem bovis aut asini, denotat seminantem; habent Septuag. *ubi bos calcat aut asinus*.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 1. In hoc Ezechiæ typo describitur optimi alicuius principis forma.

Vers. 4. STULTORUM, rudium.

Vers. 7. CUM LOQUERETUR PAUPER IUDICIUM: cum haberet & proponeret causam iustam.

Vers. 14. DOMUS DIMISSA: deserta erit. In domibus erunt palpabiles tenebræ, sicut in speluncis.

Vers. 17. OPUS. Merces iustitiæ pax. Cultus iustitiæ silentium, & quietem feret.

Vers. 19. GRANDO; quasi diceret: Non sic de silvescente synagoga, quippe quæ malorum grandine obruetur.



CAPUT XXXIII.

Permixtim de deiectione Sennacherib loquitur, & Iudæorum liberatione, ac divinæ potentiæ exaltatione: invehitur contra hypocritas: & quales esse debeant qui cum Domino habitaturi sunt in excelsis: Ierusalem vero habitatio erit opulenta, in qua magnificabitur Dominus, rex & legislator noster.

1. VAE qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? & qui sper-
nis, nonne & ipse sperneris? cum consummaveris de-
prædationem, deprædaberis: cum fatigatus desieris con-
temnere, contemneris. 2. Domine miserere nostri: te e-
nim expectavimus: esto brachium nostrum in mane, &
salus nostra in tempore tribulationis. 3. A voce angeli
fugerunt populi, & ab exaltatione tua dispersæ sunt gen-
tes. 4. Et congregabuntur spolia vestra sicut colligitur
bruchus, velut cum fossæ plenæ fuerint de eo. 5. Magnificatus est Dominus,
quoniam habitavit in excelso: implevit Sion iudicio & iustitia. 6. Et erit fi-
des in temporibus tuis: divitiæ salutis sapientia & scientia: timor Domini ip-
se est thesaurus eius. 7. Ecce videntes clamabunt foris, angeli pacis amare
flebunt. 8. Dissipatæ sunt viæ, cessavit transiens per semitam, irritum factum
est pactum, proiecit civitates, non reputavit homines. 9. Luxit, & elanguit
terra: * confusus est Libanus, & obsorduit, & factus est Saron sicut deser-
tum: & concussa est Basan, & Carmelus. 10. Nunc consurgam, dicit Do-
minus: nunc exaltabor, nunc sublevabor. 11. Concipietis ardorem, parietis
stipulam: spiritus vester ut ignis vorabit vos. 12. Et erunt populi quasi de
incendio cinis, spinæ congregatæ igni comburentur. 13. Audite qui longe e-
stis, quæ fecerim, & cognoscite vicini fortitudinem meam. 14. Conterriti sunt
in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas: quis poterit habitare de vobis
cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? 15.
(a) Qui ambulat in iustitiis, & loquitur veritatem; qui proiicit avaritiam
ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere; qui obturat aures suas
ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos ne videat malum. 16. Iste in
excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius: panis ei datus est,
aquæ eius fideles sunt. 17. Regem in decore suo videbunt oculi eius, cernent
terram de longe. 18. Cor tuum meditabitur timorem: (b) ubi est litteratus?
ubi legis verba ponderans? ubi doctor parvulorum? 19. * Populum impuden-
tem non videbis, populum alti sermonis: ita ut non possis intelligere diserti-
tudinem linguæ eius, in quo nulla est sapientia. 20. Respice Sion civitatem
sollemnitatis nostræ: oculi tui videbunt Ierusalem, habitationem opulentam,
tabernaculum quod nequaquam transferri poterit: nec auferentur clavi eius in
sempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur: 21. quia solummodo ibi
magnificus est Dominus noster: locus fluviorum rivi latissimi & patentes:
non transibit per eum navis remigum, neque trieris magna transgredietur
eum.

eum: 22. Dominus enim iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster: ipse salvabit nos. 23. Laxati sunt funiculi tui, * & non prævalebunt: sic erit malus tuus ut dilatare signum non queas. Tunc dividentur spolia prædarum multarum: claudi diripient rapinam. 24. Nec dicet vicinus: Elangui: populus qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas.

(a) Psal. xiv. 2. (b) I. Cor. 1. 20.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 9. *Confusus est Libanus, & obsorduit*. Scribendum est *obsorduit* vocali quarta, derivatum a sordes, non quinta *obsurduit* a surdus.

Vers. 19. *Populum impudentem non videbis*. Merito correxerunt Patres *impudentem*, quod est inverecundum, pro eo quod complures legunt *imprudentem*, id est insipientem.

Vers. 23. *Et non prævalebunt*. Alii scribunt *sed* pro *&*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. VAE QUI PRAEDARIS: aut שודד, *devastas*; id est, væ tibi Sennacherib qui Iudæos, væ tibi Diabole, qui homines deprædaris: nonne Christus deprædabitur te? *Captivam enim ducet captivitatem* tuam: Psalm. LXVII. 19. & Ephes. IV. 8. ET QUI SPERNIS: vel, בוגד, *qui prævaricatus es*. Hebræi non legunt interrogative, neque Septuaginta interrogative verterunt; sed lectio nostri Interpretis magis convenit cum sequentibus. CUM CONSUMMAVERIS; id est, cum iniquitates tuæ completæ fuerint, a Deo punieris. Alludit autem ad spolia Sennacherib, IV. Reg. XIX. 35. & ad spolia Diaboli a Christo erepta, Lucæ XI. 22.

V. 2. DOMINE. Apostrophe ad Deum, qua magis confirmat prophetiam suam. TE ENIM EXPECTAVIMUS, id est in te speravimus. ESTO BRACHIUM NOSTRUM, id est esto nobis auxilio. Heb. זרעם, *brachium eorum*, subita personæ mutatione. Noster Interpres, ut arbitror, legit זרענו *brachium nostrum*, quod multo melius cohæret.

V. 3. A VOCE ANGELI FUGERUNT POPULI; id est, a strepitu cladis quam fecit Angelus in Assyriorum exercitu, IV. Reg. XIX. 35. Sæpe monuimus vocem ab Hebræis omnem strepitum appellari. Heb. מקול המון, *a voce tumultus*. Noster Interpres non reddidit verba, sed sensum. FUGERUNT POPULI: erant enim varii populi ac gentes in Assyriorum exercitu. Fugerunt, pro, fugient.

V. 4. ET CONGREGABUNTUR SPOLIA VESTRA, o Assyrii, vel spolia quæ vestra erunt, o Iudæi. SICUT COLLIGITUR BRUCHUS. Solet bruchus colligi, & facta fossa in terram defodi acervatim. Acervis igitur bruchorum comparat acervos spoliorum, quæ Assyrii reliquerunt, ut expeditiores fugerent. Heb. כמשק גבים שוקק בו, *sicut discursus locustarum, occurrens illi*; id est, sicut colligit magnum locustarum gregem quicumque primus illi occurrit. Solent locustæ gregatim volare huc illuc, aut antequam alas habeant, saltitare: quibus venientibus saccus apertus opponitur, in quem se se ipsæ ingurgitant, atque ita capiuntur. Significat ergo, ut qui primus occurrerit, magnos spoliorum acervos occupet. Sic ego interpretor: nam aliæ interpretationes alienæ mihi videntur.

V. 5. MAGNIFICATUS EST DOMINUS; pro magnificabitur, נשגב, *exaltabitur*. QUONIAM HABITAVIT IN EXCELSO; id est, quia revera altus est & excelsus, ostendit se excelsum esse. IMPLEVIT, pro implebit, SION, id est Ecclesiam Catholicam, IUDICIO ET IUSTITIA.

V. 6. ET ERIT FIDES IN TEMPORIBUS TUIS,

TUIS, id est tunc vere homines credent in Deum. Alloquitur autem per apostrophen Ezechiam, & sub eius figura Christum. DIVITIAE *enim* SALUTIS, id est salutares, ac veræ (sub. sunt.) SAPIENTIA ET SCIENTIA: *&* TIMOR DOMINI IPSE THESAURUS EIUS, id est tuus. Subita mutatio personæ; loquitur autem apte ad personam Regis: solent enim Reges divitias & thesauros magnifacere; quasi dicat: Veræ Regis divitiæ erunt sapientia & scientia, verusque thesaurus timor Domini, והיה אמונה עתך חסן ישועות חכמת ודעת, quæ alii sic interpretantur: *Et erit firmitas temporis tui fortitudo salutis sapientia & scientia;* id est, firmitas regni tui consistet in salutari fortitudine, (id est in spirituali robore) sapientia & scientia. Ego sic interpretor: *Et erit fides temporis tui*, id est quæ sub tuo regno vigebit, *divitiæ*, vel, thesaurus חסן *salutis*, *sapientia & scientia*; id est divitiæ, sapientia & scientia regni tui, id est opes & consilia tua consistent in fide. Vel, divitiæ regni tui consistent in fide, sapientia & scientia, id est cognitione Dei. Vel, erit fides עתך *felicitas tua* (nam id etiam nomen significat) id est, felicitas regni tui consistet in fide, quæ est fundamentum & initium salutis. Et divitiæ salutares (regni tui) erunt sapientia & scientia.

V. 7. ECCE VIDENTES, id est nuncii, qui Hebraice dicuntur אראלים, a fortiter videndo, ut noster Interpres videtur existimasse. Sic vocat legatos missos ad Sennacherib ad agendum de pace: IV. Reg. XVIII. 26. *Eliacim & Sobna & Ioahe missi sunt ad murum Ierusalem obsessæ, ut agerent cum Assyriis:* quos credibile est exclamasse auditis Assyriorum contra Deum conviciis, quamvis Scriptura eo loco vers. 37. tantum dicat eos scissis vestibus rediisse. Atque hoc est, quod hoc loco dicit, CLAMABUNT FORIS, id est supra murum, ut extra urbem etiam audirentur: vel intelligitur de aliis nuntiis qui missi sunt eodem cap. vers. 14. ANGELI PACIS AMARE FLEBUNT, id est nuntii, qui mittentur ad agendum de pace. Repetitio est.

V. 8. DISSIPATAE SUNT VIAE, id est solæ: nemo per viam transit propter obsidionem. Verba sunt quæ dicebant nuntii flentes. CESSAVIT TRANSIENS, id est non est qui transeat. Usitatus modus Hebræorum plangentium civitates, ut Thren. I. 4. *Viæ Sion lugent*. IRRITUM FACTUM EST PACTUM, id est fœdus quod erat inter regem Ezechiam & regem Assyriorum. Heb. הפר ברית, *violavit fœdus* (rex Assyriorum: IV. Reg. XVIII. 17.) PROIECIT CIVITATES; id est, expugnavit Sennacherib civitates Iudæ: IV. Reg. XVIII. 13. ET NON REPUTAVIT HOMINES; id est, pro nihilo habuit Ezechiam & Iudæos.

V. 9. LUXIT, &c. Describit per prosopopœiam Iudææ vastitatem, omnia enim lugere videbantur. CONFUSUS EST LIBANUS; id est, erubuit mons ipse Libanus spoliatus decore, & pulchritudine arborum suarum. ET OBSORDUIT; id est, nemo tum in eo auditur, cum ante lignatorum voces audirentur. Heb. קמל, *excisus est*, vel *obsorduit*, id est horridus est. FACTUS EST SARON SICUT DESERTUM, id est incultus & horridus. Saron campus erat feracissimus inter montem Thabor & lacum Tiberiadis, ut ait Hieronym. vide I. Paral. XXVII. 29. & Act. IX. 35. ET CONCUSSA, נער, *excussit* (fructus suos) vel *excussus est;* id est, spoliatus fructibus Basan & Carmel, qui ut sæpe diximus, agri fertilissimi erant.

V. 10. NUNC EXURGAM: nunc, id est cum omnia videntur esse desperata ac perdita, ut paulo ante dixit: est enim *refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione*: Psalm. IX. 10. sicut dicit Psal. XI. 6. *Propter miseriam inopum & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus*. Exurgendi autem verbum significat Deum ante quodammodo sedisse, id est non tulisse opem: nunc autem paratum fore ad opem ferendam. NUNC EXALTABOR, &c. id est, ostendam potentiam meam, ostendam me altum esse & sublimem.

V. 11. CONCIPIETIS ARDOREM, id est ignem quo consumamini. Peribitis vestris ipsorum consiliis, atque conatibus. Heb. תהרו חשש, *concipietis quisquilias*. Quisquilias & stipulam vocat peccatum, quod est materia divini supplicii: sicut quisquiliæ & stipulæ sunt materia ignis. Concipere est cogitare peccatum: parere est exequi: spirare est pertinaciter in peccato perseverare: sicut qui non contentus ignem accen-

accendisse, illum sufflat. Hoc est, quod dicit, SPIRITUS VESTER; id est, conatus & pertinacia in exequendis malis consiliis vestris, UT IGNIS, (in genitivo; id est, ut spiritus ignis, ut exsufflatio ignis vorabit vos:) vide sup. cap. XXX. 33. Hæc autem omnia dicuntur contra Assyrios.

V. 12. ET ERUNT POPULI, id est Assyrii, QUASI DE INCENDIO CINIS; id est, Assyrii qui ex clade evaserint adeo contriti & pene exusti, ut similes videantur esse cineribus, qui ex igne manant. Heb. והיו עמים משר פות סיה, *Et erunt populi exustiones calcis*; id est, consumentur ira Dei & comminuentur, sicut lapides igne cocti comminuuntur in calcem. SPINAE CONGREGATAE. Intelligitur particula similitudinis כ. more Hebræorum, id est, sicut spinarum fascis igne comburentur.

V. 13. AUDITE (Deus loquitur.) *Audite*, id est audietis: imp. pro fut. more Hebræorum; quasi dicat: Efficiam ut omnes gentes, & quæ longe, & quæ prope habitant, audiant Assyriorum cædem, & intelligant quam fortis sim.

V. 14. CONTERRITI SUNT IN SION, id est propter Sion (Assyrii) vel in pugna contra Sion; quasi dicat, In bello Hierosolymitano. Alii referunt ad Iudæos, quod minime probo. POSSEDIT, id est apprehendit, TREMOR HYPOCRITAS, id est idololatras, falsorum Deorum cultores. QUIS POTERIT HABITARE DE VOBIS (O Assyrii, apostrophe ad illos) CUM IGNE DEVORANTE? id est cum Deo qui ignis consumens est: Heb. XII. 29. quasi dicat, Quis vestrum poterit Deo resistere? Heb. מי יגור לנו, *quis habitabit ex nobis*. Verba sunt quæ Assyrii conterriti dicebant. CUM ARDORIBUS, id est cum incendiis SEMPITERNIS. סקודי עלם: repetitio est idem significans, aut *quis habitabit nobis*, id est quisnam habitabit? ut sit interrogatio generalis, neque ad Assyrios, neque ad Iudæos pertinens, & sequatur subiectio.

V. 15. QUI LOQUITUR VERITATEM. Heb. מדבר מישרים, *qui loquitur recta*, id est qui neminem verbo lædit. QUI PROIICIT AVARITIAM, id est qui contemnit, qui non sectatur lucrum quod ex fraude vel violentia provenit. QUI OBTURAT AURES SUAS, NE AUDIAT SANGUINEM; id est, qui non conspirat cum homicidis ad effundendum sanguinem, id est qui innocens est: ut Psal. XXIII. 3. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus & mundo corde.*

V. 16. ISTE IN EXCELSIS HABITABIT: id est, qui huiusmodi est, habitabit in loco sancto eius. MUNIMENTA SAXORUM SUBLIMITAS EIUS; id est, munitum erit & inexpugnabile asylum eius, quemadmodum si in altissima rupe situm esset, id est tutus erit: *Habitabit in adiutorio Altissimi, & in protectione Dei cæli commorabitur*: Psal. XC. 1. PANIS EI DATUS EST: dabitur: præt. pro fut. AQUAE EIUS FIDELES ERUNT, id est perennes: *Nihil deest timentibus eum*: Psal. XXXIII. 10.

V. 17. REGEM IN DECORE SUO, id est Ezechiam, & Christum qui per eum significatur, in gloria sua, VIDEBUNT OCULI EIUS, id est iusti & innocentis: sicut Apostoli post resurrectionem gloriosum viderunt. Hebræi nunc legunt עניך, *oculi tui*. Noster Interpres legisse videtur עניו. CERNENT TERRAM DE LONGE: מרחקים, *longinquorum*: remotam; id est, illustrabit remotissimas quasque regiones, ut Apostoli fecerunt.

V. 18. COR TUUM MEDITABITUR TIMOREM; id est, semper habes tunc infixum animo timorem Dei. Mutatio personæ, ut noster vertit Interpres. UBI EST LITTERATUS? non erunt tunc multi litterati, non multi ponderatores verborum legis, id est legis periti, non multi doctores parvulorum, id est idiotarum & rudium hominum, quia *omnes erunt dociles Dei*: Isai. LIV. 13. & Ioan. VI. 45. Et per Apostolos homines litterarum imperitos imprimet Deus in animis hominum timorem sui. Ita videtur D. Paulus tacita quadam allusione hunc locum interpretari, I. Cor. I. 20. *Ubi sapiens? ubi scriba? ubi inquisitor huius sæculi?* Hebræi aliter legunt & exponunt. איה ספר, *ubi scriba?* ut sit mimesis verborum quæ Iudæi in obsidione Sennacherib dicebant, timentes ne ei ferent tributarii; quasi dicat: Singulis mon entis interrogabitis ubi sit scriba? id est, recenset & scribit eos, qui pendere debent vectigal: איה שוקל, *ubi ponderator*, id est qui pecuniam ponderat, quæ exigitur pro tributo: איה ספר את המגדלים, *ubi scriptor turrium?* id est, qui insignicres domos notat, ut maius vectigal ab eis petat.

tat. Ego malo D. Paulum interpretem sequi.

V. 19. Populum imprudentem non videbis, id est barbarum, non amplius videbis Assyrios hostes tuos. Heb. נועז, *populum roboratum*, id est fortem. Populum alti sermonis: עם מעקי שפה, *populum profundi labii*; id est, qui barbaro & ignoto sermone loquitur: משמע, *ab audiendo*, id est intelligendo, ita ut non intelligas illum: נלעג לשון אין בינה, *blæse linguæ sine intelligentia*, id est ut non queat intelligi. Tribus membris aliis verbis eamdem enuntiat sententiam.

V. 20. Respice, pro respicies, Hebraismus, Sion civitatem solemnitatis nostrae, id est Ecclesiam Catholicam, ubi non umbratiles, sed veræ celebrandæ sunt solemnitates. Videbis, inquam, (stantem ac florentem) id est admirabundus contemplaberis: hæc est vis verbi *videbis* hoc loco. Oculi tui videbunt: repetitio. Habitationem opulentam, id est Ecclesiam variis gratiarum generibus redundantem: שאנן, *tutam*; id est, *adversus quam portæ inferi non prævalebunt*: Matth. xvi. 18. Tabernaculum quod nequaquam transferri poterit, id est auferri & destrui. Vaticinatur Propheta de perpetua Ecclesiæ stabilitate. Utitur autem eleganti oppositione, nam omne tabernaculum transferri potest; in hoc enim a fixis differt domibus: Ecclesiam autem vocat tabernaculum quod transferri non potest, quia in quemcumque locum transferatur, numquam tamen a suo fundamento, id est a Christo & Romano Pontifice eius Vicario, dimovebitur. Neque auferentur clavi eius. Tabernacula funibus defixis in terra clavis tendi solent, quæ mutari transferrique non possunt, nisi aut avulsis clavis, aut ruptis funibus. Funes Ecclesiæ sunt Episcoporum præsertim Romanorum successiones; clavi quibus ligantur, sunt Apostoli, a quibus perpetua serie descenderunt.

V. 21. Quia solummodo magnificus est Dominus; id est, propterea tuta erit & inexpugnabilis Ecclesia, quia Deus tam quam custos habitat in ea: Psal. xlv. 6. *Deus in medio eius non commovebitur*: כי אם־שם אדיר יהוה לנו, *quia certe ibi magnificus Dominus nobis*; id est, ibi se Dominus pro nobis (aut in defendendis nobis) magnificum ostendet. Locus fluviorum. Intelligitur כ particula similitudinis, ut sæpe apud Heb. id est, sicut locus fluviorum in quo sunt lati rivi, id est erit Ecclesia tuta sicut locus fluminibus non navigabilibus circumcinctus, ita ut neque magnæ, neque parvæ naves ad eum possint accedere. Hoc enim id est quod sequitur: Non transibit super eum (בו, *ad eum locum*, id est non accedet) navis remigum, id est parvum navigium, quod remis agitur. Neque trieris magna; id est, neque magna navis transgredietur eum: יעברנו, *penetrabit ad eum locum*. Flumina quibus Ecclesia circumdatur, mystice promissiones Dei, Scripturas sacras, Concilia interpretari possumus. His enim rebus efficitur, ut nulla neque parva, neque magna hæreticorum navis Ecclesiam possit superare.

V. 22. Dominus enim. Reddit causam, quam ob rem Ecclesia inexpugnabilis sit: ecce enim Christus in ea est *usque ad consummationem sæculi*: Matth. xxviii. 20.

V. 23. Apostrophe ad hostes Ecclesiæ, qua dicit eos contra Ecclesiam pugnantes facturos naufragium. Laxati sunt funiculi tui, id est navium tuarum, o hostis, id est demissa vela ut in naufragio fieri solet: vel, derelicti sunt funiculi tui. Solent enim nautæ cum nullam vident salutis spem, rudentes relinquere. Sed non praevalebunt, id est non sunt validi; quasi dicat, Rudentes tuæ laxæ sunt, non validæ. Heb. בל־יחזקו כן־תרנם, *non roborabunt malum suum* (sub. nautæ) id est, frangetur, cadet malus navis ipsorum, neque poterunt eum fulcire. Ut dilatare signum non queas, ita ut non possis vela pandere. Vela enim appellat signa, quia sunt veluti signa militaria. Claudi diripient rapinam, שלל, *spolia*; id est, adeo destitutæ erunt velis, malo & omnibus rebus naves vestræ, ut non possitis fugere, sed claudi etiam consequi vos, & spoliare possint. Ita hæretici dum Ecclesiam scripturis impugnare volunt, scripturis destituti, etiam a claudis, id est ab hominibus minime doctis convincuntur, & testimoniis Scripturæ, quibus abuti consueverant, dispoliantur.

V. 24. Neque dicet vicinus, id est habitator Sion, vel Ierusalem, civis Ecclesiæ Catholicæ. שכן, Elangui: חליתי; *infir-*

infirmus sum; id est, Omnes hostes & hæretici naufragium facient; e contrario vero inter Catholicos nemo queretur se ægrotare, id est fidem suam naufragio periclitari. POPULUS QUI HABITAT IN EA: in Ierusalem, id est in Ecclesia Catholica. AUFERETUR AB EO INIQUITAS: relativum redundans consuetudine Hebræorum; id est, remittentur peccata iis tantum qui in Ecclesia Catholica permanserint.

S A.

Verf. 1. QUI PRAEDARIS. Alloquitur Sennacherib, vel tyrannos.

V. 2. TE ENIM, &c. LXX. *in te enim confidimus*. BRACHIUM, id est robur. MANE, id est cito, vel quotidie. Chald. *omni die*.

V. 3. VOCE, id est vi, seu strepitu. ANGELI; scilicet qui exercitum Sennacherib delevit. EXALTATIONE, id est sublimi potentia.

V. 4. CONGREGABUNTUR, scilicet a Iudæis. VESTRA, scilicet o Assyrii. BRUCHUS. LXX. *locusta*.

V. 5. QUONIAM, &c. LXX. *qui habitat in cælis*. IUDICIO ET IUSTITIA. Chald. *operantibus iudicium & iustitiam*.

V. 6. ERIT FIDES: apparebit veritas, scilicet promissorum Dei. Chald. *faciet Deus quod promisit*. TUIS, scilicet o Christe. DIVITIAE, &c. LXX. *In thesauris salus nostra, illic sapientia, & scientia, & pietas in Dominum, hi sunt thesauri iustitiæ*.

V. 7. VIDENTES, scilicet Iudæi aliter succedere quam sperabant. FORIS, id est publice. ANGELI PACIS, id est Legati missi ad pacem componendam cum Assyriis. FLEBUNT, scilicet non impetrata pace.

V. 8. PACTUM, scilicet de pace, quam Iudæi optabant. PROIECIT, scilicet Deus, vel hostis. NON REPUTAVIT, id est nihili fecit.

V. 9. TERRA, scilicet Iudææ. CONFUSUS, scilicet videns se cedris, id est civibus spoliatum, vel vasis. LIBANUS, id est Ierusalem, vel templum. Vide Ezech. XVII. Zach. XI. SARON. Regio est Galilææ fertilissima.

V. 10. EXALTABOR, id est glorificabor; scilicet ostensa mea potentia.

V. 11. CONCIPIETIS, scilicet deliberatione. ARDOREM, scilicet iniquitatis. Chald. *cogitationes impietatis*. PARIETIS, scilicet executione. STIPULAM. Chald. *opera mala*, scilicet fomenta ignis æterni. SPIRITUS VESTER, id est vestra consilia. LXX. *Vana erit fortitudo spiritus vestri*. VORABIT, id est perdet.

V. 12. SPINAE; pro, ut spinæ.

V. 14. IN SION, id est Ecclesiæ lumine. HYPOCRITAS. Chald. *impios*. LXX. *iniquos*.

V. 15. VERITATEM. Chald. *recta*. AVARITIAM. Chald. *mammonam iniquitatis*. EX CALUMNIA. Complut. *& calumniam*. Chald. *& rapinam*. LXX. *& iniustitiam*. SANGUINEM. Chald. *effundentes sanguinem innocentem*. LXX. *iudicium sanguinis*, scilicet iniquum. MALUM. LXX. *iniquitatem*. Chald. *operantes iniquitatem*.

V. 16. MUNIMENTA, &c. quasi dicat, Et loco tutissimo. PANIS. Chald. *cibus sufficiens*. FIDELES, id est non deficientes. Chald. *permanentes*.

V. 17. REGEM, id est Deum in cælo, vel in terra Christum. TERRAM DE LONGE; scilicet cælestem hereditatem hinc longe distantem, vel e cælo terram. Chald. *descendentes in terram Gehennæ*.

V. 18. TIMOREM, id est res timorem incutientes. UBI EST, &c. quasi dicat: Requires qui te doceat, in magna Doctorum penuria; vel, quis te sapientiam præter Deum poterit docere, & ducere tuto, aut liberare? vel, ubi Philosophorum dogmata falsa post lucem Evangelii? Vide I. Cor. I. ubi Paulus hæc ad mundanam sapientiam refert.

V. 19. VIDEBIS, scilicet tempore gratiæ. ALTI, id est profundi & obscuri. IN QUO, &c. scilicet in Gentilium eloquentia parum est sapientiæ.

V. 20. SION, id est Ecclesiam; vel, o Ecclesia. IERUSALEM, scilicet cælestem: CLAVI. His solent alligari funes tentoriorum. LXX. *paxilli*.

V. 21. IBI, scilicet in Ecclesia. NAVIS, scilicet hostium.

V. 23. TUI, scilicet o hostis. DILATARE SIGNUM. Chald. *velum extendere*.

V. 24. NEC DICET, &c. quasi dicat, Omnes erunt fortes spiritu.

ESTII.

Verf. 7. **ECCE VIDENTES CLAMABUNT FORIS, ANGELI PACIS AMARE FLEBUNT.** Hæc fententia obfcuritatem habet, propterea quod angelis, quos conftat fine omni doloris aut triftitiæ permixtione beatos effe, tribuatur fletus, ifque amarus, qui cum perfecta & plena beatitudine confiftere non poteft. Sed folvitur hæc difficultas, fi intelligamus qui hoc loco dicantur angeli pacis, & quis fit huius loci fenfus litteralis. Agit Propheta de graviffimo periculo, in quo verfabatur rex Ezechias & Ierufalem tota, eo tempore, quo in Iudæam iverat Sennacherib rex Affyriorum cum fuo exercitu, quando miffis ad eum legatis pacem impetrare non potuit; quin potius rex fuperbus extrema quæque minabatur fanctæ civitati, & templo Dei, ipfique populo captivitatem. Senfus ergo eft: *Ecce videntes clamabunt foris*; quafi dicat: Mittentur a rege Ezechia fpeculatores, (eos *videntes* vocat) ut contemplentur exercitum regis Affyriorum, fimulque petant pacem, (quos Propheta hic angelos pacis vocat.) Sed re infecta redeuntes hi fpeculatores, videntes, angeli feu nuntii, mirabiles clamores, ac defperata pace, amare flebunt. Ceterum hæc omnia idcirco exaggerantur, ut tanto magis commendetur potentia Dei, quæ eos a tali hofte liberavit. Vide etiam noftra in II. Sent. dift. 7.

V. 14. **QUIS POTERIT HABITARE DE VOBIS CUM IGNE DEVORANTE, AUT QUIS ABITABIT EX VOBIS CUM ARDORIBUS SEMPITERNIS?** Hoc non de inferno intelligendum eft, quia dicit Propheta hominem iuftum & fanctum cum igne illo & ardoribus habitaturum. Sic enim fibiipfi refpondet verfu immediate fequenti; **QUI AMBULAT IN IUSTITIIS, ET LOQUITUR VERITATEM, QUI PROIICIT AVARITIAM** &c. fed illa (*ignis devorans*) & (*ardores fempiterni*) per periphrafim Deum fignificant; de quo dicitur Deut. IV. & citatur ad Heb. XII. quia *Deus ignis confumens eft*. Senfus ergo eft: Quis audebit fe coniungere Deo, qui tantus eft vindex blafphemiæ Affyriorum omnifque impietatis? Ac deinde fcilicet refpondet, non impium, nec hypocritam cum Deo habitaturum; fed eum qui ambulat in iuftitiis & veritate; quafi dicat: Eft quidem Deus admodum formidabilis impiis, & horrendum eft incidere in manus Dei viventis, fed homo iuftus confidenter & fine nocumento cum Deo habitare, & converfari poterit. Et nota hic contra hæreticos noftri temporis, quod vita hominis iufti fuftinet iuftum iudicium Dei.

MARIANAE.

Verf. 1. **VAE QUI PRAEDARIS.** Contra Affyrios videntur hæc dici, aut contra diabolum. **ET QUI SPERNIS**, aut *prævaricaris*: id בגד baghad proprie fignificat. *Prævaricaris*, inique agis diripiendo Iudæam. **NONNE ET IPSE SPERNERIS?** Heb. *& non funt prævaricati in te*: nullo ipforum merito diripuifti. **CUM FATIGATUS DESIERIS CONTEMNERE.** Heb. *cum defieris prævaricari, prævaricabuntur in te*. Paria referes, diripieris Angelo vindice.

V. 2. **ESTO BRACHIUM NOSTRUM**; id eft robur. Heb. *brachium eorum*. Sed tertia perfona ponitur pro prima. **IN MANE.** Heb. *in auroris*, id eft omnibus diebus, cito. Efto Domine robur noftrum.

V. 3. **A VOCE ANGELI.** Heb. *a voce ftrepitus*, quem fcilicet fecit Angelus. **FUGERUNT POPULI**, fcilicet Affyrii. **AB EXALTATIONE TUA**, id eft ob excelfam tuam potentiam.

V. 4. **SICUT COLLIGITUR BRUCHUS.** Sept. *locufta*; ne fcilicet vineis noceat. **VELUT CUM FOSSAE PLENAE FUERINT DE EO.** Hebraica fic alii vertunt: *Sicut inceffus locuftarum incedens in eo*. In quo? גב gheb fane *locuftam* & *foveam* fignificat. Hieronymus hanc pofteriorem fignificationem eft fecutus. Quo modo fic Hebraica vertas: *Sicut congregatio foffarum congregans in eo*; pro, ex eo, fcilicet brucho. Duram loquendi formam emollivit Hieronymus, retenta fententia. Sane cum locuftæ colliguntur, in foveis eas fepeliunt. Colligentur ergo fpolia Affyriorum, ficut locuftæ aut bruchus colliguntur, ea copia & facilitate.

V. 5. **IMPLEVIT SION IUDICIO** Deus, vindicatis hoftibus.

V. 6. **ET ERIT FIDES**, aut *veritas*, aut *ftabilitas*, id eft firma felicitas temporibus tuis

tuis erit, o Sion. Aut apparebit veritas promissorum Dei. DIVITIAE SALUTIS. Heb. *robur salutum, sapientia, & scientia*. Salus ex vera sapientia & Dei cognitione. THESAURUS EIUS, scilicet Dei aut hominis, (relativum sine antecedente) est timor Domini.

V. 7. ECCE VIDENTES, id est Prophetæ, aut nuntii. Heb. *nuntii eorum*, scilicet Iudæorum missi de pace ad Assyrios. CLAMABUNT FORIS, non facta scilicet potestate Regem Assyrium conveniendi. ANGELI PACIS, id est nuntii pacis, pro de pace missi. AMARE FLEBUNT, re infecta redeuntes.

V. 8. DISSIPATAE SUNT VIAE. Heb. *desolatæ sunt viæ*; scilicet obsidionis tempore, nullus in viis apparebit. CESSAVIT TRANSIENS. Repetitio, & explicatio. IRRITUM FACTUM EST PACTUM. Heb. *dissipavit pactum*, scilicet Deus, quo promiserat Israeli opem. PROIECIT CIVITATES, quasi ad eum non pertinerent. Omnia hæc præterita pro futuris sumantur. *Dissipatæ sunt*, pro, dissipabuntur, & sic de aliis.

V. 9. LUXIT. Sic Sept. & Chald. Quidam: *corrupta est, & elanguit terra*. CONFUSUS EST LIBANUS. Heb. *erubuit*. ET OBSORDUIT. Heb. *excisus est*: spoliatus suis arboribus. CONCUSSA EST, sive *excussus est* Basan, id est fructus decussi sunt. BASAN erat regio fertilis. Summa, terræ facies. Obsidionis tempore ipsi etiam montes sunt vastati.

V. 11. CONCIPIETIS ARDOREM. Heb. *quisquilias*. PARIETIS STIPULAM, id est consiliis vestris, o Iudæi, consentanei exitus erunt, vani scilicet & nullius momenti. SPIRITUS VESTER, id est consilia male succedent, ut ignis vorabit vos.

V. 12. QUASI DE INCENDIO CINIS. Heb. *incendia calcis*; id est, similes lapidibus, quibus combustis fit calx, eritis. SPINAE CONGREGATAE. Heb. *spinæ*, id est ut spinæ excisæ, igne comburentur. Itaque populus propter obsidionis mala calci, seu cineri, & spinis combustis similis erit.

V. 14. HYPOCRITAS, seu impios invasit terror. QUIS POTERIT HABITARE DE VOBIS. Heb. *quis habitabit nobis*; pro, ex nobis. CUM IGNE DEVORANTE? Sic vocat Assyrios: quis eorum impetum feret? Aut sic: *Quis stabit pro nobis contra Assyrios ignis instar consumentes omnia?* QUIS HABITABIT EX VOBIS. Heb. *ex nobis*. CUM ARDORIBUS. Sic etiam Assyrios vocat, qui instar ignium inferni essent. Qui evadent?

V. 15. ET LOQUITUR VERITATEM. Heb. *rectitudines*. QUI PROIICIT AVARITIAM EX CALUMNIA. Regia, & *calumniam*. Heb. *reprobat avaritiam oppressionum*, id est opes ex rapinis. NE AUDIAT SANGUINEM; id est, cædibus non se admiscet: consulentibus ut sit particeps, aures non præbet. NE VIDEAT MALUM, aspectum etiam iniquitatis aversatur. Denique qui est innocens,

V. 16. ISTE IN EXCELSIS HABITABIT. Superior omni iniuria, ad eum procella non pertinget. MUNIMENTA SAXORUM, id est arces, quæ rupibus imponebantur. SUBLIMITAS EIUS. Sic plerique vertunt; quasi dicat: Eæ arces faciunt, ut in sublimi ac tuto loco sit. Ego dicerem, *perfugium eius*: nam משגב *misgbab*, *sublimitatem* significat & *perfugium*. PANIS EI DATUS EST, AQUAE EIUS FIDELES, id est stabiles, in obsidione neque cibus illi deerit, neque potus.

V. 17. REGEM IN DECORE SUO VIDEBUNT OCULI EIUS: Ezechiam seu Christum. In obsidione Rex erat squalidus, ea soluta resumet regium apparatum. CERNENT TERRAM DE LONGE, seu *longinquam*, libere peregrinari poteris quo fere t animus.

V. 18. COR TUUM MEDITABITUR TIMOREM; id est, quod prius meditabatur terrores, & dicebat, UBI EST LITTERATUS? Heb. *ubi scriba*, scilicet tributorum rationem penes se habens. UBI LEGIS VERBA PONDERANS? Heb. *ubi ponderans*, scilicet tributorum exactor. UBI DOCTOR PARVULORUM? Heb. *ubi scriba turrium*, id est præfectus thesauris, qui erant in turribus. Hieronymus proculdubio aliter hunc locum legit, quando pro *turribus parvulos* posuit. Quorsum hæc tamen? ut in periculo necessaria illis pararent, pecunia in stipendium expediretur. Meditabitur id ante pulsos Assyrios. Sed post

V. 19. POPULUM IMPUDENTEM NON VIDEBIS. Sic Regia, Heb. *robustum*, id est *barbarum*, ut Pagn. vertit. Barbari pollent viribus. POPULUM ALTI SERMONIS. Heb. *labii profundi*, id est loquentem

lingua Barbara, id est Syriace: IV. Reg. XVIII. 26. ita ut non possit intelligere. Heb. *alti sermonis ab audiendo*, id est ita ut non intelligas. DISERTITUDINEM. Heb. *balbutientem linguam*. IN QUO NULLA EST SAPIENTIA. Heb. *non intelligentia*, id est parum mente valent. Ergo significat, soluta obsidione non fore amplius qui lingua Barbara loquatur.

V. 20. RESPICE SION. O Sion, oculos coniice in Ierusalem, ut videas eius felicitatem. CIVITATEM SOLEMNITATIS NOSTRAE. Ubi festa statuta Lege celebrantur. OPULENTAM, seu *tranquillam* sublatis belli rumoribus. Vox Heb. *saanam*, & *opulentam* & *tranquillam* significat. TABERNACULUM, quod non transferetur, videbis. Periphrasis est, ad significandum urbis & tabernaculi perpetuitatem. NEC AUFERENTUR CLAVI EIUS. Clavis & funiculis tabernaculum stabat. Sic templum vocat, cuius stabilitatem promittit. Non auferentur clavi.

V. 21. MAGNIFICUS EST DOMINUS. Solus ipse dominabitur. LOCUS FLUVIORUM, id est Deus, erit instar loci, ubi sunt flumina, qui expugnari non potest. RIVI LATISSIMI ET PATENTES, scilicet rivorum latorum manibus, id est locis. NON TRANSIBIT, id est neque navis parva actuaria, neque navis maior transibit per eum locum, traiiciet ea flumina. Denique navigabilia non sunt, quod locum muniriorem reddit.

V. 23. LAXATI SUNT FUNICULI TUI, scilicet o Assur. Assyriorum cladem naufragio comparat. ET NON PRAEVALEBUNT. Heb. *non erunt fortes*, ut scilicet tempestati resistant. SIC ERIT MALUS TUUS, UT DILATARE (explicare) SIGNUM (id est velum) NON QUEAS. TUNC DIVIDENTUR SPOLIA, cum navis progredi non poterit, & fracta fuerit. PRAEDARUM MULTARUM. Heb. *tunc divident prædam*. Id significat עד *had*, spolia multa: quæ tanta erunt, ut non solum agiles, sed claudi rapere ea possint. CLAUDI DIRIPIENT.

V. 24. NEC DICET VICINUS. Heb. *habitator*, scilicet Ierusalem. ELANGUI; id est, non possum prodire ad prædam. Omnes erunt fortes, quia civibus omnibus dimissa est iniquitas.

MALVENDAE.

Vers. 1. VAE QUI PRAEDARIS, &c. Observant hanc concionem comprehensam tribus capitibus a Propheta de industria fuisse subiectam superioribus omnibus: quia nunc demum singularia iudicia omnia omittuntur, ut transeatur ad iustam constitutionem regni Christi, quod post iudicia illa omnia erat adventurum. Sunt autem, inquiunt, in hac concione summatim quatuor partes: prima est, prolepsis sive propositio universe malis malum, & bonis bonum denuntians, versibus quatuor: secunda, propositio, sive explicatio secundæ partis prolepseos per hysterosin Hebræis familiarem, toto hoc capite: tertia, explicatio prioris partis prolepseos, toto cap. XXXIV. postrema, conclusio, exponens gloriam regni Christi, piorumque gloriationem ex constitutione eius, cap. XXXV. Hac autem prolepsi primum mala improbis prædicuntur, vers. 1. deinde bona invocantibus Deum per fidem & caritatem, tribus sequentibus: nam quæ hoc loco dicuntur, non ad certam aliquam & singularem gentem referimus, sed ad omnes reluctantes Deo, & Ecclesiam eius vi & fraudibus infestantes. Hunc ergo versum varie alii ex Heb. convertunt: I. *Væ vastanti, & tu non es vastatus, & prævaricanti, cum in te non sit prævaricatum: cum vastare desieris, vastaberis & tu; & cum prævaricari cessaveris, prævaricabuntur in te quoque*. De Assyrio singulariter accipiunt: sed præstat universe de hostibus Dei & Ecclesiæ. II. *Væ tibi, vastator, qui ipse non vastaris*; id est, qui præsentibus commodis, & divitiis benignitatis ac potentiæ Dei abuteris, ut alios non lacessitus circumvenias: *& tibi, perfide, cum perfide non egerint contra te*: tertia pluralis impersonaliter: sic in fine versus, pro, contra quem non agitur perfide: *cum desieris esse vastator, vastaberis*; id est, cum mensuram scelerum tuorum ad saturitatem impleveris, & cumulaveris, tunc vastaberis: *cum absolveris perfide agere, perfide agetur contra te*. III. *Væ vastatori, & tu non devastatus; & excursori, cum non incurrerint in te: quando consummaveris tu vastare, vastaberis; cum defatigatus fueris ad excurrendum, incurrent in te*.

V. 2.

V. 2. Domine miserere nostri. Quidam: *Iehova gratiam fac nobis*. Alterum membrum prolepseos exponens fidelium preces hoc versu, & consecutura bona, duobus sequentibus. Esto brachium nostrum in mane. Alii: *Esto brachium horum singulis matutinis*; id est, esto tuorum defensio te expectantium: sic Ecclesia pro singulis precatur, & singuli pro Ecclesia tota: *singulis matutinis*, vel diebus, synecdochice; vel quod singulo quoque diluculo præveniat nos Deus suo præsidio.

V. 3. A voce Angeli fugerunt populi. Heb. *a voce multitudinis*, *turbæ*, *strepitus tumultus*. Plerique exponunt: Propter timorem, strepitum, tumultum, quem excitavit angelus, quem Hebræi Gabrielem autumant, inquit S. Hieronymus, in castris Sancheribi, *fugerunt*, pro fugient, *populi* Assyriorum. Alii: *A sono strepitus*, hypallage, pro, *a sonoro strepitu*. Explicatio bonorum, quæ in salute percipiunt pii: unum est, liberatio e malis, hoc versu; alterum, omnis boni perceptio, versu sequente. Ait ergo: *A sonoro strepitu*; id est, vel solo auditu judicii adventantis tui, *pervagantur populi*, id est perduntur: *ab exaltatione tua*, seu sublimitate, celsitudine, altitudine tua *disperguntur gentes*; quæ verba elegantissime opponit Propheta illis præcedentibus: *Esto brachium horum singulis matutinis; etiam salus nostra tempore angustiæ*. Ab exaltatione tua. Alii pluraliter legunt: *ab exaltationibus tuis*; qui sensus maiorem emphasim habet. Leve discrimen רוממת *romemuth*, exaltatio, רוממות *romemoth*, *exaltationes*. Sed exemplaria plurima singulare præferunt.

V. 4. Et congregabuntur, &c. Hunc versum alii ex Heb. I. *Colligeturque præda vestra collectione bruchi*, seu *ut colliguntur bruchi*: *secundum discursionem locustarum discurrens per illum*, vel *gressu locustarum gradietur per illum*, aut sicut incessus locustarum, incedens per illum. Exponunt: Ut colliguntur bruchi viridibus nocentes, ut in foveis terra obruantur, vel in aqua mergantur: & ut discursant locustæ per arva fruges omnes & viridia depascentes & erodentes; ita discurret angelus per castra Assyriorum illa consumendo. II. Forsterus: *Et colligetur spolium vestrum collectione absumptoris*, *seu depastoris*; vel *& colligetur præda vestra collectione bruchorum: & sicut irruptio scrobariorum*, seu *scarabeorum*, *in qua est incursor*: seu *velut excursio locustarum excurrit in illam*. III. *Et colligetur præda vestra*; id est, & vos, o pii, de hostibus triumphatis, eorumque spoliis locupletamini: illud, *præda vestra*, active, non passive accipiunt, id est quam vos ab hostibus auferetis, non quæ a vobis auferetur. Apostrophe gratulatoria ad pios, quam Propheta conficit ex accumulatione & observatione omnium iudiciorum Dei, inde a temporibus Abrahami, prout in Scriptura leguntur: *collecta bruchi*; id est, prædæ vobis erit quidquid sibi comparavit hostis, qui tamquam bruchus & locusta depopulatur omnia: *secundum discursionem locustarum*, vel *discursione qualis est prasocuridum*, *discursantium in eam*; id est, locustarum viriditatem terræ excedentium, quæ Græcis dicuntur *Prasocurides*, ab effectu: sic Hamos VII. I. De quibus vide Appendicem Hencricianam, colum. 1699. Aristoteles Lib. V. Historiæ Animalium, cap. XVIII. *E scarabeis fiunt prasocurides*, seu *porricidæ*, seu *viridicidæ*, *quæ & ipsæ quoque alas habent*. Bruchus. חסיל *chasil*, vide in I. Reg. VIII. 37. Fossae. גבים *ghebim*, id quoque significat, II. Reg. III. 16. Alii *scarabeos*, quasi *scrobarios*, quod ii scrobes fodiant, & inhabitent, exponunt: plures tamen *locustas* interpretantur, ex significato Chaldaico. Quidam tamen Hebræorum ita hunc locum accipiunt: *sicut excursio* aquarum in *fossas*, seu *scrobas incurret in eum*; id est, ut aquæ impetu feruntur in fossas, seu loca depressa, sic angelus incurret in exercitum Assyriorum. De eo. Heb. affixo masculeo, *in eo*, vel *in eum*, prædam, de qua initio versus.

V. 5. Magnificatus est Dominus, &c. Alii hunc versum ex Heb. *Editus est Iehova*, *nam habitat altum*. Secundus hic locus expositionem continens secundæ partis prolepseos, ut diximus in vers. I. explicat primum argumenta propositionis usque ad vers. 13. deinde documenta fidei, & sanctimoniæ ad obtinendas promissiones, usque ad vers. 20. postremo per hypotyposin ostendit promissionum fructum, ad finem usque capitis. Argumenta autem ducuntur a natura & fœdere Dei, hoc versu: a fide nostra, & pietate in Deum, versu

versu sequente: postremo, ab operibus, ac nominatim a recente exemplo rei gestæ contra Assyrios, versibus sequentibus. IMPLEVIT SION IUDICIO ET IUSTITIA: id est, præsens est ex fœdere cum Ecclesia inito, ut iudicet improbos, & iustitiam in suis exerceat. De his duabus vocibus coniunctis, *iudicio & iustitia*, vide in Genes. XVIII. 19.

V. 6. ET ERIT FIDES IN TEMPORIBUS TUIS. Verbum *erit* non est construendum cum supposito *fides*, nam *erit* est masculeum, & *fides* femineum: sed per se stat, ut alibi passim in prophetis. *Et erit*, id est eveniet, continget, &c. ut fides temporum tuorum sit thesaurus salutum. Heb. *Et erit firmitas, stabilitas temporis tui*, id est felicitatis tuæ: aut *fides*; *veritas, constantia, certitudo, fidelitas, temporum tuorum, thesaurus salutum*, subaudi, erit: *sapientia & scientia: timor* IHUH, *ipse thesaurus eius*. DIVITIAE. *Chosen, thesaurus, protectio, robur, fortitudo, opes, facultates*, quæ robur & firmamentum hominis sunt. Vide in Proverb. XV. 6. Quidam hunc versum ita explanant: *Est itaque firmitas temporis tui, robur salutum*, seu *omnis salutis*, *sapientia tua & scientia*, vel *sapere te & nosse*: *reverentia Iehovæ est thesaurus eius*. Sensus est: Neque vita stabilis, neque firma salus potest cuiquam contingere, nisi per fidem, quæ in sapientia scientiaque certa versatur; & nisi thesaurum pietatis reconditum possideat in bona conscientia, *qua repulsa nonnulli naufragium fidei fecerunt*, I. Timoth. I. 19. TIMOR DOMINI; id est, reverentia, cultus, religio, Iehovæ, ut passim in Scripturis accipitur. IPSE EST THESAURUS EIUS. Quidam: *ipse est theca, apotheca, penus*, seu *reconditorium eius*, scilicet *thesauri*, vel *roboris salutum*, de quo initio versus; vel *eius*, Dei, aut cuiusque pii.

V. 7. VIDENTES. אראלם *erellam*. Plerique Hebræorum secuti Chaldæum Interpretem, aiunt esse nomen אראל *erel*, cum affixo pronomine, *angelus eorum*, vel *fortis magnus eorum*. Alii componunt ex ראה *raah, vidit*, & אל *el, Deus*, ut sit *videns Deum*. Ut sit epithetum sanctorum angelorum, qui semper vident Deum; & sane auctore Sancto Hieronymo, hoc nomine Hebræi sanctos angelos significari putant. Alii tamen existimant *Erel*, idem omnino esse quod אריאל *ariel*, detracto *Iod*: nam etiam sine *Iod* poni notant Ezechiel. XLIII. 15. *harel*: componi autem ex ארי *ari, leo*, & אל *El, Deus*, vel *Fortis*, ad auxesin, quasi *leoninus, leo fortissimus*: & translate dici de quovis fortissimo & valentissimo homine, ut II. Samuel. XXIII. 20. quasi leonem Dei, seu fortissimum leonem, hominem leoninum dicas. Unde varie hic reddunt: I. *Ecce angelus, nuntius, legatus eorum*, pro, *nuntii eorum clamabunt foris*; id est, legati missi a Iudæis ad Assyrium pacis componendæ causa, cum redibunt re infecta, in ipsa via extra Ierusalaim clamabunt præ mœstitia. II. *En*: Tertium argumentum, ut diximus in vers. 6. exponens historiam calamitatis Iudæorum, vers. 7. 8. & 9. & mirificæ liberationis a Deo, tribus sequentibus: quo exemplo voluit Propheta Iudæos ita confirmare, quasi in rem præsentem adduxisset manu: *valentissimus*, seu *fortissimus* quisque *eorum*, seu *valentissimi horum clamaverant foris*; id est, qui inter ipsos Iudæos erant leones fortissimi, leonini, hoc est, præfecti Iudæorum missi a rege Chizkiia ut audirent legationem Rabschakis, II. Regum XIX. 2. & hic infra cap. XXXVI. 22. Nonnulli Hebræorum *Erel* hoc loco idem esse quod *Ariel*, supra cap. XXIX. volunt, & urbem ipsam Ierusalaim denotare putant, quæ foris ab exercitu Assyrio obsessa, præ angustia clamare cogeretur, vel præsidiarii seu prætorianos milites Ierosolymitanos, qui ut fortes leones habebantur, præ angustia ac metu progressi extra munimenta foris in plateis clamaverunt. ANGELI PACIS AMARE FLEBUNT. Alii: *nuntii, inquam, pacis amare flebunt*; ut sit exegesis præcedentis membri. Quidam: *legati pacis amare fleverant*; id est, qui bellum refugiebant, & pacem factam cum Assyrio servari & coli postulabant. Sed rectius accipitur de eisdem, qui in præcedente membro nominantur.

V. 8. DISSIPATAE SUNT VIAE. Heb. *assiatæ sunt, stupende desolatæ sunt viæ structæ, regiæ, actus*. Quidam: *Desolati erant aggeres*. Vias publicas & regias intercidente & occupante Assyrio. CESSAVIT TRANSIENS PER SEMITAM: ita ut etiam semitæ, & invii calles insederentur ab Assyrio. Alii: *cessaverat transiens itinere* seu *viator*; id est, aversa fuerat omnis commeandi ratio obsessis per Assyrium itineribus: quod ge-

genus calamitatis similiter narrat Debora Iudic. v. *6.* ex maledictione Legis, Levit. XXVI. 22. IRRITUM FACTUM EST PACTUM. Alii: *labefactaverat, fregerat, irritum fecerat fœdus*, Sancherib accepta pecunia, II. Reg. XVIII. 14. 15. 16. 17. Alii, Deus, qui ad tempus deserens suos fœdus cum ipsis initum labefactasse videri potuit. PROIECIT CIVITATES. Alii: *spreverat, fastidiverat civitates*, Sancherib, cum destruendo, tum etiam gloriando II. Reg. XVIII. 33. & cap. XIX. 12. Alii suppositum verbi Deum faciunt, qui civitates munitas Iehudæ in manus Assyrii tradidisse videbatur II. Reg. XVIII. 13. NON REPUTAVIT HOMINES. Heb. *non excogitavit, reputavit, æstimavit mortalem*. Quidam: *non habebat rationem ullius mortalis*.

V. 9. LUXIT, ET ELANGUIT TERRA. Nonnulli: *Lugebat, languebat terra*; id est, miserrima erant omnia, atque miserenda: metaphora prosopopœtica. Alii: *Destructa est, infirmata, debilitata, excisa est terra*. De verbo אמלל *amalal*, vide supra cap. XVI. 8. CONFUSUS EST LIBANUS. Alii ex Heb. I. *pudefactus est Libanus*. II. *erubuit Libanus*, vel *pudebat Libanum*. III. *erubescere fecit*, vel *pudore affecit Libanus*, suos habitatores. IV. Forsterus: *deformatus est Libanus*, vel *avertit se Libanus*; id est, non amplius videtur, quia excisus est, ut subditur. Ex verbo reddes: *infodit se*, seu *infodere fecit Libanus*. Sed iam sæpe monuimus verbum *infodiendi*, pro *pudefieri* accipi in Scriptura: vide in Proverb. XIII. 5. De Libano vide in Deuteronom. III. 25. ET FACTUS EST SARON SICUT DESERTUM. שרון *scharon*, hic plerique pro nomine proprio regionis accipiunt, de qua vide Iosue XII. 18. & I. Paralipom. v. 16. & cap. XXVII. 29. Alii, appellative pro quavis regione Iehudææ uberrima, & pascuosissima. Quidam vertunt: *erat Saron quasi solitudo*. Alii: *facta est planities deserto similis*; id est, quævis regio pascua & fertilis versa est in solitudinem & desertum. ET CONCUSSA EST BASAN ET CARMELUS. Heb. *& excutiens* fructus, frugesque suas *Basan & Carmelus*, seu *excutit Basan & Carmel*, nominandi casu, non accusandi, fructus suos; id est, abiicient ante maturationem. Quidam: *& excutiens*, scilicet Sancherib, *Basanem & Carmelum*, id est concutiet suis copiis. Nonnulli verbum נער *naghar*, in significato *rudendi* hic accipiunt, quo sæpe de asinis utuntur Hebræi; exponuntque: *rudebatque Baschan & arvum*; id est, pascua & arva clamabant præ sterilitate & solitudine, synecdochice, ut infra cap. XXXV. 2. De Basan vide in Numeror. XXI. 33. CARMELUS כרמל *carmel*, nonnulli hic appellative, pro *arvo, agro fertili* capiunt, ut supra cap. XXIX. 17. & cap. XXXII. 15. Alii, pro monte tribus Aser, iuxta Ptolemaidem. Alii, pro alio Carmelo tribus Iehudæ, ubi erat Nabel. Quocirca notant hic a Propheta quatuor terminos terræ sanctæ descriptos, Libanum a septemtrione, Saronem ab occidente, Basanem ab oriente, Carmelum ab austro, quasi omnes terminos Chenahanææ concusserit & perturbaverit Sancherib.

V. 10. NUNC CONSURGAM, DICIT DOMINUS, &c. Notant, esse hic alteram partem narrationis, ut dictum est vers. 7. qua consilium Dei, obiurgatio improborum, & profligatio docentur, tribus versibus. CONSURGAM, exerta potentia mea ad perdendos & profligandos hostes, ut Psal. LXVII. 2. NUNC EXALTABOR. Alii: *nunc exaltabo me ipsum*, opere mirifico, quod mox patraturus sum: humanitus dicta. NUNC SUBLEVABOR. Alii: *nunc elevabo me*, vel *extollam me*, seu *elevabor*, gloria & maiestate potentiæ meæ sublimis ero.

V. 11. CONCIPIETIS ARDOREM. Alii: I. *Concipietis stramen*. II. *Imprægnabimini stramine*. III. *Concipietis torridum gramen*. De voce חשש *chaschasch*, vide supra cap. v. 24. Quidam putant hic esse fruticem illum, quem Hispanice vocamus *coscoia*: quod non probo. PARIETIS STIPULAM. Volunt hisce proverbialibus locutionibus denotari consilia, & conatus vanos, irritos, nihil profuturos, immo nocituros iis qui eos ceperint. SPIRITUS VESTER. Exponunt, Id est animus. Alii, consilia, conatus, studia. Nonnulli, superbia, fastus, arrogantia. Quidam hunc versum ita accipiunt: Conceptio est deliberatio, partus est executio operis: Vanæ, inquit, erunt spes vestræ, & conatus vestri irriti; spiritu sive consilio vestro peribitis. Alii notant esse increpationem allegoricam, qua Deus Assyriorum consilia & conatus cremio, animos vero igni ardenti comparat, quæ una consumi solent. Hispanicus Interpres versum ita exponit:

Con-

Concebiſtes hoiaraſcas, *parireys ariſtas*: *el ſoplo de uveſtro fuego*, id eſt, *la confiança vana*, *os conſumira*. Quidam contra interpunctionem Hebraicam ita diſtinguunt: *& parietis quiſquilias ſpiritus veſtri*, ſeu *ſpiritum veſtrum*; id eſt, pro partu efflabitis animas viles & nullius pretii: ſed refragatur accentus Athnach affixus voci קַשׁ *kaſch*, *quiſquilia*. Heb. ad verbum habent: *gignetis*, ſeu *parietis quiſquiliam*: *ſpiritus veſter ignis comedet vos*; quod quidam ita accipiunt: *ſpiritus veſter erit ignis*, *qui conſumet vos*. Alii: *ſpiritus veſter eſt ignis conſumpturus vos*; vel ſubaudita nota ſimilitudinis, *ſpiritus veſter* tamquam *ignis devorabit vos*.

V. 12. Et erunt populi quasi de incendio cinis. Heb. *Et erunt populi quaſi combuſtiones calcis*; id eſt, ſimiles lapidibus, qui incenduntur & excoquuntur in fornace, & vertuntur in calcem. Quidam reddunt: *Et reddentur populi exuſti ſicut calx*. Alii: *Et erunt populi combuſtionibus calcis*: vide ſimile Ioſue xi. 8. & xiii. 6. Aliqui totum verſum ita convertunt: *Ita fuerunt populi veluti inditi fornacibus calcariis*: *ut ſpinæ ſucciſæ*, *igne exuſti ſunt*. Eventus Aſſyriorum deſcriptus allegorice, prout narratur II. Reg. xix. Hiſpanicus Interpres: *y los pueblos ſeran cal quemadas*: *ſpinas cortadas*: *ſeran quemadas con fuego*.

V. 13. Audite qui longe estis, quae fecerim, &c. Notant, ex ſuperioribus argumentis profluere duos illos propoſitionum rivos, de quibus diximus in verſ. 1. prior eſt vocans pios ad fidem & ſanctimoniam, hoc capite: poſterior, iudicium improbis denuntians, capite ſequente. Huius autem propoſitionis exordium hoc verſu continetur: documenta, ſex verſibus ſequentibus: ac poſtremo hypotypoſis, ut diximus in verſ. 5. *Longinqui autem & propinqui*, id eſt omnes ex Iudæis & gentibus. Quae fecerim. Heb. *quæ feci*: obſervant poſitum præteritum pro futuro, *quæ* iam iam *facturus ſum* in Aſſyrios.

V. 14. Conterriti sunt. Heb. *Expaverunt*. Alii: *Formidaverunt*, vel *metuerunt*. Possedit tremor hypocritas. Alii ex Heb. *tenuit*, *apprehendit tremor impios*, proprie, *infectos*, *corruptos*, *impuros*, &c. vide in Iob viii. 13. Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Verbum גור *ghur*, proprie aiunt eſſe *trahere*, ſed cum varias ſortiatur conſtructiones, varie quoque reddi obſervant: quando ſine aliqua præpoſitione loco aut rei alicui iungitur, tum idem ſignificare quod *verſari*, *converſari*, *manere*, *commorari*; unde exponunt: *Quis converſabitur ex nobis igni devoranti?* Nos ex verbo reddidimus: *Quis trahet nobis ignem comedentem?* apto Hebraiſmo, pro, Quis trahet nos in ignem abſumentem? aut Quis applicabit, adiunget, ſeu congeret nobis ignem conſumentem? Sic ſequente membro. Nonnulli hunc verſum ita explanant: *Expaverant Tzione peccatores*, *corripuerat tremor hypocritas*. Propoſitio de fide & ſanctimonia piorum, occaſione ſumpta a dubitatione & incredulitate hypocritarum Iudæorum, qui inſtruente obſidionem Sancheribo, diffidebant promiſſionibus Dei, & perfidiam ſuam obvelabant ſpecie quadam reverentiæ, quaſi tenuitatem ſuam ex animo cognoviſſent indignam eſſe quæ accederet infinitam Dei maieſtatem: cuiuſmodi exemplum in Achazo vidimus ſupra cap. 7. 12. *Quis diverſabitur*, aiebant, *ex nobis cum igne conſumente?* Sic abutitur hypocriſis apertis Dei verbis, Deuteron. iv. 24. quaſi dicerent: Fruſtra exſpectaretur liberatio a Sancheribo, quia oblita eſt Iudæa fœderis Iehovæ, & fecit ſibi ſculptile; quamobrem nihil amplius a Deo exſpectandum eſt, quam ut conſumat nos, quia ignis conſumens Deus zelotes eſt: ac proinde conſtat ſententia eius de ulciſcendis peccatis, non autem de inſtaurando fœdere & continuando nobiſcum. *Quis diverſabitur ex noſtris cum ardoribus perpetuis?* id eſt, quis ſubſiſtat ad conſtantiſſima iudicia eius, quæ non poſſunt ab hominibus expugnari? Vide ſupra x. 16. hæc enim verba ſunt deſperantium de ſalute, quam Deus per ſervos ſuos promiſerat. Hiſpanicus Interpres: *Quien de noſotros morara con el fuego conſumidor?* id eſt, *Eu Ieruſalem donde ay culto tan peligroſo*. Quidam volunt hæc eſſe verba infidelium Iehudæorum reſpuentium Evangelium & conſortium Chriſti, qui ipſis ignis conſumens fuit. Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Ex Heb. alii: I. *quis manebit ex nobis*, *vel noſtrum cum ardoribus æternis*, ſeu *perpetuis?* II. *quis habitabit ex nobis ad focos æternitatis*, ſive *æternos?* Videntur reſpicere ad focum per-

perpetuum altaris templi. Nos vertimus: *Quis trahet nobis ustrinas*, seu *ustiones*, *combustiones æterni*, vel *fæculi*, seu *æternitatis?* Vide in Psal. CI. 4.

V. 15. QUI AMBULAT IN IUSTITIIS. Heb. *Ambulans*, seu *perambulans iustitias*; id est, qui percurrit & lustrat omnes vias & rationes iustitiæ. Quidam reddunt: *Qui ambulat iustissime*. Subiectio adversans superiori hypocritarum desperationi, qua Deus pios & iustos (quorum definitio hoc versu continetur) confirmat in expectatione promissorum Dei. ET LOQUITUR VERITATEM. Heb. *&* *loquens rectitudines*, id est rectissime. QUI PROIICIT AVARITIAM EX CALUMNIA. Alii ex Heb. I. *qui reprobat avaritiam oppressionum*. II. *qui fastidium habet in avaritia*, vel *quique respuit avaritiam fraudum*. III. *qui abhorret ab emolumento*, *quod per vim & calumniam extorquetur*. IV. *qui spernit lucrum ex fraudibus*. V. *qui repudiat avaritiam defraudationum*. VI. *reprobans* (*spernens*) *in avaritiam occupationes bonorum alienorum*, vel *oppressiones*, aut *avaritiam oppressionum;* id est, qua aliena intervertuntur, & fraudulenter ac malis artibus occupantur. VII. *abhorrens ab utilitate ex oppressionibus*. AVARITIAM. בצע *betzagh*, proprie, *præcisionem*, *segmentum*, *frustulum*: vide in Genes. XXXVII. 26. & in Exod. XVIII. 21. ET EXCUTIT MANUS SUAS AB OMNI MUNERE. Alii ex Heb. I. *excutiens manus suas a fulciendo in munere*. II. *discutit manus suas a sustinendo*, vel *ne sustentet in munere*: ut indicet grave & ponderosum munus, quod manibus fulciri ac sustineri opus sit. III. *qui excutit manus suas ne teneat munus*. NE AUDIAT SANGUINEM. Heb. pluraliter, *sanguines*, id est cædes & homicidia; id est, qui non vult audire eos, qui de patranda cæde loquuntur, vel homicidia & sangui num effusiones thrasonice iactant. ET CLAUDIT OCULOS SUOS. Participium עצם *ghotzem*, diversimode reddunt: *corroborans*, *condensans*, *consolidans*, *compingens*, *comprimens*, *constipans*. Proprie *ossans*, id est osseos reddens & solidos, fortes ac robustos, ut nullos spiritus visivos, nihil diaphani habeant. NE VIDEAT MALUM. Heb. *a videndo in malo*. Notant, cum verbum ראה *raah*, construitur cum *Beth*, ut hic, significare cum voluptate & gaudio, vel singulari affectu & studio videre.

V. 16. ISTE IN EXCELSIS HABITABIT. Alii: *Hic altissima loca habitabit*. Promissa, quæ iusto fiunt his quatuor versibus, continent liberationem a multis malis, & malorum metu, bonorumque omnium communicationem, quam private & publice in Ecclesia pii percepturi sunt. Solent loca edita secura & tuta esse, quo vis externa difficile penetrat. MUNIMENTA SAXORUM SUBLIMITAS EIUS. Heb. I. *receptus rupium relevamen eius*. II. *refugia petrarum exaltatio eius*. III. *propugnacula petrarum elevatio eius*, id est asylum eius seu perfugium. IV. *erunt propugnacula petrarum locus editus eius*, nempe Tziion Ecclesia Dei. Hispanicus Interpres: *fortalezas de rocas seran su altura*, vel *su lugar de a cogimiento*. De voce מצדות *metzadoth*, quam Noster *munimenta* vertit, vide in Iudic. VI. 2. PANIS EI DATUS EST. Quidam per futurum reddunt: *panis eius dabitur*; id est, omnibus vitæ eius commodis a Deo consuletur: synecdoche. AQUAE EIUS FIDELES SUNT. נאמנים *neemanim*, *creditæ*, *fideles*, *certæ*, *stabiles*, *statæ erunt*; id est permanentes, perseverantes, perennes; quasi dicat, Numquam ei deficiet aqua.

V. 17. REGEM IN DECORE SUO &c. Heb. *Regem in pulchritudine*, seu *formositate sua prævidebunt*, seu *contemplabuntur oculi tui*: *videbunt terram longinquitatum*, seu *longinquissimam*, aut *longinquarum regionum*; id est, non amplius squalentem & luctuosum videbis regem, aut regionem occupatam, sed gloria magnificentissima abundabit rex, & inimicos superabit, quorum sedes, quamvis longinquas, te vidente adiunget sibi. Hoc autem, iniquiunt, typice quidem in Chizkiia factum est II. Paralipom. XXXII. 23. sed perfectum & consummatum in Christo. TERRAM DE LONGE. Heb. *terram longinquitatum*. Quidam exponunt: Spatiosam, amplissimam, liberatam omni hostili exercitu & impressione Assyriorum. Alii, regiones longinquas adiectas regno Iehudæ. Nonnulli: *terram distantiarum*, id est remotam & multum distantem; quasi dicat: Soluta obsidione, cum restitutus fuerit rex tuus in pristinam dignitatem, tibi licebit secure peregrinari in terras multum distantes ab Ierusalaimis. Scite hunc locum Tertullianus accommodat adversus Iudæos cap. XIII. *Interdictum est*

est ne in confinio ipsius regionis demoretur quisquam Iudæorum, ut hoc quoque esset adimpletum per prophetam: Regem cum claritate videbitis, id est Christum facientem virtutes in gloria Dei Patris: & oculi vestri videbunt terram de longinquo; quod vobis pro meritis vestris, post expugnationem Ierusalem prohibitis ingredi in terram vestram, de longinquo eam oculis tantum videre permissum est. Vide Lib. XI. de Antichristo, cap. III.

V. 18. COR TUUM MEDITABITUR TIMOREM: vel *formidinem*, *horrorem*, *terrorem*. Alii in ablativo, *formidine*; id est, præ metu ac terrore hostium obsidentium Ierusalaim, secum disceptabit, ac variabit; quasi dicat: Ante cladem Assyriorum multa patieris, totus eris in cogitatione earum rerum, quæ metum hominibus incutere solent. Alii ad Evangelium referunt, & timorem hic pro admiratione capiunt, ut sint verba sequentia piorum fidelium admirantium, quomodo omnis sapientia humana cesserit stultitiæ prædicationis Evangelii Dei, I. Corinth. I. 20. UBI EST LITTERATUS? סופר *sopher*, de qua voce vide II. Samuel. VIII. 17. Varie hic accipiunt: primo, pro notario qui in principum aulis sive gubernatione res gestas, & acta publica, item census, ac redditus conscribit, ac nomina eorum, qui pendere tributa debent: secundo, pro legisperito, qui legem & prophetas populo interpretaretur; quorum mentio frequens in Evangeliis, qui erant docti Theologi. UBI LEGIS VERBA PONDERANS? Heb. absunt duæ dictiones, *legis verba*. שוקל *schokel*, *librans*, *ponderans*, *appendens*; seu *librator*, *ponderator*, *appensor*. Volunt Paulum I. Corinth. I. 20. transposuisse hæc duo verba, & pro *Sopher* dixisse *scribam*, & pro *Schokel*, *sapientem*. Quidam hic libratorem seu appensorem accipiunt publicanum, cui tributa ad pondus numerari solent. Alii eum quem Latini *libratorem* vocant, qui eminus pugnat, tela, lapides, aut glandes in hostes torquens. UBI DOCTOR PARVULORUM? Paulus *conquisitorem huius sæculi* reddidit. *Syzititis* est proprie, qui de omni controversia disputat ac disquirit, & quid pro vero habendum sit, statuit, curiosus scrutator naturæ, qui in huius mundi arcanis perscrutandis, & acutissimis quibusque quæstionibus explicandis omnem ætatem consumit. Hebraice: *ubi numerans turres?* idem participium vel nomen *Sopher*, quod paulo ante positum fuit. Quidam reddunt: *ubi describens*, *conscribens*, *annotans turres?* Exponunt: Id est, domos & ædes maiores, pulchriores & clariores, quæ scilicet solent maius pendere tributum. Volunt hisce locutionibus significari Iudæos obsessos ab Assyriis magno metu perculsos omnes suas cogitationes & curas in eo habuisse, ut curatores & officiales bellicos ad defensionem urbis undique conquirerent. Sed cur Noster dixit, *doctor*, seu *scriba parvulorum?* Rationem alii difficillime expediunt, & multa inepta nugantur: quidam ingenue se ignorare fatentur, quod satius duximus. Forte מגדלים *mighdalim*, *turres* in significato *crescendi*, *adolescendi*, *ingrandescendi* accepit, quæ propria etiam eius verbi est, atque idcirco parvulos crescentes & adolescentes intellexerit. Immanuel Tremellius, & Franciscus Iunius hunc versum ita reddunt, & explanant: 1. *Cor tuum*, seu *animus tuus* 2. *meditabitur terrorem*, *dicens*: 3. *Ubi est* 4. *legis peritus? ubi* 5. *pensator? ubi* 6. *censor turrium?*

I. *Id est*, *nihil metues amplius*, *sed habebit delectationem secura præteritorum malorum recordatio*, *adeo ut libere queas ludificari omnia consilia*, *rationes*, *conatus*, & *turbas hostium infensorum tibi*: *atque huc spectavit Paulus* I. *Corinth.* I. 20. II. *non sollicitus*, *sed exultabundus*. III. *Hic sermo est piorum*, *qui ad Ecclesiam se recipientes*, & *freti præsidio Dei*, *secure hostibus insultant: quod his interrogantibus Propheta facit*; *quasi dicat*: *Si quid est in rebus humanis ad bellum recte gerendum opus*, *hæc profecto sunt*, *consilia a peritis*, *pecunia a pensatoribus sive quæstoribus*, *munitiones a censoribus* & *tribunis militaribus*, *robur denique* & *copia militum*: *sed ubi sunt ista omnia? si forte possunt Deo obsistere*. *Evanuerunt iam olim*, & *in perpetuum*, *ut liquefit cera ab igne*, *ita peribunt improbi a conspectu Dei*. *Psal.* LXVII. 3. IV. *videlicet castrensis*, *sive militaris*. V. *quæstor*, *præfectus ærario militari*. VI. *id est*, *tribunus præfectus censendis* & *curandis machinis*, *tormentis*, *munitionibusque bellicis*: *synecdochice*. Hactenus illi.

V. 19. POPULUM IMPUDENTEM. Participium Niphal נועז *noghaz*, quod verbum alibi in Scriptura non legitur, diversimode

de reddunt: I. *fortem*, *fortificatum*, *robustum*, *obfirmatum*, *robore præditum*, *præduram*; ut conveniat cum verbis עזז *ghazaz*, & עוז *ghoz*. II. *barbarum*, *alienæ*, *blæsæ*, *absonæ*, & *absurdæ linguæ*; ut congruat cum לועז *loghez*, de quo Psal. CXIII. 1. Assyrios intelligunt trahentes validos exercitus contra Ierusalaim, qui barbari, atque exoticæ linguæ, simulque impudentia obfirmati erant. NON VIDEBIS. Exponunt: Nullo pacto experieris eius iugum, ac ne videbis quidem intra mœnia tua. POPULUM ALTI SERMONIS. Heb. *populum profunditatum labii*, id est profundissimi labii; quæ profunda sunt, obscura sunt & ignota, ac remota ab auditu visuque. Quidam: *abstrusi sermonis*. ITA UT NON POSSIS INTELLIGERE. Heb. *ab audiendo*, vel *præ audire*. Quidam reddunt: *populum profundioris sermonis quam ut intelligatur*. DISERTITUDINEM LINGUAE EIUS, IN QUO NULLA EST SAPIENTIA. Heb. *subsannatum*, seu *subsannabilem linguæ*, *non intelligentia*. Alii: I. *balbutientem*, *balbum*, *blæsum*, *impeditum lingua*, *sine intelligentia*. II. *subsannabilem propter balbutiem linguæ*, *absurdum lingua*, *sine intelligentia*; id est, utentem sermone non intelligibili, qui non videbitur loqui, sed potius balbutire. III. *aut balbutienti lingua*, *quem non possis capere*. IV. *ridiculum lingua*, *cuius non est intelligentia*. V. *peregrinæ linguæ ac non intellectæ*. Aliqui præcedentibus iungunt: *ut percipere nequeas balbutientem lingua sine intelligentia*: vide supra cap. XXVIII. 11.

V. 20. RESPICE SION CIVITATEM SOLEMNITATIS NOSTRAE. Alii ex Heb. I. *Contemplare Tziionem civitatem solemnitatis nostræ*. Imperativus pro futuro, *Aspicies*, mox etiam sequitur futurum; id est, videbis adhuc solemnitates celebrari in Ierusalem, quæ futura est in summa pace & tranquillitate deletis Assyriis. II. *Vide Tziionem civitatem festivitatis nostræ*; id est, converte oculos tuos tu, qui perambulas iustitias, non videns ultra populum barbarum, &c. neque aliud videre velis, quam Tziionem civitatem exultantem, & unicum gaudium & festum nostrum. Nam non est dubium, quin interfectis Assyriis ingens gaudium fuerit in Ierusalem. Mystice de Ecclesia Christi accipiunt, in qua est vera solemnitas. III. *Aspice Tziionem*, *urbem conventuum nostrorum*. Hypotyposis confirmans promissiones præcedentes, qua proponuntur oculis piorum duo, præstantiæ Dei propter Deum habitantem, & insidentem in ea, tribus versibus; & fructus ad singulos perventuri, duobus ultimis. Notant vocem מועד *moghed*, id est *stationem*, tribui hic urbi Ierusalaim propter templum & cultum in eo constitutum & ordinatum. HABITATIONEM OPULENTAM. Alii ex Heb. 1. *habitationem quietam*. 2. *habitaculum tranquillum*, vel *quietum*, *pacatum*, *pacificum*. 3. *pascuum tranquillum*. 4. *casam tranquillam*. De voce נוה *naveh*, vide in Exod. XV. 13. de שאנן *schaanan*, in Iob XII. 5. quasi dicat: Erit quidem Ecclesia infirma & tenuis, ut casa pastoritia humilis; sed ita ut eo amplius commendetur Dei erga illam beneficentia, nam erit tranquilla, felix, opulenta, fixa, stabilis, inconcussa, ut sequentia docent: allegoria duplex, casæ & tabernaculi. QUOD NEQUAQUAM TRANSFERRI POTERIT. Alii ex Heb. I. *nequaquam volutabitur*. II. *non deponetur*. III. *quod non dissipabitur*. IV. *non sternetur*, scilicet in terra vel loco humiliore. V. *non peregrinabitur*, id est transferetur in locum peregrinum & alienum. VI. *quod nequaquam loco movebitur*, aut *dimovebitur*. Chaldæus: *quod non dirumpetur*. Verbum צען *tzaghan*, alibi in Scriptura non legitur. NEC AUFERENTUR CLAVI EIUS. Heb. verbum est singulare masculeum, *clavi* vero plurale femineum: unde varie reddunt. I. *nequaquam amovebit*, quispiam, *clavos eius*, vel *nemo amovebit clavos eius*. II. *neque proficiscetur unus e palis eius*. III. *cuius paxillorum nullus recedet*. Verbum potest esse transitivum, & intransitivum. IV. *nec migrabunt paxilli eius*: id est, non transferentur aut amovebuntur paxilli, ad quos religantur capita funium tentorii. Hispanice vocant *estacas*. IN SEMPITERNUM. לנצח *lanetzach*, omnia ista complectitur: *ad victoriam*, *in æternum*, *in sæculum*, *in sempiternum*, *in perpetuum*, *umquam*, *omnino*, *penitus*, *finaliter*, *perpetuo*, *victoriose*. Notant Hebræi, hoc versu finiri dimidium Libri Isaiæ.

V. 21. QUIA SOLUMMODO IBI MAGNIFICUS EST &c. Hoc hemistychium varie alii ex Heb. reddunt: I. *quia vere ibi fortis Iehova nobis locus fluviorum*, *rivorum latorum manibus*. II. *quin potius istic magnifi-*

gnificus Iehova nobis, *veluti locus ubi circumfluunt amplissimis utrimque ripis flumina & rivi*, id est locus amoenissimus & irriguus. III. *Sed ibi magnificus Iehova erit nobis loco fluviorum*, *rivorumque amplorum spatiis*. Hoc est: Quemadmodum Mesopotamia fluviis circumquaque firmata est Euphrate & Tigri, & sicut AEgyptus Nilo in omnes partes diducto; sic Deus, immo valentius multo Ecclesiam firmaturus est, & futurus pro rivo amplissimo, ut sit Ecclesia extra omnem teli iactum: similiter alibi Deus igneum se fore praedicit Ecclesiae suae. Zachar. XIII. 8. & 9. RIVI LATISSIMI ET PATENTES. Heb. *rivi lati manibus*, id est spatiis, locis, brachiis, finibus, ripis: ut Psal. CIII. 25. NON TRANSIBIT PER EUM NAVIS REMIGUM, &c. Alii ex Heb. I. *per quem non possit ire navis remigii*, *neque navis ingens transibit per eum*; id est, quem nulla navis sive parva sive magna transmeare potest. II. *In quibus neque triremis grassatur*, *neque oneraria navis magna transit*. III. *non itura est in eo classis remi*, seu *impulsa remis*, *neque navis magnifica pervasura eum*; id est, non perferet rem ullam adversantem nobis, sed potius iudicio suo perdet & immerget, sicut olim AEgyptios: miosis.

V. 22. IUDEX NOSTER. Alii: *vindex*, *assertor noster*; qui ius nostrum nobis servat & administrat, atque causam nostram agit. LEGIFER NOSTER. Proprie, *statuarius*, *dictator*, *legislator*: vide in Genes. XLIX. 10.

V. 23. LAXATI SUNT FUNICULI TUI, &c. Hunc versum ex Heb. alii reddunt: I. *Laxati sunt funes tui*, vel *deserentur*, *derelinquentur funes tui*, subaudi a nautis: *non roborabunt malum suum*, *nec expanderunt velum*: perstat in allegoria sua, & comparat exercitum Assyriorum, qui periit navi & nautis, qui patiuntur naufragium: quando enim desperant de salute sua, deserunt funes, quibus malus firmatur, & velum extenditur: *tunc divisa est praeda spolii multi*, vel *& spolium multum*. II. *Rudentes tui laxati sunt*, *ut ne malum suum firmiter retinere*, *nec velum expandere possint*: *tum distributa sunt ornamenta praedae ingentis*. III. *Deserunt rudentes tuos*: *nondum confirmaverint erectum malum suum*, *nondum expanderint velum*; *tunc dividetur praeda spolii permulti*. Apostrophe gloriosa ad classem inimicorum: qui Ecclesiam cogitant invadere: Illi, inquit Propheta, primo impetu a Deo consternati, cum animis abiicient omnia, & praeda erunt Ecclesiae. IV. Forsterus: *Dimissi sunt*, vel *laxati sunt*, *funes tui*, *non constrinxerunt malum suum*, *neque expanderunt signum*: *tunc dividetur rapina praedae multae*: vel sic, *dividetur rapina praedae multa*. V. Forerius: *Dimissi sunt funes tui*, *ne tantillum quidem confirmarunt malum suum*; *non expanderunt signum*: *tunc dispertitum est adhuc spolium multiplex*. NON PRAEVALEBUNT: SIC ERIT MALUS TUUS. Heb. *Nequaquam obtinebunt*, vel *firmabunt*, *corroborabunt*, *sic malum suum*. כן *cen*, *sic*. Alii ut nomen accipiunt, *rectum*, *erectum*, *statutum*, *malum suum*. Nonnulli adverbialiter, *recte*, *stabiliter*, *firmiter*. Quidam reddunt: *non confirmarunt vel tantillum quidem malum suum*. Vide de hac locutione supra cap. XVI. 6. UT DILATARE SIGNUM NON QUEAS. Heb. *Nequaquam expanderunt signum*, *vexillum*, *velum*, *trophaeum*: haec enim omnia complectitur vox נס *nes*. TUNC DIVIDENTUR SPOLIA PRAEDARUM MULTARUM. Forsterus: *Tunc dispertitum est usque ad spolium multiplex*. Forerius: *Tunc dispertitum est assidue spolium multiplex*. Rursum Forsterus: *Tunc divisa fuit rapina praedae multae*. עד *ghad*, si est a verbo עדד *ghoded*, est particula applicativa, seu coniunctiva, vel loci, vel temporis; unde possit hic reddi: *Tunc dispertitum est usque ad*, vel *tandem*, *assidue*, *ad haec*, *spolium multum*. Si vero a verbo עוד *ghiwed*, redditur *rapina*, *captura*, *praeda*, *spolii multi*, vel *spolium multum*, ut Genes. XLIX. 27. CLAUDI DIRIPIENT RAPINAM. Alii: I. *ut & claudi diripiant spolium*; quasi dicat: Tanta erit praeda, ut non solum agiles & leves sint egressuri ut praeda potiantur, sed etiam claudi; ac si dicat: Etiam iis qui sero ac tarde venerint, ut claudi, supererit multum spoliorum, adeo multa erunt. II. *claudi diripient praedam*; id est, etiam tenuissimi quique nullo negotio depopulabuntur eos, adeo offendent imparatos a rebus omnibus. Proverbium facilitatem rei quae agitur, indicans, ut II. Samuel. V. 6. Hispanicus Interpres hunc versum ita reddit: *Tus cuerdas leaffloxaron*: *no affirmaron su mastel*, *ni entesaron la vela repartiose presa de mu-*

chos

thos despoios: hasta los coios arrebataron presa.

V. 24. Nec dicet vicinus. שכן *schachen*, proprie *scenitator*, *adhabitator*, *cohabitator*, *tabernaculator*, qui scenam & tentorium habet in Ierusalaim, sive Ecclesia. Elangui. Vel *AEgrotavi*, *dolui*, *infirmatus sum*; id est, male habeo, propter afflictiones scilicet. Præteritum pro præsenti; id est, vivent postea in summa tranquillitate, nec affligentur ultra. Populus qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas. Heb. *populus habitans in ea levatus iniquitate*. Alii: I. *populo*, *qui habitat in ea*, *remissa est iniquitas*. II. *populus habitans in ea relevatus*, *sublevatus*, *dimissus erit iniquitate*. Vide similem locutionem Psal. xxxi. i. Nonnulli hunc versum ita reddunt: *Neque dicet habitator*, *AEgrotus sum: populus habitans in ea levatus erit ab iniquitate*; id est, omnes incolumitatem & pacem obtinebunt per remissionem peccatorum, iustificati fide in Christum Iesum regem & servatorem nostrum. Hos quinque posteriores huius capitis versus, tametsi apte de liberatione Ierusalaim ab exercitu Assyriorum obsidente acceperimus, plenius tamen ac perfectius de salute Ecclesiæ per Christum ab omnibus suis hostibus intelligimus.

MENOCHII.

Vers. 1. VAE qui praedaris, &c. Minatur excidium Sennacherib; sententia est: Væ tibi Sennacherib, qui prædatus es Iudæam, iam immines urbi Ierusalem. Nonne, et ipse praedaberis? id est, spoliaberis, & præda eris Iudæis. Spernis: Iudæos, & ipsorum Deum. Sperneris: ab iisdem Iudæis, & etiam a tuis, qui te castris exutum, & profugum occident. Cum fatigatus desieris, contemneris, id est cum multum, & ad satietatem contempseris.

V. 2. Te enim expectavimus, id est in te spem nostram collocavimus. Brachium, robur. In mane: quotidie, vel cito.

V. 3. A voce Angeli fugerunt populi. Hebraice, *A strepitu*, *& tumultu*, qui scilicet factus est in castris percutiente Angelo 185. millia Assyriorum. Ab exaltatione tua, id est sublimi potentia, vel elevatione manus ad percutiendum. Dispersae sunt: dispergentur. Gentes: militantes in castris Sennacherib.

V. 4. Sicut colligitur bruchus. Quid sit bruchus, dixi Levit. xi. 22. scilicet esse genus locustæ: colligunt agricolæ bruchos ne vastent segetes, in fossam proiciunt, & ingesta humo obruunt.

V. 5. Magnificatus est Dominus: in strage Sennacheribi. Habitavit, habitat. In excelso: ideoque se digna, hoc est excelsa facit, & omnes reges, & eorum vires infra se habet. Implevit Sion iudicio et iustitia; id est, declaravit Deus hac strage, se iustum, & fidelem esse Sioni, quia plene præstitit ei opem, & liberavit a malis quibus premebatur.

V. 6. Erit fides, id est apparebit veritas scilicet promissorum Dei. Chald. *Faciet Deus quod promisit*. In temporibus tuis: quamdiu scilicet stabis, o Sion: verius hæc conveniunt Ecclesiæ, cuius typus erat Sion. Divitiae salutis, id est salutares sunt sapientia, scientia, & timor Domini, quibus nimirum fideles instructi Deum cognoscunt, & illum reverentur & colunt.

V. 7. Ecce videntes clamabunt foris. Per *videntes* intelligit speculatores, qui videntes tantas Assyriorum copias aduentantes, clamabant, ut qui extra civitatem erant, reciperent se intra mœnia. Angeli pacis. Hi sunt nuntii, quos Ezechias ad Rabsacem ducem Sennacherib misit pacis componendæ causa, scilicet Eliacim, Sobna, & Ioahæ, qui cum pacem a Tyranno non impetrarent, excidium urbis timentes, fleverunt scissis vestibus, ut dicitur infra xxxvi. 22.

V. 8. Dissipatae sunt viae, &c. Sunt verba Legatorum ex castris Assyriorum redeuntium, & rerum statum exponentium. Dicuntur viæ *dissipatæ*, id est *desolatæ*, ut vertit Vatablus. Cessavit transiens per semitam, id est nusquam videtur viator. Irritum factum est pactum; id est, non potuimus cum Assyriis transigere negotium pacis. Proiecit civitates: cœpit, evertitque civitates. Non reputavit homines: Iudæos omnes vilipendit, & contempsit, ut patet IV. Regum xviii.

V. 9. Luxit, et elanguit terra: squalida, deserta, vastata. Confusus Li-

BA-

BANUS: videns se cedris spoliatum, quas in usus exercitus, & ad machinas bellicas succiderunt Assyrii. OBSORDUIT: decorem amisit, quem habebat cum arbores starent, nec ramalibus, & truncis omnia occupata essent, & confusa. FACTUS EST SARON SICUT DESERTUM. Saron regio est Galilææ fertilissima. CONCUSSA EST: & sua pulchritudine, & fertilitate privata.

V. 10. CONSURGAM, contra Assyrios. EXALTABOR: quia potentiam meam ostendam.

V. 11. CONCIPIETIS ARDOREM, &c. quasi dicat: Quæcumque aliis machinati estis, non magis illis nocuerunt, quam stipulæ aut quisquiliæ: vobis autem pro fomentis perditionis vestræ inservient. Vos enim estis stipulæ incendio destinatæ; simili modo dictum cap. IX. 18. *Succensa est quasi ignis impietas; veprem, & spinas vorabit*.

V. 12. QUASI DE INCENDIO CINIS; ut cinis, qui post incendium reliquus est. SPINAE CONGREGATAE, &c. hic cinis efficietur ex collectis spinis, hoc est Assyriis.

V. 14. CONTERRITI SUNT: videntes cladem Assyriorum. PECCATORES: Iudæi aliqui hypocritæ, & impii. QUIS POTERIT HABITARE, &c. quasi dicat: Audite, & ad maioris incendii cogitationem animos erigite: si gravissimum supplicium vobis videtur quod de Assyriis sumpsi, quid de gehennæ ardoribus æternis sentiendum erit?

V. 15. PROIICIT AVARITIAM EX CALUMNIA: qui detestatur divitias augere per innocentium calumnias, & per iniustitiam. NE AUDIAT SANGUINEM. Chald. *effundentes sanguinem innocentem*. LXX. *Iudicium sanguinis*, scilicet iniquum. VIDEAT MALUM. LXX. *iniquitatem*, qui scilicet non probat quæ male, & inique geruntur.

V. 16. IN EXCELSIS, id est in Cælo, & in Ecclesia triumphante. MUNIMENTA SAXORUM SUBLIMITAS EIUS. Idem repetitur, sed sub excelsæ, & munitæ rupis metaphora. PANIS EI DATUS EST: cibus, & potus ei dabitur divinæ visionis numquam deficientis. AQUAE FIDELES: iugiter manantes, quæ numquam deficiunt, aut fallunt.

V. 17. REGEM IN DECORE: Deum, & Christum in sua gloria. DE LONGE: eminus e cælo empyreo.

V. 18. COR TUUM MEDITABITUR TIMOREM; quasi dicat: Si hæc serio perpendas, timorem concipies, ne æterna felicitate excidas, & ne in æternam damnationem incurras. UBI EST LITTERATUS, &c. qui hæc non intellexit, sed inani sua sapientia sibi placuit. Citat hunc locum D. Paulus I. Cor. XX.

V. 19. POPULUM IMPUDENTEM NON VIDEBIS. Redit ad dicta versiculo 17. quasi per parenthesim interposito versiculo 18. Sententia est: In patria cælesti non videbis homines impudentes, superbos, barbaros. Alludit ad mores Assyriorum, qui tales erant. ALTI SERMONIS: cuius sermo obscurus, & barbarum sonans. Omnes enim cæli cives affabiles erunt. Heb. est נלעג *nilhag*, id est *blæsum*, vel *balbum lingua*. IN QUO NULLA EST SAPIENTIA: sed tantum barbara, & ferox stoliditas.

V. 20. RESPICE SION: vox *Sion*, vel est vocativi casus, & sensus est, O cives Sionis respicite; vel accusativi, & sensus est, Respice Sionem, quæ est civitas solemnitatis nostræ. SOLEMNITATIS NOSTRAE: in cælo enim erit perpetua solemnitas, in eo tantum occupatis beatis, ut Deum laudent, & illo fruantur. HABITATIONEM OPULENTAM; quia omni bonorum genere affluit. QUOD NEQUAQUAM TRANSFERRI POTERIT: nam cælestes illæ mansiones ruinæ non sunt obnoxiæ, ut huius temporis quantumvis bene fundata palatia. CLAVI EIUS, &c. Ita de cælo loquitur, insistens allegoriæ tabernaculorum, quæ funiculis intenduntur, & clavis, ad quos religantur funes, firmantur, ne vento, aut alia ratione evertantur.

V. 21. QUIA SOLUMMODO IBI MAGNIFICUS EST DOMINUS NOSTER; quasi dicat: Hæc omnia, quæ enumeravi, cernere est in patria illa cælesti, quia sub uno tantum Principe summo Deo, in alta pace regitur, a quo magnifice omnia, & ad æternitatem instructa sunt. LOCUS FLUVIORUM, &c. quasi dicat: In Ierusalem, non terrestri (hæc enim laborat aquarum penuria) sed cælesti, erit ingens fluvius, instar plurium fluviorum, ex quo rivi latissimi, & patentes in omnem partem defluent. Huius cælestis fluvii meminit S. Ioan. in Apoc. cum ait c. XXII. *Et ostendit*

dit mihi fluvium aquæ vitæ, splendidum tamquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei, & agni. Fluvius hic ſignificat exuberantiam donorum, gaudiorum, & voluptatum quas Deus, & Chriſtus in beatos effundent. NON TRANSIBIT, &c. id eſt, nulla navis, aut triremis hoſtilis per hunc fluvium tranſibit, quæ urbis pacem turbet, vel opes diripiat. TRIERIS: Triremis, vox Græca τριήρης.

V. 23. LAXATI SUNT FUNICULI TUI. Tranſit ad Aſſyrium Iudæorum hoſtem, quem alloquitur continuata navis allegoria; ſenſus eſt: Rudentes navis tuæ laxati ſunt, ſoluti, aut fracti. NON PRAEVALEBUNT: inutiles facti, & malum navis in ſuo ſtatu erectum retinere non valentes. SIC ERIT MALUS, &c. Malus navis tuæ evertetur, nec in illius ſummitate, ut fieri ſolet, vexillum tuum explicare poteris. DIVIDENTUR SPOLIA, &c. exercitu tuo ab Angelo percuſſo. CLAUDI DIRIPIENT RAPINAM: adeo nullus erit qui prohibeat.

V. 24. NEC DICET VICINUS, ELANGUI: ſed omnes circumiecta loca habitantes alacres erunt, & erecti in colligendis ſpoliis. AUFERETUR AB EO INIQUITAS: occiſis, vel fugatis iniquis Aſſyriis, a quibus opprimebatur, populo in ea regione habitanti melior fortuna affulgebit.

TIRINI.

Verſ. 1. VAE tibi Sennacherib, QUI AEthiopiam, AEgyptum & tot alias nationes deprædatus es, & Iudæam nunc PRAEDARIS; NONNE ET IPSE iamiam PRAEDABERIS, id eſt ſpoliaberis, & præda eris hoſtibus tuis? VAE tibi, QUI tot victoriis elatus, præ te uno SPERNIS omnes, etiam ipſum Deum; NONNE mox ET TU IPSE SPERNERIS, non modo ab hoſtibus, ſed & a ſubditis, adeoque & a propriis filiis tuis, qui fuiſmet manibus iugulabunt te? Allegorice, Sennacherib eſt diabolus, eiuſque membra tyranni, qui Chriſtum & membra Chriſti ſpernunt, perſequuntur, deprædantur, ipſi mox æternum ridendi, ſpoliandi, cruciandi, inquit S. Hier. Cyrillus, Procopius, Theodoretus.

V. 3. A VOCE; Hebraice, *a ſtrepitu* & tumultu, ANGELI, percutientis una nocte 185. millia Aſſyriorum, FUGERUNT POPULI, quotquot militabant in caſtris Sennacheribi, AB EXALTATIONE TUA, id eſt alta & ſublimi potentia & robore tuo.

V. 5. QUONIAM Deus HABITAVIT IN EXCELSO, idcirco Excelſus ipſe excelſa præſtitit, fugando & conterendo ſuos hoſtes; atque ita per hanc ultionem terribilem & magnificam, MAGNIFICATUS EST coram cælo & terra, *implens* SION, id eſt Ieroſolymam, IUDICIO ET IUSTITIA; quaſi dicat: Hac edita Aſſyriorum ſtrage, oſtendit Deus ſe iuſtum & fidelem eſſe populo ſuo, præſtans ei opem & liberationem quam per Iſaiam ante promiſerat. Porro hæc Dei erga te

V. 6. FIDES, ſeu fidelitas, ERIT perpetua deinceps omnibus TEMPORIBUS TUIS, id eſt quamdiu ſtabis. Quod in Eccleſiam Chriſti certiſſime quadrat, cuius typus erat Sion, inquiunt Cyrillus, Procopius, Theodoretus. ET DIVITIAE SALUTIS, id eſt ſalutiferæ opes Eccleſiæ, erunt non iam aurum & argentum, ſed SAPIENTIA ET SCIENTIA rerum divinarum, quæ naſcetur ex filiali *timore* a *Dei*, radice, fundamento, immo complemento ſapientiæ.

V. 7. ECCE VIDENTES Ieroſolymitani ſpeculatores tantas copias & vires Aſſyriorum, CLAMABUNT ad eos qui FORIS ſeu extra urbem degunt, ut fuga ſibi mature conſulant. ET ANGELI PACIS, nempe *Eliacim*, *Sobna* & *Iohale*, qui a rege Ezechia mittentur nuntii & legati ad Rabſacen ducem Sennacheribi, pacis cum eo componendæ cauſa, cum viderint ſe pacem impetrare non poſſe, & excidium urbi imminens præſentiſcent, AMARE FLEBUNT, ut patebit cap. XXXVI. verſ. ult. Allegorice, angeli pacis ſunt paſtores animarum, inquit S. Hieronymus, Theodoretus, Procopius & Gregorius.

V. 8. PACTUM, quod Sennacherib cum Iudæis iniit accepta ab eis pecunia, IRRITUM ab ipſo FACTUM EST, IV. Reg. XVIII. quia eo non obſtante PROIECIT & evertit CIVITATES Iudææ, NEC Iudæos REPUTAVIT HOMINES eſſe, quibus fides ſervari deberet: ita S. Thomas, Lyranus & Forerius. Sed quid Deus ad hæc?

V. 10. NUNC CONSURGAM; hoſte nimis inſoleſcente, oſtendam quid poſſim. Ergo agite, o Aſſyrii.

V. 11. CONCIPIETIS ARDOREM iræ in Ieroſolymitanos, machinabimini ſtrages, in-

incendia, rapinas: SED PARIETIS; non ignem aut flammam, sed STIPULAM, id est, inanem & futilem conatum: ardens vero SPIRITUS ille VESTER & ira non vorabit Iudæos, sed vosmetipsos, quia causa erit vestri excidii & ruinæ.

V. 14. CONTERRITI SUNT hac tanta Assyriorum strage PECCATORES IN SION, impii Iudæi & *hypocritæ*, nempe metuentes sibi ob sua scelera similes pœnas: ita Adamus & Forerius. Quos proinde sic conterritos, occasione recentis tragœdiæ acrius monet Propheta: QUIS DE VOBIS POTERIT HABITARE CUM simili IGNE, seu supplicio, corpus & animam DEVORANTE? Tamen sceleribus debetur hæc pœna. Et levis videri possit ignis terrenus & momentaneus, qualis absumet Assyrios; sed vos manet ignis infernalis & *ardores sempiterni:* ita S. Hieronymus, Procopius & alii. Sed quis evadet hos ignes? & qua via?

V. 15. QUI OBTURAT AURES SUAS NE AUDIAT SANGUINEM, id est non auscultat, non audit, non admittit eos qui de cæde patranda & pauperibus exsugendis consultant: ET CLAUDIT OCULOS SUOS NE VIDEAT MALUM; id est, non attendit, non consentit ulli rei quæ possit proximo nocere, inquit S. Gregorius. Qui sic constanter se gerit,

V. 16. IN EXCELSIS, id est in sublimi & ab igne ac similibus plagis tuto loco habitabit: MUNIMENTA SAXORUM SUBLIMITAS EIUS; id est arx fortissima & munitissima, qualis solet esse in excelsa rupe, erit habitatio & tutamen illius. Porro pro sustentatione ac recreatione DATUS EST EI PANIS, id est cibi omne genus, & AQUAE FIDELES, id est iugiter manantes, quæ numquam deficient aut fallent; quasi dicat: Nihil illi deerit, seu necessariorum, seu utilium ad vitam iucundissime transigendam: quin &

V. 17. VIDEBUNT OCULI EIUS iam beati REGEM Deum & Christum IN DECORE SUO. Et in eo videndo fruendoque primaria consistit illius beatitudo: ita S. Iustinus, Cyprianus, Procopius & Prosper *b*. TERRAM vero & terrena omnia CERNENT DE LONGE, id est eminus e cælo empyreo, despicientque omnia quasi punctum unum, & sordes, & nihil.

V. 18. COR ergo TUUM, quisquis spectator hic ades tragœdiæ Assyriacæ, MEDITABITUR, si sapit, TIMOREM divinæ vindictæ. Et hæc erit vera ac solida meditatio, unde promanabit cælestis scientia ac sapientia, ut supra vers. 6. Absque timore enim Dei UBI EST e LITTERATUS: ubi tam multi, tam celebres philosophi, doctores & legisperiti? Humi omnes serpunt, evanescunt in vanitate, terrena sola sapiunt, regem in decore suo non videbunt. Tu melius sapias, & sancto timore perculsus, animum convertas ad Deum.

V. 19. POPULUM IMPUDENTEM Assyrium deinceps NON VIDEBIS amplius: totus vel cædetur, vel fugabitur. Sed aliam deinceps videbis collectionem hominum, non tibi hostilium, non stultorum, sed vere sapientium, & tibi amicorum.

V. 20. RESPICE, o SION, novam CIVITATEM non miseriæ, non mœroris, sed gaudii, sed SOLEMNITATIS NOSTRAE, id est in qua solemne festum perpetuo celebrabimus. Per hanc Cyrillus, Procopius, Adamus, Osorius, Haymo & a Lapide Ecclesiam in cælo triumphantem intelligunt: sed S. Hieronymus, Theodoretus & Alvarez militantem. TABERNACULUM, *cuius non* AUFERENTUR CLAVI trabales, quibus terræ infixum est: ET OMNES FUNICULI EIUS, quibus affigitur clavis & distenditur, NON RUMPENTUR; quasi dicat: Immobile erit & perpetuum. Per *clavos*, Ecclesiæ doctores intelligit Ecclesiastes cap. 12. 11. per *funiculos*, præcepta & leges S. Hieronymus. Et quis, quæso, revellat clavos Ecclesiæ Christi, vel funiculos disrumpat, cum in eam nullus umquam hostis, nec ipsæ portæ inferorum prævalituræ sint, sed regnaturus æternum in ea?

V. 21. & 22. SOLUMMODO MAGNIFICUS DOMINUS Deus NOSTER, & Christus eius, iudex, vindex & LEGIFER NOSTER. Neque penuria dissolvetur, quia LOCUS FLUVIORUM, seu ingens fluvius in ea perpetuo scaturiet, unde plurimi RIVI LATISSIMI ET omnibus PATENTES. Hæc sunt septem Sacramenta, & alia Ecclesiæ charismata, quæ Spiritus sanctus in hunc paradisum continuo immittit. Neque pavebit ab insultu, vel incursu hostili, quia non patietur Deus *per eam transire navim* ullam vel *trireme* hostilem. Et sic quidem

immo-

immobilis & inconcussa æternum stabit Ecclesia Christi. At vero, o misera Synagoga,

V. 23. LAXATI SUNT FUNICULI TUI; Græce & Chaldaice, *rupti sunt*, nempe quando deflexisti a naturali principe, pastore & tutore tuo Messia: tunc languescent omnia sustentacula tua, ET NON PRAEVALEBUNT, id est non poterunt diutius sustinere tabernaculum. Unde licet *malum*, seu statumen tuum, nempe sacros codices, reservatura sis, NON tamen *poteris* DILATARE SIGNUM, id est velum aut corium ei appensum expandere, teque eo cooperire; multo minus tutari aut defendere: potius corruet in caput tuum, teque opprimet & elidet: ita Adamus Sasbout. Tunc risui & prædæ eris omnibus vicinis tuis, & CLAUDI ante ac cæci Gentiles ex divite præda tua colligent spolia & *rapinas*: promissa patribus tuis charismata tibi præripientes, ut olim Iacob præripuit Esau, Genes. XXV. 33. & XXVII. 24. Ex tunc

V. 24. NEC amplius DICET VICINUS tuus, populus Gentilis: ELANGUI, seu languidus & morbidus sum, quia omnes validi & robusti erunt per Christum & Spiritum sanctum. Nam unica languoris causa, INIQUITAS AUFERETUR per merita Christi AB omni EO populo Gentili, QUI HABITAT IN vicinia tua, & in Christi coloniam transit.

(a) Eccli. 1. 11. & 20. & XXV. 13. Iob XXVIII. 28. Prov. XIV. 26.
(b) Justin. contra Tryphonem. Cypr. Lib. II. contra Iudæos c. XXVIII. Prosper de Prædict. part. V. c. 2.
(c) 1. Cor. 1. 11.

GORDONI.

Vers. 1. ONus Sennacherib, & sub hoc typo eorum qui persequuntur Ecclesiam Dei. Hunc vidit prædatorem Isaias, & prænuntiat similia ei eventura, ac interitum: considera in prosperitate Ezechiæ typum Christi.

V. 7. ECCE VIDENTES, &c. Dixit paulo ante magna Deum fuisse usum potentia, & clementia erga Ierusalem: ut autem hoc clarius appareat, ostendit nunc in quanto fuerit Ierosolyma periculo. *Videntes* hic, an Prophetæ, an speculatores? Nuncii pacis videntur illi qui missi ad Rabsacen ab Ezechia agebant de pace.

V. 11. CONCIPIETIS; hoc est, Assyrii concipient ardorem, incendium, excidium, sed vertetur hoc consilium in nihilum, ac si stipulam parietis comburerent.

V. 13. *& deinceps* AUDITE, &c. Præclara est Prophetæ & concionatoris exhortatio ad Dei timorem & virtutem amplectendam ex ostensione rerum gestarum. Castigati sunt in Sion peccatores, excisi sunt tyranni gentiles. En virtutes quas proponit, en pœnas gehennæ, en gloriam beatorum. At quis ille panis, quæ aquæ fideles? Certe beatis nihil decrit: aquæ fideles, hoc est quæ numquam deficient.

V. 17. REGEM IN DECORE SUO VIDEBUNT, &c. Vaticinium hoc, ut constat ex præcedente sermone, & verbis quæ hic subiiciuntur, est de gloria beatorum & Christo rege quem videbunt, licet non sine aliqua analogia ad Ezechielem. Habet hæc oratio egregiam exclusionem eorum qui non sunt apti illi regno. Quale sit regnum hoc sempiternum expende & vers. 21. & 22.

V. 23. LAXATI SUNT FUNICULI TUI, &c. Apostrophe est ad Assur ostendens quam sit imminuta hostilis potentia contra Ecclesiam Dei, sive triumphantem, sive etiam militantem; ubi quæ gesta hic dicuntur de fracta hostium potestate, de spoliorum divisione, & sublata impietate, belle explicant statum felicis Ecclesiæ: sicut ad spolia Sennacherib, non erant languidi qui ad ea ibant; ita nec in Ecclesia qui accurrent ad triumphum, & qui efficaciter vocantur ad hostes debellandos.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 3. ANGELI: percutientis castra Sennacherib.

Vers. 23. LAXATI SUNT. Transit ad Assyrium hostem populi Dei; quasi diceret: O Assur, dissoluti sunt rudentes navium tuarum: fracta est potentia navium, evertetur malus, ut non possit dux e summo propugnaculo vexillum expandere: vicini etiam, & pauperes claudi lætabuntur in victoria sub percussore Angelo.



C A P U T XXXIV.

Acerba Dei ultio super omnes gentes: Idumææ quoque contritio & perpetua vastitas prædicitur.

1. ACcedite Gentes, & audite, & populi attendite: audiat terra, & plenitudo eius; orbis, & omne germen eius. 2.
Quia indignatio Domini super omnes Gentes, & furor super universam militiam eorum; interfecit eos, & dedit
eos in occisionem. 3. Interfecti eorum proiicientur, & de
cadaveribus eorum ascendet fœtor: tabescent montes a
sanguine eorum. 4. Et tabescet omnis militia cælorum,
& complicabuntur sicut liber cæli: & omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea & de ficu. 5. Quoniam inebriatus
est in cælo gladius meus: ecce super Idumæam descendet, & super populum
interfectionis meæ, ad iudicium. 6. Gladius Domini repletus est sanguine,
incrassatus est adipe, de sanguine agnorum, & hircorum, de sanguine medullatorum arietum: victima enim Domini in Bosra, & interfectio magna in
terra Edom. 7. Et descendent unicornes cum eis, & tauri cum potentibus:
* inebriabitur terra eorum sanguine, & humus eorum adipe pinguium: 8.
quia dies ultionis Domini, annus retributionum iudicii Sion. 9. Et convertentur torrentes eius in picem, & humus eius in sulphur: & erit terra eius
in picem ardentem. 10. Nocte & die non extinguetur, in sempiternum ascendet fumus eius: a generatione in generationem desolabitur, in sæcula sæculorum non erit transiens per eam. 11. Et possidebunt illam onocrotalus &
ericius: ibis & corvus habitabunt in ea: & extendetur super eam mensura,
ut redigatur ad nihilum, & perpendiculum in desolationem. 12. Nobiles eius
non erunt ibi: regem potius invocabunt, & omnes principes eius erunt in
nihilum. 13. Et orientur in domibus eius spinæ, & urticæ, & paliurus in
munitionibus eius: & erit cubile draconum, & pascua struthionum. 14. * Et
occurrent dæmonia onocentauris, & pilosus clamabit alter ad alterum: ibi
cubavit lamia, & invenit sibi requiem. 15. Ibi habuit foveam ericius, &
enutrivit catulos, & circumfodit, & fovit in umbra eius: illuc congregati
sunt milvi, alter ad alterum. 16. Requirite diligenter in libro Domini, &
legite: unum ex eis non defuit, alter alterum non quæsivit: quia quod ex
ore meo procedit, ille mandavit, & spiritus eius ipse congregavit ea. 17. Et
ipse misit eis sortem, & manus eius divisit eam illis in mensuram: usque in
æternum possidebunt eam, * in generationem & generationem habitabunt
in ea.

ERU-

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 7. *Inebriabitur terra eorum ſanguine*. Non mutes futurum in præſens *inebriatur*.

Verſ. 14. *Et occurrent dæmonia onocentauris*. Patres emendarunt *onocentauris*, ſcripto caſu tertio numeri pluralis, pro nominativo ſingulari *onocentaurus*, quem plerique alii ſcribunt, & ei quod ſequitur iungunt.

Verſ. 17. *In generationem & generationem habitabunt in ea*. Prior accuſativus non eſt mutandus in ablativum *generatione*, ut plerique faciunt.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. ACCEDITE GENTES. Captat ab omnibus gentibus attentionem, quia de omnium interitu dicturus eſt. ET OMNE GERMEN EIUS. וכל צאצאיה, *& omnia germina eius*, id eſt omnes generationes eius, omnes homines: vel, omnes exitus eius, id eſt extremæ quæquæ oræ eius.

V. 2. QUIA INDIGNATIO DOMINI. Reddit cauſam, quare ab omnibus gentibus attentionem quærat, *quia indignatio Domini ſuper*, על, *contra* OMNES GENTES (futura eſt.) ET FUROR SUPER (contra) UNIVERSAM MILITIAM, id eſt multitudinem earum: militiæ autem nomine uſus eſt, quia de hoſtibus agebat. INTERFECIT (præt. pro fut. interficiet) EOS, ET DABIT IN OCCISIONEM, לשבח, *in mactationem*, ut utatur metaphora a victimis ſumpta.

V. 3. INTERFECTI. Deſcribit generalem cædem. TABESCENT MONTES, ונמסו, *& liqueſcent montes*, id eſt ſtillabunt ſanguine eorum.

V. 4. ET TABESCET OMNIS MILITIA: ונמקו, *& liqueſcent*, id eſt diſſolventur & cadent ſtellæ; eas enim Scriptura vocare ſolet militiam cælorum, ut Deut. XVII. 3. ac Ierem. XIX. 13. ET COMPLICABUNTUR SICUT LIBER CAELI. Deſcribit ſigna futuri iudicii, quo tempore ita cæli commovebuntur, ut diſſolvi ac liqueſcere videantur, ut ait D. Petrus II. Epiſt. cap. III. 10. *Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo cæli magno impetu tranſient*: & Ioan. Apoc. VI. 14. *Et cælum receſſit, ſicut liber involutus, & omnis mons & inſulæ de locis ſuis motæ ſunt*. ET OMNIS MILITIA EORUM DEFLUET, id eſt omnes ſtellæ cadent: Matth. XXIV. 29. *Stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commovebuntur*. Non putant Theologi ſtellas re ipſa caſuras, ſed cadere interpretantur obſcurari: quod enim eſt *ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum*, hoc eſt ſtellæ cadent de cælo: Matth. XXIV. 29.

V. 5. INEBRIATUS EST IN CAELO GLADIUS MEUS; id eſt, ira mea exſatiata eſt ſanguine, gladius enim Dei ira Dei eſt. Propterea autem dicit *in cælo*, ut ſignificet decretum in cælo conſtitutum; quaſi dicat: Divino ac cæleſti conſilio conſtitutum eſt, gladium meum in terris impiorum ſanguine madefacere. Vel, in cælo, id eſt de cælo uſque, ut ſignificet tantam futuram ſtragem, ut ſanguis cælum ipſum attingat. ECCE SUPER (על, *contra*) IDUMAEAM DESCENDET (gladius meus.) Idumæos myſtice hæreticos interpretor. Nam ut illi ex eodem genere prognati (etenim ex Eſau originem ducebant) Iudæorum tamen hoſtes erant; ita hi cum ex nobis exierint atque eodem fuerint baptiſmo regenerati, capitales nobiſcum gerunt inimicitias. ET SUPER POPULUM INTERFECTIONIS MEAE, id eſt quem interfecturus ſum. Alii, *contra populum*, חרמי, *anathematis mei*, id eſt cui ego maledixi.

V. 6. GLADIUS DOMINI. Repetitio eſt. DE SANGUINE AGNORUM ET HIRCORUM. Agnos & hircos vocat hoſtes & impios, quia ſicut agni & hirci mactantur, ita illi trucidandi ſunt. DE SANGUINE MEDULLATORUM: מדם כליות אילים, *De ſangui-*

guine renum arietum. Significat ita se hostes discerpturum, ut intimos etiam renes exsecet. Victima enim Domini in Bosra (futura est) id est, Deus hostes suos Idumæos in Bosra quasi victimas mactaturus est. Bosra erat metropolis Idumææ: Genes. xxxvi. 33. Et interfectio: ןטבח, *& mactatio magna in AEdom*, id est in Idumæa.

V. 7. Et descendent, id est cadent, occidentur. Unicornes cum eis; id est, cum ipsa multitudine concident etiam potentissimi & superbissimi quique ipsorum, quos per translationem unicornes & tauros appellat.

V. 8. Annus retributionis iudicii, id est ut ius reddatur Sioni, id est Ecclesiæ, quæ multas passa est iniurias.

V. 9: Et erit, convertentur, id est fiet ut convertantur. Alludit ad eversionem Sodomæ & Gomorræ: Gen. xix. 24. quasi dicat, Fore ut impii ita aliquando deleantur, sicut Sodoma & Gomorra deletæ sunt: videtur inferni locum describere, qui impiorum regio est, ut Psal. x. 6. *Pluet super peccatores laqueos: ignis & sulphur, spiritus procellarum pars calicis eorum.*

V. 11. Et possidebunt: וירשוה, *& hereditabunt eam*; id est, habitabunt in ea tamquam in domo propria & hereditate acquisita. Onocrotalus, ericius et ibis: alii, *Pelicanus*, *ulula*, *& noctua*: nominat aves maxime sylvestres & solitudinem amantes, ut doceat impiorum regionem in summam solitudinem redigendam. Similis locus Sophon. ii. 14. & supra cap. xiii. 21. 22. *Requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi*. Et extendetur super eam mensura, ut redigatur ad nihilum. Non est sensus, fore ut ideo mensura adhibeatur ut evertatur; non enim ad evertendum, sed ad ædificandum mensura solet adhiberi: sed sensus, fore ut quidquid una ex parte homines reædificaverint, altera ex parte Deus demoliatur: quod clarius dicitur Heb. ונטה עליה קו תהו ואבני־בהו, *& extendetur super eam* (regionem) *linea*, aut *regula vanitatis*, *& perpendicula vacuitatis*; id est, frustra homines ac in vanum adhibebunt regulam & perpendiculum ad ædificandum in ea regione, scilicet Idumæa, quia quidquid illi struxerint, Deus evertet, & *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam*: Psal. cxxvi. 1. Intelligi potest hic locus ex Malachia i. 4. *Quod si dixerit Idumæa, Destructi sumus: sed revertentes ædificabimus quæ destructa sunt. Hæc dicit Dominus exercituum: Isti ædificabunt, & ego destruam*. Vel, *extendetur regula vacui & vani*, id est abyssi, *demergetur in infernum*.

V. 12. Nobiles eius non erunt ibi. Antitheton est versus præcedentis: dixerat enim futuros ibi onocrotalos, ericios, &c. nunc dicit non esse ibi futuros principes; quasi dicat: Ordine inverso, non habitabunt in Idumæa principes, ut solebant, sed loco eorum habitabunt onocrotali & ericii. Regem potius invocabunt: sub. ipsi principes, quærent sibi alibi regem. Heb. חריה ואין־שם מלוכה יקראו, ad verbum, *principes eius, & non ibi*, *vocabunt regnum*, (id est, ad regnum, ut intelligatur ל *ad*, ut sæpe fit apud Hæbræos;) quasi dicat: Tanta erit rerum omnium eversio, ut Idumæi principes suos invitent ad capessendum regnum, & nemo ibi sit, qui velit suscipere, sed omnes diffugiant ac dissipentur: hoc est esse in nihilum. Locus similis supra cap. iii. 6. 7. & cap. iv. 1.

V. 13. Et orientur in domibus: ארמנתיה, *in palatiis eius*, id est in iis locis ubi nunc sunt palatia eius, (Idumææ.) Spinae, urticae, et paliurus: quæ non solent nasci nisi in locis incultis, maxime vero in ædificiorum ruinis.

Carduus & spinis surget paliurus acutis.

Et pascua struthionum. Heb. חציר לבנות יענה, *atrium filiabus struthionis*, id est locus in quo pulli struthionis versentur ac nutriantur: ut supra cap. xiii. 21. 22.

V. 14. Et occurrent daemonia; id est, Fauni dæmones sylvestres tam frequentes erunt, ut sibi occurrant alii aliis. Heb. ציים את־איים, *sylvestres ad insulares* (occurrent) id est, omne bestiarum genus frequens ibi erit. Pilosus; id est, Satyrus dæmon sylvestris clamabit alter ad alterum: יקרא, *vocabit alter alterum*; id est, tanta erit eorum multitudo, ut in greges convocentur. Ibi cubavit; præt. pro

pro fut. ירגעה, *requiescet* LAMIA, nocturnus dæmon imagine bestiæ.

V. 15. IBI HABUIT FOVEAM, ubi pariat catulos suos: pariunt enim in foveis. Heb. שמה קננה קפוז, *ibi nidificabit cipoz:* quod R. David & Chald. Paraphrast. idem esse putant, quod קפוד quod supra legimus vers. 11. hoc est, *ericius;* sed epitheta repugnant: nam ericius non nidificat neque ova ponit, sed viviparus est. Hic autem omnia verba Hebraica propria sunt avium: קננה, *nidificabit*: ותמלט, *& ova ponet*: ובקעה, *& rumpet*, id est excludet: ודגרה בצלה *& colliget* (pullos suos) *in umbra eius* (ædificii destructi.) Itaque melius R. Abraham avem significare dixit.

V. 16. REQUIRITE DILIGENTER; id est, consulite librum Domini, id est hoc meum vaticinium, quod Dei iussu scriptum est, & observate omnia quæ in eo scripta sunt, reperietis vera esse, cum ea eventus comprobaverit, ut Ioan. XIV. 29. *Propterea dixi vobis, ut cum factum fuerit, credatis*. Alii per hunc librum Dei, intelligunt legem Mosis: alii divinum decretum. UNUM EX EIS (animalibus, quæ dixi congreganda in palatiis Idumæorum) NON DEFUIT. Præt. pro fut. non deerit, id est omnia congregabuntur. ALTER ALTERUM NON QUAESIVIT, id est non requisivit, non desideravit; quasi dicat, Nullum eorum socio caruit. Heb. אשה רעותה, *unaquæque* (bestia) *sociam suam non requiret*. Aut, *unaquæque cum socia sua non deerunt*. Noster Interpres genus femineum mutavit in masculinum. QUIA QUOD EX ORE MEO; id est, quidquid ego prædixi eventurum (inquit Propheta) ille mandavit (Deus) ut fieret. Heb. כי פי הוא צוה *quoniam os ipsum locutum est* (intelligitur relativum *eius*, id est Dei) sicut statim sequitur. ET SPIRITUS EIUS (Dei) IPSE CONGREGABIT EA (animalia) id est iussit congregari. Repetitio: idem enim est spiritus & os, & mandavit, & congregavit, præterita pro futuris.

V. 17. ET IPSE (Deus) MISIT EIS (animalibus) SORTEM; id est, ipse eis distribuit illis Idumæam possidendam veluti iactis sortibus, sicut hereditates dividi solent. ET MANUS EIUS (Dei) DIVISIT EAM ILLIS בקו, *in linea*, id est fune, quo solent agricolæ metiri possessiones.

S A.

Vers. 1. PLENITUDO, id est quidquid in ea est. LXX. *habitantes in ea*. GERMEN. Chald. *habitatores*. LXX. *populus*.

V. 2. MILITIAM, id est exercitum, scilicet multitudinem. LXX. *numerum*. INTERFECIT, &c. præterita pro futuris.

V. 3. TABESCENT. LXX. *rigabuntur*.

V. 4. TABESCET, &c. Hyperbole, qua significatur magna calamitas, & forte dies iudicii, quo vel cæli possent præ Dei indignatione dissolvi. MILITIA. LXX. *stellæ*. SICUT LIBER, id est volumen membranæ, quo solent Iudæi uti, complicaturque in orbem. DEFLUET. LXX. *cadet*. Vide Matth. XXIV.

V. 5. INEBRIATUS, scilicet sanguine, vel furore. GLADIUS, id est ultio. INTERFECTIONIS MEAE, id est a me interficiendum. LXX. *perditionis*. Chald. *quem condemnavi*. AD IUDICIUM. Chald. *in iudicio*. LXX. *cum iudicio*.

V. 6. REPLETUS, id est explicatio superiorum. AGNORUM, id est plebis. HIRCORUM, id est principum. ARIETUM, id est potentum, & divitum. VICTIMA, id est cædes. BOSRA: urbs est primaria in Idumæa: videtur autem hic significari mundus, vel secundum quosdam Iudæa; de qua infra.

V. 7. DESCENDENT, scilicet in sepulcrum, vel infernum. UNICORNES. LXX. & Chald. *robusti*. TAURI CUM POTENTIBUS. Chald. *principes cum ducibus*. LXX. *tauri & arietes*.

V. 8. IUDICII. Chald. *ultionis*. SION, id est iniuriarum factarum Ecclesiæ, vel Sion iudicium, intellige vastationem Ierusalem factam a Romanis.

V. 9. CONVERTENTUR, &c. quasi dicat: Reddetur Idumæa, vel Ierosolyma sterilis, vel potius mundanorum studia evadent in supplicium æternum tandem.

V. 10. NON EXTINGUETUR, scilicet ignis. IN SAECULA SAECULORUM. LXX. *in multum tempus*.

V. 11. ONOCROTALUS. Chald. *catus*. LXX. *avis*. MENSURA. Chald. *linea*. LXX. *funiculus*.

V. 12. INVOCABUNT, id est optabunt.

V. 14.

V. 14. DAEMONIA. Chald. *feræ*. PILOSUS, &c. Chald. *dæmones inter se colludent*. LAMIA. Chald. *noctua*.

V. 15. MILVI. LXX. *cervi*.

V. 16. LIBRO DOMINI, id est quem scripsi a Deo revelatum. EX EIS, scilicet quæ dixi. QUAESIVIT, scilicet quasi deesset. CONGREGAVIT. Chald. *congregabit*.

V. 17. EIS, scilicet animalibus. MENSURAM. Chald. *funiculo*. Repetitio. EA, scilicet regione. Not. significari per hæc, vel Idumææ, vel mundi desolationem, vel Ierusalem, ut supra indicavi.

E S T I I.

Vers. 4. ET TABESCET OMNIS MILITIA CAELORUM, ET COMPLICABUNTUR SICUT LIBER CAELI: ET OMNIS MILITIA EORUM DEFLUET, SICUT DEFLUIT FOLIUM, &c. Locus similis est Apocal. VI. *Cælum recessit sicut liber involutus*. Liber involutus, (quem *rotulam*, Teutones, & Galli *rolle* vocant) si expanditur, legi possunt quæ in eo scripta sunt; si involvitur, minime: ita sol, luna & stellæ, quæ velut litteræ annuntiant nobis gloriam Dei, subtrahentur, neque in terra apparebunt. Illi qui dicunt significari motum cæli cessaturum, videntur subtiliter magis, quam ad litteram locum hunc exponere.

M A R I A N AE.

Vers. 1. ACCEDITE GENTES. Aut de extremo iudicio loquitur, ut sentit Hieronymus, aut de Idumææ excidio. ET OMNE GERMEN EIUS audiat. Arboribus & herbis denuntiat vastitatem.

V. 2. SUPER OMNES GENTES, contra omnes gentes. Vindicatis Assyriis alias Gentes punire vult, in primis Idumæam. INTERFECIT EOS; pro, interficiet. Heb. *diris eos devovit:* diras in caput eorum detestatur.

V. 3. INTERFECTI EORUM PROIICIENTUR. Sepulturæ honore carebunt. TABESCENT MONTES. Heb. *liquescent*, id est lubrici erunt: pedem vix tuto ponas præ sanie in eis.

V. 4. ET TABESCET OMNIS MILITIA CAELORUM. *Militia cæli* sunt stellæ, quæ tabescent, id est obscurabuntur; vere, si de extremo iudicio agitur, aut est hyperbole, propter cladis magnitudinem, de qua agit. ET COMPLICABUNTUR SICUT LIBER. Apocal. cap. VI. 14. *Recessit cælum sicut liber involutus*. Complicabitur ergo, id est abscondetur tenebris, ne videri possit, sicut liber involutus legi non potest: *liber*, id est volumen, quod in orbem olim complicabatur. ET OMNIS MILITIA EORUM DEFLUET. *Et stellæ cadent de cælo*: Matth. XXIV. 29. Sed & hoc aut de iudicio extremo intelligatur, aut ὑπερβολικῶς.

V. 5. INEBRIATUS EST IN CAELO GLADIUS MEUS. Sic in cælo decrevi. ET SUPER POPULUM: contra. INTERFECTIONIS MEAE. Heb. *diris devoti*. AD IUDICIUM, id est ut fiat iudicium, & in eo puniantur sontes.

V. 6. AGNORUM ET HIRCORUM sanguine implebitur gladius Domini. *Agni* populum significant, *hirci* proceres, *arietes* magistratus. DE SANGUINE MEDULLATORUM ARIETUM. Heb. *de adipe renum arietum*. VICTIMA ENIM DOMINI, id est cædes magna erit. Id victimam vocat; ut sequentia verba declarant. IN BOSRA. Urbs erat Idumææ primaria. IN TERRA EDOM, id est Idumæa.

V. 7. ET DESCENDENT UNICORNES. Reges scilicet cum ceteris descendent in sepulcrum, occidentur. ET TAURI CUM POTENTIBUS. Heb. *& iuvenci cum fortibus*, id est tauris. Chald. *dominatores cum ducibus*. ET HUMUS EORUM ADIPE PINGUIUM inebriabitur. Heb. *pulvis eorum adipe impinguabitur*. Sanguis occisorum solet stercoris vice agros pingues reddere.

V. 8. ANNUS RETRIBUTIONUM, scilicet quo retribuet eis pro meritis. IUDICII SION. Heb. *ad litem Sion*, id est ut pro Sion litiget, eam vindicet.

V. 9. ET ERIT TERRA EIUS IN PICEM ARDENTEM; id est, combusta erit instar picis ardentis terra. Idumæa.

V. 10. A GENERATIONE IN GENERATIONEM; id est, perpetuo desolata erit ea terra.

V. 11. ONOCROTALUS ET ERICIUS: IBIS. Pagn. *Pelicanus, & ericius, & noctua*. Chald. *cati, & ericii, & ululæ*. Variæ interpretationis occasio, excidisse in lingua Heb. veram multarum vocum si-

gnificationem. Neque multum refert, quando Prophetæ mens intelligitur, in iis locis solum versari aves & animalia silvestria. ET EXTENDETUR SUPER EAM MENSURA. Heb. *& extendet* (Deus) *regulam inanitatis*, id est non ad ædificandum, sed ut diruatur. Per *regulam*, industriam & artificium intellige. ET PERPENDICULUM IN DESOLATIONEM. Heb. *& lapides vanitatis*. Sed bene per *lapides* intelligas *perpendiculum*; sed quo sensu superiora, scilicet industria ad diruendum.

V. 12. NOBILES EIUS NON ERUNT IBI, non ferent opem. REGEM POTIUS INVOCABUNT. Heb. *Regnum* (pro, *Regem*) *vocabunt*; scilicet nobiles populo dicent, ut a Rege petant opem. ET OMNES PRINCIPES EIUS ERUNT IN NIHILUM: opitulari non poterunt.

V. 13. IN DOMIBUS. Heb. *in palatiis*. CUBILE DRACONUM. Heb. *habitatio draconum*. ET PASCUA STRUTHIONUM. Heb. *& atrium filiarum* (pullorum) *struthionis*, *aut ululæ*, id est nidus.

V. 14. ET OCCURRENT DAEMONIA. Heb. voces ציים & איים *Ziiim* & *Iiim* non uno modo vertuntur a Hieronymo. Hic *Ziiim*, *dæmonia* vertit, pro *Iiim* dixit *onocentauris*, ut & Septuag. Chald. *occurrent feræ catis*. Isaiæ XIII. 21. *Ziiim*, *dracones* vertit Hieronymus, *Iiim*, *ululas*. Ierem. L. 39. pro *Ziiim*, *dracones* posuit, pro *Iiim*, *faunos ficarios*. Gotth. legunt ibi *fatuos ficarios*. Septuag. vertunt in Ierem. loco, *phantasmata in insulis*. Chald. *occurrent cercopitheci* (id est simiæ caudatæ) *felibus*. Ego credam utraque voce *incubos* significari. Hisp. *Duendes*. Heb. ציים dicit esse bestiam, quæ in deserto versatur, sic dictam a ציה, id est *siccitate;* at איים putat esse feles silvestres. ET PILOSUS CLAMABIT ALTER AD ALTERUM. Heb. *pilosus clamabit ad socium suum*. Pagn. pro *piloso*, *dæmonem* vertit, secutus Chald. Clamat autem ad socium, quia non unus, sed plures ibi versabuntur. Quidam pro *piloso*, *satyrum* ponunt. IBI CUBAVIT, quievit, LAMIA, striges in desertis locis versantur, ibique conventus suos celebrare vulgi opinio est, *Brujas*.

V. 15. IBI HABUIT FOVEAM ERICIUS. Sic Septuag. & Chald. Alii, *nidificavit vultur*. ET ENUTRIVIT CATULOS. Heb. *peperit ova*. ET CIRCUMFODIT. Heb. *& scidit*, scilicet ova fotu, ut pullos excluderet. ET FODIT IN UMBRA EIUS, scilicet pullos. IBI CONGREGATI SUNT MILVI, aut *vultures*. ALTER AD ALTERUM congregantur, ut mares feminas ineant. Heb. *quisque ad socium suum*, ne scilicet desit genus.

V. 16. UNUM EX EIS NON DEFUIT; scilicet ex iis quæ sum locutus, nihil defuit. ALTER ALTERUM NON QUAESIVIT. Heb. *unumquodque socio suo non defuit*, id est simul omnia consonant, nullum verbum ab alio discrepat. CONGREGAVIT EA spiritus Dei, id est fecit ut inter se responderent, essentque consentanea omnia. Aut versus hic intelligatur de iis animalibus, quæ in Idumæa habitare dixit, nullum ex iis defuisse, unumquodque iunctum compari, ut semen propagarent. Deum denique congregasse ea.

V. 17. MISIT EIS SORTEM. Quasi missis sortibus assignavit Idumæam illis animalibus, & quasi hereditatem. IN MENSURAM. Heb. *in regula*. Metaphora ducitur ab iis, qui hereditatem sorte & mensura partiuntur.

MALVENDAE.

Vers. 1. ACCEDITE GENTES, ET AUDITE. Heb. *Appropinquate*, *adeste*, *gentes*, *ad audiendum*, &c. Nunc demum, inquiunt, venit Propheta ad priorem partem prolepseos, de qua diximus supra cap. XXXIII. 1. nimirum ad propositionem iudicii divini improbis eventuri. Sunt autem huius propositionis tres partes, prima est exordium, hoc versu; quemadmodum in superiore quoque propositione fuisse ostendimus, supra cap. XXXIII. 13. secunda est narratio iudiciorum futurorum a Deo, usque ad vers. 16. tertia est confirmatio duobus ultimis. Est autem exordium hoc patheticum, quo Propheta res omnes creatas provocat, ut afficiantur gravitate iudiciorum Dei, quemadmodum fecerat supra cap. I. 2. ET PLENITUDO EIUS. Alii: *& quæ implent eam*, vel *& quidquid in ea est*: vide Psal. XXIII. 1. ET OMNE GERMEN EIUS. Heb. *exitus*, *egressiones*, *germina*, *propagines*, *stirpes*, *progerminationes eius:* vide Iob v. 25. & supra cap. XXII. 24. sic infra cap. XLII. 5.

V. 2. QUIA INDIGNATIO DOMINI SUPER

PER OMNES GENTES. Alii ex Heb. I. *Quia ira est ipsi Iehovæ contra omnes gentes*. II. *Nam fervens ira est ipsi Iehovæ contra omnes gentes*. Narratio hæc iudiciorum Dei duas partes continet, convenientes exordio: unam, de iudiciis Dei contra homines improbos, usque ad vers. 9, alteram, de effectis iudiciorum in terram ipsam, & res creatas omnes, inde ad vers. 16. קצף *ketzeph*, *fervor*, *effervescentia subita*; *ira fervens & quasi spumans*, *fervor iræ*, *bulliens ira*. ET FUROR. Heb. *ardor*, *æstus*, *furor*, *excandescentia*, *æstus iræ*, *æstuans ira*: ut Genes. XXV. 44. INTERFECIT EOS. Proprie: *anathematizavit eos*. Alii: *anathemate delevit eos*: *internecioni devovit eos*: *excidit*, *proscripsit*, *excommunicavit eos*. Hæc enim est vis verbi החרים *hecherim*.

V. 3. INTERFECTI EORUM PROIICIENTUR. חללים *chalalim*, *violati*, *profanati*, *vulnerati*, *saucii*, *confossi*, *perfossi*, *ex violentia extincti*, *& interfecti*, *abiicientur*, insepulti, vel canibus ferisque. Coniugatio *Hophal* significatum auget, miserrime & abiectissime proiicientur. TABESCENT MONTES A SANGUINE EORUM. Alii ex Heb. I. *cruoreque eorum montes colliquescent*. II. *& colliquescent montes ex sanguine eorum*. Hyperbole elegantissima optime exprimens severitatem iudiciorum Dei, ut sequente versu; quasi dicat: Cælum & terra exhorrescent tam atroces pœnas, quas Deus sumpturus est de inimicis suis, ut supra cap. XIII. 10.

V. 4. ET TABESCET OMNIS MILITIA CAELORUM. Heb. *Et emarcescent omnis militia cælorum*: de militia cælorum, vide in Genes. II. 1. Quidam reddunt: *Etiam contabescet totus exercitus cælorum*. ET COMPLICABUNTUR SICUT LIBER CAELI. Heb. *& volventur*, seu *convolventur sicut liber cæli*. Olim libri in modum rotuli, in circum, cylindrum convolvebantur, ut videmus nunc fieri in תורה *torah*, in synagogis Iudæorum; quasi dicat: Cæli ipsi, qui in modum cortinæ extensi sunt, convolventur & complicabuntur in modum codicis aut rotuli. Recte passim monent, ex isto Isaiæ loco desumpsisse Ioannem, quod scribit Apocalyps. VI. 14. *Et cælum sicut liber qui involvitur, recessit*: notantque esse hyperbolem admirabilem toto hoc versu. ET DE FICU. Heb. *& sicut defluens*, *marcescens*, *de ficu*. Quidam: *& sicut marcescit de ficu*; id est, sicut folium marcidum cadens de ficu. Alii: *& ut deciduus grossulus e ficu*. Nec est dubium quin huc respexit Ioannes Apocalyps. VI. 13. *Sicut ficus abiicit grossos suos a magno vento concussa*.

V. 5. QUONIAM INEBRIATUS EST IN CAELO GLADIUS MEUS. Heb. *Quia irrigatus*, *humectatus*, *madefactus est in cælo gladius meus*: vel transitive, *irrigavit*, *humectavit*, *madefecit*, *ferit sanguine in cælis gladius meus*: volunt esse inversa verba; pro, Quoniam gladius meus, qui est in cælis, inebriatus est. Quidam: *Nam inebriatus est in cælis gladius meus*. Ætiologia a decreto Dei, pro eo quod est, res iam in cælis conclusa atque confecta est: fixum est decretum & immutabile. Inebriari autem dicitur gladius metaphorice, id est, rubere & circumfluere sanguine, ut Ierem. XLVI. 10. ECCE SUPER IDUMAEAM DESCENDET. Alii: *ecce supra Edomæos descendet*. Hos primo loco Propheta nominat, cum quia ex propinquitate erant notissimi, tum quia Iehudæis ab omni memoria hostes fuerant infensissimi, ut Psal. CXXXVI. 7. Hamos I. 11. Abdiæ vers. 10. & sequentib. Lamentation. IV. 21. Ezechiel. XXV. 12. supra cap. XXI. 11. ET SUPER POPULUM INTERFECTIONIS MEAE. Heb. *& super populum anathematis mei*: sive *excommunicationis*, *excisionis*, *proscriptionis meæ*. Quidam: *& super populum*, *quem devovi internecioni*: ut supra vers. 2. AD IUDICIUM: id est, *ut iudicium* seu *iustitiam* exerceam in eos, vel ut iustam ultionem sumam de eis; proinde quidam reddunt: *& super populum*, *quem ultioni meæ devovi*; id est, super omnes alios excidio destinatos.

V. 6. GLADIUS DOMINI REPLETUS EST SANGUINE. Notant esse alteram descriptionem iudiciorum Dei, qua ostendit quam gratum sibi futurum est, cum inimicos Ecclesiæ profligabit, a similitudine sacrificiorum, quæ ipsi odora fuerunt olim in Ecclesia per Christum. REPLETUS EST SANGUINE. Alii: *implebitur sanguine*, &c. quasi dicat, Consumam eos plane: nam sanguis & adeps in sacrificiis (quibuscum improbi comparantur) solebant consumi Iehovæ, Levit. III. 16. & 17. INCRASSATUS EST ADIPE. Verbum הדשנה *huddaschenah*, irregulare esse notant, & compositum ex

Ho-

Hophal & Hithpahel Hebræi volunt: forte ad indicandum quam gravis & extra ordinem futura esset ultio, & sacrificium illud cruentum in Idumæos. IN BOSRA. Heb. *in Botzrah*. Non est hæc quam *Bostram* dixere posteriores: vide Genes. XXXVI. 33. Deuter. IV. 43.

V. 7. ET DESCENDENT UNICORNES CUM EIS, &c. Quidam hunc versum ita ex Heb. reddunt: *Descendent quoque unicornes cum eis, & iuvenci cum robustis tauris;* id est, etiam indomiti, & potentissimi quique potentia Dei deiicientur, & mittentur sub iugum: nam unicornium natura indomita esse dicitur, ut Iob XXXIX. 12. & sequentibus: & tauri robusti ferocia difficile iugum subit: *adeo ut inebrietur terra eorum sanguine, & pulvis eorum adipe pinguefiat.* Hyperbole ut supra vers. 3. & 4. id est copiose perfundatur.

V. 8. QUIA DIES ULTIONIS DOMINI, &c. Alii: *Cum dies ultionis Iehovæ, annus retributionum ob causam Tziionis erit*, id est propter Ecclesiam. Ulciscitur enim Deus hostes, & eis malum rependit, in gratiam Tziionis, ut Ecclesiam suam ab illorum impressione servet. Nonnulli: *Nam dies est ultionis Domino, annus repensionum ad iudicium Tziionis*, vel *rixæ cum Tziione*, id est eorum qui contenderint cum Ecclesia; quasi dicat: Veniet tempus, cum Dominus ulciscetur se de improbis, sumetque pœnas de his, qui iniuste contenderint cum Ecclesia. Nos reddidimus: *Quia dies vindictæ ipsi* IHUH; *annus pacificationum liti*, seu *controversiæ Tziionis*; id est, tempus, quo lites, controversiæ, iurgia, bella hostium contra Tziionem pacificari & extingui debeant: ריב *rib*, *lis*, *rixa*, *controversia*, *contentio*, *causa iudicialis*. Hispanicus Interpres: *Anno de pagamentos en el pleito de Tziion*.

V. 9. ET CONVERTENTUR TORRENTES EIUS IN PICEM. Pronomen *eius*, quod ter hoc versu ponitur, quidam non satis apte ad Tziionem materialem referunt, quæ tandem ob infidelitatem in Christum fuerat igne absumenda. Rectius alii, vel singulariter de regione seu provincia Idumææ, vel de terra improborum hostium Ecclesiæ accipiunt; unde versum reddunt: *Itaque mutabuntur torrentes eius in picem, & pulvis eius in sulphur: eritque terra eius pro pice ardenti*. Altera pars narrationis, ut diximus in versum 2. de effectis Dei terrificis, quorum duo in universum ponuntur capita: unum, fore terras incendio absumendas, duobus versibus; alterum, fore horridas, desertas, & solitariis tantum bestiis habitabiles, quinque aliis sequentibus. ET ERIT TERRA EIUS IN PICEM ARDENTEM: vel *pix ardens*. Exponunt quidam: Id est, regio Idumæorum tam sicca reddetur, ut ignem facile concipere possit potius quam semen, non aliter quam sulphur aut pix ardens.

V. 10. IN SAECULA SAECULORUM. Heb. *in victoriam victoriarum*. Alii: *in æternitatem æternitatum*, quod æternitas sit victoria temporis; vel *in perpetuitatem perpetuitatum*, hoc est in omnem æternitatem, in perennem æternitatem, seu in omnimodam & perpetuam æternitatem, prorsus in sempiternum.

V. 11. ONOCROTALUS. קאת *kaath*, alii pelicanum, alii plateam reddunt: vide Lev. XI. 18. ERICIUS. Nos *cypselum* vertimus; ut supra cap. XIV. 23. vide ibi. IBIS. Nos *vespertilionem* diximus, ut Levit. XI. 17. vide ibi. ET EXTENDETUR SUPER EAM MENSURA, UT REDIGATUR AD NIHILUM. Alii: I. *& extendet super eam funiculum inanitatis*. Est autem, inquiunt, in prophetis observandum, quod duplicem ponant funiculum, unum ad ædificandum, alterum in malum ad destruendum, ut II. Reg. XXI. 13. Lamentation. II. 8. & hic. II. *Lineam desolationis*, seu *inordinationis*; id est, desolabit eam & evertet ad lineam, funiculum, & filum, hoc est summo iudicio, & quam regulatissime. Nonnulli tamen hic de funiculo ædificationis accipiunt. III. *& extendet super eam lineam deformationis*, seu *inanitatis*; quasi dicat: Architecti frustra laborabunt eam instaurare, & in ea ædes ædificare; quisquis instaurare conabitur, inaniter consumet operam: ita Deus materiam & rationem adimet ædificandi, & res ædificatas destruet, Malac. I. 4. ET PERPENDICULUM IN DESOLATIONEM. Heb. *& lapides vacuitatis*. Plerique de materia ædificiorum accipiunt; quasi dicat: In vacuum ac frustra congerent lapides ædificio construendo. Alii, lapillos & pondusćula intelligunt, quæ filo pendent, instrumentumque conficiunt, quo fabri lignarii, & cæmentarii utuntur: est autem duplex, alterum quo iacentia æquabiliter iacere deprehendunt, aut ina-

inæquabiliter: alterum quo rectitudinem, vel tortuositatem murorum percipiunt. Nam Lapidem Hebræis pro pondere sumi certum est, ut Deuteronom. xxv. 13. Proverb. xx. 10. II. Samuel. xiv. 26. Levit. xix. 36. Zachar. iv. 10. Hic de perpendiculo seu lapillo primi generis sumunt, quo iacentia complananrur; unde reddunt: *& lapillos evacuationis*; id est, perpendiculo ædificia solo complanabit, ut æqualis penitus sit area demoliti ædificii, evacuato prorsus seu destructo ædificio. Alii: *& perpendicula inanitatis*; id est, inaniter & frustra adhibebit quisque perpendicula instaurando ædificio, numquam enim id fiet. Hispanicus Interpres: *Y estenderse ha sobre ella cordel de nada, y niveles de vanidad*, id est *fera assollada y desierta*.

V. 12. Nobiles eius non eruntibi: regem potius invocabunt. Alii ex Heb. I. *Principes eius, & non ibi ad regnum vocabunt*. II. inverso ordine: *Vocabunt principes illius ad regnum, & illic nulli erunt;* id est, etsi aliqui vocaverint principes illius ad regnum suscipiendum, nulli erunt, qui adire audeant, aut possint dignitatem regiam. III. *Nobiles eius vocabunt, & non erit ibi regnum*. IV. *Nobiles eius absque regno ibi vocabuntur;* id est, adeo destruentur, ut nulli ibi sint futuri principes, nullum regnum. V. *Principes clamabunt*: *Non est ibi regnum*; id est, alta voce dicent, nullum ibi futurum regnum, quia nulli erunt subditi. VI. *Clarissimos eius ad regnum vocabunt, sed nemo erit ibi*; id est, non poterunt instaurare regnum amissis regibus & principibus, hoc versu: neque domos suas de integro extruere, tribus sequentibus. Verborum autem emploceen, quæ versu hoc Hebraice inest, ad evidentiam ita transposuerunt. Hispanicus Interpres: *Clamaran asus principes, principes sin reyno*. חורים *chorim*, *clari, ingenui, candidati:* vide in Genes. xiv. 6. Erunt in nihilum. אפס *ephes*, *defectus, cessatio, terminus, finis, nihil;* id est, deficient, cessabunt, finientur, erunt nihil, non extabunt.

V. 13. Et orientur in domibus eius spinae. Alii: I. *Et scandet palatia eius spinæ*. Distributive, unaquæque spinarum. II. *Et succrescent in palatiis eius spinæ*. III. *Et assurget in palatiis eius spinarum multitudo*. Urticae. קמוש kimmosch, *urticæ* speciem esse aiunt. Alii, *paliurum:* alii, *carduum*, vel *chamæleonem cardui speciem*: vide Notas in Proverb. xxiv. 31. Et paliurus. חוח *choach*, *spinam* fere omnes interpretantur: paucissimi, *carduum*. Alii, *vepres*; vel *vepricetum*. Et erit cubile. Heb. *novus*, *pascuum*, *caula*, *habitaculum*. Draconum. תנים *thannim*, proprie est singulare, nam plurale est תנינים *thanninim;* sed plerique collective pro plurali capiunt: vide supra cap. xiii. 22. Struthionum. Heb. *filialus struthionis:* vide supra cap. xiii. 21. Quidam hic reddunt: *atrium ulularum pullis*. חציר *chatzir*, hic significare aiunt locum superne apertum sub dio, in quo crescit fœnum, sive intra civitatem sit circa ædificia, sive in agro, nempe villam seu prædium, septo tantum circumdatum: vide in Genes. xxv. 15.

V. 14. Daemonia. ציים *Tziiim*: vide supra cap. xiii. 21. Onocentauris. איים *Iiim*, *formidabile*, seu, *terrificum animal:* vide supra cap. xiii. 22. Et pilosus. Vide supra cap. xiii. 21. Ibi cubavit lamia. Verbo רגע *ragagh*, contraria significata adscribunt, *subito commoveri*, *& concitari*, & *quiescere*: quod significatum plerique hic potius probant, ex sequente nomine; unde reddunt: *quin etiam ibi quievit*, vel *requiem sibi quæsivit:* nam verbum est ex Hiphil. Quidam: *verumtamen ibi resocillata est*. Alii, *tantum ibi residet*. Nonnulli: *quin riguit*, *obriguit*, *ibi*; id est, rigorem & furorem seu sævitatem suam exercuit. Possit retineri prior significatus: *verumtamen ibi concitata est;* nam fera animalia facile in iram concitantur. Lamia. לילית *lilith*, semel hic tantum in Scriptura legitur: a nocte nomen habere non est dubium: aiunt esse *noctuam* vel *nycticoracem*, seu nocturnum quoddam animal, quod noctu versatur & ululat. Alii, *lamiam*, seu *strigem*, vel *futiam*, aut *nocturnum dæmonium* esse malunt. Doctores Hebræorum sic vocant *dæmonem*, aut *larem familiarem*, *Lemures*, & huiusmodi spectra noctu maxime terrorem afferentia: vide de *lilith* portentosa apud Eliam in Thisbi, & Pentaglotton Schindleri. Frivolum est, quod nonnulli Hebræorum somniant esse *chamæleonem*, animal quod vento vivit. Hispanicæ vetustæ ex Hebræo Tanslationes *Cuculum* reddunt. De strigibus Plinius Lib. XI. cap. xxix. extremo: *Fabulosum enim arbitror*

de

de strigibus ubera eas infantium labris immulgere: esse in maledictis iam antiquis strigem convenit, sed quæ sit avium, constare non arbitror. Sed esse aves fabulosas poetis celebratas, constat: Lucanus VI. Pharsaliæ:

Quod trepidus bubo, quod strix nocturna queruntur.

Eas describit Ovidius VI. Fastorum: & Serenus capite *de pueris Dentientibus*, &c. Lamias vero tradunt esse fabulosas quasdam feras Libycas, quas in hunc modum describit Dion Chrysostomus Oratione V. quæ inscribitur Fabulæ Lybicæ: *Natura autem corporis ipsarum & forma talis est: facies est muliebris, & qualis speciosissimæ mulieris esse potest: mamillæ autem & pectora & colla pulcherrima, qualia nulla virgo mortalis habere possit, neque adultæ Nymphæ, neque fingens, neque pingens quisquam possit exprimere. Cutis nitor clarissimus est, & hilaritas ex oculis, & desiderium animis incidit simul ac eas quis aspexerit. Reliquum autem corpus durum & infractum squamis, & omne quod deorsum vergit, serpens est. Extremum autem caput serpentis, valde impudens. Ipsæ autem bestiæ non dicuntur nasci alatæ, quemadmodum sphinges, neque colloqui posse, ut illæ, neque aliam emittere vocem: sed sibilare tantum, ut dracones acutissime. Esse autem omnium pedestrium velocissimas, ut nemo fere queat eas effugere: & alia quidem animalia robore vincere, hominem autem deceptione, ostendentes pectora & papillas, simulque aspicientes. Incantare autem & vehemens eas coitus inìicere desiderium; & nonnullos accedere ad eas tamquam ad mulieres: illas autem subsistere quiete, & sæpe in terram oculos deiicere, imitantes mulierem honestam. Propinquum autem iam factum corripere. Habere enim & belluinas manus, quas abscondant interea. Serpens igitur confestim mordens, occidit veneno: cadaver autem devorant simul & serpens, & altera bestia.* Hæc Dion. Philostratus Lib. IV. vitæ Apollonii, cap. VIII. *Bona hæc sponsa una est ex empusis, quas lamias, & mormolycias*, id est Lemures, larvas, spectra, *multi appellant*. Hinc factum est, ut veneficas mulierculas, quæ infantes exsugunt & interficiunt, *Striges* & *lamias* vocent, Hispanice, *Bruxas*: sic Apuleius duas sagas seu veneficas, *lamias* appellat Lib. I. Asini. De lamiis vide Appendicem Thesauri Henriciani, colum. 1344. & 1345.

V. 15. Ericius. קפוז kippoz, notant eiusdem esse significationis cum קפוד *kippud*, quod *cypselum* vertimus supra vers. 11. quod littera *Daleth*, & *Zaiin* sint affines & commutabiles, præsertim cum Hæbræa transeunt in Chaldæa: nam Chaldæus hic habet קפדא k*oppedah*. Buxtorfius *kippoz* putat esse *merulam*, avem quæ saltuatim incedit, a verbo קפז *kaphaz*, quod Rabbinis & Chaldæis est *subsilire*. Secutus est Tremellium & Iunium, qui hic exponunt: *Ibi nidificabit merula, avis solitaria* (unde merulam dictam volunt grammatici, quod mera volet) assultim incedens, qui saliendi usus apud Hebræos avi nomen dedit. Nonnulli *vulturem*: alii *testudinem*: Hispanicus Interpres *cuculum*, interpretantur. Et enutrivit catulos. Verbum מלט *malat*, varie reddunt. 1. *& evadere fecit*. 2. *& proiecit*, scilicet fœtum, ut infra cap. LXVI. 7. 3. *& posuit*, ova. 4. *& eripuit*, id est peperit ova. 5. *& conservavit*, partum. 6. *& edidit* ova sua. Hispanicus Interpres: *conservara sus huevos*. Et circumfodit. Heb. *& discindet*, vel *diffindet*, *dissecabit*. Alii: *rumpetque* ova: id est, ruptis ovis excludet fœtum. Et fovit in umbra eius. Forsterus: *& perfodiet in umbra eius*, id est pariet ova. Duo hæc verba idem Forsterus ita exponit: *& excludet ubi incubavit in umbra eius*, vel potius sua: nam affixum est femincum, & referendum ad *Kippoz*, quod est femineum. Pagninus: *& scindet ova postquam collegerit in umbra eius*, vel sua; id est, excludet pullos postquam ova foverit umbra sua. Vatablus: *& franget ova* sua, *ubi foverit illa in umbra sua*; id est, ruptis ovis postquam ea foverit, excludet pullos suos. Leo Iudas: *in umbra sua fovebit ova, & excludet*. Avenarius: *& excludet, & colliget*, seu *congregabit* pullos, *sub umbra sua*. Tremellius & Iunius: *cumque eruperit*, id est exclusa fuerit pullities, quæ per ellipsin hoc loco intelligitur: *colliget ad umbram suam*; id est, fovebit & & incubabit, alis vel corpore. Hispanicus Interpres: *y saccara sus pollos, y Iuntarlos ha debaxo de sus alas*. Milvi. דיות *daiioth*, *milvi*, seu *vultur aquilæ*. Vide in Deuteronom. XIV. & Lev. XI. 14.

V. 16. Requirite diligenter in li-

bro Domini. Alii ex Heb. *Quærite ex libro Iehovæ*, vel *consulite*, *sciscitamini*, *ex libro Iehovæ*. Confirmatio superiorum denuntiationum ab eventu, quo veritatem sermonum suorum examinandam & probandam Deus exhibet, ut Deuteron. xviii. 22. *Ex libro Iehovæ*. id est libro prophetiarum, quas Iehova edit per prophetas suos afflatos ipsius spiritu. Alter alterum non quaesivit. Verbum פקד *pakad*, ponitur hic in præterito plurali Kal, quod tamen volunt habere significationem intransitivam, ut in *Niphal*, quod sane est præter morem; unde varie reddunt: I. *mulier cum socia sua non deficient*. II. *mulier sociæ suæ non desideratæ sunt*. III. *unumquodque cum socio suo non defuerunt*. IV. *unum cum sodali suo non devisitabantur*, sive *derecensebantur*; id est deerant, seu *nulla defuerunt*. Alii vero transitivam significationem retinent. V. *alterum alterum*, vel *unum alterum non visitaverunt*, vel *requisiverunt*, aut *desideraverunt*. Hoc quidam accipiunt de animalibus supra commemoratis: alii rectius de his, quæ scripta sunt in libro Ihuh. Quia quod ex ore meo procedit, ille mandavit. Heb. *quia os meum ipsum præcepit*: *ipsum* potest iungi cum *os meum*, *ipsum os meum*; vel cum *præcepit*, *os meum præcepit istud*. Alii: *quia os meum*, id est *quod dico* (metonymia) *ipse præcepit*. Quidam: *nam quod dico ipse præcipit*; id est, dixi, & præstabit dictum verbo suo potentissimo. Et spiritus eius ipse congregavit ea. Rectius vertes: *& spiritu suo ipse congregavit ea*. Nam *ipse* non recte cohæret cum *spiritu*, qui est femincum, sed cum Iehovah; id est, *ipse* Iehovah spiritu suo seu potenti iussu, impulsu, inflatu congregabit ea animalia, ut vers. 15.

V. 17. Et ipse misit eis sortem, &c. Quidam ita hunc versum ex Heb. reddunt: *Nam cum proiecerit illis sortem*, *& manu sua distribuerit illis admussim*, *usque in sæculum hereditario iure possidebunt illam*, *per generationem quamque habitabunt in illa*; id est, ex quo semel Deus regiones istas feris habitandas assignaverit, numquam desinet maledictio eis regionibus pronuntiata: assignationem autem Propheta figurat duobus modis, sorte & funibus, qui modi tunc in usu erant: ut terra tribubus sorte, & agri funibus in familias distributi sunt, Numer. xxvi. 55. & Iosue xviii. In mensuram. בקו *bakau*, *in linea*, *funiculo*, *filo*, *regula*, *amussi*: ut solent scilicet distribui possessiones. Vide Psal. xv. 5.

MENOCHII.

Vers. 1. Accedite, &c. Ex clade Sennacherib assurgit, & avolat de more ad excidium orbis, in fine sæculi. Plenitudo eius; id est, quidquid terræ ambitu continetur. Omne germen eius. Chald. *habitatores*, LXX. *Populus*.

V. 2. Militiam, id est exercitum, multitudinem, LXX. *numerum*. Interfecit: interficiet omnes gentes, partim per ignem conflagrationis mundi, partim per plagas illi prævias.

V. 3. Tabescent montes. LXX. *rigabuntur*, imbuentur, perfundentur sanguine. Tabescet omnis militia caelorum: nam sol, & luna, & sidera sub diem iudicii commovebuntur, obscurabuntur, & lumen suum retrahent. Complicabuntur sicut liber; quasi dicat, Sicut libri (sic olim fiebat) circa cylindrum explicantur & circumvolvuntur, & tunc absconsis litteris, legi non possunt: ita cælum eiusque stellæ, quasi litteræ abscondentur atris nubibus, ut videri non possint, perinde ac si cælum esset complicatum, & convolutum. Defluet: stellis e cælo cadentibus; nam ut ait Christus Matth. xxiv. 29. *Stellæ cadent de cælo*.

V. 5. Inebriatus est in caelo gladius meus: ultione mea in ipso cælo grassante. Super Idumaeam. Idumæi semper hostes fuerunt Iudæorum, itaque illis minatur exitium, eorumque allegoria omnes impios intelligit. Interfectionis meae: a me interficiendum. Ad iudicium. Chald. *in iudicio*, LXX. *cum iudicio*, id est iustum iudicium, & vindictam in eos exercendo.

V. 6. Incrassatus est adipe: solet enim culter, quo oves pingues iugulantur, sanguine, & adipe imbui. Agnorum, hircorum, arietum; quasi dicat: Nulli ætati, sexui, aut gradui parcet hostilis gladius, sed in omnes promiscue deseviet. Victima enim Domini in Bosra; quasi dicat: Cædem facturus est Deus in Bosra urbe primaria Idumææ. In terra Edom: in Idumæa.

V. 7.

V. 7. Descendent unicornes, &c. Unicornes, & tauros vocat viribus robustos, & armis validos; quasi dicat: Hi omnes cadent cum imbelli plebe, & ad orcum descendent. Cum potentibus: divitibus, & primoribus.

V. 8. Annus retributionum iudicii Sion; id est, annus, quo rependet Deus Idumæis, & in eorum caput regeret mala, quibus Sionem affecerunt, ut Sioni ius suum reddat. In die iudicii Deus vindicabit iniurias Sioni, id est Ecclesiæ factas.

V. 9. Convertentur torrentes eorum in picem: Chaldæis Idumæam incendentibus, ita ardebit, ac si aquæ torrentium eius in picem versæ essent. Id plane accidet in conflagratione mundi.

V. 11. Onocrotalus: quid sit onocrotalus dixi Levit. xi. 18. Ericius: de quo vide supra xiv. 23. Ibis: de quo Levit. xi. 17. significatur summa Idumææ, id est mundi vastitas, & desolatio, ita ut hominibus vacua, feris, si quæ sint, habitanda relinquatur. Extendetur super eam mensura: est metaphora ducta a linea fabrorum, qua partem parietis, quam diruere in animo habent, metiuntur. Ut redigatur ad nihilum, &c. quasi dicat: Deus non plus infligit pœnæ quam quis meritus sit, sed omnem punitionis modum quasi perpendiculo, aut amussi dirigit: at Idumæorum, & impiorum scelera tam multa erant, tamque atrocia, ut plane desolandi sint, & ad nihilum redigendi.

V. 12. Non erunt ibi: sed vel occidentur, vel abducentur captivi. Regem potius invocabunt: victi, & supplices Regem Nabuchodonosor invocabunt: sic impii in extremo iudicio pœnam deprecantes dicent: *Quando te vidimus esurientem*, &c. *& non ministravimus tibi?* Matth. xxv. 44. Erunt in nihilum, id est ad extremam miseriam redacti.

V. 13. Paliurus: est genus spinæ, & rubi, inquit Plin. Lib. XXIV. cap. xiii. de quo Virg. Eclog. viii.

Carduus, & spinis surgit paliurus acutis.

Cubile draconum, &c. Idumæa vastata serpentibus, draconibus, struthionibus, aliisque huiusmodi feris relinquetur.

V. 14. Occurrent daemonia onocentauris. Monstra, spectra, & larvæ in desertis illis locis apparebunt specie ferarum, onocentaurorum, satyrorum, &c. Onocentauris. Onocentaurus est monstrum ex asino inferne, & ex homine superne conflatum, qualia monstra fuisse olim credidit antiquitas. Alludit aliquando Scriptura sive eius Interpres ad fabulas poetarum, ut notavit D. Hier. sic Iudith. xvi. 8. fit mentio Titanum, & Iob xlii. 14. cornu Amaltheæ. Pilosus: Dæmones specie hircorum hirsuti, quos vetustas Faunos, & Satyros dixit. Clamabit alter ad alterum. Chaldæus vertit, *Dæmones inter se colludent*; sic supra cap. xiii. 21. dixit, *saltabunt*. Lamiae: sunt dæmones succubi, vel illorum spectra, quæ Empusæ dicuntur, apparentque mulierum forma, quæ ad venerem homines illicere dicuntur, ut eos devorent.

V. 15. Ericius. Vide dicta sup. xiv. 23.

V. 16. Requirite diligenter in libro Domini; id est, quæ tunc accident recensete, & componite cum his, quæ in hac prophetia, quæ est liber Domini, dicuntur. Italice diceremus: *Confrontate*, &c. Unum ex eis non defuit: omnia ad unguem evenerunt, ut prædicta sunt. Alter alterum non quaesivit: alterum monstrum vel infortunium opus non habuit quærere comparem suum, quia scilicet aderat. Spiritus eius ipse congregavit ea: Spiritus Domini, voluntas scilicet, & iussio Domini hoc agmen malorum congregavit, & ordinavit.

V. 17. Ipse misit eis sortem, &c. id est, Deus iam dictis animalibus, & monstris divisit Idumæam, & cuique dedit suam sortem, locum, & mensuram, quasi proprii, & perpetui eius incolæ essent futuri.

TIRINI.

Vers. 1. Accedite gentes, omnes ad spectandum quasi in publico theatro extremum orbis iudicium & sæculi consummationem: ita S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Eusebius & Augustinus *a*.

V. 2. Interfecit eos: nempe totius orbis incolas, partim per ignem conflagrationis, partim per plagas illi prævias.

V. 3. De cadaveribus cæsorum tot prœliis, ascendet foetor, cum vivi sepelien-

peliendis mortuis non sufficiant: unde TABESCENT MONTES, id est tabem contrahent EX EORUM SANGUINE, putredine & sanie.

V. 4. TABESCET OMNIS MILITIA CAELORUM; id est, sol, luna & reliqua sidera tam insolitis modis commovebuntur, obscurabuntur, & lumen suum retrahent, ut videantur præ indignatione tabescere, liquescere, dissolvi. Et hoc est quod ait Christus Matth. XXIV. *Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo*: ut ibidem exponunt S. Chrysostomus, & Maldonatus. Atque ita COMPLICABUNTUR CAELI *b* SICUT LIBER; id est, sicut in membrana litteris conscripta, (quales erant veterum libri) nullæ deforis litteræ apparent, si membrana circum cylindrum convolvatur; ita in cælo nubibus undique clauso & quasi involuto nullæ apparebunt stellæ. Fulgetris quoque, cometis, stellis cadentibus, aliisque meteoris ita aer perturbabitur, ut cæli convolvi & complicari, & quasi terræ commisceri videantur: ita S. Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Adamus, Pererius *c*, & passim Scholastici, qui contra quosdam *d* alios docent, cælos & astra non secundum formam vel substantiam, sed solum secundum lucem & alias qualitates mutatum & innovatum iri. Sed unde tanta etiam in cælestibus perturbatio? Respondet:

V. 5. QUONIAM etiam IN CAELO INEBRIATUS, id est ad satietatem grassatus, EST GLADIUS divinæ ultionis & vindictæ meæ. ECCE sicut gladius hic meus brevi DESCENDET SUPER IDUMAEAM, ET SUPER POPULUM INTERFECTIONIS MEAE. Hebraice, *anathematis mei*, id est super Idumæos neci a me devotos ac destinatos, sævietque in eos ad internecionem, & ita in fine mundi descendet & sæviet idem gladius in omnes omnino nationes terræ. Adesdum ergo spectator, & vide quomodo in excidio Idumææ per Chaldæos,

V. 6. INCRASSATUS EST gladius Dei, tam ADIPE, quam SANGUINE pinguium istorum Idumæorum; neque AGNORUM solum, id est plebeiorum, imbellium, pauperum; sed ET HIRCORUM, id est ducum ac principum, ET ARIETUM, id est ditiorum ac robustorum; quasi dicat: Nulli ætati, nulli sexui, nulli gradui parcet hic gladius. VICTIMA ENIM DOMINI solemnis, a Deo decreta & instituta est IN BOSRA Idumææ metropoli, ut incolas omnes gladio Chaldæorum mactet & offerat divinæ suæ iustitiæ. Id factum paulo post excidium Ierosolymorum per Nabuchodonosorem, ut alibi *e* dicetur.

V. 7. ET DESCENDENT ad hanc victimam non soli boves & vituli, cives, mercatores, opifices, sed & TAURI ET UNICORNES, robusti & armis instructi, CUM omnibus POTENTIBUS, divitibus, nobilibus. Tunc erit vers. 8. ANNUS RETRIBUTIONUM IUDICII & vindictæ, quam pro SION, id est Iudæa, Deus exercebit contra Idumæos, qui iurati hostes Iudæorum, illos perpetuo divexarunt, & una cum Chaldæis Ierosolymam oppugnarunt & everterunt: ita Chaldæus, Vatablus, Lyranus, Arias & Sanchez.

V. 9. ET CONVERTENTUR TORRENTES Idumææ IN PICEM; id est, aquæ ipsæ fluminum instar picis & sulphuris ardebunt. Alludit ad Sodomam Idumææ vicinam, ut scelere, ita & clade illi similem, quæ sulphureum habet solum, & igne cælesti conflagravit. Sic in fine mundi, ignis conflagrationis ex pice & sulphure conflatus omnia regna absumet.

V. 12. REGEM POTIUS INVOCABUNT; id est, optabunt miseri tunc ducem aliquem & principem qui rebus afflictis succurrat, sed nemo reperietur qui aut velit, aut possit rempublicam perditam administrandam capessere. Porro pro principibus, pro civibus, pro aliis incolis,

V. 14. OCCURRENT ibi passim DAEMONIA & monstra sic larvata, ut superne figuram gerant hominis, inferne asini vel equi. Quale monstrum signo S. Crucis fugavit S. Antonius *f*: & alterum Claudio Cæsari oblatum vidisse se testatur Plinius *g*. Vide Gesnerum, qui ex Servio *h* & aliis docet, eiusmodi monstra nomen centaurorum accepisse ex similitudine equitum tauros spiculis configentium. Vir enim equo vel asino insidens, quasi unum cum eo animal confiare rudioribus videbatur: cumque nomen aliud non occurreret, ex officio ipsi proprio, quod erat κεντεῖν, id est pungere, stimulare, configere *tauros*, vocarunt *Hippo*, vel *onocentauros*, id est equum vel asinum configentem tauros.

PILOSUS idem est qui priscis Satyrus vel Fau-

Faunus: Gesnerus putat esse genus simiarum, quæ in Brasilia robore & proceritate corporum superant homines, & non raro mulieres constuprant. Alii putant fuisse dæmones qui villoso & hirsuto corpore instar hircorum, hominibus illudere solebant.

LAMIAE Vatablo, Pagnino & Delrio *i* nostro sunt stryges & sagæ: Dioni Chrysostomo *k* sunt bestiæ truculentæ, facie & superiore parte corporis ad umbilicum muliebri, reliquo in draconem desinente. Alii volunt esse dæmones succubos, de quibus multa Gesnerus & Delrio. Utut est, certum designari bestias silvestres feminei sexus rapaces & voraces, de quibus Ieremias Thren. IV. *Lamiæ nudaverunt mammam*. De quibus hic Isaias dicit, quod una cum ONOCENTAURIS & *pilosis* incolent regionem Idumææ iam excisæ & in solitudinem conversæ. Putatque noster Ioannes de Salas & Cornelius a Lapide ex S. Anselmo & Viguerio *l*, prædici hic ab Isaia, etiam in inferno damnatos a dæmonibus spectrorum eiusmodi formam assumentibus territum & cruciatum iri.

V. 16. REQUIRITE DILIGENTER hæc iam a me recensita seu monstra, seu supplicia quæ Idumææ obventura prædixi. *Requirite*, inquam, IN LIBRO DOMINI a Deo dictato, id est in S. Scriptura; quasi dicat: Quando reipsa destructur Idumæa, conferte tunc omnia mala ipsi obvenientia, cum iis quæ hic iam a me ipsi obventura prædicuntur, & ab aliis quoque Prophetis, Amos, Davide, Balaam, prædicta fuerunt, deprehendetis, *ne* UNUM quidem *deesse*. S. Hieron. S. Thom. Hugo & Lyranus. ALTER ALTERUM NON QUAESIVIT quasi absentem; id est, nihil malorum prædictorum deerit, ut a socio quæri debeat: sed SPIRITUS vindictæ divinæ omnia studiose CONGREGAVIT.

V. 17. ET IPSE idem spiritus, iisdem malis, seu monstris, seu plagis, MISIT SORTEM, dividens illis Idumæam omnem quasi possessionem hereditariam, & cuique in ea sortem suam & locum designans, ut quasi proprii eius incolæ sint IN AETERNUM *m*, id est ad longissimum tempus. In inferno autem mala omnia proprie & ad litteram durabunt æternum.

(a) Euseb. Lib. XI. de Præpar. Evang. cap. de in novat. mundi. August. Lib. XIII. Confess. cap. xv.
(b) Apoc. VI. 13.
(c) Hieron. in cap. 34. Isaiæ. August. Lib. XX. de Civit. cap. XIV. Greg. Lib. XVII. Moral. cap. v. Peter. in Apoc. VI.
(d) Chrysost. Theodoretum Oecomenium Basilium, Ambrosium, Nyssenum & Maldonatum citatos a Corn. a Lapide h. c.
(e) Ierem. XLIX. Ezech. XXV. & Abdiæ 1.
(f) Athanas. in vita Anton.
(g) Plin. Lib. VII. cap. II.
(h) Gesner. cap. de Equo & Asino. Servius III. Georgic.
(i) Delrio de Magicis.
(K) Dion. Chrys. in hist. Lybica.
(l) Salas in 1. II. q. V. a 5. tractat. II. disput. XIV. sect. XIV. num. 113. Anselm. in Elucidario. Viguer. cap. XVI. §. 4. vers. 16.
(m) In Proleg. de Idiotism. Heb. n. 27.

GORDONI:

Vers. 1. ACCEDITE GENTES ET AUDITE, &c. Compellat merito gentes omnes, quando de orbis totius excidio dicturus est. De hoc agi excidio docent Cyril. Hieronym. Euseb. de Præp. Lib. XI. Aug. Lib. XIII. Confess. cap. xv. & alii plures. Occidionem proponit vers. 3. a tyrannis in fine mundi & anti-Christo. At quid vers. 4. de militia cæli? hoc idem est ac si diceret, Sol, luna, & sydera obscurabuntur, immo commovebuntur; & ita ut pene videantur diffluere, ET COMPLICABUNTUR, inquit, ut LIBER CAELI. Sicut enim veterum volumina præsertim apud Hebræos involuta ad cylindrum, & rursus evoluta dabant, vel non dabant legendi copiam; ita complicari quasi videbuntur illa lumina, ut pene in obscuritate sua delitescere videantur.

V. 5. QUONIAM INEBRIATUS EST IN CAELO GLADIUS MEUS, &c. Nunc ad Idumæam vertit sermonem, & ex hoc typo excidium etiam orbis depingit, & in inferis cruciatum. Effusi sanguinis copia per ebrietatem significatur, nec Bosræ parcetur, aut fiet exceptio personarum. Bosra erat regia civitas Idumææ, vers. 7. Idumæos utpote fortes vocat tauros & unicornes: tunc Deus rependet pro meritis: vers. 8. torrentes in picem, est hyperbole, & allusio ad vicinam Sodomam.

V. 11. ET POSSIDEBUNT ILLAM ONOCROTALUS. Designat iuxta cœptum sermonem summam Idumææ & orbis vastitatem. Locus feris erit; de his feris alibi. Paliurus, rubi, seu spinæ genus: Plin. Lib. XIV. cap. XIII.

V. 14. ET OCCURRENT DAEMONIA. De cen-

centauro lege Gesnerum cap. de equo, & c. de asino. Sed animalia talia fabulosa sunt; unde notat Hieronymus Scripturam aliquando alludere ad fabulas poetarum; ut Iudith. xvi. 8. vel certe dæmones sunt, qui hæc monstra repræsentant, ut in vita S. Antonii. Sunt porro marina monstra aliqua: vide Plin. Lib. VII. cap. III. Hinc statuæ de pilosis, faunis, & satyris: lamiæ putantur dæmones succubi, & huius generis spectra aliqua: vide Levit. xvii.

V. 16. Requirite diligenter, &c. Librum Domini vocat hanc suam prophetiam, utpote quam Deus dictavit: & requirite, inquit, cum hæc evenerint & videbitis me vera dixisse, tum de Idumæa, tum de orbis occasu in suo typo. Expende hereditatem pepetuam feris animalibus deputatam.

Ex Eiusdem Auctario.

Vers. 11. Quod animal sit Onocrotalus, & Ibis, vide Lev. xi. 17. & 18. Ericius, an noctua, an testudo, aut avis instar hirundinis, quæ celerrime involat aquis.

Vers. 12. Nobiles non erunt: nam occidentur, & victi pœnam deprecabuntur, sicut etiam mali in die iudicii. *Quando te vidimus esurientem*, Matth. cap. xxv.

Vers. 17. Dei spiritus & voluntas congregavit vastato mundo hæc monstra & animalia, in quo quasi suas partes sortita sunt; sic in die iudicii.



CAPUT XXXV.

De futura consolatione, lætitia, securitate, & felicitate perpetua eorum qui in Christum sunt credituri.

1. LAEtabitur deserta & invia, & exultabit solitudo, & flo-
rebit quasi lilium. 2. Germinans germinabit, & exultabit
lætabunda & laudans: gloria Libani data est ei: decor
Carmeli, & Saron, ipsi videbunt gloriam Domini, &
decorem Dei nostri. 3. Confortate manus dissolutas, &
genua debilia roborate. 4. * Dicite pusillanimis: Confor-
tamini, & nolite timere: ecce Deus vester ultionem ad-
ducet retributionis: Deus ipse veniet, & salvabit vos. 5.
Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. 6. Tunc saliet
sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum: quia scissæ sunt in de-
serto aquæ, & torrentes in solitudine. 7. Et quæ erat arida, erit in sta-
gnum, & sitiens in fontes aquarum. In cubilibus, in quibus prius dracones
habitabant, orietur viror calami & iunci. 8. Et erit ibi semita & via, & via
sancta vocabitur: non transibit per eam pollutus, & hæc erit vobis directa
via, ita ut stulti non errent per eam. 9. Non erit ibi leo, & mala bestia
non adscendet per eam, nec invenietur ibi; & ambulabunt qui liberati fue-
rint. 10. Et redempti a Domino convertentur, & venient in Sion cum lau-
de: & lætitia sempiterna super caput eorum: gaudium & lætitiam obtinebunt,
& fugiet dolor & gemitus.

BRU-

B R U G E N S I S

Romana Correctio.

Verſ. 4. *Dicite puſillanimis*. Servandus eſt dativus pluralis *puſillanimis*, quod eſt meticuloſis; non ſurrogandus nominativus pluralis *puſillanimes*.

Ibidem: *Ecce Deus veſter*, &c. *& ſalvabit vos*. Non ſunt mutandæ ſecundæ perſonæ pronomina in primæ *noſter*, *nos*.

Notatio.

Verſ. 4. D*icite puſillanimis: Confortamini & nolite timere*. Manuſcripta exemplaria pleraque, etiam integritate veneranda, *puſillanimes* legunt: & quædam quidem ei quod ſequitur iungunt, *Dicite, Puſillanimes confortamini*: ea quæ Richelius, & Carenſis ſecuti ſunt, ad quem modum Græca translatio habet: *Puſillanimes mente ſitis robuſti*, ſine *dicite*: quædam ei quod præcedit copulant, *Dicite puſillanimes*, aut quod in multis eſt, errore manifeſto, *Diſcite puſillanimes*, *Confortamini*. Hentenius, & Pariſienſes *Puſillanimis* correxere: ſic enim Hieronymus tranſtulit, dandi caſu, non vocandi, *Dicite puſillanimis* (ſive meticuloſis) *Confortamini*; quo modo Hebraice eſt אמרו לנמהרי־לב חזקו: ea enim Hebræorum diſtinctio eſt, atque is primum obvius ſenſus: poſſit tamen, ut altera habet lectio, verti, *Dicite*, O *puſillanimes confortamini*. Porro ut Hieronymus tranſtulit *puſillanimis*, legunt codices manuſcripti, S. Germani parvus, & Lobienſis, inſignes illi; impreſſi, Moguntinus, Nurenburgenſis, Colonienſis, Quentelianus, Complutenſis, atque ex hoc Regius. Inter enarratores legit hunc ad modum Haymo. Carenſis, „ Andreas, inquit, dicit *pu-* „ *ſillanimis* “. Crediderim *puſillanimis* in *puſillanimes* mutatum, quod primus ſingularis muneri caſus eſſe putaretur; itaque non convenire, aut ei quod præit *dicite*, aut ei quod ſequitur *confortamini*. Coniunctionem & quæ ſubiungitur, *& nolite timere*, decem noſtri, quinque Hentenii, quatuor Pariſienſium, & antiqui Epanorthotæ codices Hebræo, Græcoque conformiter tollunt; qua omiſſa, plus certe habet efficacitatis iſthæc puſillanimorum confortatio.

Quod ſubſequitur: *Ecce Deus veſter*, ac paulo poſt, *Et ſalvabit vos*, multi codices prima perſona legunt: *Ecce Deus noſter*, *& ſalvabit nos*. Utramque lectionem exponit Hieronymus, maxime quoad poſteriorem partem; ſed hanc quidem primæ, inquam, perſonæ 72. tribuit, quæ & hodie Græcorum eſt antigraphorum: *ἰδὲ ὁ θεὸς ἡμῶν ἤ σώσει ἡμᾶς*, quomodo & apud Iuſtinum legitur, dialogo cum Tryphone: illam vero *veſter*, *vos*, ipſe ex Hebræo convertit (ſic enim Hebraici, nec non Chaldaici codices habent) quam retinent antiqui Epanorthotæ libri, vetuſtiores noſtri, & inter poſteriores tractatores Haymo. Eam a ſe probatam Hentenius, & Pariſienſes in textum recepere.

C O M M E N T A R I A

MALDONATI.

Verſ. 1. L AEtabitur deserta, et invia (terra) id eſt, Eccleſia gentilium, quæ prius inculta erat, ad Evangelium converſa *Fructuum ubertate gaudebit*. Heb. ישׂשׂום מדבר וציה, *lætabuntur deſertum & invium*. Similis locus infra cap. LIV. 1.

V. 2. Gloria Libani data est ei; id eſt, Dei notitia, lex, qua Synagoga ſicut Libanus arborum pulchritudine gloriabatur, ad Eccleſiam Gentilium transfertur. Decor Carmeli et Saron, idem ſignificat, niſi quod gloria Libani videtur externam politiam ſignificare: decor autem Carmeli & Saron, gratiam & bona opera: quia laus Libani in externa arborum ſpecie ac pulchritudine, laus Carmeli & Saron, in ubertate & copia fructuum conſiſtebat, ut explicatum eſt ſupra cap. XXXIII. 9. Ipsi videbunt, id eſt ſolitudo & deſertum, gentiles: utitur genere maſculino, quia non reſpicit verba, ſed ſenſum, quaſi dicat: *Populus qui ſedebat in tenebris vidit lucem magnam*: *& ſedentibus in tenebris & umbra mortis, lux orta eſt eis*, ut ſupra cap. IX. 1. & Matth. IV. 16.

V. 3. Confortate manus; id eſt, iube-

iubete bono esse animo eos, qui pusillanimes sunt ac remissi: *Christus* enim *veniet*, *& non tardabit*: Habac. II. 3. & Heb. x. 37.

V. 4. ECCE DEUS VESTER, id est Christus: aperte enim Christum (de quo sententia etiam Iudæorum loquitur) Deum vocat. ULTIONEM ADDUCET RETRIBUTIONIS; id est, inferet ultionem, qua pro suis cuique meritis pœnam infligat: quod ad Iudæorum punitionem specialiter, generaliter vero ad supremum iudicium referri potest.

V. 5. TUNC APERIENTUR. Describit Christi miracula: itaque non sine causa Christus interrogatus a discipulis Ioannis, Matth. XI. 3. *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* ut probaret ex hoc Isaiæ loco se esse Christum, nihil aliud respondit, quam: *Euntes renunciate Ioanni quæ vidistis & audistis: Cæci vident, claudi ambulant*, &c. Sunt autem hæc non corporaliter modo, sed etiam spiritualiter intelligenda, fore ut tunc homines & libenter audiant, & facile intelligant Evangelicam veritatem: hoc enim est aures surdorum & oculos cæcorum aperiri, ut alludat ad ea quæ dixit supra cap. XXIX. vers. 10. 11. 18. Christus etiam ita loquitur, Ioan. IX. 39. *In iudicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant.*

V. 6. QUIA SCISSAE SUNT. Præt. pro fut. quia scindentur, id est aperientur fontes aquarum in deserto; id est, in incultis & lapideis gentilium animis *fient fontes aquæ vivæ salientis in vitam æternam*: Ioan. IV. 14. Usus autem est Propheta verbo scindendi, quod non videtur aquis convenire, quia de deserto loquebatur, ut indicaret ita ex durissimis gentilium animis, per gratiam Dei bona opera eliciendа, sicut scissis petris deserti educuntur aquæ. Hoc enim significat illud Psal. CXIII. 8. *Qui convertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum*: & Deut. XXXII. 13. *Ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo*. Itaque verbo scindendi insinuat nihil in nobis fuisse terræ mollis, id est nihil meriti, cum nos Christus ad Evangelium vocavit; sed animos nostros totos fuisse lapideos, atque in illis quasi in durissimis saxis scidisse Christum fontem divinæ gratiæ.

V. 7. ET QUAE ERAT ARIDA (terra; id est, gentilitas. IN CUBILIBUS; id est, loca sicca (in iis enim dracones habitare solent) fient aquosa, ut in illis nascantur arundines & iunci, quæ nasci non solent nisi in paludibus.

V. 8. ET ERIT IBI SEMITA. Semitam & viam vocat per metaphoram legem Evangelicam, quæ vere sancta est, neque pollutus esse potest qui eam servaverit. ET HAEC ERIT VOBIS DIRECTA VIA, id est facilis: Iugum enim Christi suave est, & onus eius leve. Heb. והוא למו הולך דרך, *& hæc erit ipsis ambulans per viam, & stulti non errabunt*: quod aliqui ita interpretantur, *Hæc erit ipsis* (via) *ambulans per viam, & stulti*, id est nec qui peritus est itinerum, nec imperitus errare poterunt. Alii melius, ut mihi quidem videtur, coniuncte legunt: *Et ipse illis erit ambulans via*, ut sit relativum sine antecedente, aut referatur ad illud vers. 4. *Deus ipse veniet*; quasi dicat; Ipse ille Deus erit illis, id est Catholicis (refertur enim ad שם *ibi*) viæ dux, aut præibit illis viam præmonstrans, ut errare non possint. Hoc enim est, *Ego sum via, veritas, & vita*: Ioan. XIV. 6.

V. 9. NON ERIT IBI LEO ET MALA BESTIA: פריץ, *sæva & nocens bestia*; id est, Diabolus non grassabitur in lege Evangelica, sicut ante faciebat: aut, non erunt homines crudeles ut leones, & truculenti ut feræ, sicut erant ante, quia per gratiam Christi exuent veterem hominem, & induent novum. ET AMBULABUNT, id est secure incedent; QUI LIBERATI FUERINT, id est redempti, non quod non omnes redempti fuerint, sed quod non omnes participes esse voluerint redemptionis Christi.

V. 10. CONVERTENTUR (ab idololatria) ET VENIENT IN SION, id est in Ecclesiam Catholicam, atque hanc ipsam conversionem fortasse vocavit viam paulo superius.

S A.

Vers. 1. DESERTA, scilicet gentilitas.

V. 2. GERMINABIT, scilicet opera bona. GLORIA, id est pulchritudo. LIBANI: metaphorice spiritualia significantur. DECOR,

id

id est fertilitas. LXX. *honor*. GLORIAM, &c. explicatio præcedentium. DOMINI, scilicet Christi.

V. 3. CONFORTATE, scilicet o Prophetæ, vel Apostoli. GENUA, id est crura. Not. quod Heb. XII. citatur hic locus secundum LXX. pene iisdem verbis.

V. 4. ADDUCET, scilicet impiis. RETRIBUTIONIS, scilicet retribuens eis quod merentur. DEUS IPSE. Hic aperta Christi Divinitas. IPSE, scilicet per se.

V. 6. DESERTO, id est mundo, qui antea velut desertum. AQUAE, scilicet gratiæ.

V. 7. ARIDA, scilicet gentilitas. DRACONES, id est dæmones, & vitia. VIROR, &c. quasi dicat, Virtutes.

V. 8. SEMITA, scilicet arcta via in cælum ducens. POLLUTUS, scilicet peccatis. STULTI, id est imperiti alioqui.

V. 9. LEO, &c. per hæc vitiosi homines significantur.

V. 10. SION, id est Ecclesiam. SEMPITERNA. Id in cælo.

ESTII.

Vers. 8. ET ERIT IBI SEMITA, ET VIA, ET VIA SANCTA VOCABITUR: NON TRANSIBIT PER EAM POLLUTUS: ET HAEC ERIT VOBIS DIRECTA VIA, ITA UT STULTI NON ERRENT PER EAM. Ex his verbis quidam ostendere conantur Ecclesiam ita sanctam esse, ut omnes, quotquot in ea sunt, & quotquot sunt eius membra, sancti sint, mundi, & impolluti, quia dicitur: *Non transibit per eam pollutus*. Et rursus, *Ita ut stulti non errent per eam*. Ex quo colligunt, nec pollutum, nec stultum in Ecclesia esse. Quibus respondendum est, hæc non de Ecclesia dici, sed de semita & via Ecclesiæ, quæ vocatur sancta. Via autem Ecclesiæ, doctrina eius est. Quisquis autem per hanc viam incedit; id est, quisquis doctrinam Ecclesiæ, quæ ad fidem & mores pertinet, sequitur, is mundus est & sanctus; ex quo consequitur, scilicet hominem pollutum per eam non transire, & stultum per eam non errare.

MARIANAE.

Vers. 1. LAETABITUR DESERTA ET INVIA. Post Idumææ vastationem sequitur Iudææ felicitas & tranquillitas: aut de Ecclesia agit & vocatione Gentium. Heb. *lætabuntur desertum & arida*, scilicet terra. QUASI LILIUM. Sic Chald. & Septuag. & Alii, *quasi rosa*: nam vox חבצלת *habazeleth*, id significat. Cant. II. 1. *Ego flos campi, & lilium convallium*, pro *flore* ea vox est, id est *rosa*.

V. 2. GERMINANS GERMINABIT, aut *florens florebit*: multos flores edet solitudo. LAETABUNDA ET LAUDANS. Heb. *exultabit exultatione, & laudare*; pro, & laude. GLORIA LIBANI. Gloria Libani flores & arbores sunt. DECOR CARMELI, ET SARON. Idem dixerim de Carmelo & Saron, famosis eius regionis montibus. IPSI VIDEBUNT; scilicet populus fidelium gloriam Domini, videbunt victos hostes.

V. 3. CONFORTATE MANUS, scilicet ob afflictiones priores debilitatos hac spe erigite, & confortate. Hic locus citatur ad Heb. XII. 12.

V. 4. DICITE PUSILLANIMIS. Chald. *festinis corde*. Pagn. *stultis*: nam stulti festinant. Heb. *turbatis corde*. ULTIONEM ADDUCET. Heb. *ultione*, (pro, cum ultione) *veniet*. RETRIBUTIONIS, scilicet diem. Heb. *retributionem dei*, scilicet videbitis: sic Heb. & Pagn. IPSE VENIET, non mittet alios, ut antea.

V. 5. TUNC APERIENTUR OCULI. Hoc a Christo factum est. Iudæi ad captivitatem referunt, ubi erant cæcis, mutis, & claudis similes; quibus malis liberati sunt, cum in patriam redierunt.

V. 6. ET APERTA ERIT LINGUA MUTORUM. Heb. *& laudabit lingua muti*, id est solvetur in loquelam. QUIA SCISSAE SUNT IN DESERTO AQUAE, id est proruperunt; id est, terra omnis plena erit Dei beneficiis & prodigiis.

V. 7. ORIETUR VIROR, ubi dracones ante erant. Heb. *herba*, sine *orietur*, sed bene suppletur. CALAMI ET IUNCI. Hæc non nascuntur nisi in locis humidis. Significat ergo, in locis aridis, ubi dracones tantum habitabant, fore aquarum copiam.

V. 8. ERIT IBI SEMITA ET VIA. In locis inviis & desertis erit via. VIA SAN-

CTA: quia per eam in templum ibatur, ubi nemo pollutus admittebatur. ET HAEC ERIT VOBIS DIRECTA VIA. Heb. *& hec erit illis ambulanti*; pro, ambulantibus *via*; id est, erit via regia, per quam cursores incedent. STULTI NON ERRENT. Tam plana, lata, & strata erit, ut nemo possit errare, etiam imperiti recta ibunt.

V. 9. ET MALA BESTIA: iniqui & polluti non ibunt per eam viam. Heb. *lædens* (inter) *bestias*, id est fera, *non ibit per eam*. QUI LIBERATI FUERINT. Heb. *redempti*, scilicet per Christum; aut de captivitate redeuntes ibunt per eam.

V. 10. ET VENIENT IN SION CUM LAUDE: aut *cum iubilo*. OBTINEBUNT, seu *apprehendent* gaudium: erunt læti. DOLOR ET GEMITUS. Sic Chald. Septuag. *dolor*, *& tristitia*, *& gemitus fugient*, scilicet inde. *Iaghon*, *dolorem* & *mærorem* significat.

MALVENDAE.

Vers. 1. LAETABITUR. ישושום *iesusum*. Plerique Hebræorum volunt *Men* hic esse affixum: *Gaudebunt ea*, vel *gaudebunt in eis*, vel *cum eis*. Alii notant irregulariter scriptum pro *Iesusun* cum *Nun* paragogico, ad indicandam magnitudinem & exuberantiam gaudii. Quidam reddunt: *Lætabuntur de his*, nempe, cum liberatione bonorum, cap. XXXIII. tum iudiciis in hostes Ecclesiæ, cap. XXXIV. Notant hoc capite esse conclusionem totius concionis, ut dictum est supra cap. XXXIII. 1. qua Propheta partim hyperbolicis orationibus, partim puris atque simplicibus præstantiam illius regni explicat, quod consummatur in Christo. Sunt autem hyperbolæ duorum generum: prius est de rebus creatis rationis expertibus, posterius de hominibus. Ceteris rebus creatis tribuuntur duo hyperbolice: unum est sensus cum effectis suis; alterum est sermo ad homines habitus, quatuor versibus primis: quasi dicat, Gestient quodammodo omnia, & gloriam Dei prædicabunt in Christo. DESERTA. Heb. *desertum*; id est, etiam loca quæ videntur omnium ineptissima, ut sequentibus. ET INVIA. Heb. *& siccitas*, vel *siccum*. Quidam: *& solitarius locus*. QUASI LILIUM. Alii: *tamquam rosa*. חבצלת *chabetztzeleth*, vide Canticor. II. 1.

V. 2. GERMINANS GERMINABIT. Heb. *Florendo florebit*; id est, abundantissime florebit. Alii: I. *Magis ac magis florebit*. II. *Florebit amœnissime*. ET EXULTABIT LAETABUNDA ET LAUDANS. Alii ex Heb. I. *& exultabit etiam exultatione*, *& ovando* seu *laudando*. II. *& exultabit etiam exultatione sua*, *& cantu*. III. *exultabit magis ac magis atque iubilabit*. GLORIA LIBANI DATA EST EI: id est, replebitur pulcherrimis & procerissimis cedris, aliisque præstantissimis arboribus. DECOR CARMELI. Quidam: *decor arvi*, ut supra cap. XXXIII. 9. ET SARON. Vide ibidem. IPSI VIDEBUNT, &c. Aliqui reddunt: *Ista*, nempe desertum, siccitas, & campestris, *videbunt gloriam Iehova* in Christo, *& decorem Dei nostri*, id est Christi, qui est Deus noster: *& dicent*:

V. 3. CONFORTATE MANUS DISSOLUTAS. Heb. *Obtinete*, *fortificate*, *corroborate*, *confirmate*, *valide apprehendite*, *manus remissas*, seu *languidas*. Sic versu sequente. ET GENUA DEBILIA. כושלות *choschcloth*, omnia ista complectitur: *labantia*, *nutantia*, *impingentia*, *offendentia*, *offensa*, *labentia*, *corruentia*. ROBORATE. Proprie, *surrigite*, *erigite*, *strenua facite*, *confirmate*. Quidam hunc versum ita exponunt: *Confirmate manus remissas*, *& genua labantia fortificate*; id est, alii alios docete, iubete bono animo esse, & salutaribus monitis adiuvate: metaphoræ, ut Iob IV. 3. & 4. quæ versu sequente exponuntur.

V. 4. DICITE PUSILLANIMIS. Heb. *Dicite festinis*, *acceleratis*, *præcipitibus corde*. Quidam: *inconsideratis*, id est levibus, & inconstantibus animo: vel *pusillanimis*, & qui facile terrentur & commoventur ad desperationem in tribulatione, non considerantes promissiones Dei. Vide supra cap. XXXII. 4. vel *festinis corde*, id est, quibus cor palpitat, quod meticulosorum est. ECCE DEUS VESTER, &c. Alii hoc hemistychium ita convertunt: I. *ecce Deus noster cum ultione veniet*, *cum retributione Dei*: *ipse veniet*, *& salvos faciet vos*. II. *ecce Deus vester*, *ultio advenit*, *retributio Dei*; *ipse advenit servaturus vos*; id est, cum venerit sumet pœnas de improbis, & iustis bona rependet. *Retributio Dei*, potest exponi, id est magna & copiosa, ut nomen Dei solet adiungi ad incrementum sententiæ, ut Genes. I. 2.

V. 5.

V. 5. TUNC APERIENTUR OCULI CAECORUM. Alii: *Tunc aperient se oculi caecorum*, &c. alterum genus hyperboles: quod tamen ex parte, quoties visum est, in corporibus praestabat Christus, & in animis suorum quotidie praestat. CAECORUM: ut Matth. IX. 27. & XI. 5. & XII. 22. & XX. 30. & XXI. 14. & Ioann. IX. I. ET AURES SURDORUM PATEBUNT: vel *patefient*, aut aperientur: ut Matth. XI. 5. Marci VII. 32.

V. 6. TUNC SALIET SICUT CERVUS, CLAUDUS. Vel, *tunc saliet claudus velut cervuus*: ut Matth. XI. 5. & XV. 30. & XXI. 14. Ioann. V. 3. & Actor. III. 2. & VIII. 8. & XIV. 7. ET APERTA ERIT LINGUA MUTORUM. Heb. *& laudabit*, *praedicabit*, *ovabit*, *iubilabit*, *praeconia dicet*, *cantabit*, *gratulatorie acclamabit lingua muti*. Matth. IX. 32. & XII. 22. & XV. 30. QUIA SCISSAE SUNT IN DESERTO AQUAE. Heb. *quia discissae*, *diffissae*, *dissectae sunt*, vel *disciderunt se*, *eruperunt in deserto aquae*, &c. id est, tunc terra affatim donis Spiritus Sancti perfundetur & affluet. Quidam praecedentibus iungunt, ac reddunt: *& cantabit lingua muti*, *erupisse in deserto aquas*, *& torrentes in solitudine*. Argumenta cantus fidelium, omnia instaurata & restituta esse in Christo: quod figurate hoc & sequente versu exponitur.

V. 7. ET QUAE ERAT ARIDA. Nomen substantivum שרב *scharab*, varie exponunt: *& erit adustio*, *aestus*, *torridus*, *aridus locus*, proprie ex calore solis. IN CUBILIBUS, IN QUIBUS PRIUS HABITABANT DRACONES, ORIETUR VIROR CALAMI ET IUNCI. Varie alii ex Heb. I. *in habitaculo draconum*, *in accubitu seu cubili eius*, *locus erit calamo & iunco*; id est, loca prius arida, quibus gaudent dracones, erunt humida: iunci enim & arundines humida loca amant. Sed affixum *eius* cum sit femineum, non recte aptari potest *draconi*, qui est masculum. II. *in pascuo draconum*, *cubile eius*, *foenum pro arundine & iunco*. III. *in pascuo*, *in quo cubant dracones*, *foenum pro arundine & iunco*; id est, erit foenum loco arundinis & iunci. IV. *in habitaculo draconum accubitus eius*, *atrium calamo & iunco*. Mihi difficultatem ingerit, quo referendum sit pronomen illud femineum *eius*. Fortasse ad draconem feminam, quae magis desidere videtur in cubili propter educationem catulorum: forte ad Ecclesiam per ellipsin, quae inter feras & barbaras gentes fundata est. Leo Iudas hunc versum ita exposuit: *Redigeturque torrida terra in stagnum*, *& terra siticulosa in scaturiginem aquarum*; *in eo domicilio*, *ubi dracones cubabant*, *erit herba virens calami & iunci*. Tremellius, & Iunius: *Abiisse torridum locum in stagnum*, *& siticulosum in scaturigines aquarum*: *in caula draconum*, *cubili cuiusque*; id est, in locis etiam abditissimis & incultissimis: sic accipiendum esse hunc locum Hebraicae distinctiones docent: *gramen esse cum arundine & iunco*; id est, locum qui fuerat aridissimus (qualem dracones expetunt) uliginosum effectum esse. VIROR CALAMI ET IUNCI. חציר *chatzir*, hic plerique cum Nostro pro *herba virente*, *foeno*, *gramine* accipiunt. Alii, pro *atrio*, sive *loco*, *corte*, *villa*, *praedio*, ubi crescit foenum, vel gramen, ut supra cap. XXXIV. 13. nam foeni vel graminis, aut herbae significatio non ita huic loco quadrare videtur.

V. 8. ET ERIT IBI: scilicet, in Ecclesia. Observant, esse secundam partem conclusionis, qua cum Ecclesiae accessus, duobus versibus; tum fructus, versu ultimo exponuntur: sumpta allegoria a constitutione priscae illius Ecclesiae quae erat Tzione. SEMITA ET VIA. Heb. *strata publica*, *regia*, ut supra cap. XI. 16. *& via*. Hispanice, *calcada y camino*. Quidam: *agger & via*, id est aggesta & excelsa via: hypallage, sive potius figura endiadis, ut grammatici vocant, qua saepe Virgilius utitur. NON TRANSIBIT PER EAM POLLUTUS: id est, infidelis, aut sceleratus ullus. ET HAEC ERIT VOBIS DIRECTA VIA, &c. Alii ex Heb. I. *& ea erit illis*, *qui ambulant per vias*, *& stulti non errabunt*; quasi dicat: Tam certa erit via, quae per Christum ad Deum ducet, ut etiam viarum imperiti errare non possint. Periti itinerum & imperiti eam viam ingressi, non errabunt. II. *& ipse cum eis incedens in via*, *ut stulti non possint errare*; quasi dicat, Praeibit suis. III. *& haec erit ipsis*: *tam assuetus ambulare per viam*, *quam stultus non errabunt in ea*. IV. *& haec erit ipsis*: *ambulans per viam*, *& stulti non errabunt in ea*. V. *sed erit istorum*: nimirum, quorum oculi & aures apertae, crura correcta, & linguae explicatae fuerint beneficio Christi, ad praedicandum Deum; id est, quos ille vindicaverit

verit atque redemerit, ut sequentia docent: *Viator*, *nec stulti quidem poterunt deerrare*. Hispanicus Interpres: *y aura para ellos en el*, scilicet camino, *quien vaya camino, de tal manera que los insensatos no Yerren*; id est, *siempre aura compannia*, *sera camino muy cursado*.

V. 9. NON ERIT IBI LEO: id est, inimicus ullus Dei aut Ecclesiæ damnosus. ET MALA BESTIA. Varie alii ex Heb. I. *& lædens inter bestias*. II. *& violenta ferarum*, seu *& violenta*, seu *sæva ulla fera*. III. *& effractor ferarum*. IV. *neque irruptio ferarum*. Proprie: *& ruptor*, *irruptor violentus*, *latro ferarum*; id est, quæquæ ex violentissimis feris. ET AMBULABUNT QUI LIBERATI FUERINT. Heb. *& ambulabunt redempti*. Alii: I. *incedent autem per eam redempti*. II. *Sed redempti in ea proficiscentur*. III. *sed ambulabunt ea vindicati*, seu *asserti*.

V. 10. ET REDEMPTI A DOMINO CONVERTENTUR. Heb. potest esse Pahul, *& redempti*, *liberati Iehovæ*; & potest esse nomen substantivum, *& redemptiones*, id est redempti, *Iehovæ*, quod abstractum maiorem vim habet, *revertentur*. ET VENIENT IN SION. Alii: *pervenientque Tzijonem*; id est, recipientur in Ecclesiam, & ingredientur in ea. CUM LAUDE. ברנה *berinnah*, *in ovatione*, *iubilo*, *præconio*. Quidam: *cum cantu*, seu *acclamatione gratulatoria*, ut solebant qui festis anniversariis proficiscebantur Ierusch alaima, ut annotavimus supra cap. XXX. 29. ET LAETITIA SEMPITERNA SUPER CAPUT EORUM. Alii: *& lætitia perpetua super caput suum*, ac proinde illam priscæ Ecclesiæ lætitiam, quæ tantum temporaria fuit, modis omnibus superante super caput suum; id est, quæ totos perfundat, ac etiam super caput exuberet: vel, quæ eos ceu diadema & coronamentum exornet. ET FUGIET DOLOR ET GEMITUS. Heb. *fugientque mœror & gemitus*; id est, & quidem constantissimum assequentur gaudium, nulloque pacto mutabile. Vide hunc eumdem versum infra cap. LI. 11.

MENOCHII.

Vers. 1. LAETABITUR, &c. scilicet tempore Christi, ad quem de more transit. DESERTA ET INVIA. In Hebræo est, *desertum & solitudo*. Gentilitatem intelligit, hactenus a Deo desertam, iustitia vera, religione, & cultu Dei carentem. FLOREBIT QUASI LILIUM: cuius murus est decor, & odoris fragrantia. GERMINANS GERMINABIT: producet enim Ecclesia novas, & copiosas frondes, flores, & fructus, tum novorum fidelium, tum novarum virtutum. LAUDANS: scilicet Deum, per quem tam multa bona consecuta est. GLORIA LIBANI DATA EST EI; id est, omnia ornamenta, opus, & deliciæ sacræ, & spirituales Synagogæ, & Iudæorum, transferentur ad Ecclesiam: licet mons Libanus a Gentibus occuparetur, pertinebat tamen ad Hebræos, ut patet Iosue XIII. 6. DECOR CARMELI: Carmelus mons Iudææ fertilissimus: idem est *decor Carmeli*, ac *Carmelus decorus*. LXX. *Gloria Libani data est ei*, *& honor Carmeli*, quem sensum Heb. efficere noscunt, & Vulgata etiam nostra editio, interpunctione mutata. SARON: ager eiusdem Iudææ amœnissimus, & uberrimus. IPSI VIDEBUNT GLORIAM DOMINI, &c. Christum, eiusque prædicationem, & miracula.

V. 3. CONFORTATE: o Apostoli, & Evangelii præcones. MANUS DISSOLUTAS: gentium abiectarum, inertium, & timidarum, & eas excitate ad studium fidei, salutis, & bonorum operum. GENUA DEBILIA ROBORATE: eiusdem rei repetitio, phrasi mutata.

V. 4. NOLITE TIMERE: desperantes de vestra salute. ULTIONEM ADDUCET RETRIBUTIONIS: diabolo, qui vos sub iugum miserat, & oppressos tenebat, par pari retribuendo, eique severe & rigide dominando per seipsum, & per fideles suos, quibus in illum dedit potestatem. DEUS IPSE VENIET: humanam carnem assumens.

V. 5. APERIENTUR OCULI COECORUM: multis visum corporis, pluribus mentis tribuens.

V. 6. SALIET CLAUDUS; id est, Gentiles claudicantes, dubio scilicet, & vacillanti gressu aberrantes a via virtutis, per Christum roborati, & directi recta incedent, immo salient per eam in cælum. APERTA ERIT LINGUA MUTORUM: divinitus edocti, loqui magnalia Dei. QUIA SCISSAE SUNT IN DESERTO AQUAE: quia desertum gentilitatis rigarunt aquæ cælestium gratiarum, SCISSAE SUNT: eruperunt. LXX. ἐῤῥάγη ὕδωρ, *erupit aqua*.

V. 7.

V. 7. Erit in stagnum: erit quasi stagnum, id est aquis abundabit. In cubilibus, &c. id est, in locis prius desertis, quæ facta erant cubilia draconum: vide superiori cap. num. 13. Viror calami et iunci. Viror gratiæ, & virtutum; meminit calami & iunci, ad ubertatem gratiæ designandam; nam calamus, & iuncus in iis tantum locis proveniunt, in quibus est aquæ & humoris copia.

V. 8. Et erit ibi semita et via; quasi dicat: Non quia ibi futurum dixi calamum, & iuncum, propterea palustrem locum, & invium futurum quis existimet. Semita: arcta, & angusta via, quæ ducit ad cælum. Via sancta vocabitur: quia per sanctitatem morum, & vitæ ducet ad sanctum locum; hoc est, ad cælum. Non transibit per eam pollutus. Per pollutum intelligit infidelem, qui infidelitatis labe iniquinatus est, nec pertinet ad Ecclesiam. Ut stulti non errent per eam: nam etiam simplices, & imperiti facile addiscere poterunt quæ ad salutem sunt necessaria.

V. 9. Mala bestia non ascendet per eam: nam dæmones, & eorum insidias amolietur Christus a sua Ecclesia, vel certe ita coercebit, ut a volentibus facile superari possint. Et ambulabunt qui liberati fuerint: hanc insistent semitam, qui ab erroribus & dæmonis servitute liberati fuerint.

V. 10. Redempti a Domino: a pristino cultu, & impietate ad Christum traducti. Venient in Sion: in Ecclesiam supernam, & triumphantem. Cum laude: Deum celebrantes, a quo redempti sunt. Super caput eorum: super ipsos, nam *caput* pro toto homine ponitur, pars pro toto per synecdochen.

TIRINI.

Vers. 1. LAetabitur tempore Christi gentilitas hactenus deserta a Deo, a salute, a iustitia, a religione & cultu Dei: & instar *lilii* florebit miro vitæ & puritatis nitore.

V. 2. Gloria Libani, *a* ex quo cedri, pini, thus: decor Carmeli et Saron: unde segetes, uvæ, olivæ & alii fructus uberrimi, quibus olim gaudebat Iudæa; id est, omnia ornamenta Synagogæ, omnes opes & delitiæ non solum corporales, sed & spiritualles Iudæorum, transferentur ad Ecclesiam Gentilium: ita S. Hieronymus, Cyrillus, Eusebius, Hilarius, Nazianzenus *b* & Theodoretus. Ipsi videbunt, antea cæci, in tenebris & in umbra mortis iacentes, iam oculos aperient, & aspicient lumine fidei, gloriam Domini, id est splendorem, pulchritudinem, amœnitatem, felicitatem a Deo submissam: Iudæis e contrario excæcatis, & in tenebras palpabiles delapsis: ita iidem Patres. Ex his verbis Isaiæ, Faber Stabulensis & Franc. Lucas *c* putant probabiliter colligi, transfigurationem Christi contigisse in monte Libano: de quo Matth. xvii.

V. 4. & 5. Ecce Deus vester, non minus quam Iudæorum, ultionem adducet retributionis, qua par pari retribuet hostibus omnibus vestris, sed maxime diabolo: sicut enim ipse severe ac rigide vobis dominatus fuit, ita tunc ipsimet severe ac rigide dominabitur Christus & Christiani. Dixi, *Deus vester*: neque enim Moyses quispiam, vel Iosue, vel similis iudex, liberandis & salvandis vobis adhibebitur, sed *ipse Deus* in persona propria veniet, et salvabit vos, nempe *Emanuel*, Messias, Christus, ipse *aperiet oculos* caecorum, et aures surdorum *d*, &c. ita S. Athanasius, Hilarius, Iustinus, Prosper & alii Patres: qui docent, huc respexisse Christum, cum roganti Ioanni, *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* pro indubitato signo quo se Messiam esse designet, responderi iussit: *Cæci vident, claudi ambulant*, &c. Matth. xi. 3.

V. 6. Quia per Christum scissae sunt in deserto aquae; id est, inter Gentiles eruperunt & sparserunt se aquæ spirituales & cælestes, nempe charismata Spiritus sancti.

V. 7. Et sitiens, seu arida Gentilium terra, erit in fontes id est scatebit fontibus, aquarum (id est gratiarum) salientium in vitam æternam: ita sanctus Cyrillus & Theodoretus.

V. 8. Ibi, id est in deserto prius inaccesso & invio, *erit* aperta, facilis & secura semita, fidei nempe, pœnitentiæ & caritatis, arcta quidem & carni molesta, sed recta & spiritui iucunda: quæ via sancta vocabitur, quia deducit ad veram sanctitatem, & ad Sanctum sanctorum,

rum, ad cælum, ad Deum. NON TRANSIBIT PER EAM POLLUTUS quispiam, seu immundus. Sicut enim aditu templi Ierosolymitani arcebantur polluti & immundi: ita etiam aditu cæli & sanctitatis arcentur omnes peccatores quamdiu peccatores.

V. 9. MALA BESTIA, lamia, pilosus, onocentaurus, dæmonia, & alia pusillorum territamenta, NON *ascendent* PER EAM Deo machinationes omnes hostiles, omnes insidias & insultus, & quæcumque nocere possint, procul arcente & amoliente, nec nisi cum prodesse possunt permittente: ita S. Hieronymus, Cyrillus & Theodoretus. ET AMBULABUNT, in ea, & per eam, libere progredientes & proficientes, sine remora, sine offendiculo, non perfidi & obstinati Iudæi, sed qui per Christum LIBERATI *&* *redempti fuerint* a iugo dæmonis, peccati & legis Mosaicæ. Hi enim

V. 10. CONVERTENTUR a cultu idolorum & impietate ad cultum veri Dei & Christi, & per viam fidei ac religionis iam dictam, VENIENT IN SION; id est, in Ecclesiam Dei tum militantem, tum triumphantem, eo ritu & modo, quo solet sponsa a sponso deduci in regiam Sion, cum geniali plausu, cum nuptiali corona, cum gaudio & tripudio, dolore, gemitu, metu procul relegato: ita Sanchez. Et similia habes Tobiæ XIII. 21. sed fusius Esdræ IV. cap. II. 34.

(a) Isaiæ x. 34.
(b) Euseb. Lib. VI. Demonst. cap. XXI. Hilar. in Psal. lxv. Naz. orat. 1. in Iulianum.
(c) Faber. Stabul. in cap. VII. Marci. Franc. Luc. in Matth. XVII. 1.
(d) Isaiæ XXIX. 18.

GORDONI.

Vers. 1. LAETABITUR DESERTA, &c. 2. *&* 4. Deserta gentilitatem designat; & ex vers. 2. gloria Synagogæ ac Libani & Carmeli transibit ad Ecclesiam Christi, & tunc DEUS IPSE VENIET (vers. 4.) ET SALVABIT NOS. Saron ager in Iudæa amœnissimus.

V. 5. TUNC APERIENTUR OCULI CAECORUM, &c. Hæc omnia iuxta citatos iam Patres probe explicant Ecclesiæ Christianæ progressum, miracula & gloriam, & præclaris metaphoris indicant effectus gratiæ circa iustificationem, merita, & perseverantiæ donum: vers. *6.* SCISSAE SUNT AQUAE: sparsæ, copiosæ ad ubertatem spiritualem.

V. 10. ET REDEMPTI A DOMINO, &c. En demum subsequentem ad priora beatorum gloriam.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 1. Hactenus a Deo quasi deserta gentilitas. Sequetur tandem Messiam, & gloria Synagogæ (Libani, inquit, & Carmeli) transferetur ad Ecclesiam. Sane Iosue cap. VI. Iudæorum esse debuit, & Synagogæ, licet occuparetur a gentibus. Adde Carmelum & Saron fuisse Iudæorum loca fertilissima.

Vers. 8. *&* 10. Statum Ecclesiæ describit. Polluti infideles ad eam non pertinebunt: malos corriget domus hæc; & sanctitatem colet in vera doctrina.

CA-

CAPUT XXXVI.

Sennacherib captis civitatibus Iudæ munitis, mittit Rabsacen ad capiendam Ierusalem, qui variis in Ezechiam iactatis convitiis, & blasphemiis in Deum, Ierosolymitas ad deditionem exhortatur.

1. ET factum est in quartodecimo anno regis Ezechiæ, ascen-
dit Sennacherib rex Assyriorum super omnes civitates Iu-
da munitas, & cepit eas. 2. Et misit rex Assyriorum Ra-
bsacen de Lachis in Ierusalem, ad regem Ezechiam in ma-
nu gravi, & stetit in aquæductu piscinæ superioris in via
Agri fullonis. 3. Et egressus est ad eum Eliacim filius
Helciæ, qui erat super domum, & Sobna scriba, & Ioahe
filius Asaph a commentariis. 4. Et dixit ad eos Rabsaces: Dicite Ezechiæ:
Hæc dicit rex magnus, rex Assyriorum: Quæ est ista fiducia, qua confidis?
5. aut quo consilio vel fortitudine rebellare disponis? super quem habes fidu-
ciam, quia recessisti a me? 6. Ecce confidis super baculum arundineum con-
fractum istum, super AEgyptum: cui si innixus fuerit homo, intrabit in ma-
num eius, & perforabit eam: sic Pharao rex AEgypti omnibus, qui confi-
dunt in eo. 7. Quod si responderis mihi: In Domino Deo nostro confidimus:
nonne ipse est, cuius abstulit Ezechias excelsa & altaria, & dixit Iudæ & Ie-
rusalem: Coram altari isto adorabitis? 8 Et nunc trade te domino meo regi
Assyriorum, & dabo tibi duo millia equorum, nec poteris ex te præbere as-
censores eorum. 9. Et quomodo sustinebis faciem iudicis unius loci ex servis do-
mini mei minoribus? Quod si confidis in AEgypto, in quadrigis, & in equi-
tibus: 10. & nunc numquid sine Domino ascendi ad terram istam, ut disper-
derem eam? Dominus dixit ad me: Adscende super terram istam, & disperde
eam. 11. Et dixit Eliacim, & Sobna, & Ioahe ad Rabsacen: Loquere ad ser-
vos tuos Syra lingua: intelligimus enim: ne loquaris ad nos Iudaice in auribus
populi, qui est super murum. 12. Et dixit ad eos Rabsaces: Numquid ad do-
minum tuum & ad te misit me dominus meus, ut loquerer omnia verba ista;
& non potius ad viros, qui sedent in muro, ut comedant stercora sua, & bi-
bant urinam pedum suorum vobiscum? 13. Et stetit Rabsaces, & clamavit vo-
ce magna Iudaice, & dixit: Audite verba regis magni, regis Assyriorum. 14.
Hæc dicit rex: Non seducat vos Ezechias, quia non poterit eruere vos. 15.
Et non vobis tribuat fiduciam Ezechias super Domino, dicens: Eruens libe-
rabit nos Dominus, non dabitur civitas ista in manu regis Assyriorum. 16.
Nolite audire Ezechiam: hæc enim dicit rex Assyriorum: Facite mecum be-
nedictionem, & egredimini ad me, & comedite unusquisque vineam suam, &
unusquisque ficum suam: & bibite unusquisque aquam cisternæ suæ, 17. do-
nec veniam, & tollam vos ad terram, quæ est ut terra vestra, terram fru-
menti & vini, terram panum & vinearum. 18. Nec conturbet vos Ezechias,
dicens: Dominus liberabit nos. Numquid liberaverunt dii gentium unusquisque

terram suam de manu regis Assyriorum? 19. Ubi est deus Emath, & Arphad? ubi est deus Sepharvaim? numquid liberaverunt Samariam de manu mea? 20. Quis est ex omnibus diis terrarum istarum, qui eruerit terram suam de manu mea, ut eruat Dominus Ierusalem de manu mea? 21. Et siluerunt, & non responderunt ei verbum. Mandaverat enim rex, dicens: Ne respondeatis ei. 22. Et ingressus est Eliacim filius Helciæ, qui erat super domum, & Sobna scriba, & Ioahe filius Asaph a commentariis, ad Ezechiam scissis vestibus, & nuntiaverunt ei verba Rabsacis.

(a) IV. Reg. XVIII. cap. 13. II. Par. XXXII. 1.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

Vers. 21. *Mandaverat enim rex*. Non addas pronomen *eis*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. ET FACTUM EST. Particula *&*, hanc vim habet, Sicut prædixeram, ita evenit. Historia est facilis ex IV. Reg. XVIII. 13. & II. Paral. XXXII. 1.

V. 2. ET MISIT REX ASSYRIORUM: quasi misso alio fidem non violaret, si ipse non iret: promiserat enim se recessurum, acceptis ab Ezechia trecentis argenti talentis, & triginta auri: IV. Reg. XVIII. 14. Ioseph. Lib. X. Antiq. cap. 1. propterea misisse Rapsacen, quia ipse in AEgyptum contendit ut Pelusium oppugnaret: sed II. Paral. XXXII. 9. dicitur mansisse Lachis cum universo exercitu. Rapsacen Hebræi putant filium fuisse Isaiæ, qui a lege defecisset; alii Samaritanum, propterea Hebraice scivisse, ut hoc loco Hieron. annotavit. DE LACHIS. Ea civitas est tribus Iudæ, quam restauravit Roboam: II. Paral. XI. 9. IN MANU GRAVI. Heb. בחיל כבד, *cum exercitu gravi*, id est magno, forti. ET STETIT IN AQUAEDUCTU PISCINAE: de hac piscina supra diximus. cap VII. 3.

V. 3. QUI ERAT SUPER DOMUM, id est præfectus regiæ. ET SOBNA SCRIBA, id est qui scribendis sacris libris præerat, eosque interpretabatur: Grammaticus, antiquo more, Γραμματεὺς. A COMMENTARIIS, id est a secretis, qui res gestas scribebat, & agendas in memoriam regi revocabat. Sicut legimus Christianos Imperatores magistros (ut vocabant) sacræ memoriæ habuisse.

V. 4. QUAE EST ISTA FIDUCIA; id est, qua in te confidis?

V. 5. AUT QUO CONSILIO. Ante hæc verba desunt quædam, quæ Heb. leguntur, אמרתי אך דבר שפתים *dixi: certe verbum labiorum:* quæ subiectio est præteritæ responsionis; quasi dicat: Fortasse dixisti, id est cogitasti apud apud te. *Verbum labiorum* (sub. est in quo confido) id est, preces ad Deum, aut eloquentia in militibus cohortandis, deinde *consilium & fortitudo ad bellum*, id est in rebus bellicis. Hæc duo postrema verba noster Interpres sic vertit: AUT QUO CONSILIO, VEL FORTITUDINE REBELLARE DISPONIS?

V. 6. INTRABIT IN MANUM EIUS. Pulchra metaphora, qua significat fore ut AEgyptii, in quibus putabat Ezechiam sperare, perniciem illi afferrent.

V. 7. CUIUS ABSTULIT EZECHIAS, id est tu ipse: loquitur de secunda persona per tertiam, ut sæpe fit; quasi dicat: Non potes confidere in Deo tuo, quia infensus tibi est, eo quod eius altaria subverteris. Non subverterat Ezechias altaria Dei, sed idolorum: IV. Reg. XVIII. 4. sed homo impius putat ea altaria Deo dicata fuisse, ideo-

ideoque summam religionem summam impietatem interpretatur. CORAM ALTARI ISTO, id est in solo templo Salomonis.

V. 8. ET NUNC TRADE TE: התערב, quod alii vertunt, *fideiube*: id est, da obsides domino meo, satis da solvendi tributi. Alii, *trade te in fidem domini mei:* alii, *paciscere cum domino meo*. ET DABO TIBI: ו *&*, hoc loco causalis est, & tota locutio conditionalis; quasi dicat: Quia etiamsi dem tibi duo millia equorum, non habebis homines, qui possint in eos ascendere, adeo es imparatus ab hominibus.

V. 9. ET QUOMODO SUSTINEBIS FACIEM; id est, quomodo resistes non dico Regi Assyriorum, sed uni tantum ex iudicibus, id est ex præfectis civitatum. Heb. איך תשיב, *quomodo vertere facies faciem*; id est, quomodo timebit te vel unus פחת *dux*. QUOD SI CONFIDIS: propriis auxiliis Ezechiæ opponit vires regis, quæ longe maiores. Auxilio autem ÆEgyptiorum opponit auxilium Dei, cuius iussu dicit se vers. sequenti in bellum venisse. Hebræi aliter legunt, ותבטח, *& tamen confidis in ÆEgypto*.

V. 10. NUMQUID SINE DOMINO ASCENDI AD TERRAM ISTAM, id est sine voluntate Domini. Dominum vocat homo profanus verum Deum, non quod Dominum esse credat; sed loquens cum Iudæis, accommodate ad eorum opinionem loquitur. DOMINUS DIXIT AD ME. Mentitur verum quodammodo dicens: nam vere Deus illi dixerat, id est permiserat eum venire, sicut præcepit Semei, ut malediceret Davidi: II. Reg. XVI. 10. sed quia id Rapsaces non credebat, mentitur.

V. 12. UT COMEDANT; id est, ut audiant se in eas angustias redigendos, ut præ fame stercora sua comedant, & urinam bibant. Aliqui Hebræi legunt honestiore verbo צאתם, *excrementa sua*. *Et* מימי רגליהם *aquas pedum suorum*, qua periphrasi nominare solent urinam, quod ad pedes eiiciatur. VOBISCUM; id est, in obsidione, si intra civitatem vobiscum manserint, ut Chaldæus interpretatur.

V. 15. NON VOBIS TRIBUAT EZECHIAS FIDUCIAM SUPER DOMINO; id est, ne persuadeat vobis, ut in Domino confidatis.

V. 16. FACITE MECUM BENEDICTIONEM; id est, facite mihi hanc rem gratam, præstate hoc mihi, ut ad me egredi a mi ni, id est vos mihi dedatis: vel, facite mecum quod vobis in benedictionem cedat, quod vobis utile erit: IV. Reg. XVIII. 31. ET COMEDITE; pro, comederis (Imperat. pro fut.) sicut quod sequitur, ET BIBITE, id est bibetis; quasi dicat: Relinquam vobis omnia vestra bona.

V. 17. DONEC VENIAM. Præparat eorum animos ad exilium; significans non esse futurum eis grave, sed perinde atque si in patria sua versarentur. Hanc vim habent omnia verba: & quod dicit se venturum, quasi esset eos honoris causa comitaturus: & quod ait se eos sublaturum, quasi sui eos humeris transmissurus esset: & quod dicit ducturum in regionem fertilem & eorum regioni similem.

V. 18. NE CONTURBET, id est ne seducat vos: פן יסית. UNUSQUISQUE TERRAM SUAM; id est, eam terram in qua colebatur. Videbatur ante Rapsaces aliquid Deo tribuere, cum dixit vers. 10. se a Deo missum: nunc impietatem suam penitus prodit, comparans Deum cum idolis, & indicans se potentiorem esse illo.

V. 19. UBI EST DEUS EMATH; quasi dicat, A me victus est. Hemath urbs est Syriæ, aut integra regio ab antiqua urbe dicta, ut colligitur ex IV. Reg. XIV. 25. & XXIII. 33. & I. Paral. XVIII. 3. 9. ET ARPHAD. Arphad insula est in Phœnicia non longe a Damasco, Plin. Lib. V. cap. XXXV. & Mela Lib. I. IV. Reg. XVIII. 34. & Ier. XLIX. 23. SEPHARUAIM etiam civitas est Assyriorum. NUMQUID LIBERAVERUNT SAMARIAM? Hinc videtur posse colligi, ea loca quæ ante nominavit, in Samaria esse.

V. 22. SCISSIS VESTIBUS: Hebræorum more, qui in rebus luctuosis vestes manibus scindebant. Iosue VII. 6. II. Reg. I. 11. & XIII. 31. Matth. XXVI. 65.

S A.

Vers. 2. LACHIS. Urbis est nomen, quam obsederat. MANU GRAVI. Chald. *exercitu multo*. AGRI FULLONIS. Chald. *ubi fullones extendunt pannos*.

V. 3. SUPER DOMUM. LXX. *œconomus:* de hoc vide supra cap. XXII. Quidam domum Dei intelligunt; erat enim summus Pontifex. SCRIBA; id est doctor, seu Le-

gisperitus. A COMMENTARIIS, id est historiographus. Chald. *qui erat super memorialia*, id est histotias. Quidam Cancellarium interpretantur.

V. 5. RECESSISTI, scilicet negando tributa.

V. 6. SUPER AEGYPTUM; pro, nempe super AEgyptum.

V. 7. CUIUS ABSTULIT, &c. Male interpretatur quod ille pie fecerat: everterat ille idolorum altaria, & ea quæ extra templum, ut in hoc solum sacrificaretur iuxta Dei præceptum. Vide IV. Reg. XVIII.

V. 8. ET DABO; pro, si enim dedero tibi.

V. 10. DOMINO, id est Dei voluntate. Not. quod infideles Deum Iudæorum vocabant *Iehova*, id est *Dominum*, scilicet utebantur eodem nomine quo Iudæi, sicut & Iudæi illorum Deos vocabant nominibus, quibus & ipsi, ut *Baal*, quod *Dominum* significat.

V. 12. URINAM PEDUM. Heb. *aquam pedum*, id est urinam: sic enim appellant modeste, quod ad pedes fluat. LXX. *urinam suam*.

V. 16. BENEDICTIONEM. Chald. *pacem*.

V. 17. PANUM. Chald. *agrorum*. Not. hic differentiam historiæ & prophetiæ: cum enim hæc sit obscurissima, illa tota aperta; quanta enim facilitas huius capitis?

E S T I I.

Vers. 4. ET DIXIT AD EOS RABSACES. Ac tandem vers. 7. QUOD SI RESPONDERIS MIHI: IN DOMINO DEO NOSTRO CONFIDIMUS: NONNE IPSE EST, CUIUS ABSTULIT EZECHIAS EXCELSA ET ALTARIA? Suadere vult Rabsaces, ne confidant in Deo suo, propterea quod ipsum etiam graviter offendisset Ezechias. Sed quod Rabsaces putabat contra Dei honorem ab Ezechia factum, id ab eo factum erat ex Dei voluntate, & secundum legem. Abstulerat enim Ezechias excelsa, & altaria, partim idolorum, quibus nullo modo sacrificare licebat; partim veri Dei non suis locis constituta. Non enim licebat sacrificare Deo vero, eo tempore, nisi uno loco ab ipso designato; videlicet in templo Ierusalem. Et hoc ipsum est, quod imperitus harum rerum Rabsaces etiam adiecit: *Nonne ipse est cuius abstulit Ezechias excelsa, & altaria*: ET DIXIT IUDAE ET IERUSALEM: CORAM ALTARI ISTO ADORABITIS? Intelligitur autem adoratio per sacrificium: nam simpliciter adorare licebat extra Ierusalem, etiam extra templum, sicut Daniel fecit in captivitate positus, sed sacrificium offerre alibi non licebat.

V. 17. DONEC VENIAM, ET TOLLAM VOS AD TERRAM, QUAE EST UT TERRA VESTRA; id est, similis terræ vestræ, ut est IV. Regum XVIII. Ubi observa, quod barbarus iste quantumvis grandis, & magnificus in promissis, non tamen audet dicere, terram quam promittit, meliorem esse terra Israelitica; sed tantum dicit illi similem esse, tametsi & hoc fraudulenter dicat. Facit autem hoc etiam ad commendationem fertilitatis, & felicitatis terræ promissionis, seu Palestinæ, qualis quidem tunc fuit.

M A R I A N AE.

Vers. 1. ET FACTUM EST IN QUARTODECIMO. Proximis capitibus repetitur totidem fere verbis, quod narratur IV. Reg. cap. XVIII. XIX. & XX. Quare præter ea quæ ibi sunt dicta, pauca hoc loco adiungemus.

V. 2. IN MANU GRAVI. Sic Heb. id est, cum manu valida Assyrius Sennacherib misit Rabsacem. Quod Chald. dixit, *cum exercitu multo*; non solum misit, aut cum paucis. ET STETIT IN AQUAEDUCTU; pro *iuxta aquæductum*, ut Noster posuit in libris Regum.

V. 3. EGRESSUS EST AD EUM ELIACIM.... QUI ERAT SUPER DOMUM. Septuag. *magister aulæ*. Ego per *domum* templum intelligo; erat enim Eliacim Pontifex. ET SOBNA SCRIBA, id est Legisperitus. A COMMENTARIIS, id est a secretis.

V. 5. AUT QUO CONSILIO VEL FORTITUDINE REBELLARE DISPONIS? SUPER QUEM HABES FIDUCIAM, QUIA RECESSISTI A ME? In Libris Regum sic: *Forsitan inisti consilium, ut præpares te ad prælium, in quo confidis, ut audeas rebellare?* Heb. *Dixisti tantum verbo labiorum, consilium & fortitudo ad bellum* (scilicet mihi est) *nunc in quo confidis, quoniam rebellasti in me?* Verba Rabsacis.

V. 8. ET NUNC TRADE TE. Heb. *&*

nunc

nunc pignore posito contende: duobus equorum millibus an ascensores dabis? NEC POTERIS EX TE PRAEBERE. Heb. *si poteris dare tibi* (id est ex te) *ascensores eorum*. Si, pro; *non* Quod si hoc facere non poteris;

V. 9. ET QUOMODO SUSTINEBIS? Heb. *quomodo convertes*, scilicet in fugam. FACIEM IUDICIS UNIUS LOCI. In Libris Regum: *Quomodo poteritis resistere ante unum satrapam de servis domini mei?* פחת *pahath* proprie *ducem* significat: Noster hic *iudicem* posuit, in Lib. Reg. *satrapam*.

V. 10. NUMQUID SINE DOMINO ASCENDI? nomen Dei ineffabile est hic.

V. 11. LOQUERE AD SERVOS TUOS SYRA LINGUA: INTELLIGIMUS ENIM. Heb. *audimus*; sed *audire*, pro *intelligere*.

V. 12. BIBANT URINAM PEDUM. Heb. *aquam pedum*, quod ad pedes cadat: eam bibant in obsidione.

V. 16. FACITE MECUM BENEDICTIONEM, id est fœdus & pacem. ET BIBITE UNUSQUISQUE AQUAM CISTERNAE SUAE. Quidam vertunt, *putei sui*; quod scilicet in agro & in hortis puteos habebant, de quorum aqua obsessi bibere non poterant. Facto fœdere bibetis; sed vox *bor*, quæ hie est, *cisternam* potius significat, non *puteum*.

V. 17. TERRAM PANUM. Heb. *panis*. id est frumentariam: eo ducam vos.

V. 18. NEC CONTURBET VOS EZECHIAS. Chald. & Septuag. *seducat*; alii, *persuadeat*.

MALVENDAE.

Verſ. 1. ET FACTUM EST IN QUARTODECIMO ANNO, &c. Notant, hoc caput, & tria sequentia in hunc locum inserta esse ex II. Libro Regum, non tantum ad lucem superioribus prophetiis inferendam, ut a Iesaia conscripta sunt; verum quia commode ad proxime præcedentis prophetiæ interpretationem pertinent. Nam hac historia gesta, & mirifica liberatione accepta divinitus, occasio Prophetæ data est prophetandi de regno Christi, & ex gloria Ezechiæ ac totius regni, amplificandi gloriam Christi & Ecclesiæ, quæ tribus præcedentibus capitibus fuit explicata. Sunt autem omnino eodem argumento, & prope eisdem verbis cum his quæ II. Reg. sunt descripta: unde Commentaria accipienda sunt.

V. 5. AUT QUO CONSILIO VEL FORTITUDINE REBELLARE DISPONIS? Hoc hemistychium nos ex Heb. verbatim reddidimus: (*Dixi*, *verumtamen verbum labiorum*, *consilium & prævalescentia cæsioni*.) Alii: I. *Dixi*, *fortassis verbum labiorum*, *consilium & fortitudo ad bellum?* quasi dicat dux: Ego apud me dicebam, essent ne verba, quæ ore exeunt, & in aera evanescunt, consilium, & fortitudo ad bellum gerendum: (his enim duobus optime bellum geritur) quod si verba sunt fortitudo & consilium, bene res vestræ habent, nam non vobis desunt: dicitis enim magnifica verba, quod Iehova liberabit vos, quod AEgyptus aderit vobis, &c. at si nihil minus est consilium & fortitudo quam verba, vosque nihil aliud quam verba habetis; quæ est vestra fiducia? II. *Puto sane verbum labiorum est fiducia tua: sed consilium & robur necessarium est*. Ita, inquit, existimo apud me, te collocare fiduciam in oratione; sed falleris: nam ad bellum consilio & viribus opus est, non oratione. *Verbum labiorum* precationem vocat, quod oratio fiat motu labiorum. III. *Dixero* (*verumtamen verba futilia*) *adesse consilium & fortitudinem ad bellum*. Concessio ironica; quasi dicat: Ut de te virum esse valentem consilio & fortitudine, certum est tamen te unum nihil præstare contra regem tam potentem posse. Hinc conficitur altera pars orationis: Cui ergo confidis? an AEgyptio? an Deo? sequentibus.

MENOCHII.

Verſ. 1. ET FACTUM EST, &c. Quæ hic habentur, explicata sunt supra IV. Reg. cap. XVIII. a num. 14. & deinceps.

V. 16. FACITE MECUM BENEDICTIONEM. Loco citato Lib. IV. Regum num. 31. habetur: *Facite mecum quod vobis est utile*. Subiieite vos mihi, ut vobis inde accidat benedictio, id est beneficentia mea.

TIRINI.

Verſ. 2. IN MANU GRAVI. Enallage qualitatis pro quantitate, id eſt cum multo comitatu & numeroſo exercitu. De AQUAEDUCTU, cuius hic fit mentio, aliquid dixi II. Paral. XXXII. 3. & IV. Reg. XVIII. 7. ubi etiam de *Eliacim* qui erat *præpoſitus domus*, de *Ioahe a commentariis*, &c. v. 18.

V. 9. ET QUOMODO deſtitutus equitatu (rarus enim erat illius uſus apud Iudæos iuxta præceptum Domini Deuter. XVII. 16. SUSTINEBIS FACIEM, præſentiam, congreſſum & inſultum, IUDICIS UNIUS LOCI, id eſt ſatrapæ, ſeu præfecti unius provinciæ.

V. 16. FACITE MECUM BENEDICTIONEM: non activam, utilem Aſſyriis (quam ſpernebat ſuperbus tyrannus) ſed paſſivam, utilem Iudæis; quaſi dicat: Ita mecum agite vos mihi ſubdendo, ut inde vobis a me obveniat *benedictio* & beneficentia.

V. 19. De EMATH & ARPHAD vide ſupra cap. X. 9. SEPHAR-VAIM quoque urbs eſt, ut habent LXX. & metropolis regni ſic nominati.

V. 22. Sciderunt veſtes ſuas legati Ezechiæ, hoc ſigno teſtantes animum præ dolore diſrumpi, tum ob horrendas Aſſyriorum blaſphemias in Deum; tum ob minas Rabſacis & periculum urbi imminens. Videtur hic mos e Palæſtina & Iudæis manaſſe etiam ad Perſas, de quibus Herodotus ſcribit, diſcidiſſe veſtes ſuas in obitu Cambyſis regis.

GORDONI.

Verſ. 1. ET FACTUM IN QUARTODECIMO ANNO REGIS EZECHIAE. Vide huius rei chronologiam in diagrammate temporis adiecto ad libros Regum. Notatur hic caſus iſte Sennacherib ad annum Ezechiæ XIV. vel XV. inchoatum: ergo ſeptimus eſt annus ab everſa Samaria.

V. 7. NONNE IPSE EST. Rapſaces mentitur, & ex pura calumnia regem Ezechiam trahit ad invidiam: rex enim econtra deſtruxit excelſa.

Ex EIUSDEM AUCTARIO.

Verſ. 1. Vide capitis explicationem IV. Reg. XVIII. a verſu 4.

Verſ. 16. FACITE MECUM BENEDICTIONEM. Subiicite vos mihi, & erit vobis in benedictionem. Lege citatum locum Reg. IV. verſ. 31.

CA-

CAPUT XXXVII.

Consternatus Ezechias propter blasphemias tum Rabsacis tum Sennacherib, mittit ad Isaiam ut Dominum deprecetur, qui ipsum confortans divinum promittit auxilium: & caeso per Angelum exercitu Sennacherib, etiam ipse a filiis suis interimitur.

1. ET factum est, cum audisset rex Ezechias, scidit vestimenta sua, & obvolutus est sacco, & intravit in domum Domini. 2. Et misit Eliacim, qui erat super domum, & Sobnam scribam, & seniores de sacerdotibus, opertos saccis, ad Isaiam filium Amos prophetam, 3. & dixerunt ad eum: Hæc dicit Ezechias: Dies tribulationis, & correptionis, & blasphemiæ, dies hæc: quia venerunt filii usque ad partum, & virtus non est pariendi. 4. Si quo modo audiat Dominus Deus tuus verba Rabsacis, quem misit rex Assyriorum dominus suus ad blasphemandum Deum viventem, & exprobrandum sermonibus, quod audivit Dominus Deus tuus: leva ergo orationem pro reliquiis, quæ repertæ sunt. 5. Et venerunt servi regis Ezechiæ ad Isaiam. 6. & dixit ad eos Isaias: Hæc dicetis domino vestro: Hæc dicit Dominus: Ne timeas a facie verborum, quæ audisti, quibus blasphemaverunt pueri regis Assyriorum me. 7. Ecce ego dabo ei spiritum, & audiet nuntium, & revertetur ad terram suam, & corruere eum faciam gladio in terra sua. 8. Reversus est autem Rabsaces, & invenit regem Assyriorum prælantem adversus Lobnam. Audierat enim quia profectus esset de Lachis, 9. & audivit de Tharaca rege AEthiopiæ, dicentes: Egressus est ut pugnet contra te. Quod cum audisset, misit nuntios ad Ezechiam, dicens: 10. Hæc dicetis Ezechiæ regi Iudæ, loquentes: Non te decipiat Deus tuus, in quo tu confidis, dicens: Non dabitur Ierusalem in manu regis Assyriorum. 11. Ecce tu audisti omnia, quæ fecerunt reges Assyriorum omnibus terris, quas subverterunt, & tu poteris liberari? 12. Numquid eruerunt eos dii Gentium, quos subverterunt patres mei, Gozam, & Haram, & Reseph, & filios Eden, qui erant in Thalassar? 13. Ubi est rex Emath, & rex Arphad, & rex urbis Sepharvaim, Ana, & Ava? 14. & tulit Ezechias libros de manu nuntiorum, & legit eos, & ascendit in domum Domini, & expandit eos Ezechias coram Domino. 15. Et oravit Ezechias ad Dominum, dicens: 16. Domine exercituum Deus Israel, qui sedes super cherubim: tu es Deus solus omnium regnorum terræ, tu fecisti cælum & terram. 17. Inclina Domine aurem tuam, & audi: aperi Domine oculos tuos, & vide, & audi omnia verba Sennacherib quæ misit ad blasphemandum Deum viventem. 18. Vere enim Domine desertas fecerunt reges Assyriorum terras, & regiones earum. 19. Et dederunt deos earum igni: non enim erant dii, sed opera manuum hominum, lignum & lapis: & comminuerunt eos. 20. Et nunc Domine Deus noster salva nos de manu eius: & cognoscant omnia regna terræ, quia tu es Dominus solus. 21. Et misit Isaias filius Amos

Amos ad Ezechiam, dicens: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Pro quibus
rogaſti me de Sennacherib rege Aſsyriorum: 22. hoc eſt verbum, quod locu-
tus eſt Dominus ſuper eum: Deſpexit te, & ſubſannavit te virgo filia Sion:
poſt te caput movit filia Ieruſalem. 23. Cui exprobraſti, & quem blaſphema-
ſti, & ſuper quem exaltaſti vocem, & levaſti altitudinem oculorum tuorum?
Ad ſanctum Iſrael. 24. In manu ſervorum tuorum exprobraſti Domino: & di-
xiſti: In multitudine quadrigarum mearum ego aſcendi altitudinem montium,
iuga Libani: & ſuccidam excelſa cedrorum eius, & electas abietes illius, & in-
troibo altitudinem ſummitatis eius, ſaltum Carmeli eius. 25. Ego fodi, & bibi
aquam, & exſiccavi veſtigio pedis mei omnes rivos aggerum. 26. Numquid non
audiſti, quæ olim fecerim ei? ex diebus antiquis ego plaſmavi illud: & nunc
adduxi: & factum eſt in eradicationem collium compugnantium, & civitatum
munitarum. 27. Habitatores earum breviata manu contremuerunt, & confuſi
ſunt: facti ſunt ſicut fœnum agri, & gramen paſcuæ, & herba tectorum,
quæ exaruit antequam matureſceret. 28. Habitationem tuam & egreſsum tuum,
& introitum tuum cognovi, & inſaniam tuam contra me. 29. Cum fureres
adverſum me, ſuperbia tua aſcendit in aures meas: ponam ergo circulum in
naribus tuis, & frænum in labiis tuis, & reducam te in viam, per quam ve-
niſti. 30. Tibi autem hoc erit ſignum: Comede hoc anno quæ ſponte na-
ſcuntur, & in anno ſecundo pomis veſcere: in anno autem tertio ſeminate,
& metite, & plantate vineas, & comedite fructum earum. 31. Et mittet id,
quod ſalvatum fuerit de domo Iuda, & quod reliquum eſt, radicem deorſum,
& faciet fructum ſurſum: 32. quia de Ieruſalem exibunt reliquiæ, & ſalvatio
de monte Sion: zelus Domini exercituum faciet iſtud. 33. Propterea hæc di-
cit Dominus de rege Aſsyriorum: Non intrabit civitatem hanc, & non ia-
ciet ibi ſagittam, & non occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu
eius aggerem. 34. In via qua venit, per eam revertetur, & civitatem hanc
non ingredietur, dicit Dominus: 35. & protegam civitatem iſtam, ut ſalvem eam
propter me, & propter David ſervum meum. 36. (b) Egreſsus eſt autem
Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſsyriorum centum octogintaquinque
millia. Et ſurrexerunt mane, & ecce omnes, cadavera mortuorum. 37. Et
egreſsus eſt & abiit, & reverſus eſt Sennacherib rex Aſsyriorum, & habitavit
in Ninive. 38. Et factum eſt, cum adoraret in templo Neſroch deum ſuum,
Adramelech & Saraſar filii eius percuſſerunt eum gladio: fugeruntque in Ter-
ram Ararat, & regnavit Aſarhaddon filius eius pro eo.

(a) IV. Reg. xix. 1. (b) IV. Reg. xix. 35. Tob. 1. 21. Eccli. xlviii. 24. II. Macch. viii. 41. II. Macch. viii. 19.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 3. DIES CORREPTIONIS, id eſt quo licet alienigenis impune nos corripere. ET BLASPHEMIAE; id eſt, quo licere putant homines in Deum blaſphemare. Aut, כאצה, *repudiationis*; id eſt, quo Dominus nos affligit, corripit, & repudiat, cuius rei cauſam a ſigno reddit. VENERUNT enim FILII USQUE AD PARTUM: משבר, *uſque ad matricem*. Deſcribit mulierem habentem infantem in vulva, neque potentem eniti: in maximo enim periculo verſatur, cum liberari non poſſit niſi pariendo, parere autem non poſſit. Ita ſignificat Ezechias ſe verſari in

eo

eo periculo, ex quo evadere non queat, nisi divinitus.

V. 4. Si quo modo: אולי, *si forte audiat*: verba sunt transposita, quæ sic iungenda sunt. Leva ergo orationem; id est, ora pro iis paucis Iudæis qui reliqui sunt. Si forte audiat Dominus Deus tuus. Vocat Deum omnium, Deum Isaiæ, ut eius sanctitatem commendet: est enim Deus specialiter eorum qui sancti sunt.

V. 5. Et venerunt. Non narrat quæ nuntii dixerunt Isaiæ: sed intelligendum est eos dixisse quæ eis Ezechias mandaverat.

V. 6. Ne timeas a facie verborum. Hebraismus, id est propter verba.

V. 7. Ecce ego dabo ei spiritum; id est voluntatem revertendi in patriam suam relicta obsidione Ierosolymitana, audito nuntio, quod rex AEthiopiæ bellum illi contra Syriam inferret: vel, *Dabo ei spiritum*, id est ventum; quasi dicat: Efficiam ut rumor ad eum deferatur, & audiat, &c. Et corruere eum faciam gladio. Postea in patria dum adoraret in templo, a suis filiis interfectus est: sup. vers. 38. xi. & IV. Reg. xix. 37.

V. 8. Adversus Lobnam. Ea erat civitas sacerdotum in tribu Iuda: Iosue xxi. 13. Audierat enim. Reddit rationem cur Rapsaces re infecta solverit Ierosolymitanam obsidionem, quia scilicet audivit regem suum fugisse e Lachis: sic enim Hebraice est, itaque credibile est eo convolasse, ut illi Lobnam oppugnanti ferret auxilium.

V. 9. Et audivit de Tharaca dicentes, id est qui dicerent: למור, *dicendo*; id est, audivit nuntium, quod cum audisset, misit nuntios. Non videtur accommodata causa reddi: non enim propterea nuntii ad Ezechiam mittendi erant, quod audisset regem AEthiopiæ contra se venire; sed significat propterea tunc Sennacherib contra Ierosolymam non ivisse, sed tantum per nuntios Ezechiæ comminatum esse, quia audivit regem AEthiopiæ venire.

V. 12. Gozam. Credibile est eam civitatem esse Medorum, quæ ex fluvio nomen haberet, qui apud Medos ita vocabatur: IV. Reg. xvii. 6. & I. Paralip. v. 26. Haram vero erat civitas Mesopotamiæ: Genes. xi. 32. & xii. 5. Reseph autem aliqui Petram fuisse dicunt urbem Arabiæ, Hieronymus civitatem Syriæ. Eden autem nomen est viri, cuius posteri eam Syriæ partem incoluerunt, quæ Thalassar appellabatur.

V. 13. Ubi est rex Hemath. Vide cap. xxxvi. 19. Hana etiam et Ava: civitates Syriæ fuisse creduntur, quæ ab idolis, quæ in ipsis colebantur, nomen acceperunt: IV. Reg. xviii. 34. & xix. 13. & xvii. 24.

V. 14. Et tulit Ezechias libros: ספרים, *litteras de manu*, &c. Et expandit eas coram Domino, quasi vellet eas Domino ostendere, quo magis moverit eum.

V. 16. Qui sedes super Cherubim. Non solum hoc loco, sed multis aliis sedere dicitur Deus super Cherubim, id est super cælum ubi sunt Cherubim, vel quia arca erat super Cherubim, Exod. xxv. 18.

V. 17. Quae misit ad blasphemandum, id est scripsit missis nuntiis. Græc. ἐπέστειλε.

V. 18. Vere enim Domine. Verum est quod iactat Sennacherib, Desertas fecerunt, id est vastaverunt, החריבו Terras et regiones earum. Heb. ארצות וארצם, *terras & terram earum*. Priori loco nomen terrarum accipitur pro habitatoribus, posteriori, pro terra ipsa.

V. 21. Et misit, id est remisit nuntios, ut dicerent Ezechiæ.

V. 22. Super eum: עליו, *contra eum* (Sennacherib.) Despexit te: præt. pro fut. despiciet & subsannabit te (est enim prophetia.) Virgo filia Sion, id est Ierusalem, quæ ideo virgo dicitur, quia nondum capta fuerat. Post te caput movit, id est irrisit te: repetitio eiusdem sententiæ, ut Psal. xxi. 8. *Locuti sunt labiis, & moverunt caput:* & Psal. cviii. *Viderunt me, & moverunt capita sua.*

V. 23. Super quem (עלמי, *contra quem*) exaltasti vocem tuam, id est superbe locutus es. Superbi enim hominis est vocem in loquendo tollere. Elevasti altitudinem, id est erexisti supercilia, superbus fuisti, תשא מרום עכיך, *levasti in altum oculos tuos*, *contra* Sanctum Israel, id est superbe egisti contra Deum.

V. 24. In manu servorum tuorum, id

id est per servos tuos. Hebræi omne instrumentum manum vocant, quia manus est, ut Philosophus quidam dixit, ὄργανον τῶν ὀργάνων. Et dixisti, id est reputasti apud te: sic enim Hebræi loqui solent, & non legimus supra hæc verba dixisse Sennacherib. In multitudine, id est vi multarum quadrigarum. Ascendi: præt. pro fut. ascendam altitudinem montium; id est, superabo Ierosolymam, quæ insuperabilis & monti similis videtur. Iuga Libani, id est principes viros Ierusalem, qui alti sunt, sicut fastigia Libani: non enim agit de Libano, sed de Ierusalem. Et succidam excelsa cedrorum, id est excelsas cedros; hoc est, occidam magnates, & ut dixit ille, *Summa capita papaverum decutiam*. Eumdem sensum habent quæ sequuntur, repetitiones enim sunt. Saltum Carmeli eius. Monuimus aliis locis nomen Carmeli aliquando montem, aliquando campum fertilem significare. Hoc loco pro monte accipi arbitror; quem enim ante vocavit Libanum, nunc vocat Carmelum, non quod idem mons esset, sed quod eadem ab utroque esset sumpta metaphora.

V. 25. Ego fodi. Præt. pro fut. Ego fodiam, & bibam aquam. Iactat potentiam suam rebus difficillimis & contrariis; altera, quod in locis aridissimis possit alte fodiendo aquas ad bibendum invenire; altera, quod fossas aqua plenas solis vestigiis militum exsiccare possit.

V. 26. Numquid non audisti. Verba sunt Dei respondentis Sennacheribo. Ex diebus antiquis, id est ab omni æternitate. Ego plasmavi illud; id est, decrevi ut fieret quod te fecisse gloriaris: non enim tu auctor es istorum facinorum, sed ego. Et nunc adduxi; id est, feci ut quod iam olim decreveram, nunc eveniret. Et factum est; id est, ita factum est ut colles compugnantes, id est munitos, aptos ad pugnam eradicares, id est explanares, & civitates etiam munitas. Heb. *An non iamdiu audisti quod iam fecerim*, אותה *eam*, id est Ierosolymam, *Ecclesiam*: ויצרתיה, *& formaverim eam*: ותהי, תההבאתיה, *nunc adducam eam*; להשתות גלים בצים, *& erit* (id est, ut sit) *in ruinas acervorum destructorum*, id est ut redigatur in acervos ruinarum: ערים בצרות, *civitatum munitarum*: intelligitur כ *sicut*; id est, ut sit in ruinas, sicut fuerunt aliæ munitæ civitates, quas tu vastasti. Per interrogationem legendum, ut intelligatur, *Non ita faciam*.

V. 27. Habitatores earum (civitatum, quas tu expugnasti) breviata manu: קצרי יד, *breviati manu*, id est fracti animo. Solent timentibus manus contrahi & rigere, ut quodam modo breviare videantur. Et herba tectorum: Psal. cxxviii. *Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam evellatur, exaruit*.

V. 28. Habitationem. Sensus: Omnia tua consilia atque facta cognita sunt mihi, id est non fiunt nisi me iubente aut permittente. Habitatio significat domestica consilia, aut otium, vel res domi gestas. Egressus & introitus significant facta: ut Psal. cxx. 8. *Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum*, id est omnes actiones tuas. Vide I. Reg. xxix. 6. & II. Reg. iii. 25. & III. Reg. iii. 7.

V. 29. Cum fureres: יען התרגזך, *propterea furor tuus contra me, & elatio tua ascendit*, &c. Ponam ergo: ו caussalis. Circulum in naribus tuis; id est, sicut bubalum, vel ursum iniecto circulo, & equum iniecto fræno ducam te. In via. Heb. *per viam*, per quam venisti.

V. 30. Tibi autem hoc erit signum. Convertit sermonem ad Ezechiam. Comede. Imp. pro fut. Comedes hoc anno quae sponte nascuntur: ספיח, *quod nascitur ex granis quæ decidunt in messe*. Et in secundo pomis vesceris (quæ sponte etiam nascentur.) Hebr. שחים, *quod repullulat ex messe præterita*. Quale autem hoc signum sit, dubitari potest. Sunt qui putent, non esse signum rei futuræ, sed præteritæ, quibus minime quidem assentior. Debet enim referri ad id quod sequitur vers. 31. *Et mittet id quod salvatum fuerit de domo Iuda, radicem*, &c. id est, quemadmodum duobus primis annis frumentum quod messum erat, repullulabit, ita domus Iuda reliquiæ in magnam crescent multitudinem.

V. 31. Et mittet quod salvatum fuerit, et quod reliquum est; id est, reliquiæ quæ ex clade ista superfuerint. Radicem deorsum: quanto maior fuit clades, tanto maiores radices aget populus qui superfuerit, tantoque maiores fructus, id

id est tanto magis multiplicabitur. Metaphora ducta ex segete, quæ quo magis depascitur, eo altiores radices agit, eoque postea uberiores fructus profert.

V. 32. QUIA DE IERUSALEM EXIBUNT, id est prodibunt, germinabunt reliquiæ. ET SALVATIO, id est quod salvum fuerit de monte Sion: repetitio. Comparat Ierosolymam agro sato, ex quo erat populus multiplicandus; aut radici, ex qua germen proditurum erat: ceteras vero civitates Iuda herbæ, quæ a Sennacherib demessa fuerat. Porro multiplicatio ista non solum corporaliter, sed etiam spiritualiter intelligenda est. *Quia de Sion exivit lex, & verbum Domini de Ierusalem*: Isai. II. 3. Ab Ierusalem enim cœpta est Evangelii prædicatio: Luc. XXIV. 47. ZELUS DOMINI, id est studium quo populum suum, id est electos prosequitur.

V. 33. NON INTROIBIT, id est nihil illi mali inferet.

V. 34. IN VIA: Heb. *per viam*, ut supra vers. 29.

V. 35. PROPTER ME, ET PROPTER DAVID; id est, tum quia ego eam amo, tum quia David me pro illa orat: sicut Ieremias iam mortuus erat pro illa, II. Mach. XI. 14. Cur ergo de David potius (obiicient hæretici) quam de Abraham & aliis sanctis mentionem facit? Ratio est in promptu, quia etsi illi omnes orabant, tamen David, cuius ea civitas erat, quique regni caput, ceteris impensius.

V. 36. ET ECCE OMNES. Heb. והנה כלם, *& ecce omnes illi* (qui percussi fuerant) *cadavera mortuorum* (erant) id est, iacebant mortui.

V. 37. ET EGRESSUS EST: יסע, *fugit*.

V. 38. ET FACTUM EST (accidit) CUM ADORARET IN TEMPLO NESROCH. Ita idolum vocabatur: IV. Reg. XIX. 37. PERCUSSERUNT EUM GLADIO. Scilicet tum, cum operam dabat maxime superstitioni suæ, ut appareret non esse religionem, sed vanitatem.

S A.

Vers. 2. PROPHETAM. Sic etiam LXX. & Complut. & non, ut quidam legunt, *Prophetæ*.

V. 3. CORREPTIONIS, scilicet qua a Deo corripimur. Chald. *opprobrii*. VENERUNT FILII, &c. quasi dicat: Accidit nobis dolor, qualis gravidæ, quæ non potest fœtum emittere. FILII, id est fœtus. PARTUM, id est pariendi tempus, vel locum. Heb. *vulvam*.

V. 6. A FACIE VERBORUM, id est propter verba. PUERI, id est famuli.

V. 7. SPIRITUM, scilicet voluntatem revertendi in patriam.

V. 9. AUDIVIT; pro, audisset.

V. 14. LIBROS, id est litteras. Chald. *epistolas*.

V. 22. DESPEXIT, scilicet Sennacherib te, o virgo; vel, virgo te, o Sennacherib, secundum quosdam: quod mihi non probatur, etsi Heb. videantur favere. VIRGO FILIA. Chald. *Regnum cœtus*, scilicet solet Regnum custodiri ut virgo. Quidam putant ita dici ob religionis integritatem. At solet Scriptura sic vocare etiam Regnum Israel idololatria contaminatum. CAPUT MOVIT: est id irridentium. FILIA IERUSALEM. Chald. *Popule qui habitas Ierusalem*.

V. 24. IN MANU, id est per ministerium. LIBANI, id est Ierusalem. CEDRORUM; per arbores homines intelliguntur. SALTUM, id est templum. CARMELI EIUS; quasi dicat, Fertili loco situm.

V. 25. FODI, scilicet puteos. VESTIGIO PEDIS, id est militibus me sequentibus. AGGEREM, id est munitos, vel inter aggeres fluentes.

V. 26. EI, scilicet Ierusalem. PLASMAVI ILLUD. LXX. *decrevi*; scilicet permittere quod nunc facis. Chald. *præparavi illud*. COMPUGNANTIUM, id est mihi rebellantium per peccata.

V. 27. BREVIATA MANU, id est viribus destituti.

V. 30. TIBI, scilicet o Ezechia. POMIS. Chald. *renatis ex illis*. LXX. *reliquiis*.

V. 31. ET MITTET, &c. quasi dicat, Roborabuntur, & crescent more arborum.

V. 32. SALVATIO; pro, salvati; vel salutem intelligit mundo allatam inde per Apostolos. ZELUS, id est vehemens amor in suos.

V. 36. EGRESSUS, scilicet e cælo vel urbe quam tuebatur.

V. 38. ARARAT. Chald. & LXX. *Armenia*.

E S T I I.

Verf. 3. HAEc DICIT EZECHIAS : DIES TRIBULATIONIS , ET CORREPTIONIS , ET BLASPHEMIAE DIES HAEC, QUIA VENERUNT FILII USQUE AD PARTUM, ET VIRTUS NON EST PARIENDI. Notandum quod Ezechias inter mala, quibus tam ipse quam civitas & populus Dei afficiebatur, hoc etiam commemorandum & deplorandum apud Prophetam Domini Isaiam, quod præcepit Rapsaces ut Deus blasphemaretur ab hostibus. Dixerat enim Rapsaces Deum Israel magis liberaturum populum suum de manu Assyriorum, quam dii ceteri, qui suos cultores liberare non potuerant. Quam blasphemiam ostendit Ezechias se indignissime ferre; & quidem etiam tunc, quando acceptis epistolis blasphemiæ plenis a rege Assyriorum ascendit in templum, & expandit eas coram Domino; orans; ut tam gravem blasphemiam velit vindicare. Ita & catholici inter multa mala, quæ ab hostibus Ecclesiæ patiuntur, præcipuum hoc ducere debent, non bonorum rapinam aut oppressiones miserorum; sed blasphemiam in Deum & Sanctos eius, Ecclesiarum direptiones, & Sacramentorum profanationem; denique, quod ab illis tam multi misere seducantur, & præcipitentur in æternam damnationem. Quod additur *: quia venerunt filii usque ad partum, & virtus non est pariendi*, hunc sensum habet : In tali dolore constituti sumus, qualem sentit mulier in difficili partu, quando venit fœtus usque ad partum, & tamen virtus non est pariendi.

V. 36. EGRESSUS EST AUTEM ANGELUS DOMINI, ET PERCUSSIT IN CASTRIS ASSYRIORUM CENTUM OCTOGINTA QUINQUE MILLIA. Hic obiter notanda est concordia historiæ sacræ cum historia profana, ne quis profanus forte suspicetur hoc tantum miraculum vel a Propheta, vel a Iudæis esse confictum. Hieronymus enim in Commentario huius loci citat etiam duos profanos auctores Herodotum & Berosum: Una nocte, inquit, iuxta Ierusalem centum octoginta quinque millia exercitus Assyrii pestilentia corruisse narrat Herodotus, & plenissime Berosus Chaldaicæ scriptor historiæ, quorum fides de propriis libris petenda est. Hæc Hieron. Quod autem Iudæi tradunt igne extinctos fuisse, non repugnat : nam & pestilentia ignis nomine frequenter significatur.

M A R I A N AE.

Verf. 1. OBVOLUTUS, *opertus:* sic in libris Regum Noster; sed perinde est.

V. 3. ET BLASPHEMIAE, seu *convitii* est dies hæc.

V. 4. LEVA ERGO ORATIONEM; pro, in oratione leva vocem, aut manus.

V. 6. BLASPHEMAVERUNT PUERI REGIS ASSYRIORUM, id est servi, qui *pueri* vocantur, quoniam ea ætas ad ministrandum est apta. Ergo ne cures verba servorum Regis Assur.

V. 7. DABO EI SPIRITUM. Heb. *dabo in eo spiritum*, id est voluntatem redeundi in patriam, aut eundi obviam Regi AEthiopiæ. ET AUDIET NUNTIUM, &c. *Nuntium* in neutro genere. Heb. *Et audiet auditionem, & revertetur in terram suam.*

V. 11. QUAS SUBVERTERUNT Reges Assur, aut *vastaverunt*, ut in libris Regum, aut *exciderunt*, aut *diris devoverunt*. Id proprie significat verbum חרם *haram*.

V. 13. REX URBIS SEPHARVAIM ubi est? sic Heb. *Rex civitatis Sepharvaim*. Addit *civitatis*, quoniam præcipua erat inter eas, quas commemorat. Erat autem Assyriæ civitas.

V. 14. ET TULIT EZECHIAS LIBROS DE MANU NUNTIORUM: sic Hebraice, sed *libri* pro *litteris*, ut ipse Hieronymus posuit in Lib. Reg. ET LEGIT EOS. Heb. *eum*. ET EXPANDIT EOS. Heb. *eum*; id est, unamquamque illarum epistolarum, aut *eam*, in qua maiora erant convitia, expandit coram Domino.

V. 19. ET COMMINUERUNT EOS. Heb. *perdiderunt*: sic Noster in Lib. Reg. scilicet eos deos & idola perdiderunt Reges Assur.

V. 21. DE SENNACHERIB rogasti me: *super Sennacherib* in Lib. Reg. Noster. Heb. *ad Sennacherib;* sed *ad* sumitur pro *super*, aut *contra*; *super*, pro *ad*. Verba Isaiæ ad Ezechiam.

V. 22. VIRGO FILIA SION, id est Ierusalem. Urbs virgo vocatur, quia cu-

custoditur ut virgo: sic etiam cap. XXIII. 12.

V. 23. ALTITUDINEM OCULORUM TUORUM? Aut sic, *Leuasti* (in) *altitudinem oculos tuos*. Heb. non est regimen. Ita in Lib. Reg. Hieronymus, *elevasti in excelsum oculos tuos*.

V. 24. EGO ASCENDI ALTITUDINEM MONTIUM. Hæc est regio Israel ceteris sublimior. *Syria Aran* Heb. dicitur ab altitudine. IUGA LIBANI. Heb. *latera Libani*. ALTITUDINEM SUMMITATIS EIUS. Heb. *altitudinem finis eius*. SALTUM CARMELI EIUS. Videtur ex hoc Carmelus fuisse Libano iunctus. Aut *saltum Carmeli*, id est saltum fertilem. Sæpe *Carmelus* pro loco fertili sumitur.

V. 25. ET BIBI AQUAM: in Lib. Reg. *aquas alienas*. RIVOS AGGERUM, Heb. *rivos munitionis*; id est, qui præsidium impositum habebant, eos siccavi, id est alio diverti. In libris Regum Hieronymus dixit, *aquas clausas*.

V. 26. QUAE OLIM FECERIM EI? Heb. *Numquid audisti a longe? illam feci*, pro, quid illi feci? Verba sunt Dei. De quibus in Lib. Reg. plura. IN ERADICATIONEM COLLIUM COMPUGNANTIUM. In libr. Reg. *collium pugnantium*, in Vulgat. & Goth. id est in quibus arces & munitiones erant. Ergo illum Regem adduxi, ut eas arces everteret.

V. 27. HABITATORES EARUM BREVIATA MANU, id est remissi, imbecilli. Septuag. *remissi manus*. Chald. *habitatorum eius virtus abbreviata*. *Eius*, id est earum civitatum, de quibus est locutus. ET GRAMEN PASCUAE. Heb. *viridis herba*. ANTEQUAM MATURESCERET. Heb. *ante segetem*, id est cito perierunt. Tales fuerunt earum urbium habitatores.

V. 29. PONAM ERGO CIRCULUM IN NARIBUS TUIS. Sic ducuntur bubali circulo in naribus inserto. Alii, *ponam hamum in naribus*, id est te instar piscis capiam, o Assur.

V. 30. TIBI AUTEM HOC ERIT SIGNUM, scilicet Ezechia, quod nomen Interpres in Lib. Regum addidit. COMEDE HOC ANNO QUAE SPONTE NASCUNTUR. Sic Heb. In Lib. Regum Hieronymus dixit, *quæ repereris*, id est quæ habes reposita. ET IN ANNO SECUNDO POMIS VESCERE. Heb. *deciduis*, scilicet quæ ex arboribus cadunt. Alii, *iis quæ ex radicibus pullulant*. Denique propter obsidionem duobus annis sementis non erit: ex eo annonæ penuria. Tolerate ergo patienter.

V. 31. ET MITTET ID. Heb. *& addet*, pro, mittet radicem; hoc est, & numero & felicitate crescent, qui e tribu Iuda reliqui fuerint.

V. 32. DE IERUSALEM EXIBUNT RELIQUIAE. Aliis Iudææ urbibus vastatis, ex sola Ierusalem instaurabitur ea natio. ZELUS, amor incensus Dei erga eam urbem faciet hoc.

V. 33. ET NON OCCUPABIT EAM CLYPEUS, id est milites.

V. 34. IN VIA. Sic Heb. pro, per viam, qua venit, revertetur, Assur scilicet.

V. 36. ET SURREXERUNT, Iudæi scilicet. ET ECCE OMNES. Heb. *omnes ipsi*, scilicet Assyrii, perierant.

V. 37. ET EGRESSUS EST. Heb. *& profectus est Sennacherib*.

V. 38. CUM ADORARET IN TEMPLO NESROCH. Fortassis Mars erat; nam ea vox *vexillum* significat. FUGERUNTQUE IN TERRAM ARARAT. Chald. & Septuag. *Armeniæ*. Occiso Sennacherib, eo fugerunt eius filii.

MALVENDAE

nulla annotatio.

MENOCHII

nulla annotatio.

TIRINI.

Vers. 8. LOBNA civitas fuit sacerdotalis, ultra Iordanem ad Occidentalem plagam, Iosue XII. 15. & cap. XXI. 13. & tempore regis Ioram simul cum Idumæa deflexit a Iuda, IV. Reg. VIII. 22. LACHIS urbs erat munitissima in tribu Iuda, de qua Iosue X. 23. & Ierem. XXXIV. 7.

V. 12. GOZAM fluvius est in Media, IV. Reg. XVII. 6. cui adiacens regio videtur eodem hic nomine compellari. Idem dico de HARAM, cuius mentio fit I. Paralip. V. ult. RESEPH a quibusdam in Syria, ab aliis in Arabia collocatur, inquit Arias.

Arias. Per FILIOS EDEN *a* intelligit Delrio *b* populos Orientales regionis amœnissimæ ac deliciosissimæ (hoc enim significat *Eden*) v. g. Mesopotamiæ, vel ei vicinæ regionis, ubi Cain habitasse legitur Genes. IV. 16.

V. 14. TULIT LIBROS, id est volumina litterarum, ut vertit Chaldæus: ET EXPANDIT CORAM DOMINO, quasi legendas illi præbens contra quem conscriptæ erant.

V. 16. QUI SEDES SUPER alas CHERUBIM, quasi in solio & throno tuo terrestri, de quo Exodi XXV. 16.

V. 22. Quid sibi velit VIRGO FILIA SION, alibi *c* dixi. Uti & *vers.* 26. de *collibus cumpugnantibus d*, id est de civitatibus Iudeæ & aliarum regionum in collibus loco edito sitis, & adversus Assyrios concertantibus. Reliqua huius capitis exposui IV. Regum XIX. & II. Paralip. XXXII.

(a) Genes. II. 8. Ezech. XXVII. 23.
(b) Delrio in Genes. II. 8.
(c) In Proleg. de Idiotism. Heb. n. 40.
(d) IV. Reg. XIX. 25.

GORDONI.

Vers. 7. DEus excitat hosti Assyrio spiritum timoris & perturbationis, ut omnia pessum eant.

V. 26. NUMQUID NON AUDISTI, (o Sennacherib) quod olim Deus fecerit ad protectionem populi Israelitici, & olim decreverit nunc agere contra te: ille est Deus (vers. 29.) qui nunc circulum. in naribus tuis ponet.

V. 30. TIBI AUTEM HOC ERIT SIGNUM, &c. Erat in famis magno periculo Ierusalem. Isaias promittit alimenta, libertatem & mortem Sennacherib, & hæc per triennium: vide in citato diagrammate, & in opere chron. ad annos Ezechiæ XIV. XV. & XVI.

V. 33. & 36. PROPTEREA HAEC DICIT DOMINUS. Prophetat de mox futuro excidio Sennacherib, & de Angelo percussore, ut textus declarat.



CA-

CAPUT XXXVIII.

Ezechias a morte sibi per Isaiam comminata liberatus, signo in horologio Achaz accepto, & promissa de manu Assyriorum liberatione, additisque ei ad vitam quindecim annis, canticum hoc gratiarum actionis Deo cecinit.

1. IN diebus illis (*a*) ægrotavit Ezechias usque ad mortem: & introivit ad eum Isaias filius Amos propheta, & dixit ei: Hæc dicit Dominus: Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives. 2. Et convertit Ezechias faciem suam ad parietem, & oravit ad Dominum, 3. & dixit: Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim. Et flevit Ezechias fletu magno.
4. Et factum est verbum Domini ad Isaiam, dicens: 5. Vade, & dic Ezechiæ: Hæc dicit Dominus Deus David patris tui: Audivi orationem tuam, & vidi lacrymas tuas: ecce ego adiiciam super dies tuos quindecim annos: 6. & de manu regis Assyriorum eruam te, & civitatem istam, & protegam eam.
7. Hoc autem tibi erit signum a Domino, quia faciet Dominus verbum hoc, quod locutus est: 8. Ecce ego reverti faciam umbram linearum, per quas descenderat in horologio Achaz in sole, retrorsum decem lineis. Et reversus est sol decem lineis per gradus, quos descenderat. 9. Scriptura Ezechiæ regis Iuda, cum ægrotasset, & convaluisset de infirmitate sua.

10. Ego dixi: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.
Quæsivi residuum annorum meorum. 11. dixi: Non videbo Dominum Deum in terra viventium.
Non aspiciam hominem ultra, & habitatorem quietis.
12. Generatio mea ablata est, & convoluta est a me, quasi tabernaculum pastorum.
Præcisa est velut a texente, vita mea: dum adhuc ordirer, succidit me; de mane usque ad vesperam finies me.
13. Sperabam usque ad mane, quasi leo sic contrivit omnia ossa mea:
De mane usque ad vesperam finies me: 14. sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor ut columba.
Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum.
Domine vim patior, * responde pro me.
15. * Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit?
Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.
16. † Domine si sic vivitur, & in talibus vita spiritus mei, corripies me, & vivificabis me. 17. Ecce in pace amaritudo mea amarissima:
Tu autem eruisti animam meam ut non periret, proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea.
18. Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non expectabunt qui descendunt in lacum, veritatem tuam.

19. Vi-

19. Vivens vivens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie: pater filiis notam faciet veritatem tuam.
20. Domine salvum me fac, & psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.
21. Et iussit Isaias ut tollerent massam de ficis, & cataplasmarent super vulnus, & sanaretur.
22. Et dixit Ezechias: Quod erit signum quia ascendam in domum Domini?

(a) IV. Reg. xx. 1. II. Par. xxxii. 49.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Vers. 14. *Responde pro me*. Non facile scribas simplex *sponde*, pro composito *responde*.

Vers. 15. *Quid dicam, aut quid respondebit mihi cum ipse fecerit?* Nec omittas posterius *quid*, nec vertas in masculinum *quis*. Adhæc ut primæ personæ pronomen *mihi*, non est commutandum cum secundæ *tibi*; ita nec tertiæ personæ verbum *fecerit* cum primæ *fecerim*: hæc enim menda sunt in quibusdam codicibus.

Lectionum Varietas.

Vers. 16. *Domine si sic vivitur*. Multi codices omittunt coniunctionem conditionalem *si* non absque verisimilitudine, quod docent Notationes nostræ.

Notationes.

Vers. 14. D*Omine vim patior, responde pro me*. Duo Parisiensium codices; Vet- Ge. p. & Compl. legunt *sponde* pro *responde*. Ad eum modum ex nostris codicibus nonnulli emendati sunt, nonnulli in margine scribunt. Ad eumdem modum Liranus in correctis esse libris docet: vitiose enim excusum *responde* pro *sponde* circumstantia testantur. In glossa interlineari scriptum est: Vel *sponde* idem est. Annotant Dominicani, & Epanorthotes secundum Haymonem, & Hieronymum legendum *sponde*. Haymo utramque lectionem explicat: exposito primum *sponde*, subnectit, „ vel ita ut quidem codi-„ ces habent: Si quid erravi, ut convertar „ ad melius, tu *responde pro me*; id est sis „ mihi quasi fidei iussor, & accipe me in „ fide & protectione tua. “ Apud Hieronymum non invenio *sponde*: tam in commentariis, quam in textu est *responde*: & usque adeo non evincit Hieronymi commentarius, *sponde* legendum esse, ut Haymo alteram explicaturus lectionem *responde*, Hieronymi commentario sit usus, qui hoc habet modo: „ Sed & si quid erravi, convertar ad me-„ lius, tu responde pro me. “ Plerique omnes libri tum scripti, tum impressi, *responde* habent. Hebraice est verbum עָרַב quod *fide iubere* seu *spondere* significat. Quare si retinendum est *τὸ responde* pro simplici *sponde* accipiendum est; id quod Epanorthotæ probatur, cuius hæc animadversio est: „ *Spon-*„ *de* secundum Hebræum, & Hieronymum, „ & Haymonem; sed secundum antiquos *res-*„ *ponde pro me*, quæ est littera communis; „ & videtur *responde* accipi pro *sponde* iuxta usum... “ Eo autem verisimilius fit versum esse, *responde* quod huc respectans, probabile est; deinceps verterit Interpres, *Aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit?* quamquam non sit idem utrobique in Hebræo verbum.

Vers. 15. *Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit?* Christophori Plantini manuscriptum, quod angustum nominamus, *Aut respondebit mihi* habet: omittit, tametsi in margine sit notatum, posterius *quid*; quod Hebraice quidem non legitur; sed cum in plerisque omnibus sit nostræ editionis exemplaribus, puto esse ab Interprete ut clarior esset sententia, repetitum. Nonnulli scripsere: *Aut quis respondebit mihi*, quod Interpretis non est: corrigens enim Interpretis sententia Ezechias, quod Deo dixerat *Responde pro me*, ait: Quid respondebit pro me Deus, qui ipse fecit? Codex unus habet: *Aut quis respondebit tibi* duplici mendo. Complura exemplaria *fecerim* pro *fecerit* legunt *cum ipse fecerim*. 18. Hentenii, viginti octo nostra: quibus D. Bernardus sermone in Cant. 81. Porro antiqua Dominicanorum antigrapha, antiqua Epanorthotæ, & nostra aliquot *fecerit* tertia persona servant: quibus S. Hiero-

ny-

nymus adstipulatur: „ Rursumque, ait, in se „ revertitur. Quid dicam, quidve causabor, con„ tra te factorem meum? aut quid mihi respon„ debit, qui fecit ipse quod voluit? Sustinenda „ ergo sunt quæcumque decreverit.“ Consonant posteriores enarratores Haymo, Glossæ ordinariæ Auctor, Thomas Lyranus, Richelius. Carensis utrumque exponit. Suffragantur Hebraici libri, quibus legitur והוא עשה & *ipse fecit*: Et Chaldaica paraphrasis, והוא (והא) והוא אסגי ונג & *ipse* (& *ecce* R.) *multiplicavit beneficia ad conferendum in me*. Consentit 72. translatio, quæ in Hieronymi quidem Latine, in Bibliorum autem Complutensi, & Regia editione Græce, & Latine habet, ϗ αὐτὸς ἐποίησε, & *ipse fecit*. Vaticanus codex ut nobis quidem signatum est, scribit ϗ αὐτὸς ἐποίησας, & *ipse fecisti*. In Aldino, Argentoratensi, & Basileensi exemplaribus pars ista desideratur.

Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Exemplar M. N. Hunnæi L. littera notatum habet, *reputabo*, quæ Hieronymi commentariis scriptura est. Haymo ad eumdem modum exponit τὸ *recogitabo*. Plurimi codices addunt pronomen *tibi*, *Recogitabo tibi omnes* &c. quod quidem etiam Haymo legit: sed Hieronymus haud agnoscit. Antiqui Epanorthotæ libri, sex Stephani, & sedecim nostri iugulant, quibus Hebræa patrocinantur. Quare castigatores Dominicani, Hentenius, & Parisienses merito textu expulere.

Vers. 16. *Domine si sic vivitur*. Ita codices plerique legunt. Porro quidam omittunt *si*, habent *Domine sic vivitur*, antiqui Epanorthotæ, duo Hentenii, tres Parisiensium Vet. Ge. o l. m. duo nostri Pl. m. Leod. In patrum Hieronymi, & Haymonis enarrationibus legitur *si sic*: verum nisi *si* tollatur, non satis apte constant: hæc Hieronymi enaratio est: „ Et quia iam securus est, nec „ patitur quæ refert, de humano statu phi„ losophatur, & dicit: Domine (si) sic vi„ vitur, & tali sumus conditione generati: cor„ ripuisti me, sed vivificasti me. “ Ista Hay„ monis: „ Nihil tamen novum, nihil ac„ cidit mihi contra naturam humanæ fragi„ litatis: quia (si) sic vivitur, id est, tam „ fragilis & caduca est humana fragilitas. *Et* „ *in talibus est vita spiritus mei*, idest, ta„ li sum ego, atque omnes homines conditio„ ne generatus. Et per tuam gratiam delin„ quentem *corripies me*; quia quis est filius, „ quem non corripit Pater? & per gratiam „ eamdem *vivificabis me*, reddendo vitam cum „ sanitate. “ Videtur & Dionysius Richelius, quamquam recentior solummodo *sic* legisse. Carensis huius lectionis meminit. Hebraice est אדני עליהם יחיו quod hodie fere vertunt: *Domine ultra hos* (scilicet annos) *vivent*. Noster Interpres intellexisse videtur; *Domine in his*, vel *cum his vivent* (sic enim vertas licet) id est, in huiusmodi afflictionibus & miseriis hominis vita agitur; id quod fit non *Domine si sic vivitur*, sed *Domine sic vivitur*, quem legendi modum probant Forerius, Iansenius, Parisienses, & Epanorthotes. Secundum Hebræum notat Epanorthotes, & antiquos *Domine sic vivitur*: non est ibi *sic sic* vel *si sic*. *Domine sic sic vivitur*, cuius insuper lectionis Epanorthotes meminit, legunt 4 ex nostris codicibus, sed minime præstantes illi.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. IN DIEBUS ILLIS, id est post obsidionem, ut coniectura est: nam tempore obsidionis, tamquam de homine sano Propheta de illo loquitur. R. Selomoh putat prius ægrotasse, quam obsideretur propter vers. 6. Ceterum illud manifestum, eodem anno quo obsessus fuerat, ægrotasse. Obsessus enim est anno 14. regni sui, regnavit viginti novem: IV. Reg. XVIII. 2. Additi autem illi sunt quindecim anni: quos si demas, reliquum erit eum anno XIV. ægrotasse. DISPONE: צו, *præcipe*; id est, condi testamentum, vel commenda domum tuam alicui.

V. 2. ET CONVERTIT: ut scilicet aversus ab hominibus attentius oraret.

V. 3. IN VERITATE, id est sincere, non simulate. ET CORDE PERFECTO, id est non ficto animo: idem est, in veritate & in corde perfecto. Ponit Deo ante oculos sua merita non arroganter, sed simpliciter, sicut Iob & David sæpe faciunt.

V. 5. DAVID PATRIS TUI. Propterea nominat Davidem potius quam ullum alium, quia illi promissio facta fuerat de regni

regni perpetuitate. SUPER DIES TUOS, id est quos victurus eras, considerata morbi natura. Hinc apparet solere Deum aliis vitam propter peccata contrahere, aliis propter merita prorogare præter naturæ legem.

V. 6. DE MANU REGIS ASSYRIORUM. Probabile est quod R. Selomoh & alii dicunt, Ezechiam ante obsidionem ægrotasse: sed prius a Propheta obsidionem quam ægrotationem narrari. Qui contra sentiunt, respondere possunt, hanc promissionem non esse intelligendam de obsidione illa; sed de alia qua posset iterum vexari.

V. 8. UMBRAM LINEARUM, id est per lineas per quas descendit המעלות horologii: quæ (umbra) *descendit* IN HOROLOGIO ACHAZ IN SOLE, id est quod est ad solem: PER DECEM GRADUS, id est decem horas retrogredi. Unde aliqui colligunt diem illum viginti horis auctum fuisse, quod sol per decem horas retrocesserit, & per alias decem processerit: sed mihi verosimilius videtur solem momento temporis retrocessisse per decem lineas. Vocatur autem horologium Achaz, quod Achaz pater Ezechiæ illud fortasse fecisset.

V. 10. EGO DIXI; id est, cogitavi apud me, persuasum mihi habui fore ut morerer, habui mortem animo conceptam. IN DIMIDIO, id est in dimidiatione annorum meorum, cum mihi dimidia pars annorum vitæ meæ succisa esset: ברמי, *in excisione*. Fuerat enim Ezechiæ dimidiata vita, id est dimidia parte abbreviata per morbum, ex quo convaluit. VADAM AD PORTAS INFERI, id est moriar. QUAESIVI, id est requisivi, desideravi residuum, id est mediam partem annorum meorum: פקדתי, *privatus sum residuo annorum meorum*; quasi dicat, Vidi me dimidia vitæ parte, quæ mihi supererat, privatum, cum ægrotarem.

V. 11. DIXI, id est existimavi me non visurum Dominum Deum, id est opera Domini, aut cultum Domini, aut templum, aut aream. IN TERRA VIVENTIUM, id est in hac vita. ET HABITATOREM QUIETIS, id est terræ, in qua homines requiescunt. Heb. עם יושבי חדל, *cum habitatoribus temporis*, id est huius sæculi, huius mundi.

V. 12. GENERATIO MEA, id est vita mea, ad quam generatus sum: דורי, *peregrinatio mea*, vel habitatio mea in hoc mundo, quod valde convenit cum habitaculo pastoris, quod uno die figitur in uno loco, alio in alio. PRAECISA EST, קפדתי, *succidi sicut textor vitam meam*; id est, sicut textor solet subito filum abrumpere aut scindere. DUM ADHUC ORDIRER (telam) SUCCIDIT ME (Deus,) id est, dum adhuc essem in principio ætatis meæ, מדלה, *ægritudine succidit me* (Deus.) DE MANE, מיום, *a die usque ad noctem*, id est, singulis diebus cum ægrotarem, putabam fore ut non pervenirem ad noctem, vel non certo credebam, ut intra unum diem finires vitam meam. Apostrophe ad Deum.

V. 13. SPERABAM USQUE AD MANE. Cum nox, ante quam me moriturum putabam, venisset, rursus spem meam usque ad matutinum tempus extendebam. Heb. שנותי, *ponebam, constituebam* (mihi vitæ terminum) *usque ad mane*. QUASI LEO SIC CONTRIVIT (Deus, vel morbus) OMNIA OSSA MEA: & rursus (sub. dicebam) DE MANE USQUE AD VESPERAM FINIES ME. Ex hoc loco aliqui argumentantur Ezechiam duos dies, alii unum diem cum dimidio ægrotasse: quod fortasse verum est, sed tamen non video quomodo ex hoc loco colligatur. Possunt enim hæc verba, *De mane usque ad vesperam*, non certum diem, sed distributionem significare, id est singulis diebus dicebam, Hodie finies me.

V. 14. SICUT PULLUS HIRUNDINIS: כסוס עגור, *sicut grus & hirundo* (intelligitur enim ו &: ut ait R. David.) SIC CLAMABO: fut. pro præt. imperf. sic clamabam, id est gemebam, conquerebar, ET MEDITABAR, id est ingemiscebam UT COLUMBA. ATTENUATI SUNT, id est infirmati oculi mei (sub. & dicebam) DOMINE VIM PATIOR, id est non possum morbo resistere, non possum ferre. עשקה לי, *vim mihi facit* (morbus) id est, opprimit me: ערבני, *fideiube pro me*; id est, interpone fidem tuam ne me abripiat, sicut cum aliquis in carcerem rapitur, dato fideiussore liberatur. Atque hoc sensu vertit noster Interpres. Dixit enim *respondere* pro *fideiubere*, sicut Galli loquuntur. Alii, *quiescere me fac*: alii, *recrea me*: alii, *libera me*.

V. 15. QUID DICAM, id est, quid est quod

quod quæram de illo. ET QUID RESPONDEBIT MIHI; id est, quomodo promittet se fideiussurum pro me, CUM IPSE FECERIT, (sic enim legendum, non solum quia Hebraice ita est, sed etiam quia emendatiores codices apud Latinos ita habent, id est, cum ipse auctor fuerit infirmitatis meæ. Heb. alius etiam sensus esse potest, מה אדבר. *Quid dicam;* id est, quid est quod a Deo petam sanitatem, ואמר לי והוא עשה, *& dixit mihi, & ipse faciet:* id est, quemadmodum prædixit mihi per Prophetam fore ut morerer, ita ipse efficiet, ut moriar. Vel cum ego nescirem iam quid dicerem præ magnitudine morbi, dixit mihi per Prophetam fore ut convalescerem, & ut dixit, ita faciet. RECOGITABO TIBI OMNES ANNOS MEOS; id est, computabam omnes annos quos vixeram, cum ægrotarem, propter amaritudinem animæ meæ: vel, acceptos tibi referam omnes annos meos, cum non sine animi mei dolore recordatus fuero infirmitatis meæ præteritæ. Heb. אדדה *movebor omnes annos meos;* id est, quoties recordatus fuero toto tempore vitæ meæ, quanto ex periculo liberatus sim, præ dolore contremiscam.

V. 16. DOMINE SI SIC VIVITUR, id est utique sic vivitur: *si*, apud Hebræos aliquando affirmantis est, aliquando etiam curantis, ut sæpe adnotavimus; id est, hæc est humanæ vitæ conditio, ut huiusmodi miseriis obiecta sit, & in his periculis vita spiritus mei consistit; id est, vita qua spiro, vel spiritus quo vivo, per hypallagen. CORRIPIES ME; id est, ut aliquando corripias me morbo, aliquando sanes: vel, *Domine, si sic vivitur;* id est, si tanto cum dolore, tantisque in miseriis vivendum mihi est, *corripies me*, ET VIVIFICABIS ME; id est, si me occideris, dabis mihi vitam: fut. pro imp. mors mihi vita erit, ut dicebat Ionas cap. IV. 8. *Melius mihi mori quam vivere*. Hic sensus quem noster Interpres videtur exprimere voluisse, multo mihi magis probatur, quam omnes Hebraizantium interpretationes; neque alienus est a verbis Hebraicis, ut quidam putant: nam quamvis Hebraice non legatur אם *si*, tamen ex ipsa verborum connexione facile potest intelligi. Potest etiam esse sensus affirmativus: *Domine, in his vivitur*, עלירם יחיו, *& in his* (consistit) VITA SPIRITUS MEI, propterea tu, CORRIPIES; id est, pro tuo arbitrio potes me vel occidere, vel excitare.

V. 17. ECCE IN PACE; id est, cum in pace mihi esse viderer liberatus a Sennacherib, AMARITUDO MIHI AMARISSIMA; id est, maior morbi calamitas supervenit, ex qua etiam liberasti me, oblitus peccatorum meorum. Hoc est quod dicit, TU AUTEM ERUISTI, &c. ET PROIECISTI POST TERGUM TUUM OMNIA PECCATA MEA. Heb. ואתה חשקת נפשי משחת בלי, *tu autem liberasti* (aut, tibi autem liberare placuit) *animam meam de corruptione* (aut de fovea) *consumptionis*.

V. 18. QUIA; id est, propterea me a morte liberasti ut laudarem te. NON ENIM INFERNUS; id est, mortui, qui in inferno sunt, confitebuntur tibi, id est laudabunt te. NEQUE MORS. Repetitio, id est mortui. Similis sententia Psal. VI. 6. *Quoniam non est in morte qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?* & Psal. CXIII. 17. *Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum*. Quibus locis inepte Hæretici abutuntur ad refellendam Sanctorum intercessionem. Non vident eodem argumento probari posse, neque Sanctos in cælo Deum laudare, neque damnatos in inferno illius meminisse. Intelligenda igitur hæc omnia sunt accommodate ad id de quo agitur, quod mortui non laudent Deum, id est non agant illi gratias pro conservatione vitæ, proque aliis novis beneficiis, sicut viventes. NON EXPECTABUNT; id est, non sperabunt in veritate tua, id est in tua misericordia, non habebunt materiam sperandi in tua misericordia, quemadmodum viventes qui in miseriis versantur. QUI DESCENDUNT IN LACUM, id est in infernum.

V. 20. DOMINE SALVUM ME FAC. Heb. יהוה להושיעני *Dominus ad salvandum* (præsto est) aut, *Domine ad salvandum me* (adesto.) ET PSALMOS NOSTROS: ונגינותי, *& psalmos meos;* id est, hunc ipsum psalmum, quem ego in gratiarum actionem composui. CANTABIMUS, non solum ego, sed ego cum aliis. IN DOMO DOMINI, in templo, publice, coram omni populo, ut omnes tua in me beneficia cognoscant.

V. 21. ET IUSSIT ISAIAS: ישאו דבלת תאנים, est:

est: prius enim iusserat Isaias hoc remedium adhiberi, & prius Ezechias sanatus fuerat, quam hunc Psalmum componeret. Itaque clarius verti potest: ויאמר, *dixerat Ezechias: Tollant massam ficuum, & alligent vulneri, & vivet*: ויחי. Hinc colligitur Ezechiam peste laborasse. Quod autem Isaias iussit massam ficuum adhiberi, alii putant tamquam remedium nuturale adhibitum: sæpe enim Deus miracula perfecit appositis rebus naturalibus. Sicut Christus Ioan. IX. 7. iussit cæcum lavari in natatorio Siloe, & sanatus est. Alii existimant massam ficuum non fuisse salubrem ulceri, sed potius contrariam; ut ea re declararet curationem non esse naturalem, sed divinam. Sicut Christus curavit luto cæcum Ioan. IX. 6. & Elisæus sale, quo omnes res steriles fiunt, steriles aquas fœcundas effecit: IV. Reg. II. 21. atque hoc mihi videtur esse probabilius.

V. 22. Et dixit: ויאמר, *& dixerat Ezechias: Quod erit signum*: debet enim referri ad tempus illud plusquam perfectum, quo Ezechias graviter ægrotans audiverat a Propheta fore ut convalesceret, & quindecim præterea annos viveret: sup. vers. 5. Dixerat enim Isaias Ezechiæ, fore ut die tertio ascenderet in domum Domini: IV. Reg. XX. 5. & petivit Ezechias signum, ibidem vers. 8. propositaque illi est optio, velletne ut ascenderet, an ut descenderet umbra in horologio, vers. 9. quæ omnia Isaias præterivit.

S A.

Vers. 1. Usque ad mortem, id est letaliter. Morieris. Comminatio est, non absoluta denuntiatio.

V. 2. Parietem. Chald. *parietem domus sanctuarii*.

V. 3. In veritate, id est sincere, non simulate.

V. 4. Achaz. LXX. *patris tui*. Lineis. Chald. *horis*. Sol, id est umbra solis, ut supra, vel sol ipse etiam regressus est. Vide IV. Reg. XX.

V. 9. Scriptura. LXX. *oratio*, scilicet conscripta fuit.

V. 10. Dixi, scilicet cum ægrotarem. Quaesivi; id est, optavi. LXX. *relinquam*.

V. 11. Dominum, id est Domini templum, vel opera. Quietis, id est cum quiete.

V. 12. Generatio, id est vita: sic enim vocatur vitæ unius tempus; vel quasi dicat, Filiis careo. LXX. *defeci a cognatione mea*. Convoluta, id est sublata. LXX. *recessit*. Ordirer, id est texerer. Succidit, scilicet textor Deus.

V. 13. Ad mane, id est diutius, scilicet me victurum. Contrivit, scilicet Deus, vel morbus.

V. 14. Clamabo; pro, clamo, vel clamabam. Meditabor, id est gemo, vel gemebam. In excelsum, scilicet ad Deum. Responde; quasi dicat, Defende me. Heb. & Complut. *sponde*. Chald. *fac quod oro*.

V. 15. Fecerit, scilicet quæ patior.

V. 16. Si sic, &c. quasi dicat: Si talis est humanæ vitæ conditio, ut corripias, id est castiges, & vivifices, ecce amara est.

V. 18. Infernus. Chald. *qui habitant in inferno*. Lacum. Chald. *lacum perditionis*. Veritatem tuam, id est tuarum promissionum impletionem. LXX. *misericordiam tuam*. Chald. *salutare tuum*.

V. 19. Veritatem. LXX. *iustitiam*.

V. 21. Iussit; pro, iusserat antea. Cataplasmarent, id est emplastrum imponerent.

V. 22. Dixit; pro, dixerat. Domini, scilicet & datum est id, de quo supra.

E S T I I.

Vers. 9. Scriptura Ezechiae regis Iuda, cum aegrotasset, &c. Et postea v. 12. Generatio mea ablata est, et convoluta est a me quasi tabernacula pastorum. Sensus est: Vita mea ablata est, & convoluta, quomodo convolvi, & transferri solent tabernacula pastorum. Pastores enim in calidis regionibus tabernacula circumferunt contra æstum; & quoties mutant pascua, convolvunt tabernaculum, & alio transferunt. Ita, inquit Ezechias rex, convoluta quoque est vita mea. In nomine autem generationis potest quoque non improbabiliter aliquid amplius intelligi. Ezechias scilicet nondum habebat successorem, quando in hanc infirmitatem incidit,

dit, quia Manasses nondum natus erat; quod ita ostenditur: Ezechias vixit quindecim annis post hunc morbum: patet IV. Regum xx. Manasses autem regnare cœpit post mortem patris cum esset duodecim annorum, ut dicitur in eodem libro quarto Regum cap. sequenti, id est xxi. igitur natus est Manasses post hunc annum anno tertio. Quod ergo ait: *Generatio mea ablata est*, sic intelligi potest: Filium non habeo, & ecce iam morior, & tollitur omnis spes posteritatis meæ, neque promissus ille Messias ex posteritate David ex me nasciturus est, ut speraram. Nempe pii reges Iuda solliciti erant de posteritate; sperantes Christum ex ipsis nasciturum; sicut & per Ezechiam natus est, ut patet Matth. 1. Quod si Ezechias sine sobole mortuus fuisset, iam per aliam stirpem ex Davide nasciturus fuisset Christus Messias promissus.

V. 14. Domine vim patior, responde pro me: quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit? Pridem quidam codices corrupte legebant in prima persona, *cum ipse fecerim*; sed Sixtina recte confirmant lectionem in tertia persona; & sensus est: Domine gravissime affligor vehementia morbi, *vim patior*, ut sustinere nequeam, *Responde pro me*; id est, suscipe patrocinium meum, mitiga dolorem: & hactenus quidem ut homo fragilis. Sed ecce, deinde reprehendens suam velut impatientiam, subiungit: *Quid dicam*; quasi dicat: Causabor ne contra Deum factorem meum, quasi vim ab eo patiar? *Aut quid respondebit mihi*, *cum ipse fecerit*? ac si dicat: Ipse Deus est, qui fecit, qui certo consilio hunc morbum immisit: igitur patienter tolerandum est, donec ei placeat quod immisit, auferre. Simile est illud Psalmi xxxviii. *Obmutui, & non aperui os meum quoniam tu fecisti*.

MARIANAE.

Vers. 1. Dispone domui tuae. Heb. *præcipe domui tuæ*, id est testamentum conde. Hieronymus in Lib. Regum sic dixit, scilicet *præcipe*: sic Chald. Sept. *dispone*.

V. 8. Reverti faciam umbram linearum. Heb. *umbram graduum*: sic horologium vocatur, quod umbra singulis horis singulos gradus descenderet. Chald. *umbram lapidis horarum*. In horologio Achaz. Sic vocabatur, quod is Rex fecisset illud. Decem lineis. Heb. *decem gradibus*.

V. 9. Scriptura Ezechiae; scilicet precatio de scripto concepta hæc est. Canticum in actionem gratiarum ob concessam ex eo morbo sanitatem. Septuag. *Oratio Ezechiæ*. Hoc Canticum non est in Libris Regum.

V. 10. Ego dixi: cogitavi, credidi. In dimidio, id est in media ætate moriar. Septuag. *in excelso*. Chald. *in mœrore*: alii, *in excisione*, cum dies mei præscinderentur morte, scilicet immatura. Vadam ad portas inferi, id est sepulcri. Moriar haud dubium. Quaesivi residuum annorum meorum, id est desideravi, ablati sunt anni qui supererant. Heb. *privatus sum residuo annorum meorum*. Verbum פקד *pakad* polysemon est.

V. 11. Et habitatorem quietis non aspiciam. Heb. *habitatorem temporis*, id est sæculi: homines vivos non aspiciam, non versabor cum eis, cum mortuis agam. *Habitatorem quietis* vocavit eum, cui prospere & ad votum res fluunt. Non videbo homines felices, aut *sanctos*, ut Hieronymus explicat, neque cum eis agam.

V. 12. Generatio mea. Septuag. *defeci a cognatione mea*. Ita *generationem* sumit pro *cognatis*. Vox דור *dor* multa significat. Ego sic verto: *Peregrinatio mea recessit*. *Peregrinatio* pro *vita*, nec discrepat Vulgata. Convoluta est a me, aut *migravit a me*. Praecisa est velut a texente. Sic Chald. Heb. *præcidi velut textor*. *Præcidi*, pro, *præcisa est*, *velut* (a) *texente*, qui solet telam, antequam sit absoluta, præscindere. Dum adhuc ordirer, id est initio vitæ, sub ipsa principia. Heb. *præ macie*, aut *præ morbo succidit me*: ea macies fuit causa telam præscindendi. De mane usque ad vesperam. Heb. *de die usque ad noctem finies me*. Morbus erat ita gravis, ut diem integrum victurum me non putarem.

V. 13. Speraram usque ad mane. Heb. *æquabam* (id est æquo animo ferebam, expectabam) *usque ad mane*; id est, cum intra primum diem me moriturum putassem, vixi tamen usque ad initium sequentis, sed inter magnos cruciatus: id signifi-

cat

cat quod addit: *Quasi leo sic contrivit omnia ossa mea*. DE MANE. Repetit quod dixerat, significans eo etiam secundo die de vita desperasse, se ad noctem victurum non putabat.

V. 14. SICUT PULLUS HIRUNDINIS Heb. *sicut grus* (&) *hirundo*, aut *sicut anser* (&) *hirundo*. Possunt etiam Hebraica sic verti, iunctis Aquilæ & Symmachi interpretationibus, quas Hieronymus affert, *sicut equus clausus*: hinnit enim, præsertim si pabulum desit. Chald. *sicut hirundo capta garrit*. Ita עגר *haghar* significabit *capere* aut *claudere*. Ergo *sicut pullus hirundinis*, SIC CLAMABO; pro, clamabam, cum scilicet is pullus in nido escam petit. Heb. *sic garriebam*, id est gemebam. MEDITABOR UT COLUMBA. Heb. *gemebam ut columba*. ATTENUATI SUNT OCULI MEI, SUSPICIENTES IN EXCELSUM. Heb. *Elevati erant oculi mei in excelsum*; e cælo tantum opem expectabam. DOMINE VIM PATIOR. Heb. *vim facit mihi*, scilicet morbus. RESPONDE PRO ME: opem mihi ferto. Heb. *quiescere me fac*, scilicet sedato morbo. Regia, *sponde pro me*.

V. 15. QUID DICAM, AUT QUID RESPONDEBIT MIHI. Heb. *quid dicam*, *& dicet mihi*, scilicet Deus? pro, & quid dicet mihi? CUM IPSE FECERIT? id est, Deus morbum miserit. Heb. *& ipse fecit*; pro, cum ipse fecerit. RECOGITABO, id est quæ deliqui, ut me pœniteat. Heb. *Incedam omnibus annis meis in amaritudine animæ meæ*, scilicet quod Deum mihi iratum sentiam: sententia non alia.

V. 16. DOMINE SI SIC VIVITUR, id est si ea conditione vivimus, ut morbis obnoxii simus. ET IN TALIBUS. Repetitio. CORRIPIES ME, ET VIVIFICABIS ME. Reliquum est, ut postquam me afflixeris, rursus liberes. Heb. *Domine ultra ipsos* (scilicet annos) *vivent* (scilicet te prorogante vitam, ut mecum fecisti) *& omnibus in ipsis vita spiritus mei* (mihi quoque id beneficium contulisti) *sanabis me*, *& vivificabis me*; pro, sanando, & vivificando me. Dura locutio, nostra planior.

V. 17. IN PACE, id est in flore ætatis. AMARITUDO MEA AMARISSIMA, id est morbus me oppressit. TU AUTEM ERUISTI ANIMAM MEAM, id est vitam meam. Heb. *& tu voluisti* (eruere) *animam meam*. UT NON PERIRET. Heb. *e fovea corruptionis*, id est e sepulcro.

V. 18. QUIA NON INFERNUS; quasi dicat: Ideo pepercisti mihi, ut te laudem: neque enim sepulcrum, id est mortui te laudabunt. David Psal. CXIII. 17. *Non mortui laudabunt te*, *neque omnes qui descendunt in infernum*. NEQUE MORS LAUDABIT TE, id est mortui. Repetitio. IN LACUM. Heb. *in puteum*, *in foveam*, id est sepulcrum qui descendunt. VERITATEM: promissionum scilicet tuarum non expectabunt.

V. 19. CONFITEBITUR, id est laudabit te vivens. PATER FILIIS si vixerit, mortuus non poterit filios instituere, neque iis ostendere veritatem tuam, promissorum tuorum fidem. Septuag. pro, *veritate*, *iustitiam tuam*.

V. 20. DOMINE SALVUM ME FAC. Septuag. *Domine salutis meæ*. Heb. *Domine ad salvandum me*. Sed infinitivus pro imperativo sumi potest, *ad salvandum*, pro, *salva*: aut ל sit nota genitivi, & infinitivus pro nomine, ut Septuag. acceperunt. *Ad salvare*, pro *salutis meæ*.

V. 21. SUPER VULNUS. שחין *Sehin*, *ulcus ex calore* significat, uti alio loco dictum est, Iob II. 7. Fici quoque sunt calidi. Eo miraculum maius, quo remedium ex se ineptius.

V. 22. ET DIXIT EZECHIAS; pro, dixerat. Hi duo postremi versus poni debent post versum 6. ut constat ex Lib. IV. Regum XX. 7. 8. Nec credere debemus, præter horologii signum iam positum, novum nunc signum Ezechiam petere.

MALVENDAE.

Vers. 8. ECCE EGO REVERTI FACIAM UMBRAM LINEARUM, PER QUAS DESCENDERAT IN HOROLOGIO LINEIS. ACHAZ IN SOLE, RETRORSUM DECEM LINEIS. Alii ex Heb. I. *Ecce ego reverti facio umbram graduum*, *quibus descenderat in horologio Achaz in sole retrorsum decem gradibus*. II. *Ecce ego reduco umbram graduum*, *quos descenderat*, *gradibus Achaz*, *in sole retrorsum decem gradibus*. III. *Ecce ego reducturus sum umbram graduum illorum*, *quæ descendit gradibus Achazi solaribus*; id est, qui gradus descripti sunt in horologio solario Achazi, *retrorsum decem gradibus*: vide in II. Reg. XX. 9. 10. & 11. PER QUAS DESCENDERAT. Heb. *quibus descendit*. Alit: *quæ*

quæ descendit. Hebraice *umbra* est masculeum, *descendit* femineum; unde non apte construitur cum *umbra:* aptius cum sole, qui est interdum feminei generis, & subaudiendus ex verbis proxime sequentibus.

V. 9. SCRIPTURA EZECHIAE REGIS. Heb. in dativo: *Scriptum*, id est *psalmus*, *canticum ipsi*, *Chizkiiæ regi*; id est, quod conscripsit, seu composuit rex Chizkiia. ET CONVALUISSET. Heb. *& vixit*, id est revixit, revaluit, ut Numeror. XXI. 8. Hæc inscriptio, ut notant, argumentum sequentis Cantici exponit: primum enim docet Chizkiia quid secum Deus egerit, & ipse cum Deo quo tempore decumbebat, usque ad vers. 15. deinde sanitatem a Deo receptam narrat, fidemque in ipsum, & immortales gratias profitetur, ad finen usque Cantici.

V. 10. EGO DIXI. Alii: *Ego dicebam*; id est, sic statuebam apud me, seu cum animo meo. Observant priorem hanc narrationis partem exponere cum expostulationem Chizkiiæ cum animo suo, qua intempestivam esse mortem sentiebat apud se, & habendæ prolis desiderio ex promissione Dei tenebatur, quatuor versibus; deinde postulatum a Deo, vers. 14. IN DIMIDIO DIERUM MEORUM. Vocem דמי *demi*, varie exponunt: *in excisione*, *rescissione*, *silentio*, *quiete*, *cessatione*, *præcisione dierum meorum*; id est, cum viderem præscindi, rescindi, decurtari, cessare dies meos. Quidam reddunt, *in domitura dierum meorum*; id est, cum domantur & contunduntur, vel conciduntur dies mei. Alii: *rescissis, diebus meis*. Hispanicus Interpres: *en el cortamiento de mis dias*; id est, cum audivi actum esse de me, & finem vitæ mihi adesse, id mihi ex ore Dei renuntiante Propheta. Excisionem dierum vocat mortem illam immaturam, quæ scilicet accidit ante periodum naturalis vitæ; quasi dicat: In silentium redactus fuissem, periissem in flore ætatis meæ, nisi misertus fuisset mihi Deus. VADAM AD PORTAS INFERI. Alii: *aditurus sum portas sepulcri;* id est, si res ita se habet, ut Propheta denuntiavit, præpropere me oportet mori: periphrasis mortis; quasi dicat, Efferar in florente ætate, nimirum triginta novem annorum. QUAESIVI RESIDUUM ANNORUM MEORUM. Alii ex Heb. I. *Privatus sum*, vel *carebo*, seu *privabor*, *residuo annorum meorum*. II. *Recensitus sum in residuo annorum meorum* id est, census actus est de me, & iussus sum pendere residuum vitæ meæ. III. *Privatus sum*, vel *substractus sum residuo annorum meorum*; id est, substractum est mihi residuum tempus vitæ meæ. IV. *Devisitatus sum*, *derecensitus sum residuo annorum meorum;* id est, detractum est, derecensitum est mihi, e censu expunctum est mihi residuum, &c. V. *Deesse mihi sensi residuum annorum meorum*. VI. *Visitatus sum*, id est ad mortem vocatus, vel plaga lethali affectus, *cum adhuc superessent anni mei*, id est ante tempus naturale mortis. VII. *Privor residui annorum meorum*, id est annis qui mihi supererant agendi ex naturæ lege, & promissione Dei. Hispanicus Interpres, *Privado soy del resto de mis annos*. Hebræorum nonnulli exponunt: *Defectus sum residuo*, vel *defecit*, *defuit mihi residuum annorum meorum*.

V. 11. DIXI: NON VIDEBO DOMINUM DEUM IN TERRA VIVENTIUM. Alii: *Dicebam: Non sum visurus Iah, Iah in terra viventium*; quasi dicat, Ego cum a fructu præsentiæ Dei aspectabilis in populo suo, tum a communione Ecclesiæ viventium subtrahar: quæ duo efficiunt ut vita mihi iucunda sit. De nomine Dei יה *iah*, vide Exod. XV. 2. & in Psal. LXVII. 5. Geminatur autem hic ad maius sententiæ incrementum: Non videbo Iah, ipsum, inquam Iah in terra viventium, id est in ipsa Ecclesia militante, ostendentem præsentiam suam in templo, sacrificiis, cultu, & admirandis suis operibus adversus populum suum. ET HABITATOREM QUIETIS. Heb. *cum habitatoribus* חדל *chedel*, quam vocem diversimode interpretantur, *mundi*, *sæculi*, *temporis*, *ævi*, *ætatis*, *curriculi vitæ*, *deficientis*, *desinentis & instabilis*. Forsterus annotat: *Ut* גבול *ghebul*, *non solum limitem seu terminum*, *sed totum spatium & regionem significat*, *quousque protenditur*; *ita hoc nomen chedel*, *non tantum terminum vitæ humanæ*, *verum etiam totum vitæ curriculum notat*, *seu tempus determinatum humanæ vitæ*, *quod cito deficit & cessat*. Vide in Iob XI. Quidam reddunt: *non intuebor hominem inter habitatores mundi*, vel *sæculi deficientis*.

V. 12. GENERATIO MEA ABLATA EST, ET CONVOLUTA EST A ME QUASI TABERNACULUM PASTORUM. Varie alii ex Heb.

I. *Ha-*

I. *Habitatio mea recessit, & migravit a me velut tabernaculum pastoris*; id est, alio mihi dimigrandum est, ut solet pastor transferre casam suam. II. *AEtas mea translata est, & ablata est a me velut tentorium pastoris*. III. *Series vitæ meæ recessit, & evanuit a me velut tabernaculum pastoris*. IV. *Vita mea translata est, & convoluta est a me instar tentorii pastoralis*. V. *Habitare meum*, vel *habitatio mea transfertur & transportatur a me tamquam tentorium pastorale*, &c. id est, vita mihi adimitur: quod comparatione figuratur hoc versu tentorii, seu tugurii pastoralis, & telæ. Hispanicus Interpres: *mi morada*, id est corpus meum, *ha sido movida, y transpassada demi, como tienda de pastor*. VI. *Incolatus meus profectus est, & migravit a me velut tentorium pastoris*. PRAECISA EST VELUT A TEXENTE VITA MEA. Heb. *Præcidi*, vel *abrupi sicut texens vitas meas*. Quidam: *Ad excidium perduxi, ut textor stamen vitam meam*; id est, quemadmodum textor eousque perducit telam, donec sit tempus staminis præcidendi, quod involutum est iugo, sic ego pertexui vitam meam. Alii exponunt: Ut textor aliquando concidit telam antequam absoluta sit; sic ego fui in causa mortis meæ. DUM ADHUC ORDIRER, SUCCIDIT ME. Diversimode alii ex Heb. I. *ægritudine* Deus *concidet me*. II. *præ macie*, vel *præ morbo succidet me*. III. *Propter tenuitatem*, id est infirmitatem, *concidet me*. IV. Forsterus: *præ tenuitate exhausit me*, sive *exhauriendo conficiet me*, vel *a tenuitate avarisavit*, seu *avarisabit me*, id est avide abripuit me. Hoc secutus est Forerius. V. Avenarius: *præ tenuitate corradet, obradet me*; id est, tamquam tenue quoddam facile eradet me. VI. Leo Iudas: *a fastigio incidit me*. VII. Tremellius, Iunius, & Buxtorfius: *a peniculis resecturus est me*. Sic pergit Chizkiia in textoris similitudine: Cum pertexuerim, inquit, vitam meam, iam advenit tempus, quo Deus a peniculis sive peniculamento suo dissecturus est telam vitæ meæ, id est, finem illius effecturus: sunt enim peniculi, sive peniculamenta telæ extrema stamina, seu tenuia fila, quæ textor circumvolvit iugo, nec potest cum reliqua tela propter brevitatem staminis reliqui percurrere, ac propterea ab ea solet resecare. Hebræum autem vocabulum דלה *dallah*, ita accipimus adducti simili loco Canticor. VII. 5. ubi accipitur pro vitta sive loro cincinnos capitis discriminante, ad quam rationem peniculi telæ textoribus componi solent. DE MANE USQUE AD VESPERAM FINIES ME. Heb. *a die usque ad noctem pacificabis me*. Alii: *consummabis*, *complebis*, *perficies*, *conficies*, *consumes*, *absumes*, *me*. Nonnulli reddunt: *a die usque ad noctem absoluturus*, seu *perempturus es me*; id est, hoc ipso die antequam nox advenerit, ut versu sequente: apostrophe ad Deum. Illud *pacificabis me*, tantumdem valet, ac integre, plenarie, perfecte me conficies, vel in pacem & requiem, quam defunctis precantur, deduces me. Heb. potest etiam accipi tertia persona feminea: *conficiet me*, ut ad *dallah*, *exhaustionem*, seu *ægritudinem* referatur.

V. 13. SPERABAM USQUE AD MANE. Verbum שוה *schavah*, hic in Pihel varie exponunt: I. *Tunc posui vitam meam usque ad mane*. II. *Constitui* tempus, vel terminum meum, id est, vitæ meæ *usque ad mane*; id est, dixi me forsitan victurum usque mane. III. *AEquavi* pedes meos cubando *usque in mane*. IV. *Supputabam* pervigil in lecto horas, ut solent ægrotantes, *usque ad mane*. V. *Conferebam in corde meo usque ad mane*; id est, noctem ducebam insomnem, & mente tota nocte volvebam quid hoc rei esset, quod veluti leo sic confringeret Deus universa ossa ac membra mea, & quod tam brevi tempore vitam meam absumeret. Notant verbum *schavah* in Pihel proprie esse, *adæquare*, ut supra cap. XXVIII. 25. transferrique ad animum, quando mente res conferimus ad invicem, & veluti adæquamus & complanamus: quod verbum putant a Luca II. 19. expositum per *Conferens in corde suo*. Aliqui hunc versum ita explanant: *Proponebam dum mane erat*, id est ipso die, quemadmodum interpretantur sequentia, *eamquam leonem, ita fracturum esse Deum omnia ossa mea*; *a die usque ad noctem te perempturum esse me*.

V. 14. SICUT PULLUS. סוס *sus*, aiunt esse nomen avis, proceritate, statura, voce similis equo, quam nos *gruem* vocamus; unde reddunt: *sicut grus*. Reuchlinus, *hirundinem* reddit: Avenarius, *anserem silvestrem* ac *ferum*. HIRUNDINIS. עגור *ghaghur*, inquit Forsterus, *nomen avis, quam aliqui gruem*, *alii* hirundinem, *ego vero anserem* *ferum*

ferum esse arbitror: & hoc nomen ei inditum a stridore, quem propemodum grui similem habet. Moses kutus avis non meminit in lege. Certum est ex earum numero esse, quæ statis temporibus migrant, Ierem. VIII. 7. Nonnulli Hebræorum, *picam*, seu *variam* esse volunt, quæ Italice dicitur *agassa*. Avenarius *gruem* esse putat, nonnihil consentiente voce: quod etiam Reuchlinus probat. Plerique tamen *hirundinem* cum Nostro exponunt. SIC CLAMABO, MEDITABOR UT COLUMBA. Totum hoc hemistychium quidam ita reddunt: *Ut grus aut hirundo, ita pipiebam*, seu *garriebam*, *gemebam ut columba*, *dicens*: *& cetera*. Hic versus constitutionem animi postulantis exponit similitudinibus, & postulati summam: nimirum ita corpore & animo infirmatum fuisse Chizkiiam, ut vix posset proloqui, ac proinde supplicasse paucis. ATTENUATI SUNT OCULI MEI SUSPICIENTES IN EXCELSUM. Alii ex Heb. I. *elevati erant oculi mei ad excelsum*, vel *elevantur oculi mei in excelsum*. II. *tendebant oculi mei in sublime*. III. *exhauriuntur oculi mei spectantes in sublime*. DOMINE VIM PATIOR, RESPONDE PRO ME. Recte monent, Nostrum *sponde* forsan scripsisse, quod Hebræo magis congruit. Alii ex Heb. reddunt: I. *Iehova*, *infirmitas*, *morbus*, *vim facit mihi*, *quiescere fac me*, vel *iucunda me*, vel *dirige me*. II. *Iehova*, *fraus facta est mihi*, vel *calumnia intenta est mihi*, *recipe me in tuam fidem*. III. *o Iehova*, *defraudatio* seu *vis mihi fit*, *fideiube pro me*. IV. Tremellius, & Iunius: *Iehova*, *oppressio fit mihi*, *pertexe me*; id est, hic morbus me conficit, & intempestive opprimit, antequam decurrerim stadium vitæ meæ (quæ adhuc superest pertexenda) ut nequeat perfici: quamobrem tu ipse pertexe me, id est, effice ut iustum vitæ spatium percurram fretus potentia tua. Hæc ita accipienda esse, ostendit series allegoriæ. Verbum autem Hebræum ערב *gharab*, quod alii interpretantur *fideiubere*, alii *dirigere*, alii *recreare*; nos *pertexendi* significatione accipimus, a coniugato nomine ערב *ghereb*, subtegmen, sive tramam significante Levit. XIII. 5. & sequentibus. V. *Iehovah*, *dura & acerba exactio mihi*, *pignora me*; id est, pignus & fidem a me cape mutationis & pœnitentiæ in eo cuius causa vexor. VIM PATIOR. עשקה *ghaschekah*, potest esse tertia persona feminea præteriti, *defraudavit*, *oppressit*, *vim intulit*, *acerbe exegit*, scilicet, *exhaustio*, vel *infirmitas*, e versu 12. & potest esse nomen substantivum, *sycophantia*, *defraudatio*, *fraus*, *fraudulentia*, *oppressio mihi*, fit scilicet. Nonnulli Hebræorum volunt esse imperativum, & in significatione Chaldaica reddunt: *adiunge*, *adde mihi*, scilicet annos vitæ.

V. 15. QUID DICAM? AUT QUID RESPONDEBIT MIHI, CUM IPSE FECERIT? Alii ex Heb. I. *Quid loquar?* vel *quid plura?* quasi dicat, Beneficium Dei narrare verbis non possem: *& dixit mihi*, *& is idem fecit*; vel *ut promisit mihi*, per Isaiam, *sic ipse fecit*; id est, pristinam valetudinem, quam promiserat, restituit. II. *Quod eloquebar*, *statim prædixit mihi*, *idemque fecit*. Altera pars narrationis continens professionem beneficii, a Deo accepti, tribus versibus: & gratiarum actionem ad gloriam Dei, tribus reliquis. Ait ergo: *Quod eloquebar*, id est precabar a Deo, *statim prædixit mihi*, Ieschahiam nondum egressum ex atrio mediano præmittens ad me II. Reg. XX. 4. qui & sanitatem per eumdem mihi contulit. III. *Quid loquar?* & quid *dicet mihi? & ipse fecit*, ac si diceret: Quid opus est verbis? quid de morbo conqueror? quid loquar Domino meo? & is, quid mihi respondebit, cum morbum ipse immiserit? Sed priores explanationes præstant. RECOGITABO TIBI OMNES ANNOS MEOS IN AMARITUDINE ANIMAE MEAE. Alii ex Heb. I. *Leniter*, vel *pedetentim*, *incedam omnibus annis meis propter amaritudinem animæ meæ*. Chaldæus, & aliqui Hebræorum exponunt: *propter liberationem ab amaritudine animæ meæ*, more scilicet eorum, qui mærore affecti sunt, meminerunt calamitatis & afflictionis præteritæ. II. *Perambulabo omnes annos meos super amaritudine animæ*; id est, oppressus hoc morbo molestissimo, mente volvam quot annos vixerim, eosque etiam atque etiam numerando percurram, commemorabo, & Deo dicam: *Domine ultra hos* annos plerique homines *vivere solent*, *&c.* III. *Faciam me frequentare omnibus annis meis propter amaritudinem animæ meæ*; id est, singulis annis frequentabo domum Dei cum pompa solemni procedens ob liberationem ab amarissimo morbo isto: sic sumitur id verbum Psal. XLV. 5. IV. *Leniter incedam omni-*

omnibus annis meis, *ob ægritudinem animæ meæ;* quasi dicat: Quoties memor ero gravitatis morbi mei, incedam leniter more eorum, qui morbo gravi laborant: quoad vivam, memor ero morbi mei. V. *Commovebo me omni tempore vitæ meæ super hac amaritudine animæ meæ;* id est, dum eius recordabor, concutiar. VI. *Movitando* caput, concutiendo corpus *meditabor omnibus annis meis de amaritudine hac animi mei*. VII. Hispanicus Interpres: *Andare temblando contodos miu anima todos los dias demi vida*, nimirum, præteriti hujus ingentis mali recordatione. VIII. *Progredior omnibus annis vitæ meæ ultra amaritudinem animæ meæ*; id est, nunc supervivo amaritudini isti meæ. De verbo דדה *dadah*, vide in Psal. XLI. 5.

V. 16. DOMINE SI SIC VIVITUR, &c. Hunc versum multi ariam ex Heb. explanant: I. *Domine*, *ultra eos vivent*, *& in omnibus quod in eis est*, *vita spiritus mei*, *& sanabis me*, *& vivificabis me*. II. *Domine*, *ultra eos vivent*, *& omnibus dicam*, *quod ipsis est vita spiritus mei: itaque sana me*, *vel impingua*, *robora*, *confirma me*, *& vivifica me*. III. *Domine*, *ultra eos vivent*, *& omnibus hominibus narrabo quod in ipsis annis habeam vitam spiritus mei*, *& quod tu me dormire feceris*, *atque vivificaveris me;* id est, Iam cognovi quod ultra eos vitæ meæ præscriptos annos homines vivere possunt, si tu volueris; id quod in me experior, qui in superadditis annis fruor gratissima vita spiritus mei, id quod aliis narrare soleo. IV. *Domine ultra annos suos vivent* pii, *& omnibus* dicam, *In illis est vita spiritus mei: itaque serva me incolumem ac vivifica me;* quasi dicat: Simile beneficium, quod ego consecutus sum, consequentur qui revertentur ad te toto corde, victuri nempe diutius: & post hac dicam omnibus, In annis beneficio Dei spatio vitæ additus vivo. V. Inverso paululum ordine Hebraicorum verborum: *Etiam omnibus*, qui *ultra eos vivent*, *vita spiritus mei in illis* nota erit, & *quod me dormire feceris*, *& vivificaveris me;* id est, quicumque ultra istos annos vivent, illis etiam spiritus mei vita nota erit. Subauditur relativum *qui*: sed pronomen *illis*, quod femineum, non satis aptatur cum hominibus, sed cum *annis*, qui Heb. feminee efferuntur. VI. *Domine*, *ultra istos vivunt*; id est, Mi Domine, ultra hos triginta novem annos meos plerique vivere solent: *& ad omnia inter ipsos vita spiritus mei;* hoc est, per omnia omnino inter eos nempe, qui plures annos quam triginta novem vivunt, posset quidem adhuc spiritus meus vitam ducere, & inter quinquagenarios aut sexagenarios agere: *somniare me facies*, *& vivificabis me*; id est, facies ut ægritudo hæc veluti somnium transeat, & dissolvatur, ac evanescat, & tandem sanitati restituar: vel *dormire me facies*, *ac sanabis me*, non enim nocte somnum capiebat: & somnus reficit vires, & restituit sanitati. VII. *Domine*, *apud eos*, *qui deinceps vivent*, *ad omnia & omnibus erit mihi spiritualis vita; nam*, *in Domino*, *quasi somniare facturus vivificasti me*. VIII. *Ultra eos vivent*, *Domine*, subaudi, annos vitæ suæ; id est, qui tibi fisi fuerint, vivent ultra suos annos: & idem beneficium sentient quod ego: *& omnibus in eis vita spiritus mei*; id est, & omnibus hominibus dicam, quod in illis annis vitæ meæ additis est vita spiritus mei: *tu me somno degravas*, *& rursum vivificas*. Forte etiam lethargo laboraverat. IX. Hispanicus Interpres: *Sennor*, *aun a todos los que vivran sobre ellos*, scilicet, *los quinze annos annadidos a mi vida*, *anunciare*: *la vida de mi espiritu en ellos*: *y como me hiziste dormir*, id est *me llegaste al punto de la muerte y despues me has dado vida*. X. *Domine*: apostrophe ad Deum, qua Chizkiia thesin sive propositionem universalem de virtute verbi operumque Dei (ex quibus vita constat hominibus) accommodat suæ hypothesi, *per hæc vivitur*, Heb. *vivunt*, impersonaliter; id est, per hæc quæ dicis & facis: *etiam iis singulis inest vita spiritus mei*; id est, non aliunde vivo quam ex verbo procedente ab ore tuo: Deuteronom. VIII. 3. *his facis ut revalescam*, *& vivum conservas me*. CORRIPIES ME. ותחלימני *vethachalimenu*. Futurum secundæ personæ masculeæ. Hiphil, quod varie reddunt: I. *& incrassabis*, *ingrossabis*, *impinguabis me*, aut *impinguare facies me*. Forte quod vi morbi perductus esset ad summam maciem. II. *& revalescere*, *convalescere facies me*, vel *sanum reddes me*. Sic verbum *chalam* sumi volunt Iob XXXIX. 7. quasi dicat, Incolumem reddes me. III. *& somniare facies me;* id est, facies ut hic lethifer morbus, abeat tamquam somnium; vel facies ut hæc sanitas

tam-

tamquam per somnium advenisse videatur, tam erat præter omnem spem. IV. *& dormire facies me;* id est, ut essem vicinus morti, quæ sacris & profanis auctoribus solet appellari dormitio, seu somnus; vel cum insomnio laborarem vi morbi, restituisti mihi somnum, & cum eo sanitatem. Potest etiam esse tertia persona feminea: *& dormire me fecit* ægritudo, e vers. 12. quasi dicat, Propemodum ad somnum mortis deduxerat. ET VIVIFICABIS ME. והחייני *vehachaieni*, imperativus, *& vivifica me*, seu *conserva me in vita*, *fac ut revalescam*, ut supra vers. 9. Alii infinitivum esse putant: *& vivificando*, seu *conservando me;* pro futuro, *& conservabis me*.

V. 17. ECCE IN PACE AMARITUDO MEA AMARISSIMA. Alii ex Heb. I. *Ecce dum essem in pace*, id est prosperitate, *amaritudo mihi amara*; id est, supervenit mihi ægritudo amara. II. *Ecce pro pace*, id est *valetudine*, seu *incolumitate* recuperanda, *fuit mihi amara amaritudo*, hoc est amare flevi. III. *Ecce in incolumitatem amaritudo mea*, *quæ valde mihi amara erat*, subito versa est. IV. *Ecce ad incolumitatem cedet mihi amara hæc amaritudo*. V. *Sane propter pacem* amissam *amaritudo mihi amara fuit:* id est, ob valetudinem amissam eram in summa tristitia. VI. *Sane in pace*, id est in flore ætatis, quo tempore homines sani & incolumes esse solent, contigit *mihi amaritudo* hæc *amara*, id est gravissimus morbus. VII. *Ecce ad pacem advenit amara mihi amaritudo*; id est, postquam mihi & toti regno meo pacem tribueras ab Assyrio & omnibus inimicis meis, statim in morbum desperatissimum incidi. TU AUTEM ERUISTI ANIMAM MEAM UT NON PERIRET. Alii ex Heb. I. *Tu autem desiderasti eruere animam meam a fovea consumptionis*, vel *corruptionis*, id est de sepulcro, in quo corpora consumuntur. II. *Et tu suscepisti animam meam ex fovea putrefactionis*. III. *Et tu cupivisti*, vel *ex amore acceptasti animam meam ex fovea vetustatis*, *antiquitatis*, seu per metalepsin, *corruptionis*, *putrefactionis*, quæ vetustatem sequitur. IV. *Et tibi placuit eruere animam meam a fovea corruptionis*, seu *putredinis*. V. *Et tu amplexus es amore animam meam a fovea abolitionis*. VI. *Et tu dilexisti*, seu *optavisti animam meam*, *ut eamerueres a fovea nihili*. VII. *Et tu amplexatus es*, seu *complexus es ex amore animam meam a fovea corruptionis*. VIII. *Sed tu propensus amore eduxisti animam meam a fovea consumptionis*, sive *exedente & consumente*. De notione verbi חשק *chaschak*, vide in Genes. XXXIV. 8. Forsterus notat, hoc verbum hic constructum cum præpositione *Mem*, significare *cum desiderio eripere*, seu *extrahere ex fovea*; unde reddit: *& tu exdesiderasti animam meam ex fovea*, &c. vide ipsum in Radice בלי *beli*, a בלה *balah*, *vetustas*, *putrefactio*, a בל *bal*, *nihil animam meam*, id est vitam meam, ut passim. PROJECISTI POST TERGUM TUUM, &c. Heb. *quia abiecisti post tergum tuum omnia peccata mea*; id est, condonasti, remisisti, delevisti ea omnia, quorum nomine affligebar: humanitus dictum.

V. 18. QUIA NON INFERNUS CONFITEBITUR TIBI, NEQUE MORS LAUDABIT TE; &c. Quidam: *non enim sepulcrum celebrat te*, *aut mors laudat te*, &c. Ætiologia restitutionis vitæ, & remissionis peccatorum omnium gloria Dei: ut Psal. VI. 6. Alii: *Neque enim aut inferi*, id est sepulti, *te canunt*, *aut mortui te laudant*. NON EXPECTABUNT QUI DESCENDUNT IN LACUM, VERITATEM TUAM. Alii: *Non habent expectationem in fide tua*, *qui descendunt in cisternam*, seu *sepulcrum;* id est, corpora sepulta nullam habent expectationem in fide, constantia, certitudine, impletione promissionum tuarum, quæ sunt æternæ veritatis: quia nihil sentiunt, & sunt vitæ ac rationis expertia.

V. 19. VIVENS, VIVENS IPSE CONFITEBITUR TIBI: vel *vivus*, *vivus ipse celebrabit te*. Geminatio vocis sensum intendit; quasi dicat: Omnino hoc ad viventes pertinet, videlicet celebrare te. PATER FILIIS NOTAM FACIET VERITATEM TUAM: vel *fidem tuam*, ut versu præcedente; quasi dicat: Pater quamdiu vivit, potest instituere liberos suos, & docere illos veritatem promissionum tuarum: quod mortuus præstare ultra non potest.

V. 20. DOMINE SALVUM ME FAC, &c. Hunc versum nos verbo tenus ex Heb. expressimus: (IHUH *ad salvare me*, *& neghinoth meas pulsabimus omnibus diebus vitæ nostræ super domum* IHUH.) Varie alii: I. *Iehovæ est ut salvet me*, vel *Iehova ad salvandum me adfuit*, aut *restituere mihi sanitatem voluit*, *& cantica mea celebrabimus*

omnibus diebus vitæ nostræ in æde Iehovæ. II. *Iehova dixit*, *quod salvum faceret me*; *& modulamina mea modulabimur omnibus diebus vitæ nostræ in domo Domini*. III. *Iehova præsto est ad servandum me*, *ideo odas Lyricas meas pulsabimus omnibus diebus vitæ nostræ in domo Iehovæ*. Conclusio a professione fidei, & laudationis Dei.

V. 21. Et iussit Isaias, &c. Heb. *Et dixit Iesahiahu*. Alii: *Dixerat enim Ieschahia*, nimirum supra inter versum 6. & 7. antequam Chizkiia hoc canticum caneret: nam duo postremi huius capitis versus ibi sedem suam habent, ut apparet ex filo narrationis II. Reg. xx. 7. & 8. Et cataplasmarent. Verbum מרח *marach*, aiunt proprie esse chirurgicum, quasi dicas, *Alligare*, *circumligare*, *fasciare*; vel *cataplasmare*, *emplastro oblinire*: seu potius *comprimere*, *contundere*, ex loco Levit. xxi. 20. Aliis est, *disterere*, *obterere*, *conquassare*; unde reddunt: *& contundant super ulcus*; id est, contusam applicent, appingant, apponant super ulcus. Vide de hoc versu in II. Reg. xx. 7. Et sanaretur. Heb. *& vivet*, seu potius *vixit*, vel *ut vivat*; id est, & revaluit, ut supra vers. 9.

V. 22. Et dixit Ezechias: vel, *& dixerat Chizkiia*, &c. Vide versu superiore, & II. Reg. xx. 8. Quod erit signum, quia ascendam in domum Domini? Alii: *Quod est signum*, *me ascensurum esse in domum Iehovæ?* Quidam exponunt: *O quale signum*, scilicet, egregium est, vel *quam admirandum*, *quod in domum Iehovæ ascensurus sum!*

MENOCHII.

Vers. 1. In diebus illis, &c. Hæc habentur eodem Lib. IV. Reg. cap. xx. ubi ea explicavimus.

V. 9. Scriptura Ezechiae regis: carmen Eucharisticum Ezechiæ, fortasse ab Isaia compositum, quod scriptis ad rei memoriam mandari iussit.

V. 10. Ego dixi: putavi actum esse de vita mea. In dimidio dierum meorum: agebat enim Ezechias annum trigesimum nonum. Ad portas inferi: ad sepulcrum. Quaesivi residuum annorum meorum: dolui meam vitam accidi, & annos aliquot vitæ mihi auferri, illos optavi, & desideravi: quia mihi deesse illos videbam. Sic qui defuit, dicitur a Latinis, *desideratus est*.

V. 11. Non videbo Dominum: non me amplius Domino sistam in templo. Habitatorem quietis: non amplius versabor in populo meo, qui, Ierusalem ab AEgyptiis liberata, tranquilla quiete fruitur.

V. 12. Generatio mea ablata est: vita, sæculum, ætas mea; hoc enim significat Hebraicum דור *dor*, id est vitæ cuiusque tempus. Convoluta est a me, id est ablata, sed ita loquitur propter sequentem metaphoram tabernaculi pastoralis, quod pastores eum sedem mutant, complicant, & convolvunt. Quasi tabernaculum pastorum: significat cito ablatam, & convolutam fuisse vitam suam, & moram in terris brevem admodum fuisse, & quasi unius, aut paucorum dierum, ad instar moris pastorum, in aliquo loco, qui fere quotidie sedes mutant. Praecisa est velut a texente vita mea: sicut textor hostibus venientibus, aut alia necessitate ingruente, telam quam texebat, præcidit, ut fugiens secum auferat; ita ego cogor nondum absolutam vitæ meæ telam abrumpere. In Hebræo est: *Præcidi velut textor vitam meam*. Dum adhuc ordirer; id est, multa animo designarem, & vita comite facere constituerem. De mane usque ad vesperam; quasi dicat: Adeo gravis erat morbus, ut putarem me eo solo die esse victurum, & vesperi moriturum.

V. 13. Sperabam usque ad mane: cum viderem me ad vesperam vivum pervenisse, sperabam usque ad mane, sed non ulterius victurum. Quasi leo contrivit, &c. scilicet morbus, & Deus per morbum. De mane usque ad vesperam, &c. quasi dicat: Cum viderem morbum adeo sævire, statuebam me ante noctem moriturum.

V. 14. Sicut pullus hirundinis: qui in nido implumis, frigens, & famens gemit. Meditabor ut columba: dicitur columba meditari, quia ex imo gutture, vel pectore gemitum edit. Attenuati sunt oculi mei, &c. quasi dicat: Ita assidue, intente, & gemebunde respexi ad Dominum, ut oculi mei fessi, morboque debilitati attenuati sint. Domine vim patior: vehementer hoc morbo crucior, ut non sim ferendo. Responde pro me: tu suscipe patro-

trocinium meum, & quasi patronus tuere me cum hoc morbo litigantem.

V. 15. QUID DICAM? Corrigit se Ezechias, quasi dicat: Quid causabor contra Deum factorem meum? AUT QUID RESPONDEBIT MIHI, CUM IPSE FECERIT? Sententia est: Quid dicam? Deus enim quem invoco, respondebit se, qui vitæ Dominus est, id fecisse iure suo, ut conqueri merito non possim. RECOGITABO TIBI, &c. quasi dicat: Cum tecum iure contendere nequicam, supplex vertar ad pœnitentiam, & ad lacrymas, ut iis a tua misericordia non debitum, sed gratiam impetrem.

V. 16. DOMINE SI SIC VIVITUR: si talis, & tam misera est vitæ humanæ conditio. ET IN TALIBUS VITA SPIRITUS MEI: repetitio eiusdem sententiæ, idem enim significat, quod, *si sic vivitur*. CORRIPIES ME, &c. quasi dicat: Si talis est humanæ vitæ conditio, ut corripias, id est castiges tam acerbis inflictis doloribus, & tamen in vita conserves, amara est. Peto ergo, ut si vita conceditur, minuantur, immo tollantur dolores.

V. 17. ECCE IN PACE AMARITUDO MEA AMARISSIMA; id est, in media pace, in flore ætatis, & regni mei, amarissimos patior cruciatus. TU AUTEM, flexus mea pœnitentia, oratione, & lacrimis, ERUISTI ANIMAM MEAM: a morte præsenti, & futura. PROIECISTI POST TERGUM TUUM: condonasti, amovisti a vultu tuo, oblitus es peccata mea.

V. 18. NON INFERNUS CONFITEBITUR TIBI: restituisti mihi vitam, & valetudinem, ut laudem, & celebrem clementiam tuam inter viventes, quod facere non possunt qui extincti, inferno, id est sepulcro, conditi sunt. NEQUE MORS, &c. Est repetitio eiusdem sententiæ. NON EXPECTABUNT QUI DESCENDUNT IN LACUM, VERITATEM TUAM. LXX. habent: *Neque sperabunt, qui apud inferos sunt, misericordiam tuam;* id est, qui iam mortui sunt, non sperant se ante generalem mortuorum resurrectionem vitæ restituendos: nam paucis admodum concessum est ut ad vitam revocentur, postquam semel mortui sunt.

V. 19. CONFITEBITUR TIBI, &c. id est, laudabit te inter alios viventes, verbi gratia, in templo, aut domi, filiis commemorando beneficia a Deo accepta. VERITATEM TUAM: fidelitatem tuam, qua pollicitus es te erga bonos benignum & beneficum futurum.

V. 20. SALVUM ME FAC, id est in reddita sanitate conserva. IN DOMO DOMINI, in templo.

V. 21. ET IUSSIT ISAIAS, &c. Hæc sunt explicata IV. Reg. xx. 7.

T I R I N I.

Vers. 3. DE fletu, de causa fletus Ezechiæ, de ficubus quibus curatus est, de regressu solis ad decem lineas, & aliis huc spectantibus, fuse egi IV. Regum xx. Superest explicandum solum carmen Eucharisticon, quod hic vocatur.

V. 9. SCRIPTURA EZECHIAE, id est conscriptum ab Ezechia in gratiarum actionem Deo pro sanitate restituta: quin & in æs incisum, & in modum votivæ tabellæ publice proponi iussum, in perpetuum divinæ clementiæ præconium & monumentum, inquit Sanctius & a Lapide.

V. 10. EGO DIXI, tum ore, tum corde; id est, putavi omnino actum esse de vita mea, mihique in flore ætatis (cum annum XXXIX. non excederem) moriendum, & AD PORTAS INFERI, secundum corpus ad sepulcrum, secundum animam ad limbum, seu sinum Abrahæ, abeundum esse. RESIDUM ergo ANNORUM MEORUM, quod mihi subtrahi & deesse sentiebam, QUAESIVI, seu requisivi, sed frustra, inquit Forerius. Sic solemus dicere: Requiro in te diligentiam; id est, video tibi diligentiam deesse, quam optarem adesse.

V. 11. NON VIDEBO DOMINUM DEUM IN TERRA VIVENTIUM; id est, in hoc terræ theatro præclustria opera patrantem, ac præ omnibus stragem Sennacheribi & victoriam de Assyriis mihi cælitus promissam. Nam hic morbus occupavit Ezechiam interim dum Sennacherib ex Iudæa in AEgyptum adversus Tharacam regem AEthyopiæ deflecteret. Quod si vita mihi superites relinqueretur, reducem illum tyrannum viderem cæsum, fugatum vel subactum: HOMINEM vero, seu homines regni mei, HABITATORES QUIETIS, id est quiete & pace fruentes, nunc etiam isto gaudio privabor per mortem. Per quam eamdem

V. 12. GENERATIO, id est stirps & posteritas omnis MEA ABLATA EST A ME. Careo enim prole: & consequenter Messias

fias Davidi promiffus, ex femine meo non procreabitur. Ergo corruet familia mea, & inftar tabernaculi ruralis mox convolvetur & e medio tolletur: ita fanctus Hieronymus, Thomas, Lyranus, Haymo & alii. DE MANE USQUE AD VESPERAM FINIES ME; id eft, infra diei unius fpatium finies vitam meam; adeo fævit in me peftifer morbus, ut ultra diem unum fupervivere me poffe defperem. Cum tamen exegiffem primum diem, cœpi nonnihil fperare; & ita

V. 13. SPERABAM USQUE AD MANE, fecundi diei, cum & vis morbi prorfus me deiecit, inftar *leonis* OMNIA OSSA, id eft vires meas depafcens: & denuntiatio Ifaiæ, qua me certo moriturum dicebat, fpem nullam ulterioris vitæ reliquit.

V. 14. *Clamare* igitur cœpi ex imo corde, SICUT PULLUS HIRUNDINIS, in nidulo implumis, frigens & famens, & ficut COLUMBA cœpi meditari, nempe gemendo, plorando, queritando, opem cælilitus implorando. DOMINE VIM PATIOR a morbo nimis me cruciante, adeo ut ferendo non fim. RESPONDE PRO ME; id eft, tu fufcipe patrocinium meum & tuere me, alioqui fuccumbentem.

V. 15. QUID DICAM? quid volo queri, quid lamentari? Et fi querar, quid aliud ab eo refponfi expectare debeo, nifi, Ego *ipfe feci*, ego potui, ego volui morbum hunc tibi, & mortem immittere? Sic exigit iuftitia, fic pofcit confilium meum. Simili modo corrigit querelam fuam & cum Deo difputationem Iob capite XLII. verfu 2. Cum ergo non poffim iure tecum contendere, RECOGITABO TIBI OMNES præteritæ vitæ ANNOS MEOS IN, id eft cum, AMARITUDINE ANIMAE MEAE; & fupplex convertor ad pœnitentiam & lacrymas, revocans in memoriam fingula peccata quibus tot iam annis iram tuam in me provocavi, atque ita non iam debitum urgebo apud tuam iuftitiam, fed gratiam orabo a tua clementia.

V. 16. SI SIC VIVITUR, fi culpa nulla impune patratur, per me licet, CORRIPIES ME, punies, torquebis, affliges me pro placito & libito tuo; dummodo fic *vivifices* ME, & a peccatis, quibus mortem promerui, me expedias, & confequenter in vita iam purgatum conferves: ita fere S. Hieronymus & Sasbout. Et mox o ftupendam tuam clementiam!

V. 17. ECCE IN PACE AMARITUDO MEA AMARISSIMA; id eft, acerbiffima illa afflictio & dolor lethalis, fubito conquievit, & in pace, falute, omnique felicitate, ac gaudio me conftituit. Nam illo ipfo fecundo die fanatus eft rex, ut dicitur IV. Regum XX. 5. Ideo vero fanafti me,

V. 18. QUIA INFERNUS ET MORS; id eft, qui in inferno & morte verfantur, *non confitentur* TIBI, id eft non celebrant apud homines mortales nomen tuum, quod tu a me, ut adhuc XV. annis faciam, depofcis. Simulque vis ut *exfpectem*, videam & fentiam VERITATEM TUAM, id eft fidelitatem in præftandis a te promiffis, nempe liberatione ab Affyriis, & fufceptione prolis ex me, per quam Meffias olim procreabitur. Quorum neutrum expertus fuiffem fi iam IN LACUM fepulcri & limbi *defcendiffem*. Porro tertio anno ab hac curatione & proftratos vidit Afsyrios, & Manafsen primogenitum ac fuccefsorem fuum progenuit Ezechias, ut dixi IV. Reg. XX. 3.

GORDONI.

Verf. 1. IN DIEBUS ILLIS AEGROTAVIT, &c. hoc eft, ut ego interpretor, anno Ezechiæ XV. ex noftro diagrammate, aut exeunte anno XIV. nam ex hoc ipfo capite fuperfunt illi anni XV. & conftat regnaffe annis XXIX. ex Lib. IV. Reg. cap. XVIII. verf. 2. Hic lapfus eft Iofephus Lib. X. Antiq. qui putat morbum hunc contigiffe poft cladem Sennacherib, ut habes hic ex v. 5. & 6.

At quomodo vera prædictio hæc, MORIERIS TU? certe ita futurum erat ex ftatu morbi, & vi naturalium caufarum quæ tunc aderant: morbus itaque lethalis erat, fed voluit Deus uti miraculo: vide Auguft. Lib. V. in Genef. ad lit. cap. XVII. tom. 3.

V. 3. FLEVIT. Non habebat regni heredem, nam natus eft Manaffes fere poft triennium.

V. 7. HOC TIBI SIGNUM ERIT, &c. Primum fciaterici horologii (per umbram horas indicat) auctorem fuiffe Anaximenem (floruit fub 50. Olympiade) fcribit Plinius; fed fallitur: ecce enim hic horologium fciatericum Achaz patris Ezechiæ; Achaz autem non abeft multum a tertia Olympiade.

Quæ-

Quæstio est an umbra solis regressa sit per decem lineas, vel horas; an vero Sol ipse regressus sit per decem gradus respondentes horis totidem. Utraque opinio suos habet auctores; sed Solis regressum affirmant communiter Patres Cyril. Hieronym. Haymo, Procopius, Lyra. Hugo, & alii; & hanc partem satis prolixe probat textus, vers. 8. REVERSUS EST SOL DECEM LINEIS, inquit Isaias, & habetur Eccles. XLVIII. 26. vide quæ dixi IV. Reg. cap. xx.

V. 9. SCRIPTURA EZECHIAE REGIS, &c. En canticum Ezechiæ continens recuperata sanitate gratiarum actionem. Dubium est an ab Isaia scriptum sit, an ab ipso Ezechia, cuius opera (ut alias monui) putantur scripti alii quidem scripturæ libri. Incipit canticum a morbo.

V. 10. EGO DIXI, &c. Loquitur Ezechias in dimidio annorum vitæ; sane si natus est Ezechias anno 8. Ioathan, iam ut minimum agebat annum vitæ 34. & tantum supersunt anni 14. Quomodo ergo IN DIMIDIO DIERUM? intellige vel annos regni, nam sic parum abest a medio; vel in medio ætatis illius quæ designatur hominibus ut maxima, Psal. LXXXIX. 10. ubi designantur anni 70. vel 80. in Heb. varie legitur, דמי *dami*, *in sanguine meo*, ברמי *bidmi*, *in excisione*, דומי *dumi*, *in infirmitate mea*.

V. 11. & 12. NON VIDEBO DOMINUM, &c. Scilicet ultra inter hic viventes, seu in terra tabernaculi Dei mei: ex vers. 12. notavi nondum fuisse natum filium Manassen.

V. 16. DOMINE, SI SIC VIVITUR. Heb. עליהם, *super ipsos*, scilicet annos (*hhalehem*) *vivitur*, te mihi vitam protegente. In Heb. non est τὸ *si*, sed idem est sensus; nempe, te protegente, vivificabis me, corripe quidem me, sed vivifica: & sic ERIT (vers. 17.) IN PACE AMARITUDO MEA: & quæ sequuntur laudem habent.

V. 21. ET IUSSIT ISAIAS, &c. Hæc quidem dicta & facta sunt ante canticum: hic pro coronide collocantur.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 13. SPERABAM. Dum morbo gravi vexaretur, spes vitæ fere nulla erat.

Vers. 14. Ut pullus hirundinis in nido implumis, ex frigore & fame gemens: meditatur ut columba ex gutture & pectore gemens.

Vers. 15. QUID DICAM? Statim se reprimit; quasi diceret: Quid plura? cum a Deo meo, qui me creavit, sit hoc malum, convertam me ad pœnitentiam.

CA-



CAPUT XXXIX.

Ezechias cum missis a rege Babylonis nuntiis suos ostendisset thesauros, ab Isaia de futura eorum in Babylonem ablatione praemonetur.

1. IN tempore illo (a) misit Merodach Baladan, filius Baladan
rex Babylonis, libros & munera ad Ezechiam: audierat
enim quod aegrotasset & convaluisset. 2. Laetatus est au-
tem super eis Ezechias, & ostendit eis cellam aromatum,
& argenti, & auri, & odoramentorum, & unguenti opti-
mi, & omnes apothecas supellectilis suae: & universa
quae inventa sunt in thesauris eius. Non fuit verbum quod
non ostenderet eis Ezechias in domo sua, & in omni po-
testate sua. 3. Introivit autem Isaias propheta ad Ezechiam regem, & dixit
ei: Quid dixerunt viri isti, & unde venerunt ad te? Et dixit Ezechias: De
terra longinqua venerunt ad me, de Babylone. 4. Et dixit: Quid viderunt in
domo tua? Et dixit Ezechias: Omnia quae in domo mea sunt, viderunt: non
fuit res, quam non ostenderim eis in thesauris meis. 5. Et dixit Isaias ad Eze-
chiam: Audi verbum Domini exercituum. 6. Ecce dies venient, & auferentur
omnia, quae in domo tua sunt, & quae thesaurizaverunt patres tui usque in diem
hanc, in Babylonem: non relinquetur quidquam, dicit Dominus. 7. Et de filiis
tuis, qui exibunt de te, quos genueris, tollent, & erunt eunuchi in palatio regis
Babylonis. 8. Et dixit Ezechias ad Isaiam: Bonum verbum Domini quod lo-
cutus est. Et dixit: Fiat tantum pax, & veritas in diebus meis.

(a) IV. Reg. xx. 12.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. IN TEMPORE ILLO. Heb. pro, *post tempus illud*, id est postquam Ezechias convaluisset. MISIT MERODACH. Is tunc erat rex Babylonis, Ierem. L. 2. Lib. autem IV. Reg. cap. xx. 12. vocatur Berodach. LIBROS, ספרים, *litteras*, ut idem noster Interpres vertit, IV. Reg. xx. 12. AUDIERAT ENIM. Reddit legationis causam, ut illi recuperatam gratularetur valetudinem.

V. 2. LAETATUS EST AUTEM SUPER EIS, id est *cum eis* עליהם. ET OSTENDIT EIS CELLAM AROMATUM: בתנכתה, *domum thesauri sui*, vel, *rerum pretiosarum suarum*. NON FUIT VERBUM, id est non fuit res ulla, ut inf. vers. 4. Hebraismus, ut Lucae II. 15. *Videamus hoc verbum, quod factum est*. ET IN OMNI POTESTATE SUA, id est in divitiis suis, in quibus eius potentia consistebat: vel, in omnibus quae in eius erant potestate, eorum quae possidebat.

V. 3. QUID DIXERUNT. Verosimile est non ignorasse Prophetam quid legati dixissent; id est, quam Ezechiae legationem attulissent, & unde venissent: sed interrogat quid illi dixissent, ut eliciat a rege quid ipse fecisset, suumque ipse peccatum confiteretur. DE TERRA LONGINQUA. Glorians haec dicit Ezechias; laudat enim se oblique quod

quod ad se tam longe & a tanto rege legati missi sint: ex quo intelligimus quale fuerit peccatum Ezechiæ, nempe ambitio fuit, quæ propterea Deum tantopere irritavit, qualis fuit illa Davidis populum iubentis recensere: II. Reg. XXIV. I. Accessit quod bis iam a Deo miraculo liberatus non debuit cum impio rege Babylonis, quasi Deo diffidens, amicitiam inire.

V. 6. AUFERENTUR OMNIA. Iisdem verbis pœnam regi comminatur, quibus ille gloriatus fuerat; nam quibus quisque rebus peccat, iisdem puniri debet.

V. 7. ET DE FILIIS TUIS, id est de posteris tuis: eius enim filii non sunt abducti Babylonem, sed ductus est Ioachim septimus ab Ezechia rex: IV. Reg. XXIV. 15. & multi ex regio genere qui eunuchi regis fuerunt, ut Daniel & eius socii: Daniel. I. 3.

V. 8. BONUM VERBUM DOMINI, id est iusta est Domini contra me sententia: vel, *Bonum*, id est mite, benignum: sic enim Hebræi loqui solent; quasi dicat, Minor est ista pœna peccato meo. QUOD FACTUM EST: אשר דברת, *quod* (tu Isaia) *locutus es*, id est quod mihi denuntiasti. ET DIXIT (Ezechias) FIAT TANTUM PAX, id est saltem fiat pax; id est, hoc saltem mihi Deus concedit, quod id non fiet vivente me. Sicut Salomoni viventi noluit Deus regnum tollere, sed abstulit ab eius filio: III. Reg. XI. 34. 35. Credibile autem est Isaiam Ezechiæ indicasse hoc non fuisse eo vivente futurum, quamvis id neque hoc loco, neque in IV. Lib. Reg. scriptum sit; ac propterea ita eum respondisse. ET VERITAS, id est misericordia; vel, saltem stabilitas regni mei, & divinæ promissionis, qua mihi quindecim annos addidit, durabit me vivente.

S A.

Vers. 1. LIBROS. Chald. & LXX. *epistolas*.

V. 2. VERBUM, id est res. LXX. *aliquid*. POTESTATE, id est regno. Chald. *dominatione*.

V. 5. EXERCITUUM, id est potentissimi.

V. 7. FILIIS, id est posteris.

V. 8. BONUM, id est æquum. Chald. *rectum*. FIAT, scilicet precor. VERITAS, id est quod mihi Deus promisit. LXX. *iustitia*.

E S T I I.

Vers. 1. IN TEMPORE ILLO MISIT MERODACH BALADAN, FILIUS BALADAN REX BABYLONIS, LIBROS ET MUNERA AD EZECHIAM. Per libros intellige litteras, epistolam: sic enim idem Hieron. vertit IV. Reg. XX. ubi hæc eadem historia narratur. Hebræa vox generalis est ad libros, & epistolas, & quodcumque scripti genus.

V. 8. BONUM VERBUM DOMINI, QUOD LOCUTUS EST: FIAT TANTUM PAX ET VERITAS IN DIEBUS MEIS. Hebraice est in secunda persona, *quod locutus es*, quo modo Interpres idem vertit IV. Reg. XX. ut dirigatur sermo Ezechiæ ad Isaiam Prophetam, gravia illi ex præcepto Domini comminantis: & eodem recidit; sensus enim est: Quod mihi nuncias a Domino, bonum verbum Domini interpretor. Verba enim sunt, voluntatem suam subiicientis Dei voluntati, & iustitiam eius probantis. Tamen hoc adiecit: *Fiat tantum pax & veritas in diebus meis*: ubi pax quietem & tranquillitatem in bono significat, veritas stabilitatem; & sensus est: Tantum precor, ut quoniam de diebus meis mihil mali nuncias, regni mei statum habeam pacatum & stabilem, quoad vivam. Sic & Ecclesia orat: *Da pacem Domine in diebus nostris*. Non ergo peccavit his verbis Ezechias, quod non fuerit conatus avertere iram Dei quoque a posteris suis, quod ei impingunt Hebræi; sed scilicet cognitæ per Prophetam absolutæ Dei voluntati suam voluntatem pie accommodavit.

M A R I A N AE.

Vers. 1. MISIT MERODACH. Hunc putant fuisse patrem Nabuchodonosoris, eius qui Ierusalem cepit. LIBROS ET MUNERA. Heb. *libros & munus*; sed per *libros* litteras intelligit. Chald. & Septuag. *epistolas*: sic ipse Hieronymus vertit in Lib. Regum. Ergo Merodach misit ad Ezechiam litteras cum muneribus. Quid Ezechias?

V. 2. OSTENDIT EIS, scilicet nuntiis, CELLAM AROMATUM. Sic Septuag. Chald. do-

domum thesaurorum suorum. Alii vertunt, *domum desiderabilium suorum*, id est ubi pretiosa quæque servabantur. Et odoramentorum. Alii, *aromatum*. Unguenti optimi. Heb. *olei optimi*, scilicet balsami. Et omnes apothecas supellectilis suae. Heb. *& omnem domum vasorum suorum*, id est supellectilis. In omni potestate sua, seu *ditione sua*. Hæc Ezechias Legatis ostendit.

V. 7. Tollent, de filiis tuis. In Lib. Regum, *tollentur*. Goth. ibi, *tollent:* sic Heb. in utroque loco. Et erunt eunuchi. Sic Daniel & socii, ut putant Hebræi, fuerunt eunuchi. Chald. hic & in libris Regum, *erunt Principes*. Nimirum ea voce *Principes* significantur, uti dictum est Genes. xxxvii. 36. tum ministri regii. Interpres Latinus pro *rabrabim* voce Chald. id est *Principes*, vertit hic *nutriti*, sed male, ut constat ex Methurgeman Eliæ.

V. 8. Bonum verbum Domini: sermo Domini. Fiat quod ei placuerit. Quod locutus est. In Lib. Regum, *locutus es*, in secunda persona; sicque hic est etiam in Heb. Veritas, scilicet eorum quæ Deus mihi promisit, fiat. Et sit pax in diebus meis. Malum quod nuntias, me vivo non veniat.

MALVENDAE

nulla annotatio.

MENOCHII

nulla annotatio.

TIRINI.

Vers. 1. Merodach Baladan quis fuerit, dixi IV. Reg. xx. 12. Quomodo & quamdiu sceptro Babylonico potitus sit, vide Chron. cap. xxxiv. Misit libros. Hebraice, *sepher*, id est, litteras, ut dixi cap. xxxvii. 14. Porro occasione harum litterarum & legatorum

V. 2. Laetatus est Ezechias; primo, ob honorem sibi a tam potenti rege, tam splendida legatione exhibitum; secundo, ob tanti regis amicitiam & societatem, qua tutior deinceps esset ab Assyriis & aliis hostibus; tertio, ob agnitionem forte veri Dei, quam Babylonii isti occasione retrogressi solis hausisse potuerunt. Atque utinam has iustas gaudii causas, vel saltem harum aliquas non ad propriam laudem & gloriam derivarit! nec magis gavisus sit quod ipse honoraretur, quam quod Deus! Absit, ad auctoritatem & famam maiorem sibi conciliandam senserit aut iactarit, patratum fuisse in sole istud miraculum. Certe Abulensis etiam in his culpat Ezechiam. Nos contenti sumus, culpasse ipsum in vana ostentatione regiæ gazæ & reconditorum thesaurorum facta iisdem legatis: quæ ut ex animi elatione proficiscebatur, Deo non parum displicuit, eiusque nomine ab Isaia graviter reprehensa fuit, & in posteris punita, ut fusius narratur II. Paralip. xxxii. 25. Quam difficile est in amplis fortunis animo esse moderato!

V. 7. Et de filiis tuis ac nepotibus, qui exibunt de te, non proxime, sed mediate, erunt eunuchi in palatio regis Babylonis; non quod castrandi sint, (nam nomen istud latius patere constat ex dictis Genes. xxxvii. 36.) sed quod palatinis ministeriis functuri sint, quæ olim a solis castratis obiri solebant. Dicti sunt vero εὐνοῦχοι ab εὐνὴ, id est *cubili*, & ἔχω; id est, *habeo custodiam*; quod antiquitus adhiberi solerent custodiendis cubilibus ditiorum matronarum & virginum, ne quis stuprum vel aliam iniuriam inferret. Hæc prædictio impleri cœpit cum Manasses & primores Iudæi abducti sunt captivi in Babylonem, II. Paralip. xxxiii. 11. sed completa perfecte cum Iechonias & Sedecias cum omni nobilitate eodem pertracti sunt, ibid. xxxvi. & Dan. 13. Ubi Hebræi, & ex iis Theodoretus tradunt, Danielem eiusque tres socios fuisse nepotes regis huius Ezechiæ.

V. 8. Bonum verbum Domini; id est, placet mihi, & accepto sententiam Dei sic punientis meam vanitatem: cum enim cogar illius subire vindictam, neque possim eam in totum declinare; saltem gaudeo de illa sic mitigata, ut vita mea durante, executioni mandanda non sit: ita Arias, a Lapide, Salianus & Alvarez, contra Hebræos, qui in Ezechiam quasi de posteris suis minus sollicitum, graviter, sed immerito invehuntur. Fiat tantum in diebus meis pax a bello Assyriaco aliisque hostibus, et veritas, seu fidelis comple-

tio

tio promissorum mihi a Deo factorum, nempe de vita & regno mihi, pacifice ad 15. annos prorogando, ac de prole & herede ex me procreando. Quoad pœnas, cum excuti vel eludi non possint, gaudeo saltem post meum e vita excessum differri.

GORDONI.

Vers. 1. IN TEMPORE ILLO, &c. Iam notatus est annus. Sed an hic Merodach sit ille Nabonassarus a quo incepit æra Babylonica, & a quo Ptolomæus suas notat observationes astronomicas, certatur: dixi de hac quæst. in opere Chronologico, & in Præloquio ad librum Iudith.

V. 7. De capto Manasse filio, & captiva posteritate, vide IV. Reg.



CAPUT XL.

Consolatio & salus Ierusalem per Christum futura: Ioannis Baptistæ prædicatio: fragilitas hominis, & perpetuitas verbi divini: Christi in carnem adventus, ipsiusque gloria, potestas & retributio palam annuntianda: contra idololatras Deum sculptilibus assimilantes, incomparabilem Dei potentiam ac sapientiam commendat: quodque sperantes in Domino mutent fortitudinem.

1. Consolamini, consolamini popule meus, dicit Deus vester. 2.
Loquimini ad cor Ierusalem, & advocate eam: * quoniam
completa est malitia eius, dimissa est iniquitas illius: suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. 3.
(*a*) Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas
facite in solitudine semitas Dei nostri. 4 Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt
prava in directa, & aspera in vias planas. 5. Et revelabitur gloria Domini,
& videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est. 6. Vox dicentis:
Clama. Et dixi: Quid clamabo? (*b*) Omnis caro fœnum, & omnis gloria
eius quasi flos agri. 7. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos, quia spiritus Domini sufflavit in eo. Vere fœnum est populus: 8. exsiccatum est fœnum, & cecidit flos: Verbum autem Domini nostri manet in æternum. 9. Super montem
excelsum ascende † tu, qui evangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem
tuam, qui evangelizas Ierusalem: exalta, noli timere. Dic civitatibus Iuda:
Ecce Deus vester: 10. ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium
eius dominabitur: ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo. 11. [*c*]
Sicut pastor gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos, & in sinu
suo levabit, fœtas ipse portabit. 12. Quis mensus est pugillo aquas, & cælos
palmo ponderavit? quis appendit tribus digitis molem terræ, & libravit in
pondere montes, & colles in statera? 13. (*d*) Quis adiuvit spiritum Domini?
aut quis consiliarius eius fuit, & ostendit illi? 14. Cum quo iniit consilium,
& instruxit eum, & docuit eum semitam iustitiæ, & erudivit eum scientiam,
& viam prudentiæ ostendit illi? 15. Ecce Gentes quasi stilla situlæ, & quasi mo-

mentum ſtateræ reputatæ ſunt; ecce inſulæ quaſi pulvis exiguus. 16. Et Li-
banus non ſufficiet ad ſuccendendum, & animalia eius non ſufficient ad holo-
cauſtum. 17. Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihi-
lum & inane reputatæ ſunt ei. 18. (e) Cui ergo ſimilem feciſtis Deum? aut
quam imaginem ponetis ei? 19. Numquid ſculptile conflavit faber? aut aurifex
auro figuravit illud, & laminis argenteis argentarius? 20. Forte lignum & imputribile
elegit: artifex ſapiens quærit quomodo ſtatuat ſimulacrum, quod non movea-
tur. 21. Numquid non ſcitis? numquid non audiſtis? numquid non annuntia-
tum eſt vobis ab initio? numquid non intellexiſtis fundamenta terræ? 22. Qui
ſedet ſuper gyrum terræ, & habitatores eius ſunt quaſi locuſtæ: qui extendit
velut nihilum cælos, & expandit eos ſicut tabernaculum ad inhabitandum. 23.
Qui dat ſecretorum ſcrutatores quaſi non ſint, iudices terræ velut inane fecit:
* 24. & quidem neque plantatus, neque ſatus, neque radicatus in terra trun-
cus eorum: repente flavit in eos, & aruerunt, & turbo quaſi ſtipulam auferet
eos. 25 Et cui aſſimilaſtis me, & adæquaſtis, dicit ſanctus? 26. Levate in excelſum
oculos veſtros, & videte quis creavit hæc: qui educit in numero militiam eorum, &
omnes ex nomine vocat: præ multitudine fortitudinis & roboris, virtutiſque
eius, neque unum reliquum fuit. 27. Quare dicis Iacob, & loqueris Iſrael:
Abſcondita eſt via mea a Domino, & a Deo meo iudicium meum tranſivit?
28. Numquid neſcis, aut non audiſti? Deus ſempiternus Dominus, qui crea-
vit terminos terræ: non deficiet, neque laborabit, nec eſt inveſtigatio ſapien-
tiæ eius. 29. Qui dat laſſo virtutem: & his, qui non ſunt, fortitudinem & ro-
bur multiplicat. 30. Deficient pueri, & laborabunt, & iuvenes in infirmitate
cadent. 31. Qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument
pennas ſicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non defi-
cient.

(a) Matth. III. 3. Mar. I. 3. Luc. III. 4. Ioan. I. 25. (b) Eccli. XIV. 18. Iac. I. 10. I. Pet. I. 24. (c) Ioan. X. 11. Ezech. XXXIV. 25. & XXXVII. 24. (d) Rom. XI. 34. I. Cor. II. 16. Sap. IX. 13. (e) Act. XVII. 29.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 2. *Quoniam completa eſt malitia eius.* Non indicarunt Correctores, pro *malitia*, corrigendum eſſe *militia*, id eſt pro vocali prima ſcribendum eſſe tertiam. Lege Notationes noſtras.

Verſ. 24. *Et quidem, neque plantatus, neque ſatus neque radicatus in terra truncus eorum.* Non facile mutandi ſunt nominativi iſti caſus numeri ſingularis, in alios.

Lectionum Varietas.

Verſ. 9. *Tu qui evangelizas Sion, qui evangelizas Ieruſalem.* In aliis libris ſcribitur utroque loco femininum *quæ*, conſentanee Hebræo: nam maſculinum *qui* Græca probant: vide Notationes.

Notationes.

Verſ. 2. *Quoniam completa eſt malitia eius.* Pro *malitia* Hebraice eſt צבא quod *militiam* ſignificat: ea vox eſt ex qua Iob ſeptimo capite verſ. 1. legimus: *Militia eſt vita hominis ſuper terram*; rurſus ex qua tot quot numerari vix poſſint locis, translatum eſt *Dominus exercituum*. Quare exiſtimant ſcriptores ætatis huius multi, *militia* nobis, non *malitia* legendum eſſe, Santes Pagninus, (*in voce* צבא) Iſidorus Clarius, Leo Caſtrenſis. Hector Pintus addit, ita nonnullos correctiores codices habere. Adamus Sasbout unum eſſe apud Latinos exemplar dicit, quod pro *malitia*, *militia* habeat. Nos ex

ex nostris exemplaribus nullum quod *militia* legat, invenimus; tantum in uno Cardinalis Bessarionis quondam *malitia* in *militia* mutatum, atque in margine (Recte est militia) scriptum observavimus. Ex Hieronymi commentariis nihil liquet. Posteriores glossematici Haymo, gloss. ordinariæ Auctor, Thomas, Lyranus, Carensis, Richelius *militia* legerunt. Videri possit *militia* scribarum audatia cum *malitia* mutatum fuisse propter ea quæ sequuntur: *dimissa est iniquitas illius, suscepit* (*enim* 3. MS. H, C, Gq. *Israel* o.) *de manu domini duplicia pro omnibus peccatis suis*. LXX. viri transtulerunt ὅτι ἐπλήσθη ἡ τὰ ταπείνωσις αὐτῆς. *Quoniam repleta est*, vel *completa est humilitas*, seu *humiliatio eius:* sic enim est cum Græcis antigraphis tum apud Patres, qui hunc ex LXXII. editione locum citant, Iustinum martyrem Dialogo cum Tryphone Ambrosium in Psalmum CXVIII. sermonibus 10. & 18. Hieronymum, Cyrillum. Porro ταπείνωσις *humiliatio*, id est abiectio, afflictio. Quid si igitur septuaginta duos Interpres secutus *malitiam* pro afflictione, ut nonnulli exponunt, verterit?

Vers. 9. *Qui evangelizas Sion*: & iterum: *Qui evangelizas Ierusalem*. Ita legunt plerique nostri codices, & expositores Lyranus, Carensis, ac Richelius *qui* genere masculino: quo modo & in Græcis 70. duorum exemplaribus legitur: ὁ εὐαγγελιζόμενος σιών, ὁ εὐαγγελιζόμενος ἱερουσαλήμ: ad quem etiam modum apud veteres, qui 72 interpretationem proferunt, legitur, Iustinum Dialogo cum Tryphone, Tertullianum libro quinto contra Marcionem, Hieronymum textu qui ex editione septuaginta commentariis adiunctus est, Cyrillum in propria loci enarratione. Porro Latini Epanorthotæ antiqui Libri, Dominicanorum nonnulli, & nostri duo, Lobiensis, ac Leodiensis, atque impressi aliquot feminino genere scribunt: *Quæ evangelizas Sion*: *Quæ evangelizas Ierusalem*: quibus Hebræa volunt, quæ non tantum hoc, *quæ evangelizas*, sed etiam omnia verba, quæ hoc nono versu vel præcedunt, vel sequuntur, genere feminino habent. Nam quod peritis notum est, etiam verbis Hebræorum sunt genera masculinum & femininum. Adstipulatur Hieronymus, cuius & textus *quæ* legit, & commentarius dicit: „ Porro Hebraicum, & ceteri Interpretes (70 videtur excipere) ponunt genere feminino, ut dicant, *Quæ evangelizas Sion*, *Quæ evangelizas Ierusalem*. " Consentit Haymo, qui exposito *quæ* subnectit: „ Quidam codices habent *qui evangelizas* genere masculino; sed falsum est secundum B. Hieronymum. " Conspirat Andreas, cuius commentarium Carensis recitat. Ergo *qui evangelizas* Græcæ septuaginta duorum; *quæ evangelizas* Latinæ Hieronymi editionis esse videtur.

Vers. 24. *Equidem neque plantatus, neque satus, neque radicatus in terra truncus eorum*. Plura exemplaria & *quidem*; præstantissima *equidem* scribunt. In iis quæ sequuntur, triplex est codicum varietas. Una ea est quam proposuimus: *Neque plantatus, neque satus, neque radicatus in terra truncus eorum*: quam in tredecim nostris manuscriptis invenimus. Altera est: *Neque plantato, neque sato, neque radicato in terra trunco eorum*: quam in 17. manuscriptis nos, in 8. Hentenius comperit. Tertia: *Neque plantatos, neque satos, neque radicato in terra trunco eorum*: quæ in duobus est manuscriptis, uno Parisiensium, Ge. p. notato, altero nostro. E signato cohærens, ut superior iis quæ sequuntur: *Repente flavit in eos, & aruerunt*. Prima Haymonis, & Hieronymiani textus lectio est; secunda Auctoris glossæ interlinearis, Carensis, & Richelii, tertia obscurior est. Tertiam prætulit quidam, indubie quod Hebræo vicinior sit. Sic enim Hebraice est ad verbum: *Etiam non plantati sunt, etiam non sati sunt, etiam non radicans in terra truncus eorum*: ad quem modum Hieronymi commentarius explicat: „ Qui principes & iudices terræ (sive ut alii suspicantur, Cæli) nec sati sunt, nec plantati, nec firma radice solidati. " Secundam, quæ vulgatior est, textu donarunt Dominicani. Primam Epanorthotes probavit, utpote Hieronymi, quod notat, & antiquorum codicum auctoritate fulcitam: quam etiam nos in vetustissimis atque integerrimis antigraphis Brugensi, Lobiensi, Leodiensi atque aliis quibusdam, & in primis Typographorum editionibus Moguntina, Nurenburgensi, Coloniensi ante annum 1480. impressis reperimus.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. **CONSOLAMINI, CONSOLAMINI**; id est, recipite Evangelium, quod vos consoletur: ad illud enim tempus hæc verba referenda sunt. Accepit passive noster Interpres consolandi verbum. Potest autem Hebraice נחמו activum esse. *Con-*

Consolamini, *consolamini* (o Apostoli) populum meum; id est, annuntiate illi Evangelium. Verba enim consolandi, & loquendi ad cor periphrasin continent Evangelii, quod bonum ac lætum nuntium significat.

V. 2. LOQUIMINI AD COR IERUSALEM; id est, exhilarate illam bono nuntio, hoc est Evangelio: Osee II. & Genes. XXXIV. ET ADVOCATE EAM; id est, vocate ad veritatem Evangelii, ad Christum. Heb. וקראו אליה, *& clamate ad eam*; id est, clara illi voce Evangelium annuntiate, sicut vers. 3. dicit, *Vox clamantis in deserto*: & vers. 9. *Exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Ierusalem*. QUONIAM COMPLETA EST MALITIA EIUS. Heb. צבאה, *militia eius*; id est tempus adversum & difficile eius, finiti sunt labores eius: ut Iob VII. 1. *Militia est vita hominis super terram*. Atque verosimile ita nostrum Interpretem convertisse, scriptorum autem vitio *i* in *a* mutatum esse. Nisi fortasse malitiam posuit non pro iniquitate, sed pro labore & molestia, sicut Græci vocant πονηρίαν, ut Matth. VI. 34. *Sufficit diei malitia sua*. Eodem sensu Septuag. verterunt ταπείνωσις: non enim significat eius iniquitatem ad summum pervenisse, sicut dicuntur completæ esse iniquitates Amorrhæorum: Genes. XV. XVI. cum dicat statim, DIMISSA EST INIQUITAS ILLIUS: sed labores eius esse completos. *Dimissa est iniquitas illius*, id est culpa illius per gratiam Christi: vel, ut aliqui Hebræi putant, iniquitas ponitur pro pœna iniquitatis, ut multis aliis locis; quasi dicat, Iam finita est pœna iniquitatum, non amplius punietur. SUSCEPIT DE MANU DOMINI DUPLICIA. Aliqui hoc referunt ad pœnas, ut Orig. & Hieron. quia propter peccata sua bis Ierosolyma punita est, primum a Babyloniis, deinde a Romanis. Alii simpliciter, satis iam pœnarum dedit: sicut solent Galli dicere, *Elle a tout ce qu' il luy faut*. Alii interpretantur de beneficiis; quasi dicat: Multo plura beneficia a Deo accepit, quam fuerant eius peccata, aut pœnæ peccatorum eius: *Nam ubi abundavit delictum, ibi superabundavit & gratia*: Rom. V. 20. Duplicia dixit pro multiplicia, numerus finitus pro infinito.

V. 3. VOX CLAMANTIS; id est, vox clamans (audietur vel excitabitur) IN DESERTO. Hunc locum de Ioanne Baptista Evangelistæ nobis interpretantur: Matth. III. 3. Marc. I. 3. Luc. III. 4. Ioan. I. 23. Est autem tacita quædam antithesis inter desertum & vocem; non enim solet in deserto vox audiri. Ergo non solum de illo deserto, in quo Ioannes Baptista versatus est, hoc intelligendum esse arbitror litteraliter, sed etiam mystice de populo Iudaico, qui tunc cum Christus venit, veluti desertum quoddam erat, id est minime cultus disciplina: in eo igitur exstitit de improviso Ioannes Baptista quasi vox clamantis in loco solo. PARATE VIAM DOMINI. Hæc verba ad Apostolos dirigi existimo, sicut illa vers. 1. *Consolamini*, *consolamini*; quasi dicat, Proscindite, aperite per prædicationem Evangelii viam in deserto, id est ubi nulla via est, id est nulla Christi notitia, qui *Via est*, *veritas & vita*. Hanc vim habet quod sequitur, RECTAS FACITE IN SOLITUDINE: non enim solent in solitudine rectæ esse viæ, sed flexuosæ ferarum ambages. פנו, alii vertunt, *purgate*; alii, *aspicite*. Melius noster Interpres, *Parate*, quia statim sequitur, *Rectas facite*. Si quis malit ad populum, quam ad Apostolos referre, sensus erit: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra*: Psal. XLIX. 8. & ad Heb. III. 8. 15. & 4. 7.

V. 4. OMNIS VALLIS EXALTABITUR. Expositio est præcedentis versus: hoc enim est præparare viam, montes deprimere, valles exaggerare, ut via plana sit & æquabilis: quod mystice significat fore ut superbi humilientur, non recepta Evangelii gratia; humiles autem exaltentur cognitione veritatis & donis aucti. Aut *colles*, *& aspera*, id est, qui videbantur sanctitate & scientia ceteris eminere, declarabuntur peccatores & ignorantes, ut Pharisæi: valles vero; id est, qui peccatores & indocti esse videbantur, ut Apostoli, ornati sunt sanctitate & cognitione; quasi dicat: *Cæci tunc videbunt*, *& videntes cæci fient*: Ioan. IX. 39. ET ASPERA. Heb. הרכסים, *prava*, *obliqua*, *acclivia*, *ardua*: לבקעה, *in planitiem*.

V. 5. ET REVELABITUR GLORIA DOMINI, id est Christus, aut mysterium Incarnationis. ET VIDEBIT OMNIS CARO, id est omnis homo: tunc omnes homines cognoscent quod os Domini per me locutum est, id est quod hæc mea prophetia vera sit; vel, quod os Domini loquatur loquente

te Christo; non enim loquetur sicut Scribæ & Pharisæi, sed *tamquam potestatem habens*: Marc. I. 22. quasi dicat: *Erunt omnes docibiles Dei*: Isai. LIV. 23. & Ioan. VI. 45. D. Lucas cap. III. 6. secutus versionem Septuag. *καὶ ὄψεται πᾶσα σὰρξ τὸ σωτήριον τοῦ θεοῦ*.

V. 6. VOX DICENTIS. Vel, *vox dicens* (audita est, insonuit) קול אומר. Loquitur Propheta quasi esset tempore Ioannis Baptistæ, eiusque personam sustineret. CLAMA. Hoc verbum perspicuitatem, & contentionem indicat, qua Evangelium prædicandum erat. Nam priores prophetæ, quia solis Iudæis loquebantur, minore voce uti poterant: at Ioannes & Apostoli, qui omnibus hominibus Evangelium annuntiabant, clamare iubentur, ut ab omnibus exaudiantur. ET DIXIT. Heb. ואמר, *& dixit* (Ioannes.) QUID CLAMABO? non est ignorantis interrogatio, sed docere volentis. OMNIS CARO FOENUM: hæc de omnibus hominibus dicuntur, sed præsertim de Iudæis, ut explicatur vers. 7. Neque ad corpus tantum referri debet, ut multi alii Scripturæ loci: Iob. XIV. 2. & Psal. CII. 15. & Eccl. XIV. 18. sed ad mores: opponit enim verbum Dei moribus populi, vers. 8. quasi dicat: Omnis lex Mosis, omnia carnis, quibus Iudæi gloriari solent (hoc est, & omnis gloria eius) sunt velut fœnum aridum. *Verbum autem Domini*, id est Evangelium, *stabit in æternum*, id est fiet in eo qui illud receperit, *Fons aquæ vivæ salientis in vitam æternam*: Ioan. IV. 14. ET OMNIS GLORIA EIUS, Heb. וכל חסדו, *& omnis beneficentia eius*, id est omnia opera bona eius (sine gratia.) *Omnes enim iustitiæ nostræ sunt tamquam pannus menstruatæ*: Isai. LXIV. 6.

V. 7. EXSICCATUM EST FOENUM, id est exsiccari solet: QUIA, כי, *quando*; vel, *quoties spiritus Domini*, id est minimus ventus insufflaverit. VERE FOENUM EST POPULUS: applicat similitudinem una tantum ex parte, alteram nobis relinquit intelligendam. Populus igitur est sicut fœnum; ira sive iudicium Dei est sicut ventus: itaque significat opera legalia Iudæorum non posse sustinere Dei iudicium, id est non iustificare.

V. 9. SUPER MONTEM EXCELSUM. Non significat altitudinem montis, sed vocis contentionem: quod enim dixit prius, *Clama*, vers. 6. nunc dicit, *Super montem* ASCENDE; id est, loquere ita ut te omnes audire possint, quemadmodum si e monte excelso loquerere. TU QUI EVANGELIZAS SION: מבשרת, *tu quæ evangelizas Sion*. Dicitur autem Sion evangelizare; vel, quod idem est, Ierusalem, quia in ea primum Evangelium est prædicatum, & ex ea in alia loca permanavit: Luc. XXIV. 47. NOLI TIMERE; id est, ne verearе ut vera sint quæ evangelizas. ECCE DEUS VESTER, id est Christus.

V. 10. ECCE DOMINUS DEUS, id est Christus, IN FORTITUDINE VENIET, id est fortis & potens. Videtur secundum Christi adventum describere, tunc enim fortis veniet, & ut ipse dicit Matth. XXV. 31. tamen etiam de primo adventu omnia possunt intelligi. Venit enim in fortitudine, quia mortem vicit, & portas inferni confregit, captivamque duxit captivitatem. ET BRACHIUM EIUS DOMINABITUR: לו, *sibi*, *ipse sibi*, sine cuiusquam auxilio regnum comparabit. Ioan. XVI. 33. *Confidite, ego vici mundum*: & Rom. XIV. 9. *In hoc Christus mortuus est, ut mortuorum & vivorum dominetur*. ECCE MERCES EIUS CUM EO: afferet secum mercedem, ut reddat unicuique secundum opera sua, ut explicatur in Apoc. cap. XXII. 12. quod in secundo adventu reipsa fiet; in primo vero prædicatum est. ET OPUS ILLIUS: idem est opus & merces. CORAM ILLO, cum illo. Accipitur enim passive *opus illius*; id est, quod ab illo remuneratur, aut remuneratio operum, quæ ab illo fit. *Coram illo*. Quemadmodum qui militibus stipendia solvit, ante se portat pecuniam.

V. 11. SICUT PASTOR: est enim Christus pastor bonus: Ioan. XI. 14. GREGEM SUUM PASCET, id est Ecclesiam, quam gregem vocat: Luc. XII. 32. *Nolite timere pusillus grex*. IN BRACHIO SUO; id est, ferens brachiis suis agnos, congregabit eos. Agnos vocat neophytos, recentesque Christianos infirmos adhuc in fide, quos fore dicit, ut Christus brachiis suis congreget; id est, ut eorum infirmitatem patienter ferat: sicut docet nos facere D. Paulus Rom. XIV. 1. *Infirmum in fide assumite*. Congregare autem significat in gregem redigere: agni enim recens nati nequaquam gregem sequi possent, nisi a pastore portarentur. FOETAS IPSE PORTABIT: ינהל, *ducet*,

tur, fœtæ etiam infirmæ sunt, neque gregem aliquando sequi possunt, nisi portentur. Mysticè, fœtæ sunt homines Christiani quidem, sed operibus & curis secularibus onerati, qui & prægnantes appellantur: Matth. XXIV. 19. *Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus*. Similis sententia Isai. LXVI. 12. *Ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis, quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos*.

V. 12. QUIS MENSUS EST. Probat quod dixerat, declarata Dei potentia; quasi dicat: Quis poterit facere quæ dixi, nisi Deus, qui omnia potest. QUI MENSUS EST PUGILLO AQUAS; id est, fecit ad mensuram quantum aquæ voluit, quemadmodum si pugillo mensus fuisset. ET CAELOS PALMO PONDERAVIT: תִּכֵּן, *direxit, disposuit*, id est quemadmodum si palmis dimensus esset. QUIS APPENDIT. וכל בשליש עפר הארץ, *& mensus est mensura pulverem terræ*.

V. 13. QUIS ADIUVIT: vel, *quis direxit*, id est instruxit תכן *spiritum Domini*, id est eius animum. AUT QUIS CONSILIARIUS. Heb. ואיש עצתו יודיענו: *&* (quis) *cum a consiliis illi esset, docuit eum*. D. Paulus Rom. XI. 34. versionem Septuag. secutus est, *τις ἔγνω νοῦν κυρίου, ἢ τίς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο*.

V. 14. CUM QUO INIIT CONSILIUM. Vel, את מי נועץ *a quo consilium petivit, quem consuluit?* Hæc omnia nihil aliud significant, quam summam in Deo esse potentiam, sapientiam, providentiam, quod omnia fecerit in pondere, numero, & mensura.

V. 15. ECCE GENTES. Eamdem magnitudinem & potentiam Dei per comparationem ad creaturas declarat. QUASI STILLA: מר, *gutta* SITULAE; id est, sicut gutta una comparatione totius situlæ aqua plenæ minima est, ita omnes gentes comparatione Dei minimum quiddam sunt. ET QUASI MOMENTUM; id est, quasi minimus scrupus stateræ, ita illæ apud Deum minimum habent ponderis. Heb. כשחק, *quasi pulvisculus*; id est, sicut minimus pulvis, si in bilance sit, non deprimit eam, ita omnes gentes nihil Deum movere possunt. ECCE INSULAE QUASI PULVIS EXIGUUS. Heb. כדק יטול, *ecce insulas sicut pulverem proiicit* (Deus.)

V. 16. LIBANUS, id est ligna Libani; quasi dicat: Nullis rebus possumus eum, quantum par est, colere.

V. 17. CORAM EO. Hebraismus, pro, comparatione illius. QUASI NIHILUM ET INANE; quasi vanitas reputatæ sunt: præt. pro præs. reputantur, לו, *apud illum*.

V. 18. CUI IGITUR SIMILEM FECISTIS. Præt. pro fut. Cui similem facietis Deum. Pueriliter hoc loco Hæretici abutuntur, ut doceant non licere Deum pingere, quasi maius scelus sit Dei proprietates coloribus exprimere, quam verbis, aut figuram illi penicillo, quam scripto tribuere. Scriptura vero sacra Deum verbis pingit, nam & caput, & manus Dei sæpe nominat. Et Dan. cap. VII. 9. specie senis cum depingit. Hoc ergo loco & aliis huiusmodi, illud tantum prohibetur, ne ulli creaturæ divinitatem tribuamus, neve ullius rei creatæ imaginem appingamus Dei; ut eam rem Deum esse profiteamur.

V. 19. NUMQUID (pro, numquid non) SCULPTILE CONFLAVIT FABER: aut aurifex auro, FIGURAVIT ILLUD. Heb. ירקענו, *expandit illud*; id est, deauravit extendens aurum desuper. ET LAMINIS: &, ponitur pro, vel, ut sæpe apud Hebræos, idola enim deaurabantur, vel deargentabantur. LAMINIS ARGENTEIS: ורתקות כסף quod alii vertunt *catenas argenteas*, nullo penitus sensu: neque enim idola catenis vinciebantur. Multo ergo melius noster Interpres: *Laminis argenteis*, id est expanso desuper argento; quod enim ante dixit ירקענו, *expandit aurum*, loquens de auro; nunc dicit de argento loquens, *laminis argenteis*.

V. 20. FORTE LIGNUM. Declarat modum quo fieri solent idola, quo magis abhorreant homines ab eorum cultu. Hebraice obscurior hic locus est, quam Latine: המסכן תרומה עץ לא־ירקב יבחר, quod R. David interpretatur sic: *Pauper in oblationem eligit lignum, quod non putrescit*: חרש חכם יבקש לו, *artificem sapientem quærit sibi, ut statuat sculptile, ita ut non moveatur*. Putat enim voluisse Prophetam docere, quomodo idola ab omni genere hominum fieri soleant, a divitibus quidem ex auro, a minus copiosis ex argento, a pauperibus ex ligno electo. R. Abraham, & R. Ionah aliter, מסכן תרומה, *Thesaurarius lignum quod non putrescat eligit*.

V. 21. NUMQUID NON SCIETIS. Fut. pro præterito, vel præsenti. An non scivistis?

(sub.

(sub. quis sit verus Deus, qui omnia fecerit.) NUMQUID NON INTELLEXISTIS FUNDAMENTA TERRAE, id est quis iecerit terræ fundamenta. Alii, *An non intellexistis* (Deum) *ex ipsis fundamentis terræ*.

V. 22. QUI SEDET. Repetendum est verbum ex superiore versu: An non cognovistis (eum) *qui sedet* SUPER GYRUM TERRAE, id est super cælum, quæ est sphæra, qua tegitur terra: על חוג הארץ, *super sphæram terræ*, aut *super cardines*, ut vertit noster Interpres: Iob XXII. 14. ET HABITATORES EIUS (terræ) QUASI LOCUSTAE (comparatione Dei) id est, multi quidem, sed exigui, & infirmissimi. QUI EXTENDIT CAELUM VELUT NIHILUM; id est, sicut rem tenuissimam, quæ videtur nihil esse. Heb. כדק, *sicut telam tenuissimam*, id est facile, tela enim tenuis facillime explicatur, ut Psal. CIII. 3. *Extendens cælum sicut pellem*.

V. 23. QUI DAT SECRETORUM; id est, *Qui comprehendit sapientes in astutia sua*: Iob v. 13. & I. Cor. III. 19. Qui stultam fecit sapientiam huius sæculi. Heb. הנותן רוזנים לאין, *qui ponit principes ut non sint*; id est, qui principes redigit in nihilum: *Qui deponit potentes de sede, & exaltat humiles*: Lucæ I. 52. IUDICES TERRAE, id est sapientes terræ, vel, potentes terræ, כתוהו עשה, *sicut inane facit*, id est in nihilum reducit: repetitio.

V. 24. ET QUIDEM NEQUE PLANTATUS. Heb. בל נטעו, *non sunt plantati*; בל־זורעו, *non sunt seminati*: *Non est radix in terra trunci eorum*; id est, Deus redigit principes in nihilum, & quidem ita, ut eos penitus extirpet, ut neque plantati, neque seminati umquam fuisse videantur, neque maneat ulla radix trunci eorum, id est ulla spes recuperandæ dignitatis. Alius sensus esse potest, ut reddatur causa præcedentis versus, cur Deus principes in nihilum redigat: quia non sunt plantati, &c. id est, quia non habent ullam firmam stabilitatem: *Omnis enim caro fœnum*, ut dixit sup. vers. 6. Propterea, REPENTE FLAVIT, pro, flabit, & arescent.

V. 25. ET CUI ASSIMILASTIS ME: ut supra vers. 18.

V. 26. LEVATE, id est suspicite cælum, & considerate QUIS CREAVERIT HAEC. Relativum sine antecedente; id est, quis fecerit has stellas quas videtis. QUI EDUCIT. Responsio est: Ille scilicet creavit, qui educit sicut dux exercitum, hoc est, oriri facit. IN NUMERO, id est certas, numeratas, quotquot vult. MILITIAM EORUM (harum stellarum.) Militiam autem vocat stellarum numerum, id est exercitum, non quod animatæ sint, ut magni etiam auctores putaverunt, sed propter multitudinem, & ordinem, atque dispositionem, ut Deut. XVII. 3. & IV. Reg. XVII. 16. & XXI. 3. 5. & XXIII. 4. 5. ET OMNES EX NOMINE VOCAT; id est, omnes cognitas habet, & veluti in numerato. Vocare, vel ex nomine vocare apud Hebræos est aliquid perfecte cognoscere, ut hoc loco, & Psal. CXLVI. 4. *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat*: & Rom. IV. 17. *Qui vocat ea quæ non sunt tamquam ea quæ sunt*. Potest etiam significare idem, quod imperare; quasi dicat, Omnes stellas a Deo vocatas ad nutum obedire, id est moveri quocumque ille velit. Sicut Centurio ille suam potentiam declaravit: Matth. VIII. 9. *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic: Vade, & vadit: & alii, Veni, & venit: & servo meo, Fac hoc, & facit*. PRAE MULTITUDINE, id est propter multam fortitudinem eius (Dei.) NEQUE UNUM RELIQUUM FUIT. Præt. pro fut. *nullum* (sydus, nulla stella) *deerit ab eo vocata*; id est, nulla non obediet illi vocanti.

V. 27. QUARE DICIS IACOB, id est duæ tribus, ET LOQUERIS ISRAEL, id est decem tribus. Quod sequitur, ABSCONDITA EST VIA MEA A DOMINO; id est, non respicit Dominus vitam meam, non curat vitam meam, ut Iob XXII. 14. *Nubes latibulum eius, nec nostra considerat, & circa cardines cæli perambulat*. A DEO MEO IUDICIUM MEUM, id est causa mea. TRANSIVIT, neglecta atque repudiata est, id est non suscipit defendendam causam meam. Conclusio est argumenti a minori ad maius; quasi dicat: Si Deus tantam curam stellarum habet, ut eas in numerato habeat; quomodo tu dicis non habere eum curam tui?

V. 28. NUMQUID NESCIS: quod Dominus non sit Deus ad tempus, ut dii Gentium, sed אלהי עלם *Deus æternitatis*; id est, qui non mutatur, qui sine ullo labore & fatigatione creavit terminos terræ, id est

est totam terram. Ex eo quod Deus mundum creavit, & ex eo quod non fatigatur, & ex eo quod eius sapientia investigari non potest, probat eum habere omnium rerum providentiam: si enim novit omnia, si fecit omnia, & si non labor curandis rebus, habet ergo curam omnium.

V. 29. QUI DAT LASSO VIRTUTEM, id est sed potius dat lasso virtutem. ET IIS QUI NON SUNT (fortes) FORTITUDINEM. Heb. *Et quibus non sunt fortitudines, robur multiplicat.*

V. 30. DEFICIENT PUERI: נערים, *adolescentes*; id est, robustissimi quique potius lassabuntur. ET IUVENES IN INFIRMITATE CADENT. Heb. כשול יכשלו *cadendo cadent*; id est, fortissimi quique penitus corruent, potius quam in Domino.

V. 31. MUTABUNT FORTITUDINEM, id est redintegrabunt, ac resument maiores vires: ut inf. cap. XLI. I. ASSUMENT PENNAS: יעלו אבר, *attollent pennas*; id est, alte volabunt, evehentur in sublimem dignitatis gradum, res magnas perficient, renovabunt vires; sicut aquila pennas renovat, ut Psal. CII. 5. *Renovabitur ut aquilae iuventus tua*. CURRENT ET NON LABORABUNT; id est, non deficient in cursu, atque instituto vitae suae: II. Cor. XII. 10. *Cum enim infirmor, tunc potens sum.*

S A.

Vers. 2. AD COR, id est consolatoria. MALITIA, id est afflictio. DUPLICIA, id est multa, scilicet bona: quidam tamen intelligunt dupliciter, id est graviter punitam. PRO OMNIBUS, &c. quasi dicat, Cum tamen digna non esset.

V. 3. VOX, &c. Haec de Ioanne Baptista intelliguntur. DOMINI. Chald. *Domino*, scilicet Christo venturo. RECTAS, &c. LXX. *rectas facite semitas eius*, ut citatur ab Evangelistis. SOLITUDINE, id est mundo.

V. 4. VALLIS, id est humiles. EXALTABITUR. LXX. *implebitur*, scilicet Dei gratiis. MONS, &c. id est superbi. PRAVA, id est distorta; quasi dicat, Reformabuntur hominum mores.

V. 5. GLORIA DOMINI, scilicet Christus in carne apparebit. CARO, id est homo. PARITER. LXX. *salutare Dei*. QUOD. LXX. *quia*. LOCUTUM EST, id est ita futurum praedixit.

V. 6. VOX, scilicet a me auditur. OMNIS CARO. Chald. *omnes impii*. GLORIA. Chald. *Fortitudo*.

V. 7. SPIRITUS, id est ventus, scilicet flante vento cadunt flores.

V. 9. QUI: sic etiam Chald. & LXX, ut ad Prophetam referatur; at Heb. *quae*, ut referatur ad Sion, & Ierusalem, unde primum orta praedicatio scilicet per Christum & Apostolos.

V. 10. DOMINUS DEUS, scilicet Christus. MERCES, scilicet quam suis est daturus, ipse enim merces. OPUS, scilicet de quo Ioan. XVII. *Opus quod dedisti mihi, ut faciam*. CORAM ILLO; quasi dicat: Intendet operi sibi commisso quam diligentissime.

V. 11. IN BRACHIO, id est brachiis extensis, ut solent pastores. PORTABIT. Chald. *leniter ducet*. LXX. *consolabitur*.

V. 12. QUIS, &c. quasi dicat: Quis nisi Deus omnibus rebus mensuram & modum praescripsit? & tamen tantus cum sit, pro homine homo fieri dignatus est. PUGILLO; pro, velut pugillo. LXX. *manu*. PALMO PONDERAVIT; pro, velut palmo mensuravit. TRIBUS DIGITIS, id est trium personarum indiviso opere. Chald. *mensura*. LXX. *pugillo*. LIBRAVIT. LXX. *statuit*.

V. 13. ADIUVIT. LXX. *cognovit*: sicut a Paulo citatur Rom. XI.

V. 15. MOMENTUM, id est minimum quid. STATERAE, id est bilancem facile inclinans. Vide Sap. XI.

V. 16. SUFFICIET, scilicet ad ignem sacrificiorum, si pro dignitate agendum sit.

V. 18. FECISTIS, scilicet o idola fabricantes. PONETIS; pro, posuistis; quasi dicat: Itane pro Deo adorare idola, quae nihil habent cum Deo commune?

V. 21. FUNDAMENTA TERRAE, scilicet a Deo iacta; quasi dicat, Nonne agnoscitis Dei veri potentiam?

V. 22. SEDET, id est praesidet. VELUT NIHILUM, id est facillime. LXX. *quasi cameram*.

V. 23. DAT, id est facit. SECRETORUM SCRUTATORES, id est Philosophos. LXX. *Principes*. INANE. Chald. & LXX. *nihil*.

V. 24.

V. 24. NEC PLANTATUS, &c. id est ac si non esset plantatus, &c. TURBO, id est tempestas.

V. 25. ASSIMILASTIS, &c. quasi dicat: Numquid mihi quidquam simile est, aut æquale?

V. 26. NUMERO, scilicet, certo. MILITIAM, id est exercitum. LXX. *ornatum*, scilicet stellas. OMNES, scilicet & cælos & stellas. EX NOMINE VOCAT; id est, plene novit, seu facit adesse ubi vult, ut solent domini servos vocantes. RELIQUUM FUIT, id est defuit. Cald. *impeditum est ab ordine suo*.

V. 27. ABSCONDITA, &c. id est ignotæ Deo res meæ. IUDICIUM, id est causa, vel mores. TRANSIVIT, id est erit ignotum: sic dicimus, *præterit me*, id est ignoro.

V. 29. NON SUNT, scilicet fortes. LXX. *non dolentibus*, *mærorem*.

V. 30. PUERI. Chald. *iuvenes;* quasi dicat, Alioqui robusti. ET LABORABUNT; pro, laborando. IN INFIRMITATE, id est præ debilitate. MUTABUNT. Chald. *addent*.

V. 31. PENNAS, id est alas. AQUILAE. Hæc sæpe pennarum mutatione iuvenescit.

ESTII.

Verf. 2. LOQUIMINI AD COR IERUSALEM, ET ADVOCATE EAM, QUONIAM COMPLETA EST MALITIA EIUS. In Scriptura sacra completam esse alicuius malitiam fere in malam partem accipitur; ut sit idem, quod iniquitatem eius pervenisse ad summum, ita ut iam vindicta non sit diutius differenda; velut dum dicitur de gentibus terræ Chanaam, quod nondum completæ erant iniquitates eorum, Gen. XV. Hic autem omnino diversum quid significatur hac phrasi; est enim sensus secundum nostram lectionem: *Completa est malitia eius*, id est ablata & finita malitia, facta remissione peccatorum. Id enim declaratur immediate sequentibus verbis: DIMISSA EST INIQUITAS ILLIUS. Interim sciendum est quod quædam exemplaria pro *malitia*, habeant *militiam*: & vox Hebræa *sebah*, militiam significat, unde est illud *Deus Sabaoth*, id est Deus exercituum, pluraliter. Ex commentario Hieronymi non liquet, utrum legerit malitiam, an militiam. Septuaginta habent, *completa est humiliatio eius*. Itaque si secundum nostram lectionem, per *malitiam* intelligamus pœnam & afflictionem, quæ ex bellis & militia provenit, utcumque cum lectione illa ex Hebræo iam convenit nostra. Sic enim & in Evangelio: *Sufficit diei malitia sua*, id est miseria, Matthæi VI.

SUSCEPIT DE MANU DOMINI DUPLICIA PRO OMNIBUS PECCATIS SUIS. Hebræi intelligunt duas captivitates, Chaldæorum & Romanorum, ut sensus sit: Bis punita est pro peccatis suis. Alii aliter. Sed quia hic est annuntiatio Evangelii, & lætus nuntius, videntur hæc verba non ad pœnam, sed ad beneficia pertinere; hoc sensu: Nec tantum dimissa est iniquitas eius (hoc enim præcedit) verum etiam post tam gravia peccata, quibus Deum offendit, multis ac variis beneficiis a Deo affecta est. Nullo modo ergo ex his verbis argumentari licet, Deum aliquem punire ultra meritum, aut dupla punitione. Quod si ad pœnas tamen referatur, potest hic reddi simplex & commodus sensus: Iam satis superque afflicta est, punita Ierusalem pro peccatis suis. Sic & Apoc. XVIII. dicitur de Babylone: *Duplicate ei duplicia secundum opera eius*.

MARIANAE.

Verf. 1. CONSOLAMINI. De liberatione a captivitate Babylonica, quam superiori capite comminatus erat, nunc loquitur, tum de Christi adventu & vocatione Gentium.

V. 2. LOQUIMINI AD COR, id est blanda, consolatoria. ET ADVOCATE EAM, seu *clamate ad eam*. MALITIA EIUS. Heb. *militia eius*, id est tempus captivitatis, afflictionis eius: captivitatem vocat, quod laboriosa esset ut militia. *Malitia* etiam pro afflictione captivitatis sumi potest. DIMISSA EST INIQUITAS ILLIUS, id est pœna iniquitatis sublata est. DUPLICIA, id est multa beneficia. PRO OMNIBUS PECCATIS SUIS, id est quamvis peccarit contra Deum.

V. 3. VOX CLAMANTIS: ibi comma, quod accentus Heb. ostendit. IN DESERTO: PARATE VIAM DOMINI, id est Christi venientis per desertum peccatorum. Aut

qua veniant Iudæi e captivitate, ducente Deo per loca deserta. Complanate eam. Id ut fiat,

V. 4. OMNIS VALLIS, loca profunda exaltentur, terra impleatur, & loca excelsa deiiciantur, ut via plana & facilis reddatur: sic fit in Regum adventu. EXALTABITUR. Septuag. *implebitur*: sic citatur Luc. III. 4. PRAVA, id est curva dirigantur. ET ASPERA. Heb. *excelsa in planitiem*, scilicet vertantur.

V. 5. ET REVELABITUR GLORIA DOMINI. Ea gloria est, implesse quæ promisit.

V. 6. VOX DICENTIS: CLAMA; scilicet Angeli Dei iussu id mandantis Isaiæ ut clamaret. QUID CLAMABO? Isaiæ responsio. OMNIS CARO. Sensus est, omnia esse caduca, quod Deus promisit firmum & stabile esse: non mutari eius decreta.

V. 7. SPIRITUS DOMINI. Ventus vehemens flores decutit, siccat fœnum. Floribus & fœno est homo similis.

V. 9. SUPER MONTEM. Ierusalem in monte sita erat. Ergo ex eo monte evangelizare, sive annuntiare iubet, quæ sequuntur. TU, QUI EVANGELIZAS SION; scilicet Isaiam iubet hæc annuntiare. Heb. *quæ evangelizas Sion*: sic *Sion* est in vocativo, illique mandatur, ut evangelizet aliis urbibus. QUI EVANGELIZAS IERUSALEM. Simili modo Heb. est, *quæ evangelizas* (o) *Ierusalem*. DIC CIVITATIBUS IUDA, sive tu Propheta, sive ipsa Ierusalem aliis civitatibus nuntia. Quid nuntiabit? Venturum Dominum in fortitudine, sive ut redimat homines, sive ut liberet Israelitas.

V. 10. DOMINABITUR. Heb. adiicitur *sibi*, sed redundat, ut aliis locis, ex Heb. linguæ proprietate. Bene Hieron. abstulit. ECCE MERCES EIUS CUM EO, id est præsentem habet mercedem, non differet. ET OPUS ILLIUS; scilicet quod mandavit, præsens habet, ut operi mercedem exæquet.

V. 11. IN BRACHIO SUO CONGREGABIT, id est feret ad caulam agnos suos. ET IN SINU SUO. Repetitio. FOETAS IPSE PORTABIT, scilicet humeris. Heb. *leniter ducet*. Christi & Dei lenitatem & suavitatem erga suos commendat hac metaphora.

V. 12. QUIS MENSUS EST PUGILLO AQUAS. Hic multa de Dei potentia & sapientia dicit, ut ostendat posse implere promissa, quod iam dixit; nihilque eum latere, quod deinde est dicturus. *Pugillum* hic pro vola sumit, quæ est Hebræis minima mensura. Indicat Deum scire quot tales mensuras aquæ contineant. ET CAELOS PALMO PONDERAVIT? Heb. *direxit* seu *mensus est*: צרת *zereth*, *palmum maiorem* seu digitorum duodecim significat. Deus ergo in numerato habet, quot palmis cælum extendatur. QUIS APPENDIT TRIBUS DIGITIS MOLEM TERRAE. *Salis*, id est *tertia*, mensuræ etiam nomen est, Psal. XXXVIII. 6. quod Bathi tertiam contineat, nempe modium, sextarios Romanos sedecim: כל etiam *mensus est* significat, a radice כול *Chul*: sic ergo verto Heb. *Quis mensus est mensura salis pulverem terræ*, id est scit quot modios contineat tota terræ moles? ET LIBRAVIT IN PONDERE MONTES. Septuag. *statuit*, Heb. *appendit in statera montes*, vel *amussi*, id est Romana, vulgo. ET COLLES IN STATERA? sive *in bilance*. Puto in his mensurarum nominibus species sumi pro genere, id est *volam*, *palmum*, *modium* pro mensura in communi.

V. 13. QUIS ADIUVIT SPIRITUM DOMINI? Heb. *quis disposuit mentem Domini?* quis eum docuit, quod mox repetit. Septuag. *cognovit*: sic citatur ad Roman. XI. 34. ET OSTENDIT ILLI? instituit eum.

V. 14. SEMITAM IUSTITIAE quis eum docuit? Heb. *semitam iudicii*. Sed *iudicium* pro *iustitia*, aut pro rerum & orbis dispositione. VIAM PRUDENTIAE. Heb. *intelligentiarum*; id est, fecit illum intelligere ordinem, quem in operibus & in mundi fabrica deberet tenere.

V. 15. GENTES QUASI STILLA SITULAE, id est quasi gutta ex lebete cadens. ET QUASI MOMENTUM STATERAE. *Momentum* est lingula ílateræ, quæ facile in utramque partem vertitur. Heb. *quasi pulvis minutus steteræ*, quo scilicet non movetur statera. ECCE INSULAE QUASI PULVIS EXIGUUS. Heb. *insulas quasi pulverem minutum proiiciet*, id est transferet alio. Quod sæpe insulis contingit, ut mari mergantur aliæ, rursus aliæ emergant aliis locis. Vel *insulæ* sint gentes remotæ, ad quas per mare ibatur.

V. 16. ET LIBANUS NON SUFFICIET. Si quis pro dignitate Deo sacrificare velit, neque

que Libani ligna ad ignem sufficient, neque pecora, quæ in eo pascuntur, ad mactandum.

V. 17. OMNES GENTES QUASI NON SINT. Heb. *omnes gentes quasi non in conspectu eius*. ET QUASI NIHILUM. Heb. *præ nihilo* (scilicet minores sunt) *& inanitas*. Huc tendunt omnia quæ dixit de Gentium vilitate, ut intelligatur earum comparatione maiestas & gloria Dei.

V. 18. CUI ERGO SIMILEM; quasi dicat: Si Deus tantus est, ut cetera eius comparatione nihil sint, nulla imago rei corporeæ illum exprimere poterit. Quid idola facitis?

V. 19. AURO FIGURAVIT ILLUD. Heb. *extendit illud*. Quæ fusa sunt, malleo extenduntur & perficiuntur. ET LAMINIS ARGENTEIS ARGENTARIUS? *Argentarius* pro aurifice, cum alioqui *mensarium* significet. Heb. *catenas argenteas aurifex*, scilicet extendit, ad idoli nempe ornamentum.

V. 20. FORTE LIGNUM ET IMPUTRIBILE. Heb. *pauper* (in) *oblationem lignum* (quod) *non putrescit*, eligit scilicet qui aurum argentumque non habet, is ut idolum offerat, lignum optimum elegit. ARTIFEX SAPIENS QUAERIT. Heb. *artificem sapientem quærit sibi* (scilicet is pauper) *ad ordinandum sculptile* (quod) *non moveatur*, id est iners, sine anima & sensu.

V. 21. FUNDAMENTA TERRAE? id est quis iecit ea? Quomodo ergo illi idola inertia similia sint?

V. 22. SEDET quasi Dominus. QUASI LOCUSTAE sunt homines, id est quasi nihil eius comparatione. QUI EXTENDIT VELUT NIHILUM CAELOS, id est nullo labore extendit cælos. Heb. *Qui extendit velut cortinam tenuem cælos, & ut tabernaculum*. AD INHABITANDUM; pro quod tabernaculum ad inhabitandum extenditur.

V. 23. QUI DAT SECRETORUM SCRUTATORES QUASI NON SINT, id est divinos. Heb. *qui dat* (pro, redigit) *Principes & Reges in non*, id est nihilum. IUDICES TERRAE VELUT INANE FECIT, id est pro nihilo eos æstimat.

V. 24. ET QUIDEM NEQUE PLANTATUS; pro, quasi neque plantatus, scilicet homo. Heb. *Etiam neque plantati sunt, neque sati, neque radicavit in terra truncus eorum*, id est quasi plantati non essent. REPENTE FLAVIT IN EOS. Heb. *etiam flavit in eos*, scilicet ventus, aut Deus, & arefecit.

V. 25. ET CUI ASSIMILASTIS ME? Si ea sum potentia, res aliæ inanes, quæ imago me exprimet? ET ADAEQUASTIS. Heb. *& æquabor*, scilicet cui imagini.

V. 26. QUI EDUCIT IN NUMERO, id est numeratas habet stellas. MILITIAM EORUM. Stellas *militiam* vocat. EORUM, astrorum. EX NOMINE VOCAT. Magnorum ducum est, suos milites ex nomine vocare. NEQUE UNUM RELIQUUM FUIT. Heb. *vir*, id est quisquam non deficit. Nullus ex iis militibus & stellis signa deserit, omnes obediunt.

V. 27. IUDICIUM MEUM TRANSIVIT, scilicet ab oculis eius: non vidit Deus iudicium meum, id est meam iustitiam & probitatem; quasi dicat: Si ea maiestate est Deus, si ea scientia, quare credis & dicis, tuas res illum latere?

V. 29. ET HIS, QUI NON SUNT, FORTITUDINEM dat. Heb. *Et quibus non sunt vires, robur multiplicat*. Quomodo de eo dicis, eum latere tua?

V. 30. DEFICIENT PUERI. Heb. *lassabuntur pueri*, seu *adolescentes*. IN INFIRMITATE CADENT. Heb. *cadendo cadent*; quasi dicat: Ii qui per ætatem robusti sunt, in labore deficient, quia in suis viribus confidunt. Vel, etiamsi illi cadant, pii robusti erunt.

V. 31. ASSUMENT PENNAS SICUT AQUILAE, scilicet pii. Heb. *ascendent ala* (pro, alæ) *sicut aquilæ*. Quæ aquilæ quolibet decennio ad radios solis calefactæ, seque deinde in mare mergentes, veteribus plumis nudantur, pro illis novæ succedunt. *Ascendent*, id est nascentur. AMBULABUNT, ET NON DEFICIENT. Heb. *& non erunt fessi*, aut *non deficient præ lassitudine*, qui sperant in Domino, pii.

MALVENDAE.

Vers. I. CONSOLAMINI, CONSOLAMINI POPULE MEUS. Heb. *Consolamini, consolamini populum meum*: subaudi cum Chaldæo & fere omnibus, o vos prophetæ: siquidem verbum נחם *nicham*, in *Pihel*, ut hic ponitur, semper in Scriptura active sumitur. Notant, horum duorum capitum, quæ coniungunt, unicam concionem esse, ut ipsa argumentorum series

ries ostendit manifestissime. Sunt autem, inquiunt, huius concionis quatuor praecipuae partes: prima est, propositio beneficii Evangelici, usque ad vers. 12. secunda est, confirmatio promissionum Evangelicarum luculentissima, usque ad vers. 10. sequentis capitis: cui adhaeret repetitio & exornatio earundem promissionum, inde usque ad vers. 21. tertia est, confutatio idololatrarum, & eorum omnium qui non acquiescunt Deo, vers. 21. & quatuor sequentibus: postrema est, conclusio de integro afferens promissiones Dei, a versu 26. ad finem usque capitis 42. Propositionis vero pars est proleptica, universe Evangelii beneficia praenuntians, duobus primis versibus; pars vero distincte praedicationem Evangelii accommodat primum Ioanni Baptistae praecursori Christi, vers. 3. & duobus sequentibus; deinde apostolis omnibus ministris Evangelii, a vers. 6. ad 12. Quae omnia cum ad consolationem Ecclesiae olim labefactatae, & iacentis pertinuerint, & mirificentissime a Deo uno impetu praeter expectationem omnium fuerint praestita; propterea Deus vehementiam ac celeritatem facti ex abrupto indicat per repetitionem: *Consolamini*, *consolamini*, &c. cuius repetitionis in Scriptura usum, vide Genes. XLI. 32. Nonnulli volunt repetitionem hic indicare, non qualemcumque consolationem, sed plenam, absolutam, divinam bonorum omnium, quae Evangelium attulit. Observant, iam hinc incipere apertiora oracula de redemptione per Christum, ut deinceps non tam Propheta videatur Isaias, quam Evangelista.

V. 2. LOQUIMINI AD COR, vel *super cor*, IERUSALEM. Vide Genes. XXXIV. 3. Quidam hic reddunt: I. *Loquimini blande ipsi Ierusalaim*. II. *Loquimini quae grata sunt futura ipsi Ierusalaim*. III. *Verbis blandis & suavibus lenite maestitiam Ierusalaim*. IV. *Loquimini quae sunt cordi urbi Ierusalaimorum*. ET ADVOCATE EAM: ad poenitentiam, & ad recipiendum Evangelium. Heb. *& vocate*, seu *clamate ad eam*; id est, clara voce annuntiate ei, praedicate ei, nimirum haec sequentia, *quod completa sit militia, eius, & cetera*. QUONIAM COMPLETA EST MILITIA EIUS: sic enim legendum in Nostro, & non *malitia*, consentiunt eruditi quique. צבא *tzeba*, *militia* proprie, seu *exercitus*: & sic perpetuo etiam a Nostro reddi consuevit. Forsterus annotat, hic sumi pro tempore certo & ad rem aliquam perficiendam constituto, ut Iob VII. 1. & hunc Isaiae locum Marci 1. 15. explicari: *Impletum est tempus*, *instatque regnum Dei*, &c. ubi de tempore cultus & ministerii Levitici est dictum; quasi dicat: Impletum est tempus militiae Leviticae & legalis, consummatum est totum illud ministerium Leviticum, iam non amplius militandum est in tabernaculo seu templo, nova Evangelii militia est exercenda, de qua Paulus I. Timoth. 1. 18. *Ut milites pulchram militiam*. Nam *tzeba*, militiam, seu stationem militarem, quae certo tempore & ordine decenter in Ecclesia constituitur & administratur, significare, pluribus nobis annotatum est in Exod. XXXVIII. 8. & Numer. IV. 3. Nonnulli hic vertunt: *& praedicate ei*, *completum esse tempus praefinitum eius*. Quidam exponunt, absolutum esse tempus afflictionis & laborum eius. Alii, advenisse tempus visitationis & auxilii, quo acceptura est consolationem. Sed aptius ad sequentia referatur, adesse tempus eius, quo dimissa est iniquitas illius, & cetera. Alii tempus definitum a Patre: Galat. IV. vers. 4. DIMISSA EST INIQUITAS ILLIUS. Verbum רצה *ratzah*, in Niphal diversimode hic explanant: I. *quia perfecta est*, vel *completa est iniquitas eius*, id est poena iniquitatis eius, ut Genes. XV. 16. & alibi passim. II. *quia placabilis facta est iniquitas eius*; id est, iam Deus placatur iniquitati eius, seu parcit, aut propitiatur, expiabilis, vel expiata est iniquitas eius. III. *exolutam esse iniquitatem eius*. IV. *quod sumpta est poena iniquitatis ipsius*. V. Forsterus, Mercerus, Forerius: *quod accepta*, *grata*, *est iniquitas eius*; id est, poena iniquitatis, qua animi poenitentia ducti agnitione iniquitatis afficiuntur, ea approbatur, accepta & grata est, & habent in poena poenitentiae bonam voluntatem, & complacentiam. Simili phrasi legitur in voce activa Levit. XXVI. 41. ex quo loco Propheta eam desumpsit: vide Comm. in eum locum. SUSCEPIT DE MANU DOMINI DUPLICIA PRO OMNIBUS PECCATIS SUIS. Quidam in bonum istud accipiunt: Numerus, inquiunt, finitus pro infinito, ac si dicat: Conferet illi Dominus multa beneficia loco poenarum quas merito & iuste datura erat pro peccatis suis: tantum abest ut puniturus sit

eam

eam pro ratione delictorum. Alii in malum, *eam accepisse de manu Iehovæ duplum pro omnibus peccatis suis*; id est, plus satis pœnas luisse, satis superque castigatam fuisse, ad Dei iudicium, ut infra cap. LXI. 7. & Ierem. XVI. 18. & Apoc. XVI. 6. Deum non amplius meritas ab illa pœnas reposcere, atque ita contentum esse iis, quas Christus vas & sponsor Ecclesiæ pertulit, quasi Ecclesia ipsa luisset pœnarum duplum, remissionis peccatorum, & reconciliationis cum Deo nomine: atque hæc duo sunt officia promissionum Evangelii, remissio peccatorum & reconciliatio in Christo, quæ sequentibus versibus circumscribuntur prædicatione Ioannis Baptistæ, & sequentium servorum Dei.

V. 3. VOX CLAMANTIS IN DESERTO: PARATE VIAM DOMINI. Heb. potest reddi, *vox clamans*, & *vox clamantis in deserto*; quasi dicat, Videor mihi audire vocem quamdam clamantem, & vocem cuiusdam clamantis. Nonnulli istud de restitutione ab exilio Babylonico accipiunt, quod tempore Cyri, ad cius imperium facta fuerit præconis vox, ut per deserta quævis loca pateret via Israelitis redeuntibus; unde sumpta occasione in Christum rapitur Propheta: vide Ierem. XXXI. 2. Ceterum prophetiam esse de Ioanne Baptista præcursore Christi, disertissime sacri Evangelistæ testantur, Matth. III. 3. Marc. I. 3. Luc. III. 4. & ipsemet Ioannes de se affirmat, Ioan. I. 23. Ambiguum est autem an Ioannes dicatur esse ipsa vox clamans, seu clamantis: vel intelligatur esse ille, cuius vox clamans, vel cuius clamantis vox hic describitur a Propheta. Primo modo plerique accipiunt, quod Ioannes dicatur vox, quia ex se nihil dicebat, sed quæ audierat a Deo. Sed secundus sensus est aptior. Tremellius, & Iunius reddunt: *Voce clamantis, In deserto parate viam Iehovæ*, &c. *Hæc verba, auctore Christo, & Evangelistis omnibus, de Ioanne Baptista accipienda sunt, cuius exponitur primum prædicationis summa, hoc versu; deinde effecta, versu sequente; ac postremo finis summus, vers. 5. Nam, quod aliis placet, ad reversionem ex deportatione pertinere, minime probatur nobis, cum propter auctoritatem eorum, quos modo diximus; tum etiam propter verborum proprietatem, quæ nonnisi coacte ad reditum populi possunt accommodari, cum potius respiciant adventantem Deum. Ergo quod ait*, Vox clamantis, *vel* Voce clamantis, *idem est ac si dicat: Hoc est exordium consolationis, remissionis peccatorum, reconciliationis in Christo, denum Evangelii, prædicatio Ioannis*: In deserto parate viam Iehovæ. *Hoc, inquiunt, ita distinguendum esse, ostendit Hebræa distinctio, & comparatio sequentis membri: neque dubitamus quin eadem distinctio servanda fuerit in Novo Testamento: sunt autem hæc allegorice dicta de fide in adventantem Christum, & de pœnitentia in remissione peccatorum*. Sane ut prædicatio Ioannis in deserto communem illam & receptam distinctionem exposcere videatur: hanc tamen Hebraicam esse aptiorem contextui hic & ibi, negare non possumus. PARATE VIAM. Verbum פנה *pinnah*, in Pihel multifariam hic reddunt: I. *repurgate viam*. II. *avertite, amovete, viam*, id est quæcumque impedimenta viæ. III. *complanate viam*. IV. *scopate viam*: Italice, *sgombrate*. V. *expedite viam*. Notant, id verbum in ea coniugatione idem esse ac faciem reddere, vel dare, seu facere quod res habeat faciem, neque aliquid habeat aut sordidum, aut inæqualitatis, seu asperitatis, vel indecentiæ, quod dignum sit removeri a conspectu, seu loco, seu via. Facile reddiderim: *Faciate viam ipsius Iehovæh*, id est faciem, decorem, ornatum date ei; ornate, apparate, conspicuam facite, aptate viam Iehovæ: vide in Genes. XXIV. 31. & Levit. XIV. 36. RECTAS FACITE IN SOLITUDINE SEMITAS DEI NOSTRI. Alii ex Heb. I. *in solitudine planam facite semitam Deo nostro*. II. *adæquate in solitudine aggerem Deo nostro*.

V. 4. OMNIS VALLIS EXALTABITUR, &c. Hunc versum quidam ex Heb. ita convertunt: *Omnis vallis attolletur, & omnis mons, collisque deprimentur: & abibit quod curvum est in planum, & salebrosa in convallem*; id est, ex omni hominum genere multos convertet Ioannes ad Dominum Deum ipsorum, &c. ut paret Domino populum constructum, qui cum agro, aut itinere comparari solet: vide Lucæ I. 16. & 17. & 76. cap. III. 3. & sequentibus. PRAVA. עקב *ghakob*, singulare aiunt esse *calcatu asperum, indomitum, quod calcatum ruere facit, & quod non satis vestigia sinat firma-*

firmare. Alii, *supplantatorium*, plerique *curvum*, *pravum*, *distortum*, *obtortum*, *tortuosum*, *obliquum*, *inaequale*, *perversum*. Nonnulli *fraudulentum*, *deceptorium*; ut sunt loca in viis, quae in speciem plana & secura videntur, sed abditis voraginibus & hiatibus facile viatores decipiunt & hauriunt. Aliqui hic reddunt: *& erit asperitas in planitiem*: vide in Ierem. XVII. 9. ET ASPERA. רכסים *reckasim*, *elevationes*, *excelsa*, *elata hinc inde*, *salebrosa*: vide Psalm. XXX. 21.

V. 5. ET REVELABITUR GLORIA DOMINI. Quidam: *Et conspicua erit gloria Iehovae*, id est Christi, Ioan. I. 14. QUOD OS DOMIN LOCUTUM EST. Heb. *quia os Iehovah locutum fuit*: videbunt omnes homines Christum aeterni Patris Filium praedicantem, & annuntiantem suum Evangelium. Aliqui hunc versum ita convertunt: *Ut reveletur gloria Iehovae*; *& videat omnis caro pariter*, *os Iehovae locutum esse*; quasi dicat: Finis summus praedicationis Ioannis est, ut ipso indice & prodromo gloria Christi manifestaretur mundo, & omnes agnoscerent Agnum Dei tollentem peccata mundi, & praedicantem Evangelium.

V. 6. VOX DICENTIS: CLAMA. Alii: *Vox dicens*, *Praedica*, &c. Altera pars praedicationis, ut dictum est in vers. I. qua exponuntur, primum vocatio Apostolorum, ministrorumque Dei, ab ipso: secundo, donum, quod numquam a vocatione divellit Deus; tertio, summa praedicationis, ut de Ioanne Baptista dictum est. Continet autem praedicatio Evangelica primum doctrinam poenitentiae, qua homo totus prosternitur, ut salutem non a se, sed a Deo quaerat, tribus versibus; deinde doctrinam fidei in Christum, & promissiones eius, tribus versibus alteris. VOX DICENTIS: CLAMA. ET DIXI. Heb. *Et dixit*, seu potius, *dicet*, scilicet vox, vel ille, qui vocem emittebat, QUID CLAMABO? Videtur esse dialogismus inter Deum instituentem Apostolos, & ministros Evangelii, & inter ipsos praedicatores: quo Deus informat praedicatores de suo munere, ut initium suae praedicationis sumant a poenitentia, quae potissimum consistit in agnitione sui & prostratione coram Deo, &c. Quidam hunc versum reddunt: *Vox dicens*, *Praedica*: *Etiam dicit*, *quid praedicaturus sim*; id est, mandatum Dei, quod me vocat ad Evangelii ministerium, etiam tribuit mihi donum ministerii, docens me quae praedicaturus sum: *Omnem carnem esse gramen*, *etiam omnem benignitatem eius similem esse flori agri*; id est, quidquid benignissime in eam contulit Deus ad naturae ornamentum & bonum. Nam haec verba hominem animalem spectant, prout in se ipso est; ac non regenitum Spiritu sanctificationis in Christo. ET OMNIS GLORIA EIUS. חסד *chesed*, *pietas*, *misericordia*, *clementia*, *benignitas*, *beneficentia*, *gratia*, *bonitas*. LXX. Noster, & Petrus I. cap. I. 24. *gloria*. Putant nomine *chesed* hic significasse Prophetam, quidquid in homine est praestantissimum ex naturae, morumque donis, absque gratia sanctificante.

V. 7. EXSICCATUM EST FOENUM, &c. Alii ex Heb. I. *Aruit gramen*, *emarcuit flos*, *quia spiritus Iehovae flavit in illum*. II. *Exarescit gramen*, *decidit flos*, *cum spiritus Iehovae perflat ipsum*. Sic versu sequente. SPIRITUS DOMINI: vel ventus validus, vel iussio, & impulsus Iehovah: ut Genes. I. 2.

V. 8. VERBUM AUTEM DEI NOSTRI MANET IN AETERNUM. יקום *iakem*, *surget*, *stabit*, *consistet*, *confirmabitur*, *stabilietur*, *subsistet ratum*, *firmum*, *constans*. Quidam: *at verbum Dei nostri permanet in seculum*; quasi dicat, Hoc unum semen incorruptum est & immortale, quod potest servare animas hominum, ut dicitur I. Petri, I. 23. & Iacob. I. 21. sic comparatur transitus ad sequentem locum de fide in Christum, & in verbum eius. Itaque verbum hoc, ipsum Evangelium accipiunt. Sane Petrus hunc locum ita interpretatur: *Renati non ex semine corruptibili*, *sed incorruptibili per verbum Dei vivi & permanentis in aeternum*. *Quia omnis caro ut foenum*, *& omnis gloria hominis ut flos foeni*: *exaruit foenum*, *& flos eius decidit*: *at verbum Domini manet in aeternum*. *Hoc autem est verbum*, *quod evangelizatum est in vos*. Nonnulli hic ipsam aeterni Filii Dei personam in substantia accipiunt, qui Verbum est Patris, e Ioann. XII. 34. *Nos audivimus ex lege quia Christus manet in aeternum*. Sed id non satis congruit cum interpretatione Petri.

V. 9. SUPER MONTEM EXCELSUM ASCENDE TU. Heb. *ascende tibi*. Pronomen *tibi* est femineum, ut de femina videatur loqui.

loqui. Hispanice eleganter dicimus, *Subete*: vide in Genes. XII. 1. QUI EVANGELIZAS SION. מבשרת *mebasshereth*, participium femineum, *evangelizatrix*, *annuntiatrix*: Hispanice voce consona, *embaxadora*. Tziion potest esse vocandi casus, *o Tziion evangelizatrix*, id est, quæ prima annuntiabis Evangelium, supra cap. II. 3. & potest esse secundi vel tertii casus, *evangelizatrix Tziionis*, vel *Tziioni*, ut ipsa Ecclesia intelligatur evangelizare Tziioni, hoc est Synagogæ: sic quoque in sequente membro, *evangelizatrix Ierusalaim*. Quidam reddunt: *Montem altum conscende, o quæ evangelizas Tziioni, attolle in potentia*, seu *potenter vocem tuam, quæ evangelizas Ierushalaimis*, &c. Adhortatio ad Ecclesiam, ut palam, intrepide, & cum libertate summa promulget adventum Christi, doctrinamque fidei. Noster secutus LXX. masculce reddidit, *tu qui evangelizas Tziioni*, ut ad prophetam, seu quemvis apostolum, & prædicatorem Evangelii referatur. ECCE DEUS VESTER: Christus adveniens, qui versu sequente dicitur *Sustentator Iehovah*.

V. 10. ECCE DOMINUS DEUS IN FORTITUDINE VENIET, ET BRACHIUM EIUS DOMINABITUR. Varie ex Heb. reddunt: I. *Ecce Dominus Iehova cum forti veniet*, id est cum forti & valido exercitu; & *brachium eius dominium dabit ei*, vel *dominans*, seu *dominatur ei*, vel *in ipso*, vel *ex se*, seu *sibi*. II. *Ecce sustentator Iehova in impetu veniet, & brachium eius dominatur ex se*. III. *Ecce Dominus Iehova cum firmitudine veniet, & brachium eius potestatem sibi vendicans*; id est, veniet obfirmato animo, quasi omnem difficultatem evicturus, & omnem potestatem extollentem se deiecturus, ut reducat inobedientes ad obedientiam fidei, & debellet universam tyrannorum potentiam; & brachio suo sibi imperium peperit, & præeminentiam sibi vindicavit. IV. *Ecce Dominus Iehova veniet in robore, & brachium suum dominabitur per sese*, ex se se potens erit; quasi dicat: Propria virtute sua pariter sibi ac nanciscetur dominium, potestatem, ac imperium. V. *Ecce Dominus Iehovi contra robustum venturus est, & brachium eius dominaturum est in illum*. Promissionum in adventum Christi, quas pii amplectuntur fide, partes exponuntur duæ, una potentissima operatio in adversarios, & hostes Evangelii, hoc versu; altera lenissimus piorum ductus, cura & administratio, versu sequente. DOMINUS DEUS. Heb. ADONAI IHUH: quidam legunt, *Iehovi*; cuius nominis rationem ac vim expositam habes in Notis ad Genes. II. 4. & in cap. XV. 2. IN FORTITUDINE. חזק *chazak*, cum duplici *Cametz* plerumque est adiectivum; unde hic reddunt: *in*, *cum forti*, *robusto*, *intenso*, *vehementi*, *pertinaci*, *impetuoso*, scilicet exercitu *veniet*: vel *adversus fortem*, *robustum*, &c. videlicet adversarium, seu tyrannum, *veniet*. Alii notant hic semel cum *Beth* ab initio *Bechazak* in abstracto sumi, *cum* vel *in robore*, *impetu*, *vehementia*, *&c. veniet*. ECCE MERCES EIUS CUM EO, ET OPUS ILLIUS CORAM ILLO. Notant idem bis dici, nam *opus* hic sumi pro mercede operis: vide in Deuteronom. XIX. 13. bifariam accipiunt: primo passive; quasi dicat: Christus gnaviter & strenue incubuit operi redemptionis, quia præmium & mercedem magnam inde reportavit, Hebræor. XII. 2. & Philip. II. 8. 9. secundo active; quasi dicat: Christus omnibus laborantibus in Evangelio promptam, paratam, expeditam mercedem & præmium offert. Nonnulli *mercedem* & *opus eius*, exponunt ipsos fideles, qui merces laboris & mortis Christi fuerunt, quos semper Christus præ se habet, ac ducit, fovetque, ut versu sequente dicitur. Quidam ita accipiunt: *ecce merces illius* robusti, seu adversarii *apud ipsum* Deum *est*, & *opus illius coram ipso*; id est, proculdubio rependet peccata eius, quæ omnia sunt exposita in oculis Dei.

V. 11. SICUT PASTOR GREGEM SUUM PASCET, &c. Alii: *Velut pastor gregem suum pascet, in brachium suum congregabit agnellos, & in sinu suo portabit, fœtas ducet commode* seu *suaviter*. Commendat maxime hic locus caritatem & mansuetudinem Christi, qui fideles suos parvos & magnos, validos & invalidos cura vere pastorali regit, ducit, fovet, & conservat.

V. 12. QUIS MENSUS EST PUGILLO AQUAS? &c. Confirmatio, inquiunt, proxime præcedentium, ut dictum est in vers. 1. petitur a duobus locis, nimirum a comparatione rerum creatarum cum ipso creatore, quarum natura, vis, opus, efficacitas, &c. demonstrantur nihil ad Deum acce-

cedere, usquè ad vers. 18. unde eruuntur certi doctrinæ loci usque ad finem capitis: deinde ab enarratione operum singularum Dei, in Abrahamum & Ecclesiam totam, capite sequente usque ad vers. 10. ex qua narratione nascitur repetitio earumdem promissionum, & amplificatio, eodem capite usque ad vers. 21. Sunt autem comparationis argumenta tria: primum est ab omnipotentia Dei in creatione & sustentatione rerum omnium demonstrata, hoc versu; secundum, ab omnimoda sapientia, duobus sequentibus; tertium a maiestate infinita, vers. 15. 16. & 17. PUGILLO AQUAS? Heb. *in pugillo suo aquas?* Hac voce, inquit, & sequentibus aliis exponit Propheta quam sit facile Deo res omnes creatas sustentare & regere, ut quæcumque promisit, nullo negotio & rebus omnibus sibi ministrantibus exequatur; quasi dicat: Quemadmodum res minimas his exiguis modis & instrumentis homines capiunt, tractant & appendunt; ita Deo tam facile adeoque facilius est hanc universitatem rerum & singulas eius partes minimo negotio regere arbitratu suo. PONDERAVIT? Alii ex Heb. I. *palmo direxit?* II. *mensus est?* vel *dimetiendo concinnavit?* III. *perpendit*, *æstimavit*. IV. *fabricavit*. De notione verbi תכן *thiccen*, vide in Psal. LXXIV. 4. QUIS APPENDIT TRIBUS DIGITIS MOLEM TERRAE? Alii ex Heb. I. *& mensus est mensura ternaria*, seu *magna pulverem terræ?* II. *& consummavit in ternario pulverem terræ?* III. *& sustinuit*, vel *sustentavit ternario pulverem terræ?* IV. *aut complexus est trientali pulverem terræ?* V. *aut continuit*, *totum comprehendit triario*, seu *tribus digitis pulverem terræ?* Verbum כול *cul*, hæc omnia complectitur, *potuit*, *sustinuit*, *sustentavit*, *consummavit*, *universitavit*, id est universe in totum cepit, comprehendit, proprie, *calculavit*. Vide Genes. XLV. 11. De שליש *schalisch*, *mensura*, diximus in Psal. LXXIX. 6.

V. 13. QUIS ADIUVIT SPIRITUM DOMINI? Idem verbum *Ticen*, quod superiore versu Noster *ponderavit* reddidit, hic varie recipiunt: I. *Quis direxit*, id est instruxit, vel erudivit. II. *Quis mensuravit*, *mensus est*. III. *Quis paravit*, *aptavit*, *disposuit*. IV. *Quis fabricavit*. V. *Quis expendit*, *perpendit*, *æstimavit spiritum Iehovæ?* quasi omnibus suis dimensibus perspectum habuit, expendit, pensitavit, accurate perpendit, certo mensus est & exploravit. Observant Paulum Romanor. XI. 34. & I. Corinth. II. 16. reddidisse hunc locum: *Quis cognovit mentem Domini?* secutum nimirum LXX. AUT QUIS CONSILIARIUS EIUS FUIT, ET OSTENDIT ILLI? Alii ex Heb. I. *& quis vir consilii eius*, *indicavitque illi*. II. *ut vir a consiliis ei*, *docuit eum?*

V. 14. CUM QUO INIIT CONSILIUM, &c. Alii hunc versum ex Heb. reddunt: I. *Cum quo iniit consilium*, *qui eum erudiret? quis docuit eum in semita iudicii*, id est dispositionis orbis: *quis docuit eum scientiam? & iter intelligentiarum intelligere fecit illum*; id est, quis declaravit ei rationem, qua quid agendum esset, intelligeret. II. *Cum quo communicavit consilium ut instrueret se*, *doceretque se iter iudicii: doceret*, *inquam*, *se scientiam*, *& viam prudentiarum*, seu *summæ prudentiæ notam faceret sibi*.

V. 15. ET QUASI MOMENTUM STATERAE REPUTATAE SUNT. Alii ex Heb. I. *Et ut momentum*, *quod bilancem propendet*, *reputantur?* II. *Et sicut levitas*, vel *tenuitas*, *bilancium reputatæ sunt*; id est, ut levissimus pulvis qui incidit in lances, nullius est ponderis. III. *Et tamquam flos pulvisculis in lancibus reputantur*; id est, minutissimum illud, quod lancibus hærere solet præ tenuitate sua, adeo leve est natura sua. ECCE INSULAE QUASI PULVIS EXIGUUS. Alii ex Heb. I. *En insulas velut tenue proiiciet*, vel *transferet alio*. II. *Ecce insulas ut tenue*, *subtile*, *minutum quid protelabit*: a נטל *natal*, vel טיל *til*, deducunt. III. *Ecce insulas quasi tenue operiet*, *obteget*. טלל *a talal*, id est facile est Deo insulas quasi tenui nebula operire & obtegere, atque submergere. IV. יטול *ittol*, futurum ex Niphal faciunt, verbi *til*: *ecce insulæ*, vel *insularum multitudo*, seu *unaquæque ex insulis*, *ut pulvis tenuis exonerabitur*, hoc est difflabitur, dissipabitur. V. *ecce insulas tamquam tenue sublaturus est*, seu *ablaturus*, *levaturus*. VI. *En insulas ut rem minutissimam dispositurus esset*, nimirum si placeret, tanta est maiestatis ipsius amplitudo: quod duo sequentes versus amplificant.

V. 16. ET LIBANUS NON SUFFICIET AD SUCCENDENDUM. Alii: I. *Et Libanus non satis*

satis esset ad incendendum ignem. II. *Etiam Libanus non sufficeret ad comburendum*. III. *Et Libanus non sufficientia incendii*. ET ANIMALIA EIUS NON SUFFICIENT AD HOLOCAUSTUM. Heb. *& bestiæ*, *animalis*, *feræ*, *vivi*, *eius non sufficientia holocausti*, vel *holocausto*, sive *ad holocaustum*. De voce חיה *chaiah*, quam *animal* hic reddunt, vide in Genes. I. 24. Sensum huius versus ita concipiunt: Nec ligna Libani satis essent ad comburendum holocausta, nec animalia montis eius sufficerent holocaustis, videlicet si litandum esset ipsi pro amplitudine maiestatis eius.

V. 17. OMNES GENTES QUASI NON SINT, &c. Hunc versum alii ex Heb. ita convertunt: I. *omnes gentes tamquam nihilum sunt coram eo*, seu *respectu illius*: *minus quam nihilum & inane reputantur præ ipso*, vel *ipsi*, id est si conferantur cum eo. II. *omnes gentes e regione eius tamquam nihil sunt*, *& res inanes atque frivolæ reputantur illi comparatæ*. III. *omnes gentes velut nihil sunt coram eo*, *minus nihilo & inanitate*, vel *plusquam nihilum & inane reputantur ei*.

V. 18. CUI ERGO SIMILEM FECISTIS DEUM? &c. Hunc versum varie alii ex Heb. exponunt: I. *Cui igitur assimilabitis Deum*; *& quam similitudinem disponetis ei?* Vel *ordinabitis*, seu *æquabitis*, aut *æquiparabitis illi?* id est, adscribetis & accommodabitis illi. Vide Actor. XVII. 29. II. *Cui ergo similem facietis Deum? aut quodnam simulacrum adornabitis ei*. III. *Cui ergo assimilabitis Deum fortem*, *& quam similitudinem comparabitis ei?* Præcedenti confirmationis loco, ut diximus in vers. 12. subiiciuntur documenta duo prout legitima concionis forma postulat: prius documentum pertinet ad idololatras, positum partim in reprehensione studii quo Deum idolis suis conantur effingere frustra, tribus versibus; partim in redargutione inscientiæ ipsorum, quinque aliis versibus, partim in hortatione ad veram cognitionem Dei, versu 26. posterius vero documentum ad Ecclesiam pertinet, in quo partim reprehenditur diffidentia vers. 27. partim ad certam fiduciam revocatur, ad finem usque capitis.

V. 19. NUMQUID SCULPTILE CONFLAVIT FABER, &c. Varie hunc versum ex Heb. elucidant: I. *Nonne sculptile conflat faber? & aurifaber ex auro expandit illud*, vel *dilatat illud*, id est laminis aureis tegit illud, *catenasque argenteas conflat pro eo aurifer*, scilicet ut imponat collo eius ornatus causa. II. sine interrogatione: *Simulacrum fudit artifex*, *& aurifusor diducit illud*, *& argenteis laminis fusor obducit*. III. *Numquid sculptile fudit faber*, *& ustor in auro distendit illud*, *& ligamenta argentea urit?* id est, Numquid dignum est ut sculptile fundat faber, &c. vel an si sculptile fundat faber in auro vel argento, Dei similitudinem expressisse putandus est? IV. *Sculptile tegit artifex*, *pingendo suis coloribus*, *vestiendo*, &c. ut materia incerta sit, & superstitione magis afficiat animos: *& aurifex auro obducit illud*: *& catenas argenteas conflat*, quibus vinctum idolum stare possit. V. Hispanicus Interpres: *El artifice apareia la imagen de tallo*: *el platero le estiende el oro*: *y el platero le funde cadenas de plata*, scilicet, *para atarlo que no cayga*. NUMQUID. ה *ha*, potest esse interrogativum, & notificativum, unde & interrogative, & affirmative exponunt. FABER. חרש *charasch*, *artifex*, *opifex*, *faber*, *operi intentus*, *industrius artifex*, dictus a tacendo, & intendendo operi, quod artifices silendo operi mechanico intenti sint. AURIFEX. צורף *tzoreph*, participium, seu nomen participiale, *urens*, *ustor*, *excoctor*, *conflator*, *fusor purificator*, qui metalla igne exurit, & a scoriis repurgat, & examinat. Sic in fine versus. FIGURAVIT: proprie, *expandet*, *extendet*, *distendet*, *continuabit*, *extendendo confirmabit*, *diducet*, *condensando quasi rem prius fluidam & raram in latum extendet*, ut solet æs, argentum, & aurum, &c. fluidum, & liquefactum in latum distendi. ET LAMINIS. רתקות *rethukoth*, *ligamina*, *vincula*, *clausuræ*, *claustra*, *catenæ*, *funes*. Forte innuit claustra illa vel cancellos seu clathra argentea, quibus gentiles imagines deorum includebant: aut alludit ad morem priscum, quo statuis deorum vincula iniiciebant, de quo Pierius Lib. XLVIII. Hieroglyphicorum, in laqueo.

V. 20. FORTE LIGNUM, ET IMPUTRIBILE ELEGIT. Diversimode hunc versum ex Heb. accipiunt: I. plerique Hebræorum: *Nonne thesaurarius*, vel *præfectus*, *præpositus*, *super oblationem*, *lignum quod non putrescat*, *eliget?* intelligunt præfectum iis, quæ reponuntur in thesauro ut sint in mu-

nus seu oblationem, ex quibus fieret sculptile. II. sine interrogatione: *Qui est præfectus oblationi, lignum quod non putrescat, eliget*. III. *Qui est assuetus & edoctus ac exercitatus in elevatione*, seu *separatione & delectu lignorum, lignum quod non putrescet, eliget*. IV. *Depauperatus*, seu *pauper tenuis oblationi*, vel *ad oblationem lignum, quod non putrescat, eliget;* quasi dicat, Dives facit sculptile ex auro vel argento, uti versu præcedente dixerat: at pauper eliget lignum imputribile, quod offerat ut ex eo sculptile fiat, quia non est ei facultas ex auro & argento conflandi illud. Hispanicus Interpres: *El pobre escoge para offrecerle madera, que no se corrompa*; id est, *el que nolo puede hazer de oro, ni de fundicion*. V. *Ad paupertatem redactus, in oblatione*; id est, dum curat construendum aliquod idolum, quod postea offerat, ac dedicet: *lignum, quod non putrescat, eligit*. VI. *Qui opibus destitutus est*, vel *qui ad censum*, id est paupertatem, *redactus est, ut & is offerat, lignum eligit, quod non putrescit*. VII. *Nonne æditus ob quæstum lignum imputribile eligit?* VIII. Marinus: *Inops elevationem lignum, quod non putrefiat, eligit*. IX. Forerius: *Numquid penuriosus pro oblatione lignum quod non putrescat, eliget?* vel *numquid pauper levandam lignum, quod non putrescat, eliget?* id est, Numquid si qui aurum & argentum non habet, lignum offerat, & Deo velit dicare, ut ex illo sapiens faber simulacrum constituat, &c. putabitur Dei imaginem vere expressisse? X. Forsterus: *Pauper pro levanda, lignum, quod non putrescet*, sibi *eliget*; vel *penuriosi levanda est lignum quod non putrefiet*. XI. Tremellius, Iunius, Buxtorfius, Schindlerus: *Indignus oblationis*, constructa forma, ut in libris nostris manuscriptis legitur: vel *quia ita indignus est, ut non habeat quod offerat, lignum non putrescens eligit: artificem peritum quærit sibi ad parandum sculptile, quod non dimoveatur*. Amplificatio vanissimi illius studii idololatrici ab exemplo egentium, qui cum non habent quod offerant, quo tegant, aut ornent idola sua, lignum firmius a carie eligunt: atque hoc pacto evincuntur omnes vanitatis, quæ in idolis est, cum hic superiorum (utcumque compta, occulta fuerint) vanitatem & infirmitatem videat; illi vero, ut ditiores sunt, damnent tenuitatem huius, & suorum idolorum inanitatem pigmentis suis testatam faciant. FORTE. Particula ה *ha*, potest esse & nota interrogandi, & notificandi, ut versu superiore. מסכן *mesuccan*, quidam faciunt participium, præteritum, seu passivum Pihel verbi סכן *sachan;* alii nomen participiale, ac varie exponunt: *thesaurarium, consuetudinarium, præfectum, præpositum;* vel *assuefactum, edoctum, exercitatum*. Plerique per antithesin, *depauperatum, inopem, indigum, ad censum & pauperiem redactum, quasi censuratum, censitum, penuriosum, opibus destitutum*. Forsterus ait: *Mesuccan participium præteritum secundæ coniugationis: adcollectus, thesaurizatus, scilicet olim, sed iam non amplius: atque idem est, quod decongregatus, decollectus, dethesaurizatus, hoc est penuriosus, sine penu & facultatibus, qui nihil habet bonorum ad se pertinens: & est nomen privativum*. Volunt idem esse quod מסכן *miscen*, Hispanice *mesquino*, de quo vide in Eccle. IV. 13. Tremellius & Iunius notant in manuscriptis exemplaribus legi *mesuccan* cum *Pathach*, forma regiminis, seu syntactica: cum passim excusa omnia habeant cum *Cametz*. Noster sensum potius secutus *forte* dixit, id est *congruum, commodum, conveniens, quod usui esset:* id enim proprie significat verbum *sacan*. De תרומה *therumah*, vide Exodi XXV. Hic passim pro munere, & oblatione eximia & selecta accipiunt. Nonnulli Hebræorum, pro separatione & delectu, nempe pro eo, quod ex ceteris ut præcipuum & optimum eximitur, ut supra vidimus in tertia explanatione.

V. 21. NUMQUID NON SCITIS? &c. Alii hunc versum ita ex Heb. reddunt: I. *An horum rudes estis?* vel *nonne scitis?* subaudi, conscientia magistra: *an hæc non audivistis? an non a rerum primordio hoc nuntiatum est vobis? an non docti estis a iactis terræ fundamentis?* II. *An non cognoscitis? an non auditis? an non indicatur a principio vobis? an non intelligitis inde a fundamentis terræ?* id est, a conditu mundi. Redargutio elegantissima, ut diximus in vers. 18. NUMQUID NON INTELLEXISTIS, scilicet cum discrimine, & observavistis cum iudicio, diiudicavistis, deprehendistis, FUNDAMENTA TERRAE? Exponunt: ab ipso nimirum Deo facta fuisse, neque alium fuisse auctorem & opificem orbis. Quidam hunc versum ita accipiunt. Ex tri-

tribus, inquit, istis errorem vestrum agnoscere deberetis: ex cognitione vestra naturali, aut ex audita librorum lectione, aut ex traditione, quæ ab antiquis & primis venit hominibus; vel saltem fundamenta terræ, id est quatuor elementa, inter quæ versamini, vos ducere debuerant in cognitionem unius & veri Dei, qui iis præsidet, & ea pro voto suo gubernat. Nonnulli: *an non intelligentiam didicistis*, seu *percepistis, ex fundamentis terræ?*

V. 22. Qui sedet super gyrum terrae, et habitatores eius sunt quasi locustae, &c. Quidam antecedentibus iungunt, ac reddunt: *eum, qui insidet ambitui terræ, cui habitatores eius sunt velut locustæ*, &c. id est, Deum periphrasticos: sed propterea circumlocutio adhibetur, & hanc congeriem operum mirabilium Dei necesse fuit exponere, ut plana essent huius redargutionis argumenta, cum ab ordinaria administratione, hoc versu; tum a singulari, quæ præter naturæ ordinem evenit, duobus sequentibus. Super gyrum terrae. Alii: *super globum terræ*. Nonnulli: *super horizontem terræ*. Velut nihilum. דוק *dok*, proprie, *tenue*, *subtile*. Alii, *pellem*, *cutim*, seu *membranam* interpretantur, a tenuitate sic dictam: alii *cortinam*, *conopæum*, *aulæum*. Nonnulli, *nebulam*, quod tenuis sit. Hebræi aiunt esse *cortinam*, seu *pellem* ex qua fiunt & constant tabernacula iuxta illud Psal. ciii. 3. *Extendens cælos sicut cortinam*. Quidam reddunt: *sicut telam tenuissimam*.

V. 23. Qui dat secretorum scrutatores, &c. Alii hunc versum ex Heb. I. *Qui redigit potentes in nihilum, & reddit iudices terræ ut sint inanes*. II. *Qui disponit dominatores*, seu *gubernatores in nihilum, iudices terræ sicut rem inanem efficit*.

V. 24. Et quidem neque plantatus, &c. Hunc versum ex Heb. reddunt I. *etiam non sunt plantati, neque sati sunt, neque etiam radices egit in terra truncus eorum: & etiam flat in eos, & arescunt, turboque velut stipulam auferet eos*. II. *Ut etiam de iis dicatur, Non fuerunt plantati: neque sati fuerunt*, &c. III. *Perinde ac si non fuissent plantati, neque sati fuissent, neque etiam radices egisset truncus eorum: quin cum sufflat, in eos, arescunt, turboque*, &c. Comparat eos arboribus; quasi dicat: Ita abolentur quasi numquam fuissent plantati, aut sati, &c. IV. *quin ut neque plantentur, neque seminentur, neque radicem fundat in terra stirps eorum: ad hæc, protinus ut in eos flat, exarent, & turbo eos tollit ut stipulam*. V. *neque plantantur, neque feruntur, neque radicatur in terra succisus truncus eorum: quin etiam sufflante eo in illos, exsiccantur, ac turbo quasi stipulam tollit eos*. Ergasia allegorica a plantarum & seminum similitudine, exponens id, quod modo Propheta dixerat, Deum disponere in nihilum & sicut inanitatem efficere gubernatores, & principes: Etiam plantis, inquit, seminibusque, &c. a natura plus inest facultatis quam idolis omnibus. VI. *Necdum plantati, nequedum sati, nequedum radicatus in terra truncus eorum erat, cum subito flavit in eos, & aruerunt, & tempestas quasi quisquilias elevavit eos*; id est, reges & tyrannos statim initio imperii aufert & de medio tollit, nulla relicta sobole, &c.

V. 25. Et cui assimilastis me, &c. Quidam: *Cui ergo assimilaretis me, ut æqualis essem, ait Sanctus?* Conclusio redargutionis, ut supra vers. 18.

V. 26. Levate in excelsum oculos vestros. Heb. sine præpositione: *levate elevationem, celsitudinem, sublimitatem oculos*, &c. vel *elevatione, celsitate*, &c. id est, quam altissime, & sublimissime, quam maxime levate. Quidam: *Attolite in sublime oculos vestros*. Hortatio didascalica, ut diximus in vers. 18. de agnoscendo Deo, cum ex creatione huius universitatis, tum ex imperio summo. Qui educit in numero militiam eorum. Alii: *producens numero suo exercitum ipsorum*; id est, qui omnia sidera educit & instruit per turmas & numeros ut imperator exercitum: vel qui suis quælibet astra temporibus oriri facit certa lege dierum, horarum, & momentorum numero servato. Vide in Genes. ii. 1. & Psalm. cxlvi. 4. Et omnes ex nomine vocat. Heb. *omnibus eis in nomine vocabit*. Alii: I. *omnibus illis nominatim acclamabit*. II. *vocatque ea omnia sigillatim nominibus*; quasi dicat: Deus sideribus, stellis, astris, & omni cælorum exercitu utitur pro arbitrio suo, ac si quis servis suis imperaret, nominatim ipsos ad se vocans. III. *quis ista omnia*

voces

vocet de nomine? id est, nominatim imperet, ut Psalm. CXLVI. 4. PRAE MULTITUDINE FORTITUDINIS, ET ROBORIS, VIRTUTISQUE EIUS, NEQUE UNUM RELIQUUM FUIT. Hanc partem nostra Translatio verbatim ex Heb. transfudit (*de multitudine concupiscentiarum*, & *surrectus virtutis*, *vir non de congregatus fuit*.) diversimode alii: I. *præ multa fortitudine*, & *forti potentia*, subaudi hæc facit: *ne unum quidem deest*. Commendat Dei potentiam; quasi dicat: Adeo fortis & potens est Deus, ut simulatque aliquid mandavit, omnes siderum exercitus promptum ei obsequium præstent? nec unum quidem desit, quod non mox pareat acclamanti & iubenti. II. *præ multa fortitudine & forti potentia*, *ne unum quidem deficit*: ut istud referatur ad stellas & totum cælorum exercitum; quasi dicat: Est universus ille cælorum exercitus adeo multa fortitudine & robore præditus, ut nullum sidus aut astrum sua vi & fortitudine privetur aut deficiat; sed omnia sua munia & officia perenni & continente vi indeficienter perpetuo obeant. Hispanicus Interpres: *ninguna estrella faltara por la multitud de sus fueras*, *y por la fortaleza de la fuerça*, scilicet, *con que las rige*. III. *vocatque ea omnia sigillatim nominibus iuxta multiplicem efficaciam & robur virtutis eorum*, *ut ne unum desit*, *quod se ei non sistat aut non pareat imperanti*. IV. *præ multitudine virium*, & *robore virtutis*; *ut ne unum quidem deesset*. V. Forsterus: *a multitudine cupiditatum*, & *robore potentiæ*, vel & *surrectus virtute*, *unum non decedet*, vel *non defuit*. VI. *præ multitudine virium & strenua virtute ne unum quidem subtractum fuit*. VII. præcedentibus nectunt: *quis ista omnia vocet de nomine*, *præ amplitudine virium*, *prout fortis est robore*, *adeo ut quidquam non desit*, quin sistat se coram vocante & ipsi pareat. Nos ita expressimus: *præ multitudine concupiscentiarum*, seu *cupiditatum*, & *surrectus virtutis*, vel & *surrecta*, *strenua*, *virtute*, *vi*, *robore*, *potentia*, *Vir*, id est quique, aliquis, vel quidquam, aliquid, unum, *non defuit*; hoc est, pro multiplici & omnifaria, atque infinita Dei voluntate, ac beneplacito, & quia strenuissima vi præditus est, nullum ex exercitu cælorum subtractum aut desideratum est, vel defuit aut defecit a sua virtute & natura, munereque, vel a Dei obedientia & imperio. FORTITUDINIS. Heb. pluraliter אונים *onim*, exponunt, *fortitudinum*, *virium*, *roborum*, *potentiarum*. Aliqui, *concupiscentiarum*, vel *cupiditatum*: vide in Genes. XLIX. 3. & quamvis hanc vocem sæpius in malum accipi notent, tamen hic & infra vers. 29. & Oseæ XII. 3. in bonum sumi volunt.

V. 27. QUARE DICIS IACOB, &c. Alii: *Quare diceres Iahakob*, & *loquereris Iisrael*, &c. Alter documentorum locus spectans ad Ecclesiam, ut in vers. 18. ostendimus. ABSCONDITA EST VIA MEA A DOMINO, ET A DEO MEO IUDICIUM MEUM TRANSIVIT? Quidam: *Abscondita est via mea a Iehova*, & *a Deo meo causa mea præterit*; id est, Deus nullam amplius habet rationem mei, nec porro curat me. Sic anticipat Propheta insidas populi querimonias, in quas plerique delapsi sunt ante adventum Christi propter diuturnas & graves calamitates suas, quarum nomine dixerat vers. 1. *Consolamini*, &c.

V. 28. NUMQUID NESCIS, AUT NON AUDISTI? &c. Alii hunc versum sic ex Heb. elucidant: I. *An non scis? an non audisti*, seu *percepisti*, *quod sempiternus Deus & Iehova ille*, *qui extremitates orbis condidit*, *non laborat*, seu *fatigatur*, *nec lassitudine fatigatur*, *neque prudentia eius pervestigari potest?* II. *An non novisti? nonne audivisti Deum æternum Iehovam*, *creatorem extremitatum terræ*, *non defetisci*, *neque defatigari?* id est, quemadmodum non definit gubernare extremitates terræ, ita non desinere ipsum aut cessare a curatione Ecclesiæ suæ: *nulla est pervestigatio prudentiæ eius*.

V. 29. ET IIS QUI NON SUNT, FORTITUDINEM ET ROBUR MULTIPLICAT. Alii ex Heb. I. & *cui non sunt vires*, *robur multiplicabit*. II. & *cui non sunt cupiditates*, *robur multiplicabit*, nam lassi, ac defessi carent cupiditatibus. III. & *ei*, *quem vires deficiunt*, *robur abunde suppeditat*. IV. & *defecto viribus robur copiose suppeditat*.

V. 30. DEFICIENT PUERI, &c. Alii ex Heb. I. *Adolescentes fessi & anheli redduntur*: & *iuvenes selectissimi omnino concidunt*. II. *Defetiscuntur quidem pueri & defatigantur*; & *iuvenes prorsus impingunt*. Ergasia superioris dicti per antithesin lu-

culen-

culentissimam: Ruunt quidem, inquit Propheta, quicumque aut impudentia tamquam pueri non respiciunt ad Deum; aut præfidentia tamquam iuvenes feroces ipsum negligunt; sed bene est illis, qui expectant Deum.

V. 31. MUTABUNT FORTITUDINEM. Alii: I. *commutabunt*, seu *innovabunt*, id est *recuperabunt robur*. II. *mutant vires*, videlicet in melius, id est augescunt & confirmantur. III. *novas subinde vires recipiunt*, seu *novum robur accipiunt*. Sic cap. XLI. 1. ASSUMENT PENNAS SICUT AQUILAE, &c. Heb. *ascendunt penna*, pro *pennis*, *velut aquilæ*, &c. id est, quam celerrime ex difficultatibus evolant, & quemadmodum aquila contento in cælum volatu superat omnes alites, ita omnia transcendunt freti benignitate Dei. Sic. Iob XI. 17. Recte Plinius Lib. X. cap. III. *Ex his*, *quas novimus*, avibus, *aquilæ maximus honos*, *maxima & vis*. Quidam transitive accipiunt quasi sit futurum Hiphil: *ascendere facient pennas ut aquilæ*, seu *proferent*, *producent pennas*, renascentur illis pennæ ut aquilis; id est, renovabuntur ut aquilæ, fient subinde iuniores renatis plumis, ut renovatur aquilæ iuventus, Psalm. CII. 5.

MENOCHII.

Verf. 1. CONSOLAMINI: passive accipitur pro *consolationem accipite*. LXX. tamen active capiunt, nam vertunt in accusativo, *Consolamini populum meum*. POPULE MEUS: ita appellat fideles, qui in Christum crediderunt, tam ex Iudæis, quam ex Gentilibus.

V. 2. LOQUIMINI AD COR. Idioma Scripturæ est (inquit D. Hier.) ut qui mærenti loquitur, & blandiens consolatur, dicatur ad cor loqui: vide Gen. XXXIV. 3. & ibi dicta. ADVOCATE EAM. LXX. παρακαλέσατε αὐτήν, *consolamini eam*. In Heb. est: קראו, *qiru*, *vocate*, ut scilicet miram hanc consolationem ei annuntietis. MALITIA. In Heb. est צבא *tsaba*, id est *militia*, sed sensus est idem; malitia enim hic non nequitiam, sed laborem, afflictionem, & ærumnas militares significat: sic dicitur Matth. VI. 34. *sufficit diei malitia*, id est *afflictio sua*. DIMISSA EST INIQUITAS ILLIUS: Christus enim, sicut eius iniquitati, sic & militiæ, & malitiæ, afflictioni, & tribulationi finem imposuit. DUPLICIA, id est multa, scilicet bona, charismata, & gratias. Vel sensus est, dupliciter, id est graviter fuisse punitam, ideoque cum sat pœnarum dederit, completam esse malitiam, & afflictionem.

V. 3. VOX CLAMANTIS, scilicet erit, vel audietur in deserto. Intelligenda hæc sunt de sancto Ioanne Baptista: nam Matth. III. 3. habemus: *Hic est enim qui dictus est per Isaiam Prophetam dicentem: Vox clamantis in deserto*, &c. PARATE VIAM DOMINI: sunt verba clamantis in deserto, & iubentis Domino mox venturo, parari viam, & complanari, ut fieri solet in adventu magnorum Principum. Monet ergo ut omnia amoveant impedimenta, quæ illum possint offendere, errores scilicet, & peccata. IN SOLITUDINE; quasi dicat Ioannes: Existis ad me in solitudinem, hic ergo me vos cohortante, mores corrigite, & præparate viam Christo: ad hoc ipsa solitudo invitat, ut semoti a turba verbo Dei, & saluti vestræ vacetis: ita D. Hier. EXALTABITUR; pro *exaltetur*, futurum pro imperativo; quomodo etiam sequentia explicanda sunt; sententia est, Tollatur omnis anfractus, & obliquitas, & omnia adæquentur, & complanentur. PRAVA IN DIRECTA: obliqua, & tortuosa dirigantur.

V. 5. ET REVELABITUR GLORIA DOMINI: particula *&* posita est pro *nam*. Gloria Domini est gloriosa Christi humanitas, quæ hominibus ostendetur. VIDEBIT, id est videre poterit, & experiri. QUOD OS DOMINI LOCUTUM EST; id est, Christo iam exhibito, videbit omnis homo re ipsa præstari, & impleri quod nunc Dominus per me, aliosque Prophetas, de salvatore promisit.

V. 6. VOX DICENTIS: CLAMA; quasi dicat: Ego Isaias audio vocem mihi interius dicentem, & suggerentem, *Clama*. ET DIXI, id est respondi. OMNIS CARO FOENUM. Hoc suggerit vox esse clamandum. Existimo hoc pertinere ad tanti mysterii admirationem; quasi dicat Propheta: Cum omnis caro nihil aliud sit quam herba, quæ facile arescit, & marcescit, tamen non dedignatus est Dominus humanam carnem induere. FOENUM: non demessum, & siccum, sed vivum, & in prato ger-

germinans; hoc enim Heb. vocatur חציר *chatsir*, quod hic habemus.

V. 7. QUIA SPIRITUS DOMINI SUFFLAVIT IN EO: nam spiritu vehementi, & urenti siccantur herbæ, & flores.

V. 8. VERBUM AUTEM DOMINI; quasi dicat: Licet homines exsiccentur, & pereant ut fœnum, verbum tamen Domini, quod carnem assumpsit, æternum est, cum sit Deus immortalis.

V. 9. SUPER MONTEM EXCELSUM, &c. Sion enim terrena in edito monte sita erat. EVANGELIZAS SION: qui evangelizas Sioni, id est Ecclesiæ, tam lætum nuntium apportas. EXALTA IN FORTITUDINE, attolle, eleva vocem quantum potes.

V. 10. IN FORTITUDINE: nam Christus est Deus fortis, infinitaque potentia instructus ad profligandos Ecclesiæ hostes. BRACHIUM EIUS: potentia, robur. ECCE MERCES EIUS CUM EO; quasi dicat: Liberalis est, & promptam habet mercedem, immo ipsemet eis erit magna merces nimis. ET OPUS ILLIUS CORAM ILLO; id est, merces operis, per metonymiam: est repetitio eiusdem sententiæ.

V. 11. SICUT PASTOR GREGEM SUUM PASCET: magna cura suos reget, immo pascet ut oves; erit enim dominatus illius pastoralis, non tyrannicus. IN BRACHIO SUO CONGREGABIT AGNOS, brachiis complectens, & ad caulas deferens. IN SINU SUO LEVABIT, id est gestabit. FOETAS: quæ fœtum utero gerunt, vel iam recens enixæ sunt. IPSE PORTABIT: suaviter ducet, ac si portaret, pedetentim præ se agens, ne fatigentur; sensus totius versiculi est: Regimen Christi, quo suam gubernabit Ecclesiam, fore suave; nam & agnos, id est plebem simplicem, & recens conversam, & fœtas oves, id est Apostolos, & prædicatores fovebit, & curabit; ut nihil eorum desiderent, quibus opus habent ad salutem consequendam, & in aliis promovendam.

V. 12. QUIS MENSUS, &c. Excurrit Propheta in divinæ potentiæ, & sapientiæ commendationem, ut ostendat opus Incarnationis illi facile fuisse; sensus ergo est: Quis præter Deum mensus est aquas, &c. PUGILLO: velut pugillo. LXX. *manu*. PALMO PONDERAVIT; quasi palmo manus continet: loquitur humano more, qui enim aliquid palmo continet, eius gravitatem sentit, & quodammodo ponderat, & explorat. TRIBUS DIGITIS, id est summa facilitate. LIBRAVIT IN PONDERE MONTES: pondus metonymice vocat stateram, vel bilancem, qua res ponderantur: sustinet manu potentiæ suæ montes, & colles, & cognitum habet ad unguem pondus earum.

V. 13. QUIS ADIUVIT SPIRITUM DOMINI? Heb. *Quis ponderavit*, id est expendit, perpendit, penetravit spiritum, id est mentem, & consilia Domini, ut cum ope, & consilio suo in operando adiuvare possit; quasi dicat, Nemo. OSTENDIT ILLI, scilicet, quid esset agendum.

V. 15. QUASI STILLA SITULAE: quasi stilla e situla decidua, & neglecta, cuius nulla habetur ratio, immo sicut stillæ pars minima. MOMENTUM STATERAE: vide dicta Sap. XI. 23.

V. 16. LIBANUS NON SUFFICIET AD SUCCENDENDUM; quasi dicat: Ea est divinæ naturæ maiestas, ut Libanus qui thure abundat, & silvis odoratis, non satis sit ad suffimenta, & animalia quæ magno ibi pascuntur numero, ad sufficienda holocausta, quæ illi debentur.

V. 18. CUI ERGO SIMILEM, &c. Per digressionem invehitur in idololatriam; sensus est: Cum omnes gentes Deo comparatæ sint quasi gutta, immo nihilum, & inane, qua temeritate, impietate, ac sacrilegio, vos o Gentiles, Iovem, Iovisque Idolum comparatis, & æquiparatis Deo, Deumque Iovi, immo Deum facitis Iovem, & Iovem Deum? AUT QUAM IMAGINEM PONETIS DEO? quasi dicat: Quæ poterit ex rebus hisce materialibus imago fieri, quæ divinæ illius naturæ vim, atque præstantiam repræsentet? Neque tamen hinc colligi potest otiosum esse, vel illicitum imaginum usum; nam licet imago nulla ad vivum Deum repræsentet, excitare tamen potest Dei vivi, & veri memoriam in animis hominum. Adde non colere nos imagines ut deos, quod tamen faciebant Gentiles, qui in lapide illo, aut ligno numen inesse existimabant.

V. 19. NUMQUID SCULPTILE CONFLAVIT FABER? In Heb. est, *Nonne sculptile conflabit faber*, ut vertunt Pagninus, & Vatablus; quasi dicat: Quis adeo vecors est, ut existimet metallum illud in idoli formam figuratum, divinitatem habere?

V. 20.

V. 20. FORTE LIGNUM, ET IMPUTRIBILE: durum, & quod cariem non sentiat. RAPIENS: accipiens.

V. 21. NUMQUID NON SCITIS, &c. quasi dicat: Si Deus terram creavit, & metalla quæ in ea gignuntur, quis ita deliret, ut Deum esse credat simulacrum ex auro vel argento sculptum aut conflatum? FUNDAMENTA TERRAE; id est, nonne scitis, & maiorum traditione accepistis, Deum terram fundasse, & suo loco statuisse?

V. 22. QUI SEDET; qui præsidet, & gubernat mundum. QUASI LOCUSTAE: quod exiguum est animal, vile, miserum, & brevis vitæ. VELUT NIHILUM, id est facillime. SICUT TABERNACULUM. LXX. *quasi cameram:* rotundos scilicet instar cameræ, & fornicis.

V. 23. SECRETORUM SCRUTATORES: Philosophos investigatores arcanorum naturæ. LXX. vertunt *Principes*, ut etiam Pagninus, & Vatablus, qui scilicet statum politiæ, ac gubernationis secreta rimantur; hi enim Heb. vocantur רוזנים, *rozenim*. IUDICES TERRAE: Principes, quorum munus est populis ius dicere. VELUT INANE FECIT: potest enim Deus etiam Principes solio deiicere, quod frequenter fecit, & si libuerit velut inane facere, hoc est redigere in nihilum.

V. 24. ET QUIDEM NEQUE PLANTATUS, &c. perinde ac si non esset plantatus. Vel sensus est, Deum reges, & tyrannos aliquando statim initio imperii de medio tollere antequam prolem susceperint.

V. 25. ET CUI ASSIMILASTIS ME? Vel quæritur quod creaturas etiam viles, & despicabiles illi adæquaverint, & deos fecerint; vel sensus est, quasi dicat: Numquid mihi quidquam simile est, aut æquale?

V. 26. QUIS CREAVIT HAEC; quasi dicat, Nonne ego? EDUCIT IN NUMERO: numerosæ; multæ enim sunt stellæ, vel in numero, ut scilicet una quælibet suam servet stationem, & ordinem, sitque verbi gratia hæc prima, illa secunda, aut tertia. MILITIAM EORUM: exercitum stellarum, id est multitudinem: vel sic appellantur, quod suos ordines, & stationes tueantur, ut stellæ. OMNES EX NOMINE VOCAT; id est, plene novit naturam earum, seu facit adesse ubi vult, ut solent domini, cum servos vocant. PRAE MULTITUDINE FORTITUDINIS, &c. quasi dicat: Tam multa, & magna est fortitudo, robur & virtus Dei cælos & astra moderantis, ut ne vel unum sit, quod eius ordinationi, & mandato per omnia non satis faciat.

V. 27. ABSCONDITA EST VIA MEA A DOMINO: ignotus est Deo status rerum mearum, nec illas curat. A DEO MEO, &c. Est eiusdem repetitio; quasi dicat: Deus causam meam pertransit, negligit, iudicare contemnit.

V. 28. NON DEFICIET NEQUE LABORABIT: non fatigatur in mundi gubernatione, ac proinde quam olim habuit populi sui providentiam, etiam nunc habet. NEC EST INVESTIGATIO SAPIENTIAE EIUS: ut potentia, ita Deo sapientia non deest, qua rebus vestris providere sciat; est enim immensa & investigabilis.

V. 29. QUI DAT LASSO VIRTUTEM; quasi dicat: Non solum Deus ipse non fatigatur, sed & lassis vires, animosque restituit. HIS QUI NON SUNT, scilicet fortes.

V. 30. PUERI: adolescentes, iuvenesque vegeti, & robusti. IN INFIRMITATE CADENT: infirmabuntur, & frangentur illorum vires.

V. 31. MUTABUNT FORTITUDINEM, id est innovabunt, instaurabunt, integrabunt. ASSUMENT PENNAS, &c. LXX. *pennas producent, ut aquilæ*, & divina ope adiuti, sine labore current, &c.

TIRINI.

Vers. 2. LOQUIMINI AD COR *a* IERUSALEM; id est, quæ cordi ipsius optata, grata & iucunda sunt, nuntiate illi, quæ cor eius mulceant, solentur, recreent, omnemque ab eo mœstitiam pellant, illi proponite. ET ADVOCATE EAM: ut diu expetitam consolationem, & a malis quibus premitur liberationem accipiat. QUONIAM COMPLETA EST MALITIA *b* EIUS, id est afflictio, miseriæ & ærumnæ, quæ illi male faciunt. Heb. *tsaba militiam* significat, seu laborum & dolorum stadium, Græce est, *humilitas*, id est depressio, *eius*. DIMISSA EST INIQUITAS ILLIUS LXX. *solutum est peccatum*; nempe infidelitatis ac rebellionis Deo, per omne

omne genus peccati. Nec culpa sola peccati remittitur illi, sed & reatus pœnæ, seu supplicii tum æterni, tum temporalis pro culpa subeundi. Hæc est perfecta remissio, quæ copiosa Christi redemptione nobis obvenit. SUSCEPIT DUPLICIA (id est multiplicia & grandia) PRO OMNIBUS PECCATIS SUIS: quod Cyrillus, Theodoretus & Procopius de pœnis exponunt, quibus expiavit Deus peccata suorum; quasi dicat: Sat pœnarum dedit pro sceleribus suis, maxime in Christo & per Christum, qui nostra scelera in se luenda suscepit, inquit Forrerius. Sed Sasbout & alii plures id non de pœnis, sed de donis ac gratiis accipiunt, quæ ex immensa Dei clementia propter Christum nobis donantur, loco pœnarum quas pro peccatis nostris merebamur. Sed unde scis, o Isaia, tanta bona nobis parari a Deo? Respondet: Id mihi indicat

V. 3. VOX CLAMANTIS IN DESERTO, id est vox præconis, cuius ore Deus clamat: ita S. Ambrosius & Theophylactus; vel, si mavis, vox præconis clamans in deserto Iudææ, ut quisque se paret ad hunc consolatorem & redemptorem condigne excipiendum, & remissionem peccatorum, cælestiaque charismata quæ affert, accipienda. Porro hunc præconem esse *Ioannem Baptistam*, ipsemet diserte affirmat, Ioan. 1. *Ego vox clamantis in deserto, sicut dixit Isaias Propheta:* idemque omnes alii Evangelistæ *c* testantur: & SS. Patres omnes & Doctores *d* Ecclesiæ sic exponunt: & plerique Hebræi, teste Lyrano, hæc & sequentia fatentur ad tempora Messiæ spectare. Unde induci non possum, ut cum Hugone, Iansenio, Maldonato, Toleto & Sanctio credam, hæc & alia sequentia litteraliter exponenda esse de Iudæis e captivitate Babylonica Ierosolymam iussu Cyri reductis, & solum Allegorice ad Christum & redemptionem per Christum referri. Licet negare nolim, alludi magna ex parte ad liberationem illam Iudæorum e Babylone per Cyrum; cum hæc illius per Christum figura & typus fuerit, ut omnes admittunt.

PARATE VIAM DOMINI. En aderit mox Christus, ut quasi rex inauguretur. Ei ergo vias complanate: sordes, inæqualitatem, asperitatem, indecentiam, aliaque impedimenta omnia semovete, per feriam nempe pœnitentiam & alias virtutes, quibus dignum illi in cordibus vestris hospitium instruatis, idque IN SOLITUDINE, tum spirituali, pravorum affectuum, ut S. Bernardus; tum corporali, ut Cornelius a Lapide exponit; quasi dicat: Ad mores pravos corrigendos, & viam Christo in cordibus vestris apparandam, plurimum conducet *solitudo*, & spiritualis, qua semoveatis omnia ipsi displicentia; & corporalis, in qua mecum una degentes, semoti a turba & strepitu mundano, potestis verbo Dei & saluti vestræ toti vacare, inquit S. Hieronymus. Sic parata via

V. 5. REVELABITUR; id est, hucusque abscondita propalabitur & innotescet orbi GLORIA DOMINI, non illa Exodi XIX. in monte Sinai, sed Verbi incarnati, Ioan. 1. 14. *Vidimus enim gloriam quasi unigeniti a Patre.* Tunc *vidimus*, cum videre poterit, OMNIS CARO PARITER, id est omnis prorsus homo, SALUTARE DEI *e* (id est Salvatorem Messiam reipsa mundo exhibitum,) QUOD iam per me, perque alios Prophetas OS DOMINI LOCUTUM EST, & toties promisit. Sed en alia rursus in auribus cordis mei

V. 6. & 8. VOX DICENTIS & interius suggerentis, CLAMA; id est, alta, clara, libera voce notum fac hominibus. QUID? OMNIS CARO FOENUM, &c. id est, omnis homo, seu humana natura est instar fœni, graminis, & floris mox decidui & marcescentis, nempe res vilissima & fragillima, nullaque ex parte digna cui iungeretur, seu per hypostasin, seu per gratiam iustificantem, VERBUM divinum, quod MANET IN AETERNUM, immortale, immensum & omnimode infinitum: ita S. Hieron. Procopius, Theodoretus. Unde illustrior evadit dignatio & benignitas Verbi, quod tam vilem naturam assumpsit, & tam vilibus hominibus sociari dignatur.

V. 10. ECCE DOMINUS DEUS Messias noster IN FORTITUDINE, id est cum maximis viribus, VENIET, ad debellandos dæmones, tyrannos, omnesque alios hostes Ecclesiæ suæ, & omnes gentes sibi subiugandas, inquit S. Cyrillus, Procopius, Thomas, Lyranus & Forerius. Et veniet non manu vacua, non parca vel illiberali: seu ECCE MERCES EIUS CUM EO, ditissima, amplissima, nobilissima, qua ditabit

omnes

omnes sibi militare volentes, sed præ omnibus cooperatores suos in hac militia, duces belli & præfectos, utique copiosissima mercede & præmio donandos. Neque vero indormiet militiæ suæ & susceptæ semel expeditioni, *Sed* OPUS ILLIUS CORAM ILLO; id est, semper & continuo intendet operi perficiendo quod ipsi a Patre cælesti commissum est, nempe mundo redimendo, & oviculis suis e faucibus luporum infernalium eruendis, iisdemque doctrina cælesti pascendis, & ad Patris sui ovile deducendis: ita S. Hier. Cyrill. & alii iam citati. Porro non erunt hæc difficilia Messiæ: nam

V. 12. QUIS MENSUS EST PUGILLO AQUAS immensi maris? nisi ipse, qui Deus simul est & homo, & infinita sua potentia ac sapientia quidvis potest, quando vult. Unde nec in opere redemptionis & salvationis mundi præpediri a quopiam potest.

V. 16. ET LIBANUS NON SUFFICIET AD SUCCENDENDUM; id est, omnia ligna, omne thus, omnia aromata, omnia animalia Libani, immo omnium simul montium; non sufficiunt holocaustis, si Deo pro dignitate offerri deberent. Tanta est Dei celsitudo & maiestas. Unica sola victima infinita potest condigne honorari, qua seipsum unigenitus filius Dei & cruente semel obtulit in cruce, & incruente quotidie offert in Eucharistia: ita fere S. Hieronymus & Cyrillus.

V. 18. CUI ERGO SIMILEM FECISTIS DEUM? quam vili rei, (nempe homini) tribuistis divinitatem, o idololatræ! Iovem, v. g. spurcissimum vilissimumque homuncionem appellantes Deum. QUAM IMAGINEM PONETIS EI, quæ eius essentiam prorsus (ut dixi) infinitam, & naturam omni ex parte incomprehensibilem, potentiam ac magnitudinem interminabilem ad vivum referat, & ad perfectum repræsentet, ut vos idololatræ fingitis? Nihil ergo hic contra imagines Christianorum, quæ non ad repræsentandam Dei naturam, sed ad memoriam illius in hominibus, & debitam venerationem excitandam exponi solent, ut alibi dixi *f*.

V. 21. NUMQUID NON SCITIS FUNDAMENTA TERRAE? id est, an nescitis saltem ex avorum traditione, terram & quæcumque in terra sunt, Deo uno & vero creata & fundata esse? Quomodo ergo sic delirare potestis, ut credatis Iovem, Mercurium, Venerem, aliasve creaturas deos esse? aut simulacris ex terrena materia conflatis aliquid divinum inesse?

V. 23. DAT SECRETORUM SCRUTATORES QUASI NON SINT, id est philosophos, aut, si mavis, consiliarios & iudices, seu principes arcana politiæ rimantes, ita subinde spoliat: omni scientia & prudentia, ita eos infatuat & deiicit, ut quasi in nihilum redigantur, instar stipulæ resectæ, quæ nullum amplius in terra truncum radicatum habet.

V. 26. MILITIAM EORUM, id est stellas & astra cælorum, EDUCIT; Hebraice, *oriri facit*, IN NUMERO, id est ordine quæque suo & vice & loco quem a Deo acceperunt. ET OMNES EX NOMINE VOCAT; quasi dicat: Omnium stellarum naturam, energiam, virtutes & proprietates intime perspectas habet, ita ut singulis nomina indere possit: & singulis sua munia, naturæ cuiusque proportionata demandat: omnes ita nutui suo obsequentes habens, ut iussæ mox instar promptissimorum militum adcurrant & pareant. Sic paruerunt iussui Dei tempore Iosue, Ezechiæ, & passionis Christi, cum vel momento retrogressæ sunt, vel radios suos subtraxerunt. Et parent adhuc quotidie, *lucentes cum iucunditate ei qui fecit illas*, Baruch III. 35. Cum ergo tam potens, tam providens sit Deus tuus, ut etiam Gentiles plurimi fatentur,

V. 27. QUARE TU O IACOB, O Iudæe, qui melius me nosti, DICIS: ABSCONDITA EST VIA MEA A DOMINO; id est, nescit vel negligit Deus res meas in arcto, positas, vel non videt, vel non curat? ita S. Cyrillus. IUDICIUM, seu causa & ius, MEUM A DEO TRANSIVIT, parvipenditur, negligitur: nec curæ, nec cordi est ipsi sive iure, sive iniuria nobiscum agatur, vel nos agamus cum aliis. Impiæ blasphemiæ mox respondet:

V. 28. DEUS SEMPITERNUS est DOMINUS: ergo quam olim perpetuo habuit, eamdem deinceps quoque habebit vestri, adeoque & totius universi, providentiam & curam: numquam deficiens senio vel tædio, numquam labore lassescens. NEC EST POSSIBILIS INVESTIGATIO SAPIENTIAE EIUS: utpote immensæ & infinitæ, quam proinde nulla hominum consilia, nullæ

fraudes latere, fallere, turbare possunt.

V. 30. PUERI, id est iuvenes, etsi robusti ac vegeti, si suis ipsi naturæ solius viribus nitantur, statim DEFICIENT, frangentur & cadent.

V. 31. QUI AUTEM diffisi sibi ipsis, SPERANT IN DOMINO, etsi infirmi, lapsi & pene collisi, mea providentia & ope pristinam recuperabunt & FORTITUDINEM & felicitatem: ASSUMENT PENNAS SICUT AQUILAE, nempe *novas*, ut vertunt LXX. quasi dicat: Ope gratiæ meæ divinæ non tam currendo, vel ambulando penetrabunt, aspera quæque & adversa, quam volando, ac si aquilæ forent cælestes, immo angeli alati, inquit S. Cyrillus, Procopius, Theodoretus & S. Thomas: quæ Religiosis & ad perfectionem tendentibus pulchre adaptant S. Dionysius, Hieronymus, Augustinus & Gregorius *g*.

(a) Gen. XXXIV. 3. in Hebræo. IX. & Oseæ II. 24.
(b) Matt. VI. 34.
(c) Matth. III. 3. & Marci I. 2. & Lucæ III. 4. &c.
(d) Citati a Gabriele Alvarez, & a Lapide.
(e) Lucæ III. 6. & hic lxx.
(f) Exodi XX. 4.
(g) Dionys. de Cæl. hierar. Aug. ep. XXIX. ad Hesychium. Greg. Lib. XIX. Moral. cap. XVI.

GORDONI.

Vers. 1. & 2. CONSOLAMINI. Passive, pro consolationem accipite, loquimini præcones verbi & Apostoli ad cor & blanda ac læta: subdit causam; COMPLETA EST MALITIA, in remissione peccati. Heb. *completa militia*, צבא *tsaba*, *militavit*: idem est sensus: plus profuit Christus quam novit peccatum.

V. 3. VOX CLAMANTIS audietur IN DESERTO. Hic est Ioannes præcursor Christi, ut omnes Evangelistæ testantur, & explicat Ecclesia, & prolixe illi qui scribunt in Evangelia commentarios, Math. III. Mar. I. Ioan. III.

V. 4. OMNIS VALLIS IMPLEBITUR, &c. Designat conversionem morum & vias inæquales ac clivosas fore æquales & planas: nihil (ac si diceret) sit reliquum; nihil nimis sublime in mente superba, nil nimis abiectum & vitiosum opposito modo: revelabitur ad hoc gloria Christi, &c.

V. 6. VOX DICENTIS, &c. Isaias iam post mentionem de adventu & gloria Christi agit doctorem, & docet modum parandi viam Christo. Sane via ad Christum, & ratio complanandi inæqualitatem viarum est hæc meditatio quam proponit Isaias; si agnoscat homo quam ipse sit nihil: quod si addas verbum pro te factum esse fœnum, en novum amoris stimulum.

V. 9. SUPER omnem, inquit, MONTEM, clama, ECCE DEUS VESTER, &c. Redit ad Christi adventum, quem prænunciat, & tam clare Deum prædicat, ut hæc ad litteram non conveniant cum reditu sub Cyro. Mons hic est Ecclesia & cathedra evangelizantium.

V. 12. QUIS MENSUS EST PUGILLO, &c. Magnum est Verbi incarnati mysterium, magna potentia, magnus in omnibus Christus Dominus noster, qui omnia quæ pollicetur (quod experientia etiam docuit) præstabit in Ecclesia: agnoscat ergo homo stilla situlæ (vers. 15.) quid sit ipse comparatus Deo, & qualem se exhibere debeat erga talem redemptorem.

V. 18. CUI ERGO SIMILEM FECISTIS DEUM, &c. Christus qui tantus est, merito debet coli: hinc digreditur ad reprehensionem idololatriæ, quæ non planat sed destruit viam ad Christum. Alium sane Deum & non verum colit idololatra; *immo materiam imaginis*, aut simulacri vult esse Deum, ut hoc bene expressit Paul. Roma. I. 23. & habetur Sapient. XIV. 21.

Hic expende inscitiam Novatorum, qui dum Iconomachi evadunt, nec Isaiam clare loquentem, & Patres intelligunt, nec Ecclesiam audiunt; sed nec ipsam idololatriæ vocem, quid significet assequuntur: ecquis enim est fidelium tam vecors, aut rudis, qui imaginem colat ut Deum, quod factitabant gentiles. Ceterum tantum abest Deum hic carpere imagines, ut ipse aliquando in imagine hominibus, Mosi & Propheris apparere voluerit: vide Damascenum Lib. IV. cap. XVII. & in orat. de Imaginibus.


V. 21. NUMQUID NON SCITIS, inquit, & scire potuistis Deum esse rerum creatorem, & fundamenta terræ ab eo posita fuisse, non vero a Mercurio, Iove aut lapide. Quid sculptile sit & פסל *pesel*, dixi Exod. XX. 4. & Sap. XIV.

V. 22. & *deinceps*. QUI SEDET SUPER GYRUM TERRAE, &c. Quantus sit Deus ex effectis ostendit, quam superet falsos

deos

deos, & quam parvi momenti sint omnia illi comparata: dat ipse secretorum iudices, Philosophos, principes, militiam cæli, seu astra ac demum omnia, atque ea facillime ac si nihil essent producit; & cælum ipsum quod est ante simulacra, & lignum ex quo fit Mercurius.

V. 27. QUARE DICIS IACOB, &c. Post explicatam Dei potentiam supra deos omnes & omnia, nunc providentiam etiam declarat, & simul æternitatem: nihil tale in idolis, ex his & præsertim, vers. 31. spem excitat & recreat mirifice: Mutabunt fortitudinem, instaurabunt, innovabunt: hæc & alia sunt sperantium in Deo præmia & præsidia.



CAPUT XLI.

Disceptat Dominus cum idololatris de potentia & variis magnisque beneficiis populo Iudaico exhibitis: quibus suam comprobat potentiam & benignitatem erga homines: ostendens simul & idolorum impotentiam, & idololatrarum vanitatem.

1. TAceant ad me insulæ, & Gentes mutent fortitudinem: accedant, & tunc loquantur, simul ad iudicium propinquemus. 2. Quis suscitavit ab Oriente iustum, vocavit eum ut sequeretur se? dabit in conspectu eius Gentes, & reges obtinebit: dabit quasi pulverem gladio eius, * sicut stipulam vento raptam arcui eius. 3. Persequetur eos, transibit in pace, semita in pedibus eius non apparebit. 4. Quis hæc operatus est, & fecit, vocans generationes ab exordio? Ego Dominus, (*a*) primus & novissimus ego sum. 5. Viderunt insulæ, & timuerunt, extrema terræ obstupuerunt, appropinquaverunt, & accesserunt. 6. Unusquisque proximo suo auxiliabitur, & fratri suo dicet: Confortare. 7. Confortavit faber ærarius percutiens malleo eum, qui cudebat tunc temporis, dicens: Glutino bonum est: & confortavit eum clavis, ut non moveretur. 8. Et tu Israel serve meus, Iacob quem elegi, semen Abraham amici mei: 9. in quo apprehendi te ab extremis terræ, & a longinquis eius vocavi te, & dixi tibi: Servus meus es tu, elegi te, & non abieci te. 10. Ne timeas, quia ego tecum sum: ne declines, quia ego Deus tuus: confortavi te, & auxiliatus sum tibi, † & suscepit te dextera iusti mei. 11. Ecce confundentur & erubescent omnes, qui pugnant adversum te: erunt quasi non sint, & peribunt viri, qui contradicunt tibi. 12. Quæres eos, & non invenies, viros rebelles tuos: erunt quasi non sint: * & veluti consumptio, homines bellantes adversum te. 13. Quia ego Dominus Deus tuus apprehendens manum tuam, dicensque tibi: Ne timeas, ego adiuvi te. 14. Noli timere vermis Iacob, qui mortui estis ex Israel: ego auxiliatus sum tibi, dicit Dominus: & redemptor tuus sanctus Israel. 15. Ego posui te quasi plaustrum triturans novum, habens rostra serrantia, triturabis montes, & comminues: & colles quasi pulverem pones. 16. Ventilabis eos, & ventus tollet, & turbo disperget eos: & tu exultabis in Domino, in sancto Israel lætaberis. 17. Egeni & pauperes quærunt aquas, & non sunt: lingua eorum siti aruit. Ergo Dominus exaudiam eos,

Deus

Deus Israel non derelinquam eos. * 18. Aperiam in supinis collibus flumina,
& in medio camporum fontes; ponam desertum in stagna aquarum, & ter-
ram inviam in rivos aquarum. 19. Dabo in solitudinem cedrum, & spinam,
& myrtum, & lignum olivæ: † ponam in deserto abietem, ulmum, & bu-
xum simul: 20. ut videant, & sciant, & recogitent, & intelligant pariter,
quia manus Domini fecit hoc, & sanctus Israel creavit illud. 21. Prope facite
te iudicium vestrum, dicit Dominus, afferte, siquid forte habetis, dixit rex
Iacob. 22. Accedant, & nuntient nobis quæcumque ventura sunt: priora quæ
fuerunt nuntiate: & ponemus cor nostrum & sciemus novissima eorum, & quæ
ventura sunt indicate nobis. 23. Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, &
sciemus quia dii estis vos: bene quoque aut male, si potestis, facite: & lo-
quamur & videamus simul. 24. Ecce, vos estis ex nihilo, & opus vestrum ex
eo quod non est: abominatio est qui elegit vos. 25. Suscitavi ab Aquilone,
& veniet ab Ortu solis: vocabit nomen meum, & adducet magistratum quasi
lutum, & velut plastes conculcans humum. 26. Quis annuntiavit ab exordio
ut sciamus, & a principio ut dicamus: Iustus es? non est neque annuntians,
neque prædicens, neque audiens sermones vestros. * 27. Primus ad Sion dicet:
Ecce adsunt, & Ierusalem evangelistam dabo. 28. Et vidi, & non erat neque
ex istis quisquam qui iniret consilium, & interrogatus responderet verbum. 29.
Ecce omnes iniusti, & vana opera eorum: ventus & inane simulacra eo-
rum.

(a) Inf. xliv. 6. & xlviii. 12. Apoc. i. 18. & xxii. 13.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Vers. 2. *Sicut stipulam vento raptam*. Non præponas coniunctionem &c.

Vers. 12. *Et veluti consumptio homines bellantes adversum te*. Nequaquam sunt nominativi plurales *homines bellantes*, commutandi cum genitivis singularibus *hominis bellantis*.

Vers. 18. *Aperiam in supinis collibus flumina*. Non facile scribendum est *supremis*, quod est summis, pro *supinis*, quod opponitur pronis.

Vers. 27. *Primus ad Sion dicet: Ecce adsunt*. Mendose plerique omnes libri scribunt, *adsum*, prima persona singulari, pro *adsunt* tertia plurali.

Lectionum Varietas.

Vers. 10. *Et suscepit te dextera iusti mei*. Pro tertia persona *suscepit*, est qui scribat primam *suscepi*: quod si verum est (ut est Hebræo, & Græco consentaneum) id quod sequitur *dextera* accipiendum est auferendi casu, prout etiam Hebraice præponitur præpositio *in*, & Græce legitur casus dandi.

Vers. 19. *Ponam in solitudinem cedrum*. Plures antiqui libri legunt ablativum *solitudine*, sicut mox sequitur, *Ponam in deserto abietem*.

C O M M E N T A R I A

M A L D O N A T I.

Vers. 1. **T**ACEANT AD ME; id est, attente audiant me, silentium mihi præstent. INSULAE, id est remotissimi quique habitatores terræ: insulas vocat, id est insularum incolas, omnes qui ultra mare habitabant. ET GENTES: ולאומים,

popu-

populi, id est omnes totius terræ habitatores. MUTENT FORTITUDINEM; id est, vires ad audiendum me resumant, vel, parent se atque muniant ad disceptandum mecum in iudicio, ut supra cap. XL. 31. ACCEDANT; id est, ne murmurent contra me, ut solent, quasi contra absentem, sed accedant, & coram disceptemus.

V. 2. QUIS SUSCITAVIT AB ORIENTE IUSTUM; id est, quis Abrahamum iustum, qui prius inter idololatras ignobilis erat, nobilitavit, & ad tantam dignitatem evexit, educens eum de Ur Chaldæorum, quæ ad orientem erat; (hanc vim habet verbum excitandi) quasi dicat, Non idola eam nobilitarunt, sed ego. VOCAVIT EUM UT SEQUERETUR SE. Genes. XXI. & Act. VII. 3. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram quam monstravero tibi*. Alii Hebraismum, יקראהו רגלו, ita vertunt: *Invocavit* (Abraham) *eum* (Deum) *ad pedem suum*, id est ubicumque fuit, ubicumque pedem posuit. Melius noster Interpres, *Vocavit* (Deus) *eum* (Abrahamum) לרגלו, *ad pedem suum*, id est ut sequeretur se. Proponit exemplum Abrahami, quia pater credentium fuit, & quia illi primum promissiones factæ sunt; & quia, ut aliqui putant, priusquam a Deo vocaretur, idola coluerat, quæ nihil eum iuvare potuerunt. DABIT (יתן, *dedit*, fut. pro præt.) IN CONSPECTU EIUS GENTES, id est subiecit illi gentes. ET REGES OBTINEBIT, pro, obtinuit, id est Reges sibi subiugavit. Historia est in Gen. cap. XIV. DABIT (pro, dedit) QUASI PULVEREM (reges) GLADIO EIUS (Abrahami) id est, fecit, ut non magis possent illi resistere, quam pulvis. ET SICUT STIPULAM VENTO RAPTAM (quæ vento rapi solet) ARCUI EIUS; id est, ut tam facile in fugam verterentur ab illo, atque stipula a vento rapi solet.

V. 3. PERSEQUETUR (pro, persecutus est) EOS: Abrahamus quatuor illos reges: Genes. XIV. XV. ET TRANSIBIT (pro, transivit) IN PACE; id est, confecit iter illud tuto, sine periculo. ET SEMITA IN PEDIBUS EIUS NON APPAREBIT; pro, apparuit; id est, per loca ignota, ubi nulla erat semita, & noctu persecutus est reges. Heb. clarius. ארח ברגליו לא יבוא, *per semitam, per quam pes eius ingressus non fuerat*; id est, per viam sibi ignotam tuto transivit, quia Deus eum ducebat.

V. 4. QUIS HAEC OPERATUS EST ET FECIT. Hic debet esse interrogatio, & sequitur responsio, VOCANS GENERATIONES AB EXORDIO; id est, ego qui verbo meo ab initio omnia creavi: vel, qui omnes generationes, id est res omnes quæ fiunt, voco ab initio, id est novi antequam fiant: qui voco ea *quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt*, Rom. IV. 17. EGO DOMINUS PRIMUS ET NOVISSIMUS, id est solus, ut explicatur inf. XLIV. 6.

V. 5. VIDERUNT INSULAE; id est, extremarum etiam insularum incolæ cognoscentes quæ fecissem per Abrahamum servum meum, timuerunt eum. ET EXTREMA TERRAE. Repetitio est: idem enim valet, insulæ, &, extrema terræ; sicut, timuerunt, & obstupuerunt. APPROPINQUAVERUNT, ET ACCESSERUNT; id est, conventicula egerunt, ut consilium caperent, quo modo resistere possent Abrahamo; quasi dicat, Omnes gentes testes sunt, vera esse quæ dico, quæ audientes timuerunt.

V. 6. UNUSQUISQUE PROXIMO SUO AUXILIATUR. Pro, auxiliatus est (contra Abrahamum) ET FRATRI SUO, (id est alteri) DICET: CONFORTARE: bono esto animo; quasi dicat: Tantus fuit, tamque generalis terror, ut opus fuerit, ut alii alios vicissim consolarentur.

V. 7. CONFORTABIT FABER AERARIUS. Locus est obscurus; ego convenienter versui præcedenti interpretandum puto: quod enim ante generaliter dixit, nunc dicit specialiter. Prius dixit, alios aliis auxiliatos fuisse: nunc specialiter dicit, fabros alios aliis animum addidisse, ut arma bene fabricarent, quibus repugnarent Abrahamo. Hoc est quod ait, *Confortabit*, pro, confortavit, ut etiam legitur in nonnullis libris. *Faber ærarius*, EUM QUI CUDEBAT, id est alium fabrum ærarium Heb. חרש את צרף, *faber fusorem percutiens malleo*; id est, exhortati sunt alius alium: הולם פעם, *percutiens malleo ad percutientem malleo*. Repetitio: idem enim est חרש, *faber* & צרף, *fusor*: מחליק פטש, *molliens malleo*: & הולם פעם, *cudens incude*, aut *malleo*. DICENS: GLUTINO; id est, de eo quod (armis) agglutinatur, ut reficiantur cum exesa sunt. BONUM EST; id est, laudans alter alterius opes. ET CONFORTABIT, pro,

con-

confortavit, EUM (glutinum, additamentum, ferrum quod addidit) CLAVIS, UT NON MOVEATUR. Describit nobis ardens fabrorum studium in armis reficiendis.

V. 8. ET TU ISRAEL SERVE MEUS. Hi duo versus sequentes non continent absolutam sententiam, sed solos titulos Iacob: sententia vero concluditur versu 10. SEMEN ABRAHAM AMICI MEI. Active אהבי, *qui dilexit me*.

V. 9. IN QUO APPREHENDI TE, id est cum apprehenderim te, cum assumpserim te: אשר החזקתיך, *quem apprehendi te*, relativo redundante, Hebræorum more, id est quem assumpsi ab extremis terræ: sic enim hec verba iungenda sunt. ET A LONGINQUIS EIUS, id est ab ultimis eius finibus: מאצליה, est enim repetitio. Itaque multo melius vertit noster Interpres, quam Hebraizantes: *A maioribus eius*, quod vix ullum sensum habere potest. ELEGI TE, ET NON ABIECI TE; id est, elegi te in perpetuam amicitiam, ut numquam abiicerem, vel postquam elegi, numquam abieci.

V. 10. NE TIMEAS. Antithetum est versus 5. *Viderunt insulæ & timuerunt, tu autem ne timeas, neque declines*, id est ne vacilles: אל תשתע, *ne animo deficias, ne terrearis*. ET SUSCEPIT TE. Heb. *sustinui te dextera iustitiæ meæ;* id est, qua tibi & aliis iustam pro meritis mercedem reddo.

V. 11. ERUNT QUASI NON SINT, id est delebuntur.

V. 12. QUAERES EOS, ET NON INVENIES, id est penitus exterminabuntur: ut Psal. XXXVI. 10. *Adhuc pusillum, & non erit peccator, quæres locum eius, & non invenies:* & vers. 36. *Et transivi, & ecce non erat, & non est inventus locus eius.* ET ERUNT QUASI NON SINT; id est, quasi non fuerint, non remanebit ulla eorum memoria: *Periit memoria eorum cum sonitu*: Psal. IX. 8. ET VELUTI CONSUMPTIO; id est, consumetur homo bellans adversum te. Heb. כאבאפס אנשי מלחמתך, *& sicut nihilum* (erunt) *viri qui bellum tecum gerunt*.

V. 13. APPREHENDENS MANUM TUAM; id est, sustentans te, ducens te. Solemus enim manum apprehendere eius, quem sustentare volumus aut ducere. Psal. XV. 8. *A dextris est mihi, ne commovear*: vel, *Apprehendens manum;* id est, qui data acceptaque dextera promisi tibi forte ut te adiuvarem. EGO ADIUVI: pro, adiuvabo te.

V. 14. NOLI TIMERE VERMIS, id est Iacob abiecte, reliquiæ Iacob; quasi dicat: Etsi adeo afflictus & abiectus sis, ut vermis & non homo esse videare, noli timere. QUI MORTUI ESTIS; id est, vos qui adeo vexati estis, ut mortui iam esse videamini, nolite timere. QUIA AUXILIATUS SUM. Præt. pro fut. auxiliabor tibi, & redimam te. Alii vertunt, מתי, *Israel, viri Israel*. Sed magis probo Interpretis nostri versionem: cum enim dictio מתים sine punctis & viros & mortuos significare possit; secunda significatio magis congruit in hunc locum: nam sicut non dixit, Viri Iacob, ita non dicit, Viri Israel, sed mortui per tapinosin.

V. 15. EGO POSUI TE: pro, ponam te, vel decrevi ponere, id est facere te. Heb. *quasi plaustrum triturans:* למורג חרוץ, *in tribulam & traham*, id est in conculcationem gentium. TRITURABIS MONTES; id est, reges & principes conculcabis & conteres. ET COLLES. Repetitio est.

V. 16. VENTILABIS EOS, id est iactabis, exagitabis. ET VENTUS; id est, ira Dei dissipabit eos per te.

V. 17. EGENI ET PAUPERES; id est, cum egeni & pauperes Iacob & Israel aquas quæsiverint, & non invenerint, cumque lingua eorum siti exaruerit, EGO DOMINUS, &c. quasi dicat: In rebus disperditis illis adero, omniaque necessaria suppeditabo.

V. 18. APERIAM IN SUPINIS: על שפיים, *in excelsis locis, in montibus*. Declarat, nihil esse difficile, quod non sit facturus, ut illis succurrat. Simulque alludit ad historiam Exodi XVII. 7. Nam ex eo quod iam effecit, tacite vult probare quid facturus sit, si res postulet.

V. 19. DABO; id est, provenire faciam in solitudine præ aquarum copia eas arbores, quæ nonnisi in hortis irriguis nasci solent, ut cedrum, & spinam: שטה species est cedri melioris. ET LIGNUM OLIVAE: עץ שמן ad verbum, *lignum pinguedinis*; quod alii pinum interpretantur. Sed melius noster Interpres, *lignum olivæ;* quasi dicat, Lignum quod fert oleum pingue.

V. 20. UT VIDEANT; id est, ut omnes

qui

qui viderint, intelligant & recogitent. Heb. ישימו *ponant:* intelligitur לב aut בלב. Sic loquuntur Hebræi, ponere cor, vel ponere in corde, pro, animo cogitationeque versare: Aliquando simpliciter dicunt שום, *ponere*, ut hoc loco, eodem sensu.

V. 21. PROPE FACITE IUDICIUM; id est, appropinquate ad iudicium, accedite ut coram disceptemus. Alloquitur Deus idola, vel eorum cultores; quasi dicat: Ego facio ea quæ dixi vers. 18. & sequentibus, unde constat me esse Deum: videamus quid vos facere possitis, ut sciamus vos esse Deos. AFFERTE SI QUID FORTE HABETIS. Forte hoc loco non est adverbium, sed nomen עצמותיכם, *fortia vestra*, id est argumenta vestra, præsidia causæ vestræ.

V. 22. ACCEDANT ET ANNUNTIENT (idola: est enim subita mutatio personæ ad illa.) Sicut iterum: PRIORA QUAE FUERUNT; id est, narrate nobis quo modo, & a quo factus sit mundus. ET PONEMUS COR NOSTRUM; id est, cogitabimus, considerabimus, animum attendemus, ut sciamus novissima eorum; id est, si nobis præterita quomodo facta sint narrabitis, postea audiemus vos de rebus futuris: quas si prædicere poteritis,

V. 23. SCIEMUS QUOD DII ESTIS. BENE QUOQUE FACITE AUT MALE; id est, non solum dico ut futura nuntietis, quod Dei proprium est, sed meliorem conditionem offero, ut faciatis aliquid sive boni, sive mali: estis enim lapides & ligna quæ ne male quidem potestis facere. *Idolum enim nihil est*: I. Cor. VIII. 4. vel, facite bene vel male vestris cultoribus; id est, iuvate illos, vel castigate, sicut ego facio: vel, saltem tentate futura prædicere quoquo modo sive bene sive male. ET LOQUAMUR, ET VIDEAMUS SIMUL; id est, visim & coram disputemus quis nostrum Deus sit.

V. 24. ECCE VOS (o idola) ESTIS EX NIHILO, id est facta ex rebus nullam divinitatem habentibus, sicut D. Paulus dixit idolum nihil esse: I. Cor. VIII. 4. ET OPUS VESTRUM; id est, fabricatio vestri, EX EO QUOD NON EST, מאפע, *ex nihilo*, repetitio est, vel explicatio præcedentis sententiæ. ABOMINATIO EST QUI ELEGIT, id est qui fabricatus est vos; quasi dicat: Neque vos, neque qui vos faciunt, quidquam valetis: aut, *Abominatio* (sit) ei qui facit vos: sicut Psal. CXIII. 16. *Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* Probat idola nihil posse facere, ut dixerat, ex eorum origine, quia sunt ex nihilo.

V. 25. SUSCITAVI (pro, suscitabo,) AB AQUILONE, ET VENIET AB ORTU SOLIS. VOCAVIT. Heb. *vocabit*; id est, qui invocet nomen meum, aliquem meum ducem. ET ADDUCET, id est, rediget quasi lutum. Heb. יבא סגנים, *veniet super principes*, id est conculcabit principes, hoc est, idola, quæ omnia apud impios regere putantur. SICUT PLASTES, id est figulus conculcat lutum: טיט prædicit idolorum confractionem, quam per Constantinum, & Theodosium factam legimus. Quod autem dicit, *Ab Aquilone & ab ortu solis*, certum locum (ut opinor) ponit pro incerto; quasi dicat: Undique excitabo, qui invocato nomine meo idola comminuant.

V. 26. QUIS (vestrum, quod idolum) ANNUNTIAVIT (hoc ipsum) quod idola sint destruenda: quemadmodum si quis astrologos coarguens interrogaret: Quis vestrum umquam suam mortem præsensit? Argumentatur ergo a maiori ad minus: Si non potestis prædicere abolitionem vestram, nihil prædicere poteritis; non ergo estis Dei. UT DICAMUS, IUSTUS EST, id est verus Deus. Hæc nomina, *Iustus*, & *sanctus*, sæpe substantive ponuntur pro Deo, ut supra vers. 16. NEQUE AUDIENS SERMONES VESTROS; id est, qui dicat, se aliquod a vobis vaticinium audivisse. Non quod multi non dicerent, sed quod nemo posset verum esse probare aliquod idolorum vaticinium.

V. 27. PRIMUS AD SION DICET (Deus per Prophetas.) ECCE ADSUM; הנם, *Ecce adsunt*, sicut & Hieronymus legit, id est ecce quæ futura sunt; quasi dicat: Non est nisi in Sion & Ierusalem, id est in populo & Ecclesia Dei, Propheta qui ea quæ ventura sunt ante oculos ponat, aut quasi digito demonstret. Hanc vim habet illud, *Ecce adsunt*. ET IERUSALEM, (Ierosolymæ, dativus) EVANGELISTAM, מבשר, *prophetam*, nuntium futurarum rerum.

V. 28. ET VIDI; id est, quæsivi apud me animo & cogitatione, num aliquod esset idolum, quod futura prædiceret? & non erat. Neque ex illis ullum erat quod iniret consilium יועץ, *quod posset consilium* dare

dare (de futuris rebus.) Et interrogatus. Heb. ואשאלם, *& interogavi ea idola, & nullum fuit quod responderet*. Deus non interrogavit idola, sed induit personam eorum, qui idola consulebant.

V. 29. Ecce, id est cum ea interrogassem, expertus sum, meis oculis vidi (hoc est, ecce) quod omnes, כלם, *omnia illa essent iniusti*, id est falsi dii: sicut vers. 26. Iustus accipitur pro vero Deo. Heb. און, *vanitas*, sicut statim dicit: Et vana opera eorum. ואפס מעשיהם, *& nihil opera eorum*, genitivus est passive significans, id est, fabricationes eorum, ut supra vers. 24. *Et opus vestrum ex eo quod non est*. Ventus et inane, id est inanitas, nihil נסכיהם, *conflationes eorum*: repetitio usitata.

S A.

Vers. 1. Taceant ad me, id est tacite me audiant. Chald. *auscultent verbum meum*. Mutent fortitudinem; quasi dicat, Roborentur, & disceptent mecum. Iudicium, scilicet de hoc, quod me relicto idola colunt.

V. 2. Iustum, scilicet Abraham. Dabit; pro, dedit: sic infra. Gentes, &c. scilicet victoriam, de qua Gen. xiv. Obtinebit; pro, obtinuit. Chald. *contrivit*. Dabit; pro, dedit, scilicet hostes.

V. 3. Semita, &c. quasi dicat: Tam velociter, ut non tam ambulasse quam volasse videatur.

V. 4. Vocans, scilicet creando. Chald. *ordinans*. Generationes, id est homines. Novissimus, id est post omnia, scilicet æternus; vel quasi dicat, Principium omnium, & finis.

V. 5. Viderunt, scilicet quæ feci. Accesserunt, scilicet ut viderent opera mea.

V. 6. Unusquisque, &c. quasi dicat, Et tamen in fabricando idola se se mutuo adiuvant.

V. 7. Glutino, id est re aliqua tenaci, scilicet alligare idoli partes. Confortavit. Chald. *fortificavit*.

V. 9. In quo. Chald. & LXX. *quem*. Extremis, scilicet AEgypto.

V. 10. Declines. Chald. *frangaris*. LXX. *erres*. Iusti mei, id est qua soleo iustos meos. LXX. *iusta mea*. Chald. *veritatis*.

V. 12. Consumptio, id est consumpti. Chald. *nihilum*.

V. 13. Adiuvi; pro, adiuvo.

V. 14. Vermis, id est abiecte. LXX. *parvule*. Mortui, id est velut mortui.

V. 15. Plaustrum, id est traham, seu tribulam. Rostra, id est dentes. Montes, id est reges. Colles, id est principes.

V. 17. Egeni, id est humiles. Pauperes, scilicet spiritu. Aquas, scilicet gratiæ, vel refrigerium. Chald. *doctrinam*.

V. 18. Collibus, id est locis aridis antea; quasi dicat, Ex rudibus faciam doctos.

V. 19. Spinam; pro, spinum: genus est cedri. Chald. *settim*, Genus est cedri, cuius mentio frequens in Exodo. Not. per arbores significari iustos.

V. 20. Hoc. LXX. & Complut. *hæc*, scilicet bona.

V. 21. Facite, &c. quasi dicat: Vestram causam proferte, o idololatræ. Forte, id est validum argumentum.

V. 22. Nuntient, scilicet idola, vel eorum prophetæ. Eorum, scilicet quæ futura sunt.

V. 24. Opus vestrum, &c. quasi dicat, Nihil potestis. Abominatio; pro, abominabilis. Elegit, scilicet ut coleret.

V. 25. Suscitavi, scilicet Cyrum, qui Iudæos liberet. Veniet; pro, venient, scilicet alii. Vocabit, &c. quasi dicat, Me agnoscet. Adducet; pro, conculcabit. Magistratus, id est principes scilicet Babyloniæ. Plastes, id est figulus. Humum, id est lutum.

V. 26. Quis, scilicet ex diis gentium. Annuntiavit, scilicet ventura, vel ab exordio, id est ea quæ a principio. Et a principio. Repetitio. Iustus es; quasi dicat, Vicisti. Chald. & LXX. *verax est*. Sermones, scilicet futura prædicentes; vel quasi dicat, Loqui non possunt idola.

V. 27. Primus, scilicet a captivitate rediens. Adsunt, scilicet liberati. Evangelistam, id est læta annuntiantem.

V. 28. Istis, scilicet idolis, vel idololatris. Consilium, scilicet sanum. Verbum, scilicet bonum.

E S T I I.

Verſ. 2. & 5. QUIS SUSCITAVIT AB ORIENTE IUSTUM, VOCAVIT EUM, UT SEQUERETUR SE? Senſus eſt: *Quis ex omnibus* veſtris diis, quos colitis (inſulas gentium alloquitur) hoc potuit præſtare quod ego? ſuſcitando videlicet ab Oriente iuſtum quemdam; & vocando eum, ut ſe ſequatur, ac ſibi obtemperet, ſicut ego facturus ſum? Sed quæritur, quis ſit iſte iuſtus, de quo Dominus contra gentium Deos gloriatur? Quidam intelligunt Abraham: hic enim ex Oriente, videlicet ex Chaldæa vocatus eſt a Deo, ut ipſum ſequeretur. Sed quæ ſequuntur, maiora ſunt quam quæ in Abraham competant. Sequitur enim: DABIT IN CONSPECTU EIUS GENTES, ET REGES OBTINEBIT. Item: VIDERUNT INSULAE, ET TIMUERUNT, ET EXTREMA TERRAE OBSTUPUERUNT. Alii igitur Cyrum regem Perſidis, quæ regio Iudæis Orientalis eſt, intelligunt; & alii ad Chriſtum referunt, qui ſolus proprie iuſtus & ſanctus eſt; de quo Act. III. *Vos autem iuſtum & ſanctum negaſtis*. Item, *Qui prænuntiabant de adventu iuſti*.

Sed hæ duæ expoſitiones de Cyro & Chriſto non repugnant, ſed ſubordinatæ ſunt; ita ut alter ſenſus ſit litteralis, alter myſticus, in littera proprie fundatus. Id enim in Prophetis frequens eſt, ut ſub typo alicuius hominis, vel populi, Chriſtus vel eius Eccleſia; & rurſum alibi, diabolus, eiusque ſequaces ſignificentur. Quod autem Cyrus fuerit typus Chriſti, expreſſe oſtendit initium capitis XLV. ubi ſic legimus: *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro*. At quæres, quomodo Cyrum iuſtum vocat? Reſp. Heb. eſt *iuſtitia*, quæ tamen pro iuſto ſæpe ponitur. Iuſtus itaque vocatur, quia fuit miniſter iuſtitiæ Dei adverſus gentes, & ſimul miniſter bonitatis erga populum Dei, populum Iſrael, quando eius captivitatem relaxavit eumque remiſit in patriam, ut eſt I. Eſdræ I.

V. 23. ANNUNTIATE QUAE VENTURA SUNT IN FUTURUM, ET SCIEMUS, QUIA DII ESTIS VOS. Hinc ſcilicet conſequens eſt, ſolius Dei eſſe futuros eventus præſcire, & prædicere. Angeli igitur nihil tale præſciunt; ſeu boni, ſeu mali, niſi quantum eis divinitus revelatur. Ceterum, quod ſubiungitur: BENE QUOQUE AUT MALE, SI POTESTIS, FACITE, non de bonitate aut malitia morali intelligendum eſt: ſic enim male facere in Deum non convenit; ſed de beneficiis & pœnis accipiendum eſt; quaſi dicat: præſtate ſi poteſtis veſtris cultoribus ſanitatem corporum aliaſque felicitates, & hoſtes eorum affligite.

M A R I A N AE.

Verſ. I. TACEANT AD ME INSULAE. Heb. *tacete ad me inſulæ*, id eſt me attente audite. Per *inſulas* intelligit gentes remotas. Invehiturque toto capite in idola: ſimul ſolatur ſuos. ET GENTES MUTENT FORTITUDINEM, id eſt vires colligant ad diſceptandum mecum. PROPINQUEMUS, aut accedamus ad litem.

V. 2. AB ORIENTE IUSTUM, id eſt *Abraham*, quis adduxit? ſic Chald. Heb. *iuſtitiam*: ſic Sept. ſed *iuſtitia* pro *iuſto* ſumitur antonomaſtice. VOCAVIT EUM UT SEQUERETUR SE? Heb. *vocavit eum ad pedem ſuum*; id eſt, quocumque ibat Abraham, eius curam gerebat Deus. DABIT IN CONSPECTU EIUS GENTES, pro, dabat coram eo Gentes, id eſt eas illi ſubiiciebat. ET REGES OBTINEBIT; pro, obtinebat. Heb. *Regibus dominabatur*. DABIT; pro, dabat (eos) quaſi pulverem. GLADIO EIUS; aut *gladius eius*. *Gladium* in accuſativo ponit Pagn. ſed ſententia non conſtat. Tangit Abrahæ victoriam de quatuor Regibus, Geneſ. XIV.

V. 3. PERSEQUETUR EOS, perſequebatur eos. TRANSIBIT IN PACE, id eſt nullo nocumento accepto. SEMITA IN PEDIBUS EIUS NON APPAREBIT; id eſt repente irruit in eos, nullo ſigno ſui adventus. Heb. *ſemita* (per quam) *pedibus ſuis non ivit*; id eſt, via ſibi incognita ante, aut per viam inſolitam, non tritam, irruit in eos Reges.

V. 4. VOCANS GENERATIONES AB EXORDIO? id eſt quis vocat generationes? id eſt gentes, a principio his favens, illos evertens. PRIMUS ET NOVISSIMUS, id eſt æternus, ſine initio, ſine fine. Heb. *ego Dominus*, *primus & cum poſtremis ego ſum*.

V. 5. VIDERUNT INSULAE; id eſt, gentes remotæ viderunt quæ fecit Abraham, & timuerunt. APPROPINQUAVERUNT, ET ACCESSE-

CESSERUNT, scilicet fœdus inierunt cum Abraham. Econtrario alii ad idola se contulerunt. Hoc sequentia significant.

V. 6. UNUSQUISQUE PROXIMO SUO AUXILIABITUR, scilicet contra Abraham conspirarunt, ne illos subiiceret. Vires inter se communicarunt prius, deinde ad idola confugerunt, ut eos liberarent.

V. 7. CONFORTAVIT FABER AERARIUS PERCUTIENS MALLEO. Locus plane difficilis; sed *percutiens*, id est laborans malleo: quem confortavit? mox dicet, Heb. *Confortavit faber aurificem polientem malleo.* חרש *haras*, Græce τέκτων Latine *faber*, *artificem* in communi significant. Verum subiecta materia exigit, ut hic faber sit faber lignarius, qui idolo dolato sollicitat aurificem, ut bracteas ad illud tegendum faciat. Quidam in ipso textu ponunt, *faber lignarius*, sed non oportebat. EUM, QUI CUDEBAT TUNC TEMPORIS, id est aurificem. Heb. *cum percussione incudis*, id est polientem malleo supra incudem. DICENS: GLUTINO (id est de glutino) BONUM EST. *Glutinum* pro iuncturas Heb. *dicens iuncturæ:* (pro, de iunctura) *Bona est;* id est, bracteæ inter se bene cohærent. Adhibuitque clavos, ne bracteæ moverentur.

V. 8. ET TU ISRAEL, scilicet ne timeas, neque colas ea idola, sed me.

V. 9. IN QUO APPREHENDI TE. Heb. *qui apprehendi te ab extremis terræ*, id est Ur Chaldæorum, aut AEgypto. ET A LONGINQUIS EIUS. Heb. *& a Principibus eius*, scilicet terræ. Illis invitis apprehendi te.

V. 10. NE DECLINES: ne terrearis. ET SUSCEPIT TE DEXTERA IUSTI MEI. Is est Christus, aut Abraham: sic eum vers. 6. vocavit. Heb. *sustentavi te dextera iustitiæ meæ*, id est mea fortitudine & iustitia: & præterita pro futuris sumantur. *Confortavi*, pro confortabo.

V. 11. ECCE CONFUNDENTUR, pudefient. Heb. *qui irascuntur in te, popule meus.* QUI CONTRADICUNT TIBI. Heb. *viri litis tuæ*, id est qui litem tibi intentant, ii peribunt.

V. 12. REBELLES TUOS. Heb. *viros litis* aut *iurgii tui*. ET VELUTI CONSUMPTIO. Heb. *& veluti nihil.* HOMINES BELLANTES ADVERSUM TE. Heb. *homines belli tui*, id est contra te bellantes, ii consumentur.

V. 14. NOLI TIMERE VERMIS IACOB, *vermis*, id est abiecte. *Iacob* est in genitivo; quasi dicat, Fili abiecte Iacobi. QUI MORTUI ESTIS EX ISRAEL, id est mortuis similes. Duæ dictiones Hebraicæ sunt, מתים *methim* per *Zere*, & significat *mortuos:* sic Hieronymus legit; & מתים *methim* per *Seva*, & significat *homines* seu *mortales:* sic nunc habent libri Hebraici. Si sic legimus, vertendum, *homines Israel*, scilicet ne timeatis.

V. 15. EGO POSUI TE QUASI PLAUSTRUM TRITURANS. Chald. *quasi tribulam fortem.* *Plaustrum* pro *tribula* posuit Noster: sic Heb. חרוץ *haruz* non sumo pro *tribula*, ne sit repetitio, sed adiective, pro *fortem*. NOVUM, HABENS ROSTRA SERRANTIA. Chald. *novam, plenam dentibus:* id significat *habentem ora*, ut est Heb. QUASI PULVEREM: sicut glumam aut stipulam pones montes seu colles, quando scilicet eos triturabis, rediges in pulverem. Per *colles & montes* Principes intellige.

V. 16. LAETABERIS. Aut laudabis te, aut gloriaberis in Deo.

V. 17. EGENI ET PAUPERES QUAERUNT AQUAS. Hi sunt Israelitæ, qui rebus necessariis carent, quas per aquas intelligit.

V. 18. APERIAM IN SUPINIS COLLIBUS, in locis excelsis. ET TERRAM INVIAM IN RIVOS AQUARUM. Heb. *terram aridam in scaturigines aquarum.* Hæc Christi adventu sunt facta, ubique gratiæ rivi & fontes.

V. 19. CEDRUM, ET SPINAM. *Spina* genus cedri. Chald. *settim.* ET LIGNUM OLIVAE. Heb. *lignum olei*, id est olivam. Denique terra ante arboribus nuda, illas procreabit ob aquæ copiam.

V. 20. PARITER, id est omnes intelligant Deum hoc fecisse.

V. 21. PROPE FACITE IUDICIUM VESTRUM. Heb. *appropinquate litem vestram;* id est, nunc est litigandi tempus, Iudicem habetis propitium. AFFERTE, SI QUID FORTE HABETIS. *Forte* pro nomine sumere vellem, non pro adverbio. Heb. *afferte fortia vestra*, id est nervos iustitiæ vestræ explicate. Hæc Deus fecit, quid idola? ludicra esse docet.

V. 22. ACCEDANT, ET NUNTIENT: explicent, divinent idola. PRIORA, id est antiqua, quæ non vidimus. QUAE FUERUNT, aut *quæ fuerint*. ET SCIEMUS NOVISSI-

VISSIMA EORUM, id est eventus, quem finem habuerunt illa antiqua, sic explico, ne sit repetitio in verbis proximis. ET QUAE VENTURA SUNT. Heb. *aut quæ ventura sunt* indicate.

V. 23. BENE QUOQUE AUT MALE, SI POTESTIS, FACITE, id est miracula, & sciemus quia dii estis. ET LOQUAMUR, ET VIDEAMUS SIMUL, id est examinemus an hæc opera sint miracula. Heb. *& narrabimus & videbimus simul*, id est visa aliis testificabimur.

V. 24. ABOMINATIO EST; pro, abominationem facit. *Abominatio* pro idololatria. QUI ELEGIT VOS, aut eligit vos quasi deos.

V. 25. SUSCITAVI AB AQUILONE. Hunc Cyrum esse volunt, qui ex Perside contra Babylonios venit. Porro Persis comparatione Babylonis Aquilonaris est. VOCABIT; pro, invocabit nomen meum, cognoscet me. MAGISTRATUS. Heb. *Principes*. ET VELUT PLASTES, figulus. CONCULCANS HUMUM. Heb. *lutum*, *argillam*: ut figulus argillam, sic Cyrus conculcabit dynastas.

V. 26. UT DICAMUS. Heb. *& dicemus.* IUSTUS ES, scilicet tu qui talia annuntiasti. SERMONES VESTROS, verba vestra; sed *verba* pro rebus, id est negotia vestra, o Iudæi, nullus annuntiavit, neque ex ore Vatis, aut idoli quisquam audivit.

V. 27. PRIMUS AD SION DICET. Heb. *primus Sioni* (scilicet ego dico) *Ecce*, *ecce ipsa*, scilicet veniunt, quæ dixi. ECCE ADSUNT, id est præsto sunt, suoque tempore Evangelistam, id est Prophetam dabo Ierosolymæ, qui hæc nuntiet. *Evangelista* pro nuntio aut Vate. ET IERUSALEM EVANGELISTAM DABO, scilicet me dabo (pro, dedi) nuntium harum rerum Ierosolymæ. Vulgatæ verba ad Deum, non ad Isaiam referri debent.

V. 28. ET VIDI. Hic versus iungatur cum versu 26. Dixit ibi, *non est annuntians*, *neque prædicens*; modo ait, ex omnibus illis civibus non esse qui consilium daret, ac ne interrogatus quidem. ET INTERROGATUS; pro, neque qui rogatus responderet: negatio prius posita geminari debet.

M A L V E N D AE.

Vers. I. TACEANT AD ME INSULAE. Hebr. Imperative, *Cessate*, *tacete*, *silete ad me insulæ*, seu *insulares*, id est remotissimæ quæque gentes, ad quas non nisi per mare ibatur: & synecdochice omnes in universum gentes. Aiunt iudicii speciem describere Isaiam, quod Dominus cum omnibus gentibus subire non recusat: tantum postulat ut in causa sua audiatur; ordo namque iudicii postulat ut quisque seorsim audiatur. Ait ergo: *Cessate ad me*, vel *silete ad me*; id est, silenter, & sine strepitu auscultate me, silenter attendite ad me. Hebraismus frequens cum uni verbo adscribitur alterius constructio, quod non exprimitur, sed subauditur. Vide Forsterum in Præfatione Lexici §. LII. Quidam exponunt: *Silentes accedite me*, *insulæ*, *&c.* Secundus confirmationis locus, ut diximus supra in cap. XL. 12. a singularibus Dei beneficiis in Abrahamum & Ecclesiam totam, nunc demum a Propheta demonstratur, & præmunitur suo exordio. Primum enim Deus exteros omnes populos contestatur, qui suo malo sæpius Dei fidem in Ecclesiam fuerant experti, hoc versu: deinde narrat sua beneficia in Abrahamum, usque ad versum 4. itemque in Ecclesiam vers. 4. & sequentibus ita expositis promissionum Evangelicarum argumentis, ad eas explicandas Propheta regreditur vers. 10. & sequentibus. ET GENTES MUTENT FORTITUDINEM. Alii: I. *& familiæ commutent fortitudinem*, seu *virtutem*; id est, animum ac vires colligant, ut postquam audierint, fortiter deorum suorum causam agant. II. *resumant populi novas vires*, qui me relicto idola colunt incontinenter. III. *& nationes mutent vires*; id est, se confirment quibuscumque modis poterunt, ut fiat inter nos contestatio. Similis locutio cap. XL. 31. Hispanicus Interpres: *Esjuercense los pueblos*.

V. 2. QUIS SUSCITAVIT AB ORIENTE IUSTUM. Heb. *Quis excitavit ab ortu iustitiam*, seu *virum iustitiæ*: Abrahamum intelligunt, quem Deus a regionibus orientalibus Mesopotamiæ de Ur Chaldæorum excitavit, & adduxit in Chenahanæam. Haud satis apte alii Cyrum regem Persarum accipiunt. Vocat autem ipsum Abrahamum *iustitiam*, abstracte, quod exactissime

me

me iustitiam coluerit, eiusque iustitiam mirifice prædicat Spiritus Sanctus Genes. xv. 6. Quidam vocem *iustitiam* sequentibus annectunt: I. *Quis suscitavit ab oriente eum, qui iustitiam proclamabat*, seu *prædicabat ad pedem suum*; id est, in omnibus locis, in quibus versatus est, seu quocumque veniebat, ad pedem ponebat. II. *Quem excitaverat ab oriente* Deus, id est Abrahamum, de cuius vocatione Genes. xi. 33. & Iosue xxiv. 3. *iustitia*, seu *iuste vocans eum ad vestigia sua*; id est, iustissime & efficacissime regens pro vocatione sua, cuius lex habetur Genes. xvii. 1. *Indesinenter ambula coram me, & esto integer*. VOCAVIT EUM UT SEQUERETUR SE. Recte expressit Hebraismum, *vocavit eum ad pedem suum*. Alii: *prædicabat eum quocumque veniebat*: nempe Abraham religionem & doctrinam Iehovæ disseminabat in omnes partes & loca, quo pedem inferebat. DABIT IN CONSPECTU EIUS GENTES. Heb. *dabit ad facies eius*, vel *coram eo gentes*; id est, subdidit ei gentes. Quidam *exposuit ei*, vel *coram eo*, ut Genes. xiii. 9. *gentes*, de quibus Gens. xiv. ET REGES OBTINEBIT. Verbum רדה *radah*, in Hiphil varie exponunt: I. *& fecit ut in reges dominaretur*. II. *& imperitare faciebat eum regibus*. III. *& reges subiiciet*, pro subiecit, de quibus Genes. xiv. DABIT, eos scilicet, QUASI PULVEREM GLADIO EIUS, ET SICUT STIPULAM VENTO RAPTAM ARCUI EIUS. Alii ex Heb. I. *dabit eos veluti pulverem in gladium eius, sicut stipulam proiectam*, seu *propulsam*, vel *propulsatam in arcum eius*. II. *ut pulverem gladio suo, & veluti stipulam impulsam arcui suo*. III. *reddidit similes pulveri gladio eius, similes stipulæ impulsæ arcui eius*; quasi dicat, Gladius eius dissipavit, dispersit eos ut pulverem; & arcus eius dispulit eos ut stipulam. Hispanicus Interpres: *como polvolos entrego asu espada, cy como hoiarascas arrabatadas a suo arco*. Quidam exponunt: *dabat quasi pulverem gladius eius, & quasi quisquilias expulsas arcus eius*; id est, gladius eius scilicet Abrahami dedit gentes & reges quasi pulverem, id est, concidit & comminuit veluti pulverem; & arcus eius dedit eosdem quasi quisquilias vento expulsas, hoc est, prælio fudit exercitum, & minimo negotio sine suorum sanguine reges & gentes vicit. Vide Genes. xiv. sed hæc interpretatio non recte cohæret: nam Heb. verbum *dabit* est masculeum, *gladius* autem & *arcus* feminea, illud semper, hoc sæpius. Aliqui reddunt: *dabit tamquam pulverem gladium eius; id est, efficiet ut gladius eius sit instar multorum ut pulvis: *sicut quisquiliam impulsam, arcum eius*, id est velocissimum, facilem, & sine sui damno.

V. 3. PERSEQUETUR EOS, TRANSIBIT &c. Alii ex Heb. I. *Persecutus est illos, transivit in pace per semitam, quam pedibus suis non ingressus fuerat*. II. *Persequebatur eos, transibat incolumis viam, qua pedibus suis non veniebat*. III. *Persequetur eos, transibit pax*, seu *integritas*; id est, omnino integer, & incolumis evasit, nemine ex suis amisso: *via, quam pedes eius numquam antea fuerant*, vel *via, quam pedibus suis numquam triverat*, id est via sibi ignota. IV. *Persecutus illos pervasit incolumis itinere, quo pedibus suis non venerat*, videlicet Damascum usque & Chobam, Genes. xiv. xv. Hispanicus Interpres: *Siquiolos, passo en par por camino por donde sus pies, nunca avian entrado*.

V. 4. QUIS HAEC OPERATUS EST, ET FECIT, &c. Alii hunc versum ex Heb. varie explanant: I. *Quis operatus est, & fecit, vocans generationes ab exordio?* id est quis præest sæculis ac generationibus, singulisve hominum ætatibus, easque beneficiis afficit solo suo verbo? *Ego Iehova primus, & cum novissimis ego sum*; id est, ego Iehova, qui omnimodam & plenam æternitatem possideo, sum ipse, qui hæc omnia in Abrahamo designavi. II. *Quis operatus est, & fecit hæc? ille, qui vocavit nationes ab initio*; id est, qui novit homines multo antequam gignantur aut nascantur. III. *Quis operatus est, & fecit hoc? vocans sæcula ab initio?* vel nationes nascituras, id est, qui creaturus est homines post multa sæcula, eosque novit: *nam ego Iehova primus, & cum novissimis ego ipse*, subaudi, futurus sum; quasi dicat: Primus sum qui omnia creavi; & post consummationem sæculi ero, sum æternus sine principio & fine: vide infra cap. xliv. 6. & cap. xlviii. 12. Apocalyps. i. 17. & cap. xxii. 13. IV. *Quis operatus est, & fecit illud? quis vocat generationes, inde a principio?* id est, quis non dico Abrahamo tantum, sed omnibus in universum imperat? sic enim accipitur vocandi verbum, ut supra cap. xl. 26. *Ego Ieho-*

Iehova primum etiam ultima ego idem operor; quasi dicat: Totum est a me; nihil plane a principio ad finem usque geritur sine me; qui sensus ut planior sit, ecliptica verba ex hoc ipso versu expressimus. V. *Quis operatus est*, *& fecit?* scilicet hæc omnia in Abrahamo: respondet, ille nimirum, *qui vocat sæcula ab initio*, sive *progenies ab exordio*, id est, qui est rex sæculorum, ut Paulus appellat, qui est auctor cunctorum & moderator, qui ab initio omnia creavit, & universorum providentiam habet: quod si quæras quis iste sit, *ego Iehova primus*, *& cum postremis ego sum*; id est, qui ante omnia sum, & quem quando ultima venerint, invenient & postremis superero, a quo omnia, & per quem, & in quem omnia, &c.

V. 5. VIDERUNT INSULAE, &c. Hunc versum quidam ex Heb. ita explicant: *Videntes insulæ timent*, *extrema terræ trepidant:* exornatio beneficentissimæ administrationis Dei in Ecclesiam per antithesin, qua docet Propheta, idololatras operibus Dei consternari, indurarique, nec ab idolis tamen iuvari posse, tribus versibus; Ecclesiam vero operibus illius & sermone confirmari, vers. 5. 8. & 9. *appropinquant*, *& conveniunt;* id est, magis ac magis alienati a Deo vero, confugiunt frequentes ad idola sua, hoc versu, se obfirmant, sequente versu; & studiosissime in dies superstitiones novas excogitant, ut a terroribus, quos Deus iniecit, liberentur terriculorum suorum opera. Alii exponunt: *Viderunt insulæ*, id est longinquæ nationes, quæ gessit Deus in gratiam Abrahami: nam fama victoriæ de quatuor regibus ad remotissimas gentes pervagata est, saltem ad illas eorum regum: *& timuerunt*, *extremi fines terræ expaverunt: accesserunt tamen & venerunt*, subaudi, ad Abrahamum: prodiit enim Abrahamo obviam rex Sodomorum, item Melchizedech rex Salem, Genes. XIV. 17. & 18.

V. 6. UNUSQUISQUE PROXIMO SUO AUXILIABITUR, &c. Alii ex Heb. I. *Quisque proximo suo opem tulit*, *& fratri suo dixit: Sis fortis;* quasi dicat: Licet Sodomitæ, & alii idololatræ audivissent quæ præclare egisset Deus cum Abraham, qui reiectis patriæ suæ idolis Deum verum colebat; nihilominus idola fecerunt, & coluerunt illa, & mutuo sibi opem ferebant, & operam præstabant ut scilicet cultum illorum tuerentur. II. *Quisque proximo suo auxiliantur*, *& fratri suo dicit*, *Confirmare.* III. *Quisque familiarem suum adiuvabant*, *ut facerent*, scilicet idola: *& fratri suo dicebat*, *Obfirmare*, vel *roborare*, *fortis*, seu *strenuus esto*.

V. 7. CONFORTAVIT FABER AERARIUS PERCUTIENS MALLEO. Haud absurde quidam coniectantur, Nostrum quarto casu scripsisse, *ærarium*, quod Hebræa omnino postulare videntur. Sed totum versum obscure in Hebræo conceptum varie elucidant: I. Sanctes: *Confortavit etiam faber lignarius artificem mollificantem malleum ad percussionem bractearum super incudem*, *dicens: Coniunctio bractearum bona est*, ad idolum scilicet compingendum: *& firmavit idolum ipsum clavis*, *ne moveatur*. II. Idem in Thesauro: *Et roboravit faber lignarius aurificem*, *mollificans malleum cum percussione contritionis*, vel *percussione mallei*, vel *mollificantem malleum ad percussionem incudis*; id est, ad percutiendum cum illo bracteas aut laminas super incudem: *dicens coniunctioni*, seu *conglutinationi*, scilicet *bractearum: Bona est: & roboravit*, *consolidavit eum clavis*, *& non movebitur*. III. Vatablus: *Et confortavit faber aurificem;* id est, cohortatus est ut esset animo bono & forti: *polientem*, seu *lævigantem malleum ad percussionem incudis*, seu *dividens*, vel *percutiens incudem malleo*, *contundentem vicissim*; subaudi, hortatur; *dicens* aurifici: *Ad coniunctionem bractearum bonum est*, sive *accommodum: & corroboravit illud sculptile*, sive illam coniunctionem *clavis ne moveatur*. IV. Leo Iudas: *Faber lignarius confirmavit conflatorem*, *qui expolit malleo*, *cum eo qui crebris vicibus incudem percutit*, *& dicit: Bonum hoc erit ad plumbaturam*, sive *coagmentationem*; vel, *& dicit de coniunctione bractearum*, *Bonum est: firmavitque simulacrum hoc clavis*, *ne loco moveretur*. V. Isidorus Clarius: *Confortavit faber lignarius argentarium percutientem malleo bracteam super incudem*, *dicens glutino*, *Bonum est: & confortavit eum clavis*, *ut non moveatur*. Hoc est, nihil non egit, quo cito sculptile fabricaretur: faber lignarius parabat sculptam imaginem, aurifaber vero super incudem diducebat bracteam auream, quam deinde glutino affigebat imagini, & clavis firmavit. VI. Forsterus: *Et confirmat*

mat faber lignarius conflatorem, *expolientem malleo percussuram in incude*, seu *percussionem incudis*, id est rem cudendam in incude: vel, *& firmavit faber ustorem*, *dispertiens* vel, *dispertientem malleo*, seu, *qui expolit malleo laminam ictu*, id est qui diducit in partes, *dicens adhaesioni*, *Bona est*: *& firmavit eam clavis ne moveatur*. VII. Forerius: *Et confirmabat faber conflatorem dispertiens malleator percutientem incudem*, vel *percutientem vicissim*; id est, malleator exhortabatur eum, qui iteratis vicibus, vel eum, qui secum vicissim tundebat: dicitur autem *dispertiens malleator*, is qui laminas diducit in partes: *dicens adhaerenti sibi*, id est socio suo, assecla, qui lateri suo in opere assidet: *Bonum est*, vel *bene est*, id est, iam aptum est, & perfectum, nihil supra. *& confirmabit illud* opus vel idolum, *clavis*, *ne moveatur*. VIII. Marinus: *Et roboravit verbis artifex aurificem*, *fusorem*, *purificatorem*, *mollem reddens*, vel *expoliens malleo percussionem*, seu *contusionem incudis*, *dicens coniunctioni*, seu *coniunctione*, *Bonum est*, id est bene compactum & coniunctum est: *& firmavit illud in clavis*. IX. Avenarius: *Et confirmavit faber conflatorem dispertientem malleo ictum*, vel *blandam reddens laminam malleo super incudem*, *dicens de glutino*, *adhaesione*, *cohaerentia*, *iunctura*, *Bonum est*, *firmavit illud* simulacrum, seu sculptile, *clavis*, *ne moveretur loco*. X. Montanus: *Et confortavit faber aurificem laevigantem malleum cum contusione incudis*, *dicens*: *Ad iuncturam bonum*; *& roboravit ipsum in clavis ne moveretur*. XI. Schindlerus: *Et roboravit faber conflatorem*, seu *aurifabrum laevigans malleo maiori*; id est, qui malleo magno diducit laminas super incude: *contusionem*, *percussionem*, *rem contundendam*, *ferrum incudis*, *percussuram*, *mallei minoris*, *dicens ad adhaesionem*, *Bona est*; *& roboravit eam in clavis*. XII. Tremellius, & Iunius, ac Buxtorfius: *Et confirmat faber lignarius aurifabrum*, *laevans*, vel *laevigans malleo*, seu *malleator eum*, *qui tundit incudem*: *dicit de ferrumine*, *Bonum est*; *& firmat illud clavis ut non moveatur*. XIII. Oleastrius: *Confortavit fabricator*, scilicet idolorum, *aurificem*, seu malleatorem *dividentem*, seu malleantem, *malleo & conferentem* contritione: *dixit coniungenti*, id est ei qui metallum aut membra idoli coniungit, *Bonum ipsum*, scilicet idolum, seu bene fabricatum est: *& roboravit illud*, scilicet idolum, *cum clavis*: *non movebitur*, id est ut non moveatur; vel postea, *non movebitur*. XIV. Hispanicus Interpres: *El carpintero animo al platero: y el que alisa con martillo al que batia en la Yunque*, *diziendo*: *Buena es la soldadura*. *Y affirmolo*, scilicet *al idolo que hizieron*; *conclavos*, *pro que no se moviesse*. Nunc verba expendamus.

AErarius, vel *aerarium*. צורף *tzoreph*: vide supra cap. XL. 19. Percutiens. מחליק *machalik*, participium Hiphil, haec omnia complectitur: *dispertiens*, id est diducens in partes, seu laminas, *emolliens*, *mollificans*, *lenificans*, *expoliens*, *blandificans*, *blandum faciens*, *levans*, *laevigans*. Non tam apte alii in accusandi casu: *dispertientem*, vel *mollificantem*, &c. Malleo. פטיש *phattisch*, *malleus*, scilicet magnus & ponderosus, quo aliquid conquassatur. Plerique in accusativo capiunt: *mollificans malleum*. Bonaventura Bertramus exponit: *lenificans*, seu *leniter demittens*, *malleum*. Sed praestat in ablativo: *mollificans*, *expoliens malleo*. Eum qui cudebat. הולם *holem*, apte Noster pro participio accepit, *percutientem*, *contundentem*, *conquassantem*; ut lenius & blandius fit expolire malleo, quod ante dixit, quam contundere in incude: & sic plerique accipiunt. Alii tamen secuti passim Hebraeos nomen substantivum faciunt, *percussionem*, *percussuram*, *tusionem*, *contusionem*, *rem cudendam*, *laminam*, quae super incude tunditur. Tunc temporis. פעם *phagham*, aiunt esse, *percussionem*, *percussuram*, *ictum*, *pulsum*, seu *impetum*: item *incudem*, super quam metalla cuduntur, sic dictam a tundendo, & concutiendo; unde hic quidam vertunt: *percutientem* vel *contundentem incudem*, alii: *percussuram incudis*, vel *super incudem*. Nec desunt, qui *malleum*, scilicet *minorem* interpretentur, cum *pattisch* praecesserit, pro more artificum, qui operi primum maiorem, deinde minorem malleum adhibent: *vicem* quoque significare constat, e Genes. XVIII. 32. Exod. VIII. 32. II. Samuel. XXIII. 8. & adverbialiter hic sumi quidam volunt: *percutientem vicce*, seu *vicissim*, id est eum, qui alternis vicibus tundebat, seu cudebat. Quo Noster respexisse videtur, reddens: *tunc temporis*, seu *per vices*, *vicissim*. Dicens: Glutino bonum est. דבק *debek*, proprie, *adhae-*

adhæsio, *cohærentia*, *iunctura*, *commissura*, *ferrumen*, *agglutinatio*, *coagmentatio*, *plumbatura*, *conferruminatio*, *glutinum*. Quidam aliis punctis legunt *dabek*, *adhærens*, *coniunctus*, *assecla*. Varie distinguunt: I. *dicens*: *Glutino bonum est*, vel *ad glutinum bonum est*. II. *dicens glutino*, vel *de glutino*, *Bonum est*.

V. 8. ET TU ISRAEL, &c. Alii ex Heb. I. *Tu autem*, *Israel*, *servus meus es*, & non idololatra: *& tu Iahakob*, *quem elegi*, vel *elegi enim te*, *semen Abrahæ es amici mei*. II. *At tu*, *Iisrael*, *serve mi*, *tu Iahakob quem elegi semen Abrahami amici mei*. Apodosis antitheti, de quo diximus in vers. quintum, transitum comparans ad sequentem narrationem promissionum Dei.

V. 9. IN QUO APPREHENDI TE AB EXTREMIS TERRAE. Alii: *Tu es*, *quem prehendi ab extremitatibus terræ*, id est ab extrema usque AEgypto, ut narratur in libro Exodi. Nonnulli: *Qui apprehendi te ab extremitatibus terræ*. Proprie, *firmiter arripui*, *confirmavi*, *tenui*, *obtinui*, *continui*, *corroboravi*, *instauravi*, *adiuravi*. Sic infra vers. 13. ET A LONGINQUIS EIUS VOCAVI TE. Vocem ואצילים *atzilim*, varie hic reddunt: I. *& a maioribus*, seu *principibus eius vocavi te*, id est a regibus, qui ibi in terra AEgypti dominabantur. II. *& ab eminentiis eius*, terræ, id est a regionibus, quæ præ aliis eminebant, & in pretio habebantur. III. *& a selectis eius evocavi te*; id est, e potestate regum potentissimorum, qui tum in AEgypto fuerunt, evocatum eduxi te. IV. Nos diximus: *& ex cubitis eius vocavi te*. Figurate, ex optimatibus & magnatibus populi, quibus sustentatur & asservatur, ac nititur respublica: vide in Exod. XXIV. 11. Forerius: *& a brachiis*, seu *cubitis*, seu *recessibus*. Nam Hebraismus metaphorice mari & terræ manus, brachia, cubitos attribuit, quod sinus recessusque habeant, ad quos se velut brachiis extendant. Credo esse quas Latini voce consentiente *axillas* vocant, & pro concavitatibus accipi hoc loco, id est abstrusis locis, unde videbamini vix educi posse.

V. 10. NE TIMEAS, QUIA EGO TECUM SUM, &c. vel: *Ne timeto*, *quia tecum sum*. Hortatio, inquiunt, ad finem constantem a promissionibus Dei, quarum partes sunt duæ: prior est, præsentiæ, & virtutis Dei ad servandum populum, hoc versu; posterior, omnipotentiæ ad perdendos adversarios, duobus versibus: quæ duo proleptice posita, deinde per hysterosin explicantur. NE DECLINES. Verbum שעה *schaghah*, ponitur hic, & infra vers. 23. in Hithpahel, contrariis significationibus, inquit Forsterus: hic pro *avertere se*: *ne avertas te*, seu *divertas*; & vers. 23. pro *advertere se*, *respicere*, *aspicere*, *animadvertere*: *& respiciemus*, *animadvertemus*. Sed hic varie exponunt: I. *ne paveas*. II. *ne sis sicut cera*, quæ scilicet liquescit & solvitur ab igne, scilicet a nomine שעוה *schaghavah*, *cera*, Chaldaico, quod est ex hac radice; quasi dicat, Ne liquefias aut solvaris animo. III. *ne debiliteris*, vel *remissum te præbeas*, seu *ne mollescas*. IV. *ne desinas*, *cesses*. V. *non circumspectabis*, vel *ne circumspectes*. VI. *ne stupeto*. VII. *ne terrearis*. Nos: *non blande aspicere te te facies*, more scilicet eorum, qui in magno periculo constituti hinc inde blande circumspiciunt, quasi auxilium, & opem quærentes & complorantes: vide de notione verbi, supra cap. XXII. 4, ET SUSCEPIT TE DEXTERA IUSTI MEI. Heb. *etiam sustinui*, vel *sustentavi*, *fulcivi te dextera iustitiæ meæ*. Quidam: *etiam sustento te dextera iustitiæ meæ*, vel *iusta mea*; id est, quæ iustitiæ tuæ vindex futura est, & ultrix illorum iniustitiæ.

V. 11. ECCE CONFUNDENTUR ET ERUBESCENT, &c. Hunc versum alii ex Heb. ita reddunt: I. *Ecce pudore afficientur*, *& erubescent omnes*, *qui irascuntur contra te*: *erunt tamquam nihilum*, *& peribunt viri rixæ tuæ*, sive *litis & contentionis tuæ*, seu *viri contendentes tecum*. II. *Ecce verecundabuntur*, *& ignominia afficientur omnes qui exardescunt in te*: *erunt quasi nihilum*, *& auferentur viri litis tuæ*. III. *Ecce pudefient & ignominiosi erunt omnes qui ira succenduntur contra te*: *redigentur in nihilum*, *& peribunt viri*, *qui litem contra te suscipiunt*. IV. *En erubescent*, *& ignominia perfundentur*, *quicumque exardescunt contra te*: *erunt tamquam nihil*, *& peribunt homines contentionis tuæ*, seu *adversarii tui*.

V. 12. VIROS REBELLES TUOS. Vocem מצת *matztzuth*, cuius hic plurale ponitur, nam meliora exemplaria מצתיך *matztzuthecha*,

cha, cum *Iod* nota plurali habent; diversimode reddunt: *homines litium*, *rixarum*, *pugnarum*, *velitationum*, *concertationum*, *contentionum tuarum*, vel *iurgiorum tuorum*. Alii singulariter exponunt: *homines concertationis tuæ*; id est, qui concertant & contendunt tecum. Proprie reddes: *homines involationum*, *irruitionum*, *irruptionum tuarum;* id est, qui in te involant, irruunt, irrumpunt. ET VELUTI CONSUMPTIO, HOMINES BELLANTES ADVERSUM TE. Heb. *& tamquam defectus*, *cessatio*, *finis*, *absumptio*, *nihilum*, *homines belli tui*; id est, qui tecum belligerantur, vel oppugnantes te, aut qui bellum contra te movere audent.

V. 13. QUIA EGO DOMINUS DEUS TUUS, &c. Alii hunc versum ita ex Heb. elucidant: *Cum ego Iehova Deus tuus prehendam dexteram tuam*, *edicens tibi*, *Ne timeto*, *ego auxilior tibi*. Epexergasia præcedentis hortationis & promissionum Dei: hortationis quidem, duobus versibus; promissionum vero, sequentibus.

V. 14. NOLI TIMERE VERMIS IACOB, QUI MORTUI ESTIS EX ISRAEL, &c. Hunc versum alii ex Heb. elucidant: I. *Ne formides vermis Iahakob*, *viri pauci Israelis*, seu *exiguitas*, *paucitas*, *Israelis*: *ego auxiliatus sum tibi*, *dixit Iehova*, *& redemptor tuus Sanctus Israelis*. II. *Ne timeas tu*, *o Iahakob vermicule*, id est abiecte: vermen vocat rationem habens fortis, qua servivit in AEgypto: *o Israel*, *qui paucus es numero*, *ego auxilium tibi feram*, *dicit Iehova*, *& vindex tuus Sanctus Israelis*. III. *Ne timeto*, *vermicule Iahakobi*, id est qui in pulvere prostratus iaces afflictionum gravitate, ut Psalm. XXI. 7. *hominum Iisraelis*, seu *Iisraelitarum*: *ego auxilior tibi*, *dictum Iehovæ*, *& redemptoris tui*, *sancti Iisraelis*. IV. Forsterus: *Ne timeas*, *vermis*, seu *vermicule Iahakob*, *pusille grex Israel*: quam phrasim nedum imitatus, verum etiam mutuatus est Christus, cum Lucæ XII. 32. discipulos suos iisdem verbis consolatur: *Nolite timere pusillus grex*. Vide Genes. XXXIV. 30. *ego adiuvi te*, *fidelis sermo Iehovæ*, *redemptor enim tuus est Sanctus Israelis*. REDEMPTOR TUUS. גואל *ghoel*, vide in Genes. XLVIII. 16.

V. 15. PLAUSTRUM TRITURANS. Duæ voces Hebreæ מורג חרוץ *moragh*, & *charutz moragh*, aiunt esse *tribulam*, vel *traham*, vel *plaustrum*: vide in II. Samuel. XXIV. 22. De *charutz* vero libet inserere quæ Lexicographi annotant. Reuchlinus: *Charutz*, *clava dentata*, *serra*, *vel flagellum*, *virga*, *tribula*, *seu baculus*, *quo de messe segetes excutientur*. Forsterus: *Charutz*, *de instrumento dicitur fabrili & rustico ab acredine*, *quod nos rastrum*, *vel tribulam vocamus quæ concidit*. Mercerus: *Et etiam charutz instrumentum*, *quo fruges triturantur*, *seu conciduntur*, *aut etiam terra*, *ut quidam existimant*. *Alii* rastrum, *alii* tribulam serratam *a terrendo; vel* clavam dentatam; *alii* plaustrum *a plodendo*, *iuxta varios modos excutiendi frumenti in diversis regionibus*. *Kimchi ita describit*, quod sit tabula lignea, cui subtus infixi sunt tenues lapilli ad incidendum paleam, & educendum fruges e folliculo. Marinus: *Charutz*, *transfertur eleganter ad traham*, *quod semper sedulo versetur*. Avenarius: *Charutz significat rastrum*, *tribulam dentatam*, *instrumentum habens multas incisiones*, *seu tessérulas*, *quo frumenta in area inciduntur*, *& excutiuntur*: *& sæpe additur verbo* דוש *Dusch*, *trituravit*. Schindlerus: *Charutz*, *tribulum*, *plaustri genus quod rotis subter ferreis atque dentatis volvitur*, *ut excussis frumentis stipulam in areis conterat*, *& in cibos iumentorum propter fœni sterilitatem*, *paleas comminuat*, *teste Hieronymo Isaiæ* XXVIII. 27. Buxtorfius: *Charutz*, *tribula*, *intelligenda autem tribula antiqua*, *quæ trahæ quædam species erat*, *alligatis ipsi bobus*, *iuxta illud*, Non obturabis os bovi trituranti, *Deuteron.* XXV. 4. *Generale est moragh*, *speciale charutz*, *a cæsuris: Fuit enim tribula*, *ut scribit R. Salomon Iarchi Isaiæ* XLI. 15. *plena cæsuris*, *sive incisionibus instar instrumenti fabrorum ferrariorum*, *quod dicitur lima*, *& trahebatur super trituram*, *donec abscinderentur spicæ*, *ac stramen eius fieret palea*. *Apud Thalmudicos legitur*, *fuisse instrumentum ligneum ex tigillis factum*, *plenum clavis*, *sive dentibus inferne obtusis*, *cui imponebatur massa ferrea gravandi causa: trahebatur a bobus super trituram*, *atque ita frumentum excutiebatur*, *stramenque redigebatur in paleam*, *Codice Menachoth*, *cap.* III. *fol.* 22. *& Cod. Sebhachim*, *cap.* XIV. *fol.* 116. De *traha* ac *tribulo* vide II. Samuel XII. 31. Hic autem cum ponantur hæc duo nomina *moragh charutz*, asyndeta, quidam subaudiunt coniunctionem: *in traham*, *at*

tri-

tribulam; quæ quamvis videantur unum & idem instrumentum, potest tamen esse aliquod discrimen inter illa. Alii volunt *charutz* esse nomen adiectivum ipsius *moragh*, unde Kimchi annotat, ipsius quidem instrumenti nomen esse *moragh*, sed appellari *charutz* ab actione sua, quasi *inciforiam* dicas. Unde locum varie exponunt: I. *Ecce posui te* vel *ponam te*, præteritum pro futuro, *in traham*, & *tribulam novam*, *habentem ora*, id est asperitates illas clavorum & lapillorum. II. *Ecce ponam te in traham inciforiam*, seu bene incidentem, *habentem ora*. III. *Ecce posui te in traham acutam novam habentem rostra*, id est dentes, acumina. IV. *Ecce posui te in tribulam novam habentem ora*. V. *En ego faciam te plaustrum*, & *tribulam novam dentatam*. Prædicit fore, ut Ecclesia primitiva initio sit debilis & infirma, quæ tamen postea sit Dei auxilio reges, tyrannos, & magnates trituratura, id est victura & redactura in nihilum. Utitur metaphora ducta a tritura. VI. *Ecce ponam te in tribulam excisam*, *recentem*, *habentem multa ora*, id est multas cæsuras. VII. *Ecce dispositurus sum in te tribulam stylis recentibus*. Exornatio allegoriea posterioris membri prolepseos, de excidio adversariorum Dei, & Ecclesiæ, duobus versibus, ut supra vers. 11. & 12. vide supra in vers. 10. *dominam orium*, seu *bipennem*: ut Psalm. CXLIX. 6. id est, stylorum pinnas utrimque habentem, ut in quamcumque partem vertaris, adversarios teras. VIII. Hispanicus Interpres: *He aqui que yo te he puesto por trillo*, *trillo nuevo senor de boras*, hoc est, *lleno de dientes*. TRITURABIS MONTES, &c. id est, hostes quamvis elatissimos & potentissimos perdes, uteumque vermiculus esse videaris. ET COLLES QUASI PULVEREM PONES. Alii ex Heb. I. *Et colles tamquam glumam dispones*. II. & *colles in scobem rediges*. De voce מוץ *motz*, quem *emunctionem* reddidimus, vide supra cap. XXIX. 5.

V. 16. ET TU EXULTABIS IN DOMINO, IN SANCTO ISRAEL LAETABERIS. Alii: I. *tu autem exultabis in Iehova*, *in Sancto Israelis te iactabis*. II. *tu vero exultabis in Iehova*, *in Sancto Israelis gloriaberis*. Transitio ad prius membrum prolepseos, de quo versu 10. exponens singularem Dei beneficentiam erga Ecclesiam, usque ad vers. 21. elegantissimis allegoriis rerum ad præsentis vitæ commoda pertinentium. LAETABERIS. תתהלל *tithalal*, Futurum *Hithpahel* significatum intendit, *evehere laudibus te te facies*, *laudibus te magnopere efferes*, *splendide te iactabis*, *vehementer gloriaberis*, ut ingentem sui gloriam ex Dei benignitate celebret.

V. 17. EGENI ET PAUPERES QUAERUNT, &c. Hunc versum quidam evidentius ex Heb. ita transfundunt: I. *Ipsos pauperes*, *egentesque ipsos*, *qui quærunt aquas*, *ubi nullæ adsunt*, *quorum lingua siti deficit*; *ego Iehova exauditurus sum*, *Deus Israelis non derelicturus sum eos*. II. *Cum afflicti & egeni aquas quærunt*, *nec inveniunt*, & *lingua eorum siti exaret*; *ego Iehova exaudio eos*, *ego Deus Israelis non desero eos*.

V. 18. APERIAM IN SUPINIS COLLIBUS FLUMINA. Vocem שפיים *schephaim*, varie interpretantur: *Aperiam in præcipitantiis*, *præcipitiis*, *eminentiis*, *prominentiis*, *in locis eminentibus*, *in excelsis*, *in editissimis locis*, *in clivis*, *in eminentissimis verticibus flumina*. Hispanicus Interpres: *en los cabecos altos abrire rios*, &c. Sensum huius & sequentis versus ita eoncipiunt: id est, irrigabo & fœcundabo terram siccaneam, idque etiam permutato, si opus erit, naturæ ordine.

V. 19. ULMUM. תדהר *thidhar*, inquit Reuchlinus, *Sapinus*, *arbor picea*, *seu alia cedri species*, *Hieronymus traduxit Ulmum*, *nostri Hebræi fagum exponunt*. De *Sapino* vide Plinium Lib. XV. cap. XII. & Lib. XVI. cap. XII. & XXIX. Sanctes: *tidhar*, *species quædam cedri*, *ut inquit Rabbi David*, *Hieronymus traduxit ulmum*. Forsterus: *tidhar*, *nomen arboris quam pinum*, *alii cedrum seu cedri speciem asserunt*, *Hieronymus ulmum transtulit*, *Isaiæ* XLI. 19. & LX. 13. *arbitror autem dictam a fragore*, *seu fremitu*, *quem ventorum agitatione edit*: *nisi forte dictam velis a resina*, *ut æquivaleat nomini* תזהר *tizhar*. Mercerus: *Arborem quidam a fremitu dictam putant quem edit ventis agitata*: *vel a resina*, *quasi tizhar*. *Quidam putant esse pinum*, *vel piceam*, *alii fragum*. Forerius: *Qualis etiam arbor sit tidhar*, *ignoratur*, *certe a fremitu seu fragore videtur dicta*, *quem a ventis agitata edit*. *Hieronymus ulmum vertit*:

 sunt

sunt qui pinum putent, quasi a resina appellationem habeat, aut a splendore quem si accenlatur, edit: nam זהר *zahar, resplendere est Chaldæis atque Hebræis: at quantam cognationem habeant litteræ Daleth, & Zain, est manifestum: hinc existimo vocem Latinam tæda originem ducere: quæ primo arborem notat ex earum genere, quæ resinam ferunt abundantiorem succo reliquis eiusdem generis, Græcis, δαῒς δᾳδίον: improprie deinde dicuntur tædæ partes imæ piceæ sativæ, atque alia ligna, quæ vel naturali pinguedine, vel oleo, piceve illita faculæ modo lucent*. De tæda vide Plinium Lib. XVI. cap. x. Marinus: *tidhar nomen arboris cuiusdam, etsi quale proprie sit, ignoretur: laurum nos dicemus*. Avenarius: *tidhar, ulmus, a fragore, quem ventorum agitatione edit. R. David Kimchi dicit esse cedri speciem. Serapion cap.* CV. *vocat Arabice didar*. Schindlerus: *tidhar, laurus, seu species cedri*. Buxtorfius: *tidhar, tæda, arbor resinam ferens*. Ergo *tædam* hic reddunt, Tremellius, Iunius, Buxtorfius. Buxum. תאשדר *theaschschur*, inquit Sanctes, *secundum Hieronymum est buxus. At Rabbi David in Libro* Radicum *speciem scribit esse cedri: sunt qui putant esse arborem bresilium: in Thalmud exponitur sorbus. Et Rabbi Iona scripsit quod in Arabico vocatur sorbin; & scripsit quod sit* abies, *aut potius* buxus. *Thargum*, אשרוגין *ascheroghin*. Forsterus: *thaschschur, nomen arboris, Chaldæus transtulit ascheroghin, quam alii buxum, alii bresilium, alii cedrum seu speciem cedri esse putant, a proceritate, & erecta statura sic dictam*. Tremellius, & Iunius reddunt: *arboresque opacas. Hebræam*, inquiunt, *vocem theschschur, quæ nusquam nisi hic, & infra cap.* LX. 13. *legitur, sic interpretamur, propter etymon coniugatæ vocis* אשרה *ascherah, qua significatur lucus*. Si augurari licet, forsan consentiente voce fuerit *taxus*, quam similem aspectu abieti, piceæ, larici, tædæ coniungit Plinius Lib. XVI. cap. x. sic dicta per antiphrasin, quasi minime beata, sed infelix & venenata.

V. 20. Et recogitent. Heb. *& ponant*, subaudi, super cor. Alii ⊥ *& apponant*, sive *& adhibeant se*, ut Iudic. XIX. 30. II. *& alta mente reponant*. Notant esse concisam locutionem, quæ infra vers. 22. expletur: *& ponemus cor nostrum*, ut Ezechiel. XL. 4. & cap. XLIV. 5. Aliter perficitur: *& ponant super cor*, ut infra cap. LVII. I. & II. Et intelligant pariter. Verbum שכל *sachal*, in Hiphil hæc omnia includit: *& accurate considerent, graviter perpendant, strenue intelligant*. Quia manus Domini fecit hoc, et Sanctus Israel creavit illud. Possis reddere: *quod manus* Ihuh *fecit istam, & sanctus Israelis creavit eam*, scilicet salutem, vel Ecclesiam.

V. 21. Prope facite iudicium vestrum, &c. Alii ex Heb. I. *Appropinquate iudicium vestrum, dicit Iehova: accedere facite fortes vestros*, id est patronos & advocatos causæ, *dicit rex Iahakob*. II. *Appropinquare facite litem vestram*, vel *admovete, ponite in medium, dicit Iehova*, convertit sermonem ad idololatras, *accedere facite fortia vestra*, id est argumenta vestra, quæ putatis esse fortissima, & validissima: *dicit rex Iahakob*. III. *Proponite causam vestram, dicit Iehova: afferte confirmationes vestras, dicit Rex Iahakob*. עצמות *ghatzumoth*, aiunt esse hic confirmationes, seu corroborationes, quas quisque pro se in iudicio affert, quæ sunt in oratione velut ossa & nervi in corpore. IV. *Afferte causam vestram, ait Iehova; adducite robora vestra*, id est, robur & firmitudinem litis, seu disceptationis vestræ, & præcipuas demonstrationes vestras, firmas probationes vestras, vel argumenta vestra, quæ pertinent ad confirmationem causæ, Latini *firmamenta* vocant. V. *Adeste causæ vestræ, dixit Iehova: afferte firmamenta vestra, dixit rex Iahakob*. VI. Hispanicus interpres: *Acercad vuestro pleyto*, seu *alegad por vuestra causa, dize Iehova: trahed vuestros fundamentos*, id est, *vuestras razones, dize el rey de Iahakob*. VII. *Proferte*, seu *producite causam vestram, ait Iehova: admovete firmamenta vestra, ait rex Iahakobi*. Tertia concionis pars, ut dictum est cap. XL. I. confutatio idololatrarum, eorum, qui non acquiescunt Deo: primum adversarios provocat sarcasmo, hoc versu; deinde cum ipsorum hominum, tum idolorum, quibus confidunt, vanitatem arguit, tribus versibus; ac postremo maiestatem Dei asserit, vers. 25.

V. 22. Accedant, et nuntient nobis, &c. Hunc versum ita ex Heb. explapla-

planant. I. *Quin afferant, adducant, deos suos, ut annuntient nobis quæ eventura sint, aut saltem quæ prius fuerint indicent*, vel *nuntiate*, o idola: *ut reponamus in cor nostrum, ut sciamus novissimum eorum*, seu *quæ subsecutura sunt, aut quæ in foribus sunt, exponant nobis*, vel *aut quæ ventura sunt docete nos*, vel *prædicite nobis* o vos idololatræ. II. *Proponant, & indicent nobis ea quæ obventura sunt: priora quænam sunt, indicate*, id est quam primum eventura: *ut apponamus animum nostrum, & cognoscamus finem eorum*, id est ultimum eventum ex prioribus illis consequentem: *aut eventura pronuntiate nobis*. Primum vanitatis argumentum, quod idolorum cultores res futuras, ac ne mox quidem futuras, certo non possint cognoscere aut prædicere.

V. 23. ANNUNTIATE QUAE VENTURA SUNT IN FUTURUM; ET SCIEMUS QUIA DII ESTIS VOS. Alii: *Indicate quæ ventura sunt in posterum, ut cognoscamus vos esse Deos*. Secundum argumentum, quod ne præsignificare quidem illi res venturas possint. Alii idem dicere volunt, quod præcedente versu ad maiorem sententiæ inculcationem: vel אותיות *othiioth*, proprie significat *ventura quæ ex signis præcedentibus cognosci & indicari possunt*: nam ex eadem radice est, אות *oth*, *signum, prodigium, portentum, quod aliquid eventurum portendit*: quasi dicat, Neque ex signis antecedentibus certo quidquam cognoscere possunt. BENE QUOQUE, AUT MALE, SI POTESTIS, &c. Alii ex Heb. I. *quin etiam benefaciatis, aut male faciatis, & narrabimus postquam videbimus simul*, vel *postea quam viderimus pariter*. II. *quin etiam benefaciatis, aut malefaciatis, ut narremus & videamus*, subaudi, miracula vestra, *simul*. III. *etiam quod benefaciatis & malefaciatis, narrabimus, & videbimus simul*. IV. *quia benefacite aut malefacite, ut narremus, & videamus pariter*. V. *bene etiam aut malefacite, & advertemus, & videbimus pariter*. VI. *sive benefecoritis, sive malefeceritis, respiciemus*, vel *animadvertemus*, *& videbimus utrumque*. VII. Hispanicus Interpres: *O alomenos hazed bien, o hazed mal para que tengamos que contar, y iuntamente veremos*, seu *nos maravillemos*. VIII. *etiam benefacite, aut malefacite, ut obstupescamus videntes pariter*. Tertium argumentum, quod nihil plane boni, vel mali queant efficere: ex quibus conficitur doctrina sequentis versus. ET LOQUAMUR. ונשתעה *venischthaghah*, diversimode exponunt: *& narrabimus, & obstupescentus, & circumspectabimus, & respiciemus, & advertemus*. Quidam exponunt: *& versis vultibus ad nos mutuo pariter rem examinabimus, & confabulabimur, atque tractabimus* quonam honore digni sitis, &c. Nos vertimus: *& blande respicere nos fecimus*, seu *faciemus*, vel *ut blande nos ipsos respicere faciamus*; id est, ut benevolo ac pio erga vos intuitu simus & affectu, & videamus magnifica vestra facta.

V. 24. ECCE, VOS ESTIS EX NIHILO, &c. Alii: I. *Ecce vos estis ex nihilo, & factura vestra ex nihilo est*; id est, nihil boni vel mali efficere potestis, *abominatio elegit vos*; id est, homo abominabilis elegit vos, ut colat. II. *En vos minus quam nihil estis, & opus vestrum peius opere viperæ: abominationis vir*, seu *abominabilis, qui elegit vos*. III. Forsterus: *Ecce estis minus quam nihil, & opus vestrum*, vel *opera vestra minus sunt quam sibilus; abominatio eliget vos*. מאפע *meephagh*, *de, ex, serpente, ex vipera*: *ut* אפע *ephagh* sit idem quod אפעה *ephgheh*, *vipera*, Iob xx. 16. quasi dicat: Opera eorum sunt serpentina, viperina, lædentia proximos, vel præ serpente, vipera, id est, peiora & magis noxia quam opera viperæ, aut serpentis. Alii: *de sibilo*, vel *præ sibilo*, id est minus sunt quam sibilus, a פעה *phaghah*, *sibilavit*; quasi dicat, Inaniora, & vaniora sibilo, nihil solidi aut ponderis habentia.

V. 25. SUSCITAVI AB AQUILONE, &c. Alii hunc versum ex Heb. I. *Excitavi ab Aquilone*: hunc locum de Cyro accipiunt, quem Deus suscitavit a Perside, quæ est ad aquilonem respectu Iudææ, ut bellum susciperet contra Babylonios, ut illis devictis, populum Dei in libertatem assereret: *ab ortu solis vocabit in nomine meo*, vel *nomen meum*, id est, fatebitur me verum Deum esse: vide II. Paralip. XXXVI. 22. & v. 23. & Ezræ I. 1. & 2. *veniet super principes, veluti super lutum, & conculcabit quemadmodum figulus lutum*. II. aptius alii: *Excitaturus sum*: antithesis potentiæ Dei, qua prædicit & interminatur subversionem regni tenebrarum per Ecclesiam Christi, ex omni-

omnibus orbis terrarum partibus adunatam ad invocandum nomen eius: *ab aquilone*, & meridie, similiter ab ortu, & occasu, est enim ellipsis contrariorum in hac loquendi forma, ut Genes. XXXIII. 10. *qui veniat, ab ortu solis, qui vocet nomen meum, qui veniens proculcet antistites tamquam lutum, & tamquam figulus cœnum*. Hebraicam verborum emplocen hoc loco perspicuitatis ergo mutarunt. ET ADDUCET MAGISTRATUS QUASI LUTUM. Alii ex Heb. I. *& veniet super principes veluti super lutum*. II. *& ambulabit super magnates sicut super lutum*. III. *& invadet magnates quasi lutum*. De voce סגנים *seghanim*. quam hic *principes*, *magnates*, *antistites* reddunt, vide in Hezræ IX. 2.

V. 26. QUIS ANNUNTIAVIT AB EXORDIO &c. Hunc versum dilucidius alii ex Heb. exponunt: I. *Quis annuntiavit hæc ab initio?* id est quis hominum aut idolorum? *ut sciremus? & porro quid futurum sit, & dicemus eum habere caussam potiorem?* vel *ut cognoscamus*, subaudi, eum vera dicere, & illum esse verum Deum: *& ab antea, dicemus illum iustum?* id est, quis indicabit aliquid multo antequam eveniret, & affirmabimus illum iustum esse, & veracem in prædictione sua? *sed nullus est, qui annuntiarit*, subaudi, futura, *nullus est, qui prædixerit*, vel *qui auditam faciat vocem suam*; quasi dicat: Tantum abest ut possitis futura prædicere, ut omnino muti sitis: *neque est, qui audierit sermones vestros*. II. *Quis annuntiavit ab initio, & sciemus, & a principio*, seu *ab antiquo*, vel *iam ante, & dicemus quod iustus sit? utique non est qui annuntiet, etiam non est qui narret, etiam non est qui audiat sermones vestros*. III. *Quis annuntiavit a principio, & sciemus, & antea, & pronuntiabimus iustum? immo non est, qui annuntiet, non est qui prædicet: immo non est qui audiat dicta vestra*. Id est: Quis ex vobis, o dii, futura cognovit aut prædixit? eloquimini, ut sciamus quisnam vestrum hic sit, & pronuntiemus eum iustum, id est pro eo sententiam feramus, & victor ex indicio prodeat, palmamque referat. Sed frustra expectamus, nullus est, qui vel eos mussitantes audiat, aut aliquod verbum ex ore vestro percipiat. IV. *Quis indicavit inde a principio ut cognosceremus?* Conclusio totius sermonis, qua Deus summatim superiorem antithesin his duobus versibus repetens, sibi omnem gloriam assumit, omnia in Christo prædicendi, præsignificandi, & efficiendi arbitratu suo: deinde ætiologicos totam gloriam omnibus idolis, hominibusque adimit, duobus ultimis versibus. Ait ergo: Quisnam igitur, nimirum ex istis diis, aut hominibus indicavit &c. *Aut inde ab antiquitate, ut diceremus, iustus est*; id est, non iniuste, sed merito sibi hanc gloriam arrogat; *neque ullus est, qui indicet, neque ullus qui prænuntiet, neque ullus qui audiat sermones vestros*. V. Hispanicus Interpres: *Quien dio nuivas desde el principio, para que sepamos? ey de antes, ey diremos, Iusto*; id est, Bien esta, es verdad; quasi dicat: *Acordarle hemos que es Dios. Cierto no ay quien lo annuncie, cierto no ay quien lo ensenne, cierto no ey qui en oyga vuestras palabras*.

V. 27. PRIMUS AD SION DICET: ECCE ADSUNT, ET IERUSALEM EVANGELISTAM DABO. Alii ex Heb. I. *Primus Tzioni, Ecce, ecce adsunt*; id est, ego primus omnium sum, qui dico Tzioni quæ futura sunt: *& Ierosolymis Evangelistam dabo*, singulare pro plurali, Evangelistas; quasi dicat: Non solum potens sum futura prædicere, sed facio etiam meos prophetas & Evangelistas ea prævidere, & annuntiare. Semper enim Deus populo suo providit prophetas futurorum eventuum &c. II. *Ego primus sum, qui dico hæc Tzioni, Ecce, ecce ipsis*: quasi dicat, Deus non est talis ut illi dii gentium, nam est futurorum peritissimus: *& ipsis Ierosolymæ dabo læta ac fausta nuntiantem*: Christum inferentem Evangelium in mundum. III. *Primarium Tzioni, in quo ecce, ecce ista, & Ierusch alaimis evangelizantem dabo*. Alterum membrum antitheseos, quo demonstrat Deus se ea omnia præstare, quæ modo dicta sunt in exhibitione Christi, quia idem est sapientia Dei, & potentia Dei ad salutem credentium. Non efficiuntur, inquit, neque prædicantur hæc ulla virtute aut scientia hominum: sed is demum unus effecturus & prædicaturus est, cui donavero. Est autem ille Christus primarius, sive caput Ecclesiæ, plenus gratiæ & veritatis, de cuius plenitudine perenni ac præsentissima hausturi sunt omnes, & in quo ecce istarum prophetiarum omnium invenitur complementum. Hunc, inquit Deus, dabo Ecclesiæ poten-

tem

tem dictis & factis, ut efficiat res prophetiis prænuntiatas, & prophetias Evangelicas committat suis ad ædificationem Ecclesiæ, Evangelizaturus per ipsos, & futurus cum ipsis usque ad consummationem sæculi. Hunc locum, inquiunt, ut ita accipiamus, cogunt distinctiones Hebraicæ, ipsa argumentatio, & prophetiæ sequentis comparatio.

V. 28. ET VIDI, ET NON ERAT, &c. Alii ex Heb. I. *Ego video*, seu *contemplabor*, *& non vir*, *& de illis non est consultor*: *si scisciter ab ipsis*, *ne verbo quidem respondent*; id est, quamvis diligenter contemplor, & quæram, tamen non inveniam idolum aliquod, quod futura prænuntiet, aut dare possit consilium, aut edere ullum verum responsum. II. *Nam cum respicio*, *nullus est vir*, *etiam ex istis nullus est consultus*, *ut cum interrogabo eos*, *respondeant quidquam*. AEtiologia præcedentis promissionis de Christo, qua confirmat Deus, se gratiose propterea mittere Filium in mundum, quod nemo ex diis, aut hominibus prophetare possit per se, nedum salutem sibi comparare aut præstare alteri.

V. 29. INIUSTI. און *aven*, *vanitas*, *iniquitas*, *dolor*, *molestia*: proprie, *concupiscentia*, *cupiditas*. Recte observant sumi hic pro impio, & idololatrico cultu propria cupiditate ac devotione, instinctu diaboli, contra Dei voluntatem, & verbum Dei instituto: atque ipsa idola significare, quæ ex prava illa & innata, atque originaria concupiscentia, seu fomite peccati in mundum introducta sunt, pro mera hominum libidine, & absque ulla ratione, sed stulta quadam cupiditate inventa. Vide in Numer. XXIII. 21. & I. Samuel. XV. 23. ET VANA. Heb. *defectus*, *cessatio*, *absumptio*, *nihilum*. ET INANE. תהו *thohu*, *inordinatio*. Vide in Genes. I. 2. SIMULACRA. Heb. *fusiones*, *fusilia*, *conflatilia*, *torum*. Hispanicus Interpres: *suo vaziadizos*, vel *fus diores de fundicion*.

MENOCHII.

Verf. I. TACEANT AD ME, id est tacite me audiant. INSULAE: Insulas vocat insulanos, hoc est, gentes remotas, trans mare sitas, quales respectu Iudæorum erant Itali, Græci, Hispani. MUTENT FORTITUDINEM; id est, roborentur animis, viribus, & argumentis, ut mecum disceptent, me refellant, & suam causam stabiliant, si possint. ET TUNC LOQUANTUR; cum scilicet me audient. SIMUL AD IUDICIUM PROPEREMUS: in quo disceptabitur bene ne, an male fecerint, cum, me relicto, idolis cultum tribuerunt.

V. 2. QUIS SUSCITAVIT AB ORIENTE IUSTUM: Abrahamum intelligit, quem Deus vocavit e Mesopotamia, quæ Orientalis est Palæstinæ. UT SEQUERETUR SE: secutus est autem Abrahamus Deum vocantem, cæca obedientia, nesciens quo iret Heb. XI. 8. DABIT; pro *dedit*; omnia enim hæc futura per præteritum exponenda sunt. DABIT IN CONSPECTU EIUS GENTES: tradidit coram eo Gentes, easque ei subiecit. REGES OBTINEBIT: victoriam de regibus reportavit. Respicit victoriam quam retulit de Codorlahomor, & aliis tribus regibus liberando Loth nepotem suum Genes. XIV. 15. DABIT QUASI PULVEREM GLADIO EIUS: pulverem scilicet vento raptum; hoc est, quam facile pulverem ventus dispergit, ita facile Abrahami gladius hostes dissipavit.

V. 3. TRANSIBIT IN PACE: transivit feliciter, nemine ex suis amisso. SEMITA IN PEDIBUS EIUS NON APPAREBIT; quasi dicat: Tam velociter, ut non tam ambulasse, quam volasse viderentur; vel sensus est: Deus Abrahamum, & Hebræos in deserto, & per terram Chanaan, ita sanos, vegetos, & integros in expeditionibus deduxit, ut nullum semitæ, & tantæ viæ vestigium appareret, nam nec callum pedes obduxerunt, nec calcei, aut vestes attritæ: vide Deut. XXIX. 5.

V. 4. QUIS HAEC OPERATUS EST, &c. ut scilicet Hebræi inermes, & timidi, tot gentes suis regionibus expellerent, & tot victorias reportarent. VOCANS GENERATIONES AB EXORDIO. Sane non alius quam Deus, qui Hebræos omnes ab Abraham genitos, huc usque vocavit, & elegit in populum suum, & multis, præclarisque beneficiis auxit. PRIMUS ET NOVISSIMUS EGO SUM; id est, ego solus hoc feci: sic dicimus Italice, *Io sono il primo*, *e l' ultimo*, id est ego solus sum. Alii ita explicant; quasi dicat, Ego sum principium omnium, & finis.

V. 5. VIDERUNT INSULAE, ET TIMUERUNT;

RUNT; quasi dicat: Gentes remotæ, audientes victorias non tantum Abrahæ, sed & Mosis, in transitu maris rubri, ac deserto, & quæ Iosue patravit, &c. agnoverunt, & veritæ sunt potentiam meam: vide Exod. xv. 15. & Iosue v. 1. APPROPINQUAVERUNT, ET ACCESSERUNT: scilicet ut viderent opera mea.

V. 6. UNUSQUISQUE PROXIMO SUO AUXILIABITUR. Loquitur de gentibus, quæ ad opera Dei, aut Christi famam excitæ, pro suo gentilismo consilia agitabant, & sibi mutuo animos addebant in eo propugnando. CONFORTARE: vox idololatrarum se adhortantium ad retinenda, & stabilienda Idola.

V. 7. CONFORTAVIT FABER AERARIUS, &c. Describens fabros idola fabricantes, & stabilientes ne cadant, simul irridet eos qui idololatriam male fundatam, & labentem fulcire conabantur. CONFORTAVIT EUM QUI CUDEBAT: socium laboris sui, cum quo ad eamdem incudem, circa idem idolum formandum, occupabatur. DICENS, GLUTINO BONUM EST, id est de glutino pronuntians, quod bonum est, & tenax. CONFORTAVIT: eum clavis firmavit, solidavit, ne laberetur.

V. 9. IN QUO APPREHENDI TE, &c. id est, quem apprehendi, & elegi in ipso Abrahamo, cum ab extremis terræ, id est Chaldæa, eum evocavi.

V. 10. SUSCEPIT TE DEXTERA IUSTI MEI. Per iustum, Abrahamum, de quo hactenus egit, intelligit, & per Abrahamum Christum etiam respicit. Sensus ergo est: Qua dextera Abrahamum, & multo magis Christum suscepi, eadem suscepi eorum filios & posteros, qui in iis quasi in parentibus suis, eorumque lumbis continebantur.

V. 11. CONFUNDENTUR: victi pudefient. ERUNT QUASI, &c. erunt res nihili, mox nihilum futuri. REBELLES TUOS: hostes tuos.

V. 12. VELUTI CONSUMPTIO: veluti id quod consumptum, & deletum est.

V. 13. APPREHENDENS MANUM TUAM: ut tibi animos addam, & in pugna iuvem.

V. 14. NOLI TIMERE, &c. Iudæos intelligit afflictos ab Assyriis, & paulo post vastandos a Nabuchodonosor; vel Apostolos, & Christianos nascentis Ecclesiæ, quos ob paucitatem, vilitatem generis, & contemptum, vermem appellat: QUI MORTUI ESTIS EX ISRAEL: qui afflicti estis, & contempti, adeo ut quasi pro mortuis habeamini, immo qui a tyrannis morte mulctamini. REDEMPTOR TUUS: qui te a tantis malis eripiam.

V. 15. QUASI PLAUSTRUM TRITURANS: videris vermiculus abiectus, sed ego te erigam, & robustum faciam, ut similis sis plaustris dentatis quibus agricolæ utuntur in tritura ad grana excutienda ex spicis. ROSTRA SERRANTIA, id est dentes in modum serræ. MONTES, ET COLLES: Reges, & tyrannos intelligit.

V. 17. EGENI, ET PAUPERES, &c. Peccatores quærebant animæ suæ refrigerium, sed non inveniebant; hanc ego eis præstabo per Christum.

V. 18. FLUMINA, ET FONTES: gratiæ, & cælestium donorum. PONAM DESERTUM IN STAGNA AQUARUM: faciam uti desertum aridum, hisce aquis redundet. TERRAM INVIAM: est repetitio eiusdem sententiæ.

V. 19. DABO IN SOLITUDINEM, &c. Faciam ut hactenus inculta gentilitas, Apostolorum prædicatione exculta arbores multiplices, & pulcherrimas virtutum germinet. ET SPINAM. Heb. est שטה *sitta*, quod idem est cum ligno *Setim*, quæ est arbor in deserto proveniens, odorata, & cariem non sentiens, cuius frequens mentio in S. Litteris. Vocatur *spina*, quia quoad speciem similis est spinæ albæ.

V. 20. CREAVIT ILLUD. LXX. *ostendit*, id est fecit.

V. 21. PROPE FACITE IUDICIUM VESTRUM; quasi dicat: Ego argumenta meæ divinitatis huc usque proposui; vos, o Gentes, si quid habetis, pro idolis vestris, nunc proferte. FORTE, id est validum argumentum.

V. 22. PRIORA QUAE FUERUNT NUNCIATE: ipsa compellat idola; quasi dicat: O idola, si divinitatem habetis, ostendite vos divinam habere scientiam præteritorum, futurorumque cognitionem. Dicite quid Deus a principio, & ab æterno fecerit, cogitaverit, decreverit. PONEMUS COR NOSTRUM: si illa nobis explicare potueritis, vobis credemus, & audiemus studiose, cognoscere satagentes novissima, id est quæ ventura sunt. EORUM: referendum

dum est ad vocem *priora*; id est, ea quæ longo post tempore post priora illa eventura sunt.

V. 23. SCIEMUS QUIA DII ESTIS: *nam testimonium divinitatis est veritas divinationis*, ut ait Tertull. Apologet. cap. XX. BENE AUT MALE. Aliud argumentum quod idola non sint dii, ex eo sumptum, quod nec nocere possint, nec prodesse. LOQUAMUR, ET VIDEAMUS SIMUL; id est, hoc ipsum coram videamus, & examinemus: videtur respondere Italicæ phrasi, qua dicimus: *Fate questo, & poi venite a parlare insieme:* quo dicendi modo significatur eos primum illud quod exigitur, nullo modo esse facturos.

V. 24. EX NIHILO: quia cum ceteris rebus ex nihilo creata sunt. OPUS VESTRUM: passive, id est quo vos idola facta estis, fabrica vestra. ABOMINATIO, id est abominabilis. QUI ELEGIT VOS: ut coleret, tamquam deos.

V. 25. SUSCITAVI, &c. quasi dicat: Quæ in vobis divinitatis argumenta requiro, ego ad meam divinitatem ostendendam iam pridem exhibui; nam ut supra dictum est, ego Abrahamum, & in eo Israelitas, ab oriente, scilicet a Chaldæa, & e septemtrione, scilicet e Mesopotamia, adduxi. VOCABIT NOMEN MEUM: colet, & invocabit nomen meum, vel coluit, & invocavit. MAGISTRATUS: Magnates, Principes, Reges. PLASTES: figulus. HUMUM: lutum, argillam.

V. 26. QUIS ANNUNCIAVIT, &c. quasi dicat: Quis ex vobis, o idola, harum rerum ordinem prævidit, & prædixit? ut in hac disceptatione & iudicio pro eo sententiam feramus, dicamusque, *Iustus es*; id est, tua causa iusta est, ius a te stat, iuste Deus haberis, & coleris. NON EST ANNUNTIANS; quasi dicat: Muta estis saxa, & ligna, nihil dicitis, nec ullus vos loquentes audit.

V. 27. PRIMUS: ego qui primus sum, & omnium Deus: de se loquitur in tertia persona. ECCE ADSUNT; qui scilicet tibi futura prædicant. EVANGELISTAM DABO: scilicet Isaiam, aliosque Prophetas, qui quasi Evangelistæ, boni scilicet nuntii apportatores, nuntient Ierusalem quæ futura sunt, præcipue ad Christum, & ad eius Evangelium pertinentia.

V. 28. ET VIDI, &c. sunt verba Isaiæ. Sensus est: Ad hæc interrogata, & argumenta nemo in deorum suorum causa respondit, neque consultavit de adornanda responsione. Itaque concludit pronuntians contra idola, ut habetur versiculo sequenti.

V. 29. INIUSTI: iniusti, & iniustam causam fovent, causa cadunt, & condemnantur. VANA OPERA EORUM: passive accipitur, ut supra num. 24. Perditur opera cum idola fiunt.

TIRINI.

Vers. I. TACEANT AD ME. Metalepsis, pro tacite me audiant, nempe causæ meæ & divinitatis argumenta proferentem. INSULAE, ET GENTES; id est, insulani omnes, respectu Iudææ trans mare siti, v. g. Græci, Itali, Hispani, &c. MUTENT FORTITUDINEM, id est roborentur animis, viribus, argumentis, ut si possint me refellant, & idolorum suorum causam stabiliant.

V. 2. QUIS alius a me, SUSCITAVIT AB ORIENTE IUSTUM Abrahamum, evocans illum e Mesopotamia, quæ Orientalis est Palæstinæ? Genes. XII. I. & Heb. XI. 8. DABIT (enallage temporum, pro, quis dedit?) IN CONSPECTU EIUS, seu coram ipso, prosterni GENTES, Codorlahomor, & trium sociorum regum, Genes. XIV. 15. Et in conspectu Moysis, Iosue, tot iudicum & regum, posterorum Abrahæ, quis Amalecitas, Chananæos, Philisthæos, Moabitas, Madianitas, Idumæos prostravit? Ita Chaldæus, S. Thomas, Hugo, Lyranus, Forerius, Sanchez & a Lapide. Tam ipse, quam ipsius posteritas

V. 3. TRANSIVIT IN PACE; id est, pacifice, feliciter, ex voto perrupit agmina hostilia, & adeptus est optatas victorias. SEMITA IN PEDIBUS EIUS NON APPAREBIT. Tam sanum, tam vegetum & integrum deduxit Deus Abrahamum, totumque Israelem per tot itinera, per tot bella, ut nullum vestigium tam molestæ semitæ, tam prolixæ viæ in pedibus ullius appareret, perinde ac si nihil viæ confectum esset. Nam, ut dicitur Deuter. VIII. 4. & XXIX. 5. nec pedes callum ullum obduxerunt, nec calcei aut vestes attritæ sunt.

V. 4. QUIS HAEC tam stupenda FECIT, vo-

VOCANS GENERATIONES AB EXORDIO? id est, præsciens, providens & sigillatim *generationes* continuata serie ab Abrahamo usque ad modernum Ezechiam, quas tot tantisque victoriis ac triumphis suo tempore condecoravit. Utique nemo alius, quam EGO, PRIMUS ET NOVISSIMUS, α & ω, universi prora & puppis: ex quo tamquam ex primo fonte omnia scaturiunt, & ad quem tamquam ad ultimum finem suum & felicitatis portum omnia devolvuntur. Porro has tam insignes Israelitarum victorias simulatque

V. 5. VIDERUNT INSULAE, & insulani senserunt, sane obstupuerunt & ingenti horrore perculsi TIMUERUNT, Exodi xv. 15. & Iosue v. 1. maluerunt tamen hostiliter mihi resistere, quam victas ultro manus dare: ergo instructi armis APPROPINQUAVERUNT *a*.

V. 6. CONFORTARE. Hac voce se mutuo contra Deum Hebræorum excitantes & roborantes: quin &

V. 7. FABER AERARIUS cudens idolum, cuius protectione se suosque concives adversus Deum tutaretur, alterum fabrum socium suum animabat & corroborabat, dicens: GLUTINO BONUM EST utamur, & idoli partes connectamus. Ac tandem ita connexum *clavis* affixit parieti. Egregium sane asylum & munimen adversus omnipotentem Deum. Sed tu, o Israel,

V. 10. NE TIMEAS hæc crepundia. SUSCEPIT TE DEXTERA IUSTI MEI; id est, eadem potentia qua iuvi Abrahamum patrem vestrum, iuvabo & vos: ita S. Thomas. Sed S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, Forerius & Haymo magis genuine id de Christo accipiunt, de quo accipienda etiam sequentia.

V. 17. EGENI ET PAUPERES Hebræi in deserto *quærebant* AQUAS, sed *nullæ aderant*. Ego mox prospexi, &

V. 18. IN SUPINIS COLLIBUS, e duris rupibus elicui FONTES, instar *fluminum*, quia irrigata terra & fœcundata

V. 19. DEDIT SOLITUDINI CEDRUM, SPICAM, MYRTUM, OLEAM, aliasque arbores frugiferas, quæ in loco ante sterili numquam visæ fuerant, sed iam spatio tot annorum haud dubie succreverunt, inquit Forerius. Allegorice, Christus & Spiritus sanctus cælestibus suis donis steriles Gentilium & aliorum peccatorum animos fœcundant, & tristia in delitias convertunt, inquit S. Hieronymus & alii supra citati. Et ergo quidem hactenus, inquit Deus, argumenta meæ divinitatis proposui: iam vos vicissim, o idololatræ,

V. 21. PROPE FACITE IUDICIUM VESTRUM; id est, proferte in medium quæ stabiliendæ causæ vestræ, nempe divinitati idolorum, possint deservire. Et quidem ante omnia, probate nobis, o idola, omniscientiam vestram: saltem

V. 22. NUNTIATE nobis PRIORA QUAE FUERUNT ante conditum mundum; quid Deus a principio & ab æterno fecerit, cogitarit, decreverit. Inde PONEMUS COR NOSTRUM; id est, intelligemus, nobisque persuadebimus, vos quoque scire NOVISSIMA EORUM, id est ea quæ post illa priora, seu secuta sunt, seu sequentur: ita Origines *b*. Deinde secundo loco

V. 23. ANNUNTIATE QUAE VENTURA SUNT IN FUTURUM, nempe contingentia & a libero arbitrio dependentia, *Veritas enim divinationis testimonium est divinitatis*, inquit Tertullianus *c*: nam solus Deus infinita vi sua cognitiva & intuitu videt ab æterno & penetrat quidquid umquam futurum est, acie eius visiva extendente se in omne ens quacumque demum parte temporis existens. Sed nulli puræ creaturæ id possibile est, ut passim docent SS. Patres & Doctores *d*. Mox tertium divinitatis argumentum ab idolis deposcit: BENE AUT MALE, SI POTESTIS, FACITE cultoribus vel hostibus vestris, sicut ego me fecisse Abrahamo, eiusque posteris comprobavi vers. 2. & seqq. Sic Ioas pater Gedeon Iudicum vi. *Si Deus est* Baal, *vindicet se de eo qui suffodit aram eius*. Impotentiam hanc idolorum pluribus exaggerat Baruch vi. 52. & seqq. Sed Lutherus hoc ipso Isaiæ loco quo sola idola perstringuntur, perfide abutitur ad liberum arbitrium hominibus adimendum.

V. 24. ECCE (insultat idolis quasi iam convictis) vos ESTIS EX NIHILO; id est, ortum habetis non ex aliqua veritate, aut solido principio, sed ex inani, falsa & ficta imaginatione, & puro ac mero mendacio. ET OPUS VESTRUM quo idola facta estis, id est vos ipsa, quæ estis opus & fabrica stultorum hominum, estis EX EO QUOD NON EST, id est ex nihilo, ac proinde nihil. Sic vers. ult. ait, *vana* esse *o-*

pera

pera eorum, *ventum & inane* quid *simulacra eorum*: quia nempe *divinitas* quæ illis affingitur, nulla illis inest. Unde & S. Paulus disertis verbis affirmat, *idolum nihil esse in mundo*, I. Corinth. VIII. 4. Mox exemplis probat, quæ paulo ante dixerat de ignorantia & impotentia idolorum.

V. 25. SUSCITAVI AB AQUILONE certum quemdam monarcham, mihi uni notum, sed toti orbi adhuc ignotum, nempe Chaldæum Nabuchodonosorem. ET VENIET alter quoque AB ORTU SOLIS, nempe Cyrus e Perside. De hoc enim exponunt hæc omnia S. Thomas, Osorius, Hugo, Pintus, Vatablus, Lyranus, Mariana & Sa. Uterque VOCABIT NOMEN MEUM, tamquam domini & heri sui; id est, uterque serviet mihi in expeditionibus quas ipsis demandabo. Uterque etiam agnoscet & colet me: ut de *Nabuchodonosore* constat ex Danielis III. 95. & cap. IV. 31. De *Cyro* quoque I. Esdræ I. 2. Uterque ADDUCET MAGISTRATUS QUASI LUTUM; id est, eo adiget proceres, principes & reges omnes sibi adversantes, ut sibi victori subdantur & substernantur, sicut lutum figulo. Sed *quis* vestrum, o idola,

V. 26. ANNUNTIAVIT hæc, aut prædixit ulli viventium? UT DICAMUS pro hoc tribunali, IUSTUS ES; id est, ius a te stat, iuste merito pro Deo haberis & coleris. Sed nullus est omnium vestrum, qui tale quid prædicere potuerit. Ego, ego

V. 27. & 28. PRIMUS Ierosolymæ EVANGELISTAM DABO, puta Isaiam, Ieremiam, aliosque Prophetas, qui quasi Evangelistæ prædicent populo meo quæ ipsi obventura sunt, tum tristia, tum læta. Hi AD SION DICENT, ECCE ADSUNT; id est, adcrunt præfinito a Deo tempore nunc Chaldæi, nunc Persæ; nunc qui affligant, nunc qui recreent populum meum. Sed & cum iamiam Chaldæus tyrannus immineret, immo incubaret iugulo Ierosolymæ, *nullus* ERAT EX ISTIS falsis diis QUI INIRET CONSILIUM, id est consultaret aut consuleret aut iuvaret miseros clientes suos. Unde iure merito contra falsos deos concludo:

V. 29. ECCE OMNES INIUSTI; id est, iniusta & iniqua est causa eorum: nullo iure vindicant sibi divinitatem, cuius nec umbram probare possunt.

(a) Psal. xciv. 10.
(b) Origen. Lib. IV. Pettarchon cap. 21.
(c) Tertullian. Apologetici cap. xx.
(d) Doctores in I. part. S. Thomæ.

GORDONI.

Vers. 1. & 2. TACEANT AD ME INSULAE, ET GENTES MUTENT FORTITUDINEM. Probat Deus suam divinitatem ex potentia & providentia. Taceant gentes, seu tacite audiant me, & mutent fortitudinem ac roborentur; ut mecum disceptent in hac causa. Commemorat initio vocationem Abrahæ in posteris miracula, & victorias. Secutus quidem est Abrahamus Deum nesciens quo iret, ex Paulo Heb. cap. XI. DABIT IN CONSPECTU GENTES; hoc est, dedit, in præterito, ut loqui cœpit Isaias. Sermo est de victoria Abrahæ, Genes. XIV. 15. item de victoriis Mosis, Iosue, & posterorum. Cedit hostes ut pulverem, & vers. 3. SEMITA IN PEDIBUS NON APPARUIT. Hypallage est & conversio; pro, in semita non apparuit pes eius, adeo scilicet velociter pertransiit.

V. 6. & 7. UNUSQUISQUE VIDERUNT, inquit, QUAE FECI: & tamen in idolis suis consarcinandis & glutinandis insistebant cœci gentiles. *Confortare* vox est idololatrarum exhortantium se mutuo ad vilem & ridiculam fabricam idoli, clavis & glutino solidantes fictile & inane opus.

V. 8. ET TU ISRAEL. Apostrophe iam est ad Israelitas, veros Dei cultores, quos animat, & fide ac spe firmat, promittens se potentem protectorem.

V. 17. EGENI ET PAUPERES, &c. Habetur hic tacita exhortatio ut persistant Israelitæ in vero cultu, promittens non defutura similia in posterum, qualia maioribus sunt exhibita in deserto & terra promissionis. Indicat vers. 17. & deinceps, quæ acta sunt in sublevando populo Dei, in deserto & alias sæpe: qualia etiam post captivitatem præsidia non defuerunt, & mystice loquendo non deerunt sub Christo, ubi vel maxime in solitudine dabuntur cedrus & arbores gratum proferentes fructum.

V. 21. PROPE FACITE IUDICIUM VESTRUM, &c. Iam monet ut gentes pro suis idolis proferant si quid habent, dent idola, saxa & ligna, similia opera his quæ Deus hactenus fecit: dent signa divinitatis, & prædictionem futurorum.

V. 24. Ecce vos estis ex nihilo, &c. Probatum eſt idola non eſſe Deos veros, quia non dant ſigna divinitatis. Iterum hoc probatur quia vere ex nihilo ſunt, ſeu nihil poſſunt: vel ut alii putant, ratione materiæ & formæ quoque nihil ſunt; quatenus ex Apoſtolo idolum nihil eſt: abominatio eſt qui vos elegit, ſeu abominabilis eſt.

V. 25. & 26. Suscitavi ab Aquilone, &c. Cyrum hic ſuſcitatum multi intelligunt e Perſide quæ Babyloniis eſt aquilonaris: immo & Iudææ aliqua ex parte; ac ſi diceret Deus: Ego ſuſcitabo ab Aquilone & Oriente quem neſciunt idola veſtra: ipſe agnoſcet nomen meum, & me iubente remittet populum meum in patriam: & pergit verſ. 26. Quis annunciavit, &c. hoc eſt, dicite mihi o idolorum cultores, quiſnam ex veſtris diis prædixit iſta, ut inde ſciamus illum eſſe Deum verum.

V. 27. Primus ex Sion dicet, Ecce adsunt. Hieronymus in huius loci commentario legit *adſunt*; & ſenſus erit: Idola nihil poſſunt vere nuntiare; ſed Deus eſt qui primus dicit Sioni, Ecce adſunt (& ſunt & erunt) quæ ipſe promiſit, & ipſe dicit: Ego dabo Ieroſolymæ Evangeliſtas, ſeu qui fauſta pronuntiabunt.


V. 28. Et vidi, &c. Hæc ſunt verba Iſaiæ, agnoſcentis nec idola, nec eorum cultores poſſe quidquam reſpondere ad ea quæ a Deo ſunt allata. Unde tandem concluditur verſ. 29. Ecce omnes iniusti, idololatræ, et vana opera eorum, foventque cauſam iniuſtam.

Ex Eiusdem Auctario.

Verſ. 14. Qui mortui, qui afflicti eſtis, & contemnimini.

Verſ. 15. Ut plauſtrum dentatum excutiens grana nova, & inſtar ferræ.

Verſ. 19. Dabo in solitudinem: producam in ſolitudinem & gentilitatem, quidquid eſt fertile & ſpecioſum.



CA-

CAPUT XLII.

Pater sibi complacet in filio Christo, cuius virtutes & opera quæ facturus est, Propheta explicat, exhortans universas gentes ad laudem & gratiarum actionem: addit quoque, malos, idololatras & ingratos graviter a Domino puniendos, plurimum conquerens de ingratitudine servorum Dei.

1. ECce servus meus, suscipiam eum: (*a*) electus meus, complacuit sibi in illo anima mea: dedi spiritum meum super eum, iudicium Gentibus proferet. 2. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox eius foris. 3. Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet: in veritate educet iudicium. 4. Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium: & legem eius insulæ expectabunt. 5. Hæc dicit Dominus Deus, creans cælos, & extendens eos: firmans terram, & quæ germinant ex ea: dans flatum populo, qui est super eam, & spiritum calcantibus eam. 6. Ego Dominus vocavi te in iustitia, & apprehendi manum tuam, & servavi te. (*b*) Et dedi te in fœdus populi, in lucem Gentium: 7. Ut aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. (*c*) 8. Ego Dominus, hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus. 9. Quæ prima fuerunt, ecce venerunt: nova quoque ego annuntio: antequam oriantur, audita vobis faciam. 10. Cantate Domino canticum novum, laus eius ab extremis terræ: qui descenditis in mare, & plenitudo eius, insulæ, & habitatores earum. 11. Sublevetur desertum, & civitates eius: in domibus habitabit Cedar: laudate habitatores Petræ, de vertice montium clamabunt. 12. Ponent Domino gloriam, & laudem eius in insulis nuntiabunt. 13. Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir prœliator suscitabit zelum: vociferabitur, & clamabit: super inimicos suos confortabitur. 14. Tacui semper, silui, patiens fui, sicut parturiens loquar: dissipabo, & absorbebo simul. 15. Desertos faciam montes, & colles, & omne gramen eorum exsiccabo: & ponam flumina in insulas, & stagna arefaciam. 16. Et ducam cæcos in viam, quam nesciunt: & in semitis, quas ignoraverunt, ambulare eos faciam: ponam tenebras coram eis in lucem, & prava in recta: hæc verba feci eis, & non dereliqui eos. 17. Conversi sunt retrorsum: confundantur confusione qui confidunt in sculptili, qui dicunt conflatili: Vos dii nostri. 18. Surdi audite, & cæci intuemini ad videndum. 19. Quis cæcus, nisi servus meus? & surdus, nisi ad quem nuntios meos misi? quis cæcus, nisi qui venundatus est? & quis cæcus, nisi servus Domini? 20. Qui vides multa, nonne custodies? qui apertas habes aures, nonne audies? 21. Et Dominus voluit ut sanctificaret eum, & magnificaret legem, & extolleret. 22. Ipse autem populus direptus, & vastatus: laqueus iuvenum omnes, & in domibus carcerum absconditi sunt: facti sunt in rapinam, nec est qui eruat: in direptionem, nec

est

est qui dicat: Redde. 23. Quis est in vobis qui audiat hoc, attendat & au-
scultet futura? 24. Quis dedit in direptionem Iacob, & Israel vastantibus? non-
ne Dominus ipse, cui peccavimus? Et noluerunt in viis eius ambulare, & non
audierunt legem eius. 25. Et effudit super eum indignationem furoris sui, &
forte bellum, & combussit eum in circuitu, & non cognovit: & succendit
eum, & non intellexit.

(a) Math. xii. 18. (b) Inf. xlix. 6. (c) Inf. xlviii. 11.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. ECCE. Ostendit venturum Christum quasi iam præsentem, propter certitudinem prophetiæ: nam quem Ioannes præsentem digito demonstravit, cap. 1. 29. *Ecce agnus Dei*, hunc Deus venturum præscientia præmonstrat. SERVUS MEUS, Christum vocat pater servum suum propter humanam naturam, quia formam servi accepit: Philip. II. 7. sicut Christus patrem vocat Deum suum: Ioan. XX. 17. *Ascendo ad patrem meum & patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum*. SUSCIPIAM EUM, id est defendam: אתמך בו, *sustentabo eum*, fulciam, corroborabo spiritu sancto, ut statim exponit. Alii, *innitar in eo, confidam in eo*; quasi dicat: Ecce servum meum fidelem. ELECTUS MEUS, quem præ omnibus elegi. Est enim Christus omnium prædestinatorum caput & exemplar; quem vocat pater hoc loco electum, alibi vocat filium: Matth. III. 17. & II. Petri I. 17. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*; id est, in quo nihil inveni, quod non esset mihi gratissimum, quia *Peccatum non fecit, neque inventus est dolus in ore eius*: I. Pet. II. 22. DEDI SPIRITUM MEUM; id est, replevi eum spiritu, ut gentes iudicet. *Dedi illi spiritum sapientiæ & intellectus; spiritum consilii & fortitudinis*, ut dixit sup. cap. XI. 12.

V. 2. NON CLAMABIT; id est, non veniet cum magno strepitu, ut alii reges venire solent, sed humilis, placidus, mansuetus: Matth. XXI. 5. NEQUE ACCIPIET PERSONAM; id est, non habebit in iudicio rationem personarum. Hebraice ponitur verbum ישא sine nomine. Itaque potest intelligi aut nomen פנים *facies*, & sensus erit, non accipiet personam: aut nomen קלו *vocem suam*, & significabit, *non tollet vocem suam*, ut nonnulli interpretantur. NEQUE AUDIETUR: ולא ישמיע קלו, *& non faciet audire vocem suam* בחוץ, *in platea*: repetitio.

V. 3. CALAMUM QUASSATUM NON CONTERET. Duabus metaphoris declarat Christum non esse quidquam violente, aut turbulenter & temere effecturum; sed leniter omnia, prudenter, attente, utiliter, ita ut omnibus prosit, nemini, quantum in se est, noceat: hoc est, *Calamum quassatum*, id est homines inopes & afflictos, non confringet prorsus, ut alii iudices faciunt, (loquitur enim de iudicio) sed potius sublevabit, ac defendet. Idem significat altera metaphora: LINUM FUMIGANS; id est, elichnium lucernæ iam pene extinctum, non extinguet omnino, sicut dixit, *Calamum quassatum*. Sic interpretatur R. David in Lib. rad. IN VERITATE, id est secundum iustitiam, aut vere, ita ut non erret. EDUCET, proferet, pronuntiabit iudicium.

V. 4. NON ERIT TRISTIS NEQUE TURBULENTUS; id est, neque erit nimis timidus & remissus, quales esse solent qui tristes sunt; neque nimis acer & vehemens. Heb. לא יכה ולא ירוץ repetit duo verba præcedentis versus, itaque interpretari possumus, *Non extinguet*, inquam (linum fumigans) *& non conteret* (calamum quassatum.) DONEC PONAT IN TERRA IUDICIUM; id est, donec legem Evangelicam stabiliat. ET INSULAE; id est, extremæ quæque orbis terrarum insulæ Evangelium avide suscipiant; hoc est, EXPECTABUNT; quasi dicat: Usque ad secundum adventum mitis erit & lenis, in secundo autem adventu formidabilis.

V. 5. FIRMANS TERRAM: רקע הארץ, alii,

alii vertunt, *extendens terram*, ficut dixit EXTENDENS CAELOS: fed melius noster Interpres, *Firmans*: hoc enim magis terrae convenit, quam *extendi*, ut Psal. CIII. 5. *Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in saeculum saeculi*. DANS FLATUM, id est in quo vivimus: Act. XVII. 28. ET SPIRITUM, id est spirationem calcantibus terram, id est bestiis per quem & homines & bestiae vivunt. AUT CALCANTIBUS EAM, id est hominibus, ut sit repetitio.

V. 6. EGO DOMINUS VOCAVI TE, id est praedestinavi. IN IUSTITIA, ut iustitiam doceres, ut homines iustos efficeres, vel ut iustus esses, non quod ante esset iniustus, sed quia cum omnino non esset homo, ne iustus quidem homo erat: sicut de nostra praedestinatione dicit D. Paulus Ephes. I. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati*. ET APPREHENDI MANUM TUAM; id est, adsui tibi, adiuvi te: ut sup. cap. XLI. 13. ET SERVAVI TE; id est, *Angelis meis mandavi de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*: Psal. XC. 11. DEDI TE IN FOEDUS POPULI, ad firmandum foedus, ad explendas promissiones factas populo meo, quae omnes futuro Christi adventu nitebantur. Gal. III. 16. *Abrahae dictae sunt promissiones, & semini eius, non dicit, Et seminibus, quasi in multis, sed, quasi in uno, Et semini tuo, qui est Christus*: & II. Cor. I. 20. *Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo est*. IN LUCEM GENTIUM; id est, *Ut illumines omnem hominem venientem in hunc mundum*: Ioan. I. 9. Prius de populo Iudaeorum mentionem fecit, deinde de gentibus, quia Christus ad Iudaeos primum mittendus erat: Matth. XV. 24. *Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel*. Concinnat autem aptissime verba: nam populo non dicit Christum datum in lucem, quia per legem Mosis aliquam iam lucem habebat; sed in foedus, quia foedus eum eo tantum populo per Christum pactum fuerat. Gentibus vero non dicit in foedus datum esse, quia nullum eum illis foedus intercesserat; sed in lucem, quia in tenebris ignorantes versabantur, nullamque legis lucem aspexerant: *Populus enim qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam*: Isai. IX. 2.

V. 7. UT APERIRES: לפקח, *ut aperias* OCULOS CAECORUM. Hoc mystice intelligi debet de oculis mentis, id est ut omnes doceas: quamquam oculos etiam corporis saepe Christus aperuit ut prophetiam omnibus modis impleret. ET EDUCERES, ut educas, DE CONCLUSIONE, id est de custodia. ממסגר, *e carcere*. DE DOMO CARCERIS SEDENTES, ישבי; *habitantes* IN TENEBRIS, id est in obscuris locis carceris. Potest hoc proprie intelligi de Patribus, quos Christus descendens ad inferos inde eduxit. Sicut illud Zachar. IX. 11. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos e lacu, in quo non est aqua*.

V. 8. EGO DOMINUS. Modus confirmandi ac pene iurandi est; quasi dicat: Quod promitto, re ipsa praestabo, quia *Ego sum Deus, & non mutor*: Malach. III. 6. HOC EST NOMEN MEUM, id est mihi proprium, quod alteri convenire non potest: loquitur autem de nomine יהוה tetragrammato. GLORIAM MEAM, titulum hunc meum, ut vocer יהוה, *Dominus* aut *Deus*, non permittam ut quisquam alius sibi usurpet. ET LAUDEM MEAM. Repetitio est.

V. 9. QUAE PRIMA FUERUNT; id est, quae olim a me praedicta sunt. ECCE VENERUNT; id est, experientia ipsa didicistis, oculis ipsis vidistis iam evenisse: hanc vim habet *Ecce*. NOVA QUOQUE; id est, futura, quae nondum audistis, EGO ANNUNTIO. Probat quod dixit versu 8. se solum esse Deum ab effectu, quia novit futura, sicut sup. cap. XLI. 23. probavit idola non esse Deos. Simul etiam docet debere sibi credi Christi adventum praedicenti, quando cetera quae praedixerat, evenerunt.

V. 10. CANTATE DOMINO; id est, mihi laudes divinas soli dicite, cum ego sim solus Deus. Vel, *Cantate*; id est, laudate Deum ob singulare beneficium missi in mundum Christi. CANTICUM NOVUM, id est singulare, exquisitum, non vulgare: nova enim & singularia beneficia novis sunt & singularibus laudibus celebranda: ut Psal. XXXII. 3. & XXXIX. 4. & XCV. 1. LAUS EIUS (cantetur vel resonet) AB EXTREMIS TERRAE, undique, aut ubique gentium. תהלתו, potest esse accusativus: *laudem eius* (cantate.) QUI DESCENDITIS IN MARE, id est navigantes; quasi dicat: Non solum qui in terra, sed etiam qui in mari versamini, Deum laudate. ET PLENITUDO EIUS (Deum laudet) id est, quidquid mare replet,

replet, omnia quæ in mari sunt. Alii, *plenitudinem eius* interpretantur *insulas eius*, quæ veluti plenitudo & tubera maris sunt, ut statim videtur explicare. INSULAE ET HABITATORES EARUM. Potest etiam מלאו esse accusativus, *Qui descenditis in mare, & plenitudinem eius;* quasi dicat uno verbo, Qui descenditis in altum mare.

V. 11. SUBLEVETUR DESERTUM, id est lætitia exultet. Heb. ישאו, *tollite vocem;* id est, clamare, o desertum, & civitates quæ in deserto sunt, sicut supra vers. 2. IN DOMIBUS HABITABIT. חצרים תושב קדר, *villæ, in quibus habitat Cedar;* id est, tabernacula Arabum, in quibus habitat Cedar, id est niger,

—— *Sole perustus Arabs.*

Erant enim Arabes, Nomades ac Scenitæ non habentes sedes fixas, sed tabernacula quotidie mutantes. HABITATORES PETRAE, id est arcium: sing. pro plur. DE VERTICE MONTIUM, id est qui habitant in summis montibus clament: futurum pro imperativo.

V. 12. PONENT (pro, ponant) DOMINO GLORIAM. Heb. pro, *dent Domino gloriam, & laudem eius in insulis annuntient.* Distributio est, quæ uno verbo significat, ut omnes homines Deum laudent.

V. 13. DOMINUS SICUT FORTIS: כגבור, *ut vir fortis*, aut *ut gigas egredietur*; id est, ostendet se, cum ante quodam modo latuisset, ut inimicos suos sibi subiiciat. Videtur de secundo iam Christi adventu loqui: quod si de primo agit, ad spiritalem expugnationem dæmonum referri debet. SICUT VIR PRAELIATOR SUSCITABIT ZELUM; id est, excitabit sese ad iram, ut viri bellicosi facere solent, cum prælium committunt. VOCIFERABITUR, ut in bello fit. SUPER, על, *contra* INIMICOS SUOS CONFORTABITUR, corroborabit se se.

V. 14. TACUI SEMPER: מעלם, *a sæculo.* Solent homines qui iram diu compresserunt, silentiumque tenuerunt, in magnum tandem clamorem erumpere, sicut & mulier parturiens, quæ se aliquantisper continens, fortius postea vociferatur. His ergo se se Deus comparat, ut ostendat fore, ut quo magis dissimulavit, gravius puniat. DISSIPABO ET ABSORBEBO SIMUL: id est, uno impetu erumpam, omniaque dissipabo atque consumam, id est omnes hostes meos, vel omnia quæ ad hostes spectant, ut statim explicat.

V. 15. DESERTOS FACIAM MONTES. Non sunt hæc ita intelligenda, quasi re ipsa montes desertos facturus Deus sit, & flumina in insulas conversurus; sed per hypothesim, ut multa alia in Scriptutis sacris; quasi dicat: Si opus fuerit, nihil tam difficile factu est, quod non sim facturus, ut inimicos meos perdam.

V. 16. ET EDUCAM: והולכתי, *& ambulare faciam cæcos per viam quam nesciunt*, id est quam prius nesciebant. Mystice hoc est intelligendum: cæcos enim vocat homines qui Deum ignorabant, quos dicit se in viam salutis revocaturum. ET IN SEMITIS: repetitio est. PONAM TENEBRAS IN LUCEM; id est, convertam eorum ignorantiam in scientiam rerum divinarum: vel, ego eos ita ducam per obscura loca, quemadmodum si lumine plena essent, & per loca prava, id est anfractuosa, & obliqua, quemadmodum si recta essent, & plana: ita ut non offendant, neque deerrent. Quod mystice de fide intelligi potest, quæ cum obscurissima sit, & anfractibus plena atque difficultatibus, Deus nos per eam quasi cæcos per planissimam viam, sine ullo errore ad salutem ducit. HAEC VERBA, id est has res, hæc omnia, quæ dixi. FECI EIS, ET NON DERELIQUI EOS. Præterita Hebraica pro futuris: hæc omnia faciam eis, nec eos derelinquam.

V. 17. CONVERSI SUNT. Præt. pro fut. convertentur RETRORSUM, id est cadent spe sua. CONFUNDENTUR CONFUSIONE. Hebraismus, id est valde confundentur. Confundi autem est apud Hebræos pudore affici, quod non sis consecutus quod optabas. QUI CONFIDUNT IN SCULPTILI: sing. pro plurali: sicut CONFLATILI, pro, conflatilibus.

V. 18. CAECI INTUEMINI: הביטו, *intendite ad videndum*, vel, visum recipite ut videatis: quia dixerat supra vers. 7. Christum oculos cæcorum aperturum, Heb. exhortatur illos per apostrophen, ut se parent ad videndum.

V. 19. QUIS CAECUS. Declarat quos potissimum cæcos appellaverit. Latet autem hic tacita quædam comparatio. QUIS CAECUS NISI SERVUS MEUS; id est, cum omnes homines cæci sint, maxime tamen cæcus est servus meus, id est populus meus, Iudæi,

quia

quia in media legis luce caligant. ET SURDUS NISI (populus meus) AD QUEM NUNTIOS, id est Prophetas, MEOS MISI; quasi dicat: Qui sunt cæci, nisi Iudæi qui lucem legis habent? qui surdi, nisi quibus Prophetæ locuti sunt? id est, qui maxime oculati & aurati esse debebant. QUIS CAECUS NISI QUI VENUNDATUS EST; id est, nisi populus qui a me liberatus est, & veluti pecunia e servitute redemptus: כמשלם, *nisi perfectus*, id est, qui maxime perfectus esse debebat: ut Matth. VIII. 12. *Filii autem regni eiicientur foras*, id est quos filios regni esse oportebat. ET QUIS CAECUS NISI SERVUS DOMINI; id est, qui maxime debebat Domino servire.

V. 20. QUI VIDES MULTA. O popule Iudæorum, qui multa Dei testimonia, multa mandata legis vides, nonne custodies, & cum apertas habeas aures, nonne audies? Heb. ראית רבות ולא השמר ad verbum: *Videre multa, & non servabis*: פקח אזים ולא ישמוע, *aperire aures, & non audiet*. Quod aliqui interpretantur: Quid prodest videre multa, & non facere, & habere aures, & non audire? quasi dicat: Propterea vocavi populum meum cæcum, & surdum, quia quamvis videat, non facit quæ videt esse facienda; & quamvis aures habeat apertas, id est, quamvis audiat multa (ut ante dixit, *videre multa*,) non audit, id est non obedit: sic enim Hebræi loquuntur. Sed mutat personam, ut solet; priori enim membro loquitur per secundam, posteriori per tertiam. Possumus etiam Infinitivum in secundam & tertiam personam resolvere, sic: Vides multa, & non custodis; apertas habet aures, & non audit.

V. 21. DOMINUS VOLUIT; id est, nihilominus Dominus non destitit velle sanctificare eum (populum) quamvis cæcum, quamvis surdum, quamvis immorigerum. Heb. יהוה חפץ למען צדקו, *Dominus amavit* (illum populum) *propter iustitiam suam*; id est, ut ostenderet iustitiam suam, qua promissa sua servat. ET MAGNIFICARET LEGEM: repetenda est particula למען, *ut magnificaret*; id est, ut rationem haberet legis suæ, qua promiserat se populo suo non defuturum. *Et extolleret*: יאדיר, *& honoraret, & illustraret*.

V. 22. IPSE AUTEM POPULUS DIREPTUS; id est, Deus quidem semper voluit populum salvum esse & incolumem; sed populus ipse sua culpa multas sibi calamitates accersivit, ut dicit aliis verbis: Osee XIII. 9. *Perditio tua, o Israel, tantummodo ex me auxilium tuum*. Describit statim eorum calamitates. LAQUEUS IUVENUM OMNES; id est, in ergastulis ut mancipia. IN DIREPTIONEM, NEC EST QUI DICAT: REDDE; id est, qui redimat, qui oblata pecunia dicat ei a quo capti sunt, Redde eos, & accipe pecuniam.

V. 23. QUIS IN VOBIS; pro, ex vobis, vel, inter vos. ET AUSCULTET FUTURA: qui credat quæ a me prædicuntur. Verba Prophetæ. Alii vertunt לאחור, *in posterum*, id est, ut in futurum corrigat se &c.

V. 24. QUIS DEDIT. Docet eos tam cæcos esse, ut non intelligant, omnia mala Iacob & Israelis a Domino propter eorum peccata immissa esse; quasi dicat: Non animadvertunt *Non esse malum in civitate, quod Dominus non fecerit*: Amos III. 6. ET NOLUERUNT: ו *&*, ponitur pro, nihilominus; quasi dicat: Quamvis graviter a Deo Iacob & Israel afflicti fuerint, noluerunt nihilominus in viis eius ambulare.

V. 25. ET; id est, propterea, EFFUDIT SUPER EUM, עליו, *contra eum*. ET FORTE BELLUM, עזוז מלחמה, *robur belli*; id est quasi fortis bellator direxit in eos aciem & pondus belli: ut supra vers. 13. ET COMBUSSIT EUM IN CIRCUITU. Metaphora est militaris. Solent enim hostes cum volunt magnam aliquam civitatem ad deditionem cogere, oppida circumvicina incendio vastare: ita Deus cum nollet Iacob & Israel perdere, veluti per circuitum castigabat, nunc aliquos eorum, nunc eorum vicinos puniens, ut aliorum exemplo commoti ad se converterentur: tamen non intellexerunt.

S A.

Vers. 1. SERVUS MEUS. Chald. *servus meus Messias*. COMPLACUIT, &c. quasi dicat, Est mihi carissimus. ANIMA. Hieron. epist. CLI. *Animæ* nomine, Dei significatur affectus. SPIRITUM. Chald. *Spiritum sanctum*. IUDICIUM, scilicet Dei, vel quod iustum est. PROFERET. Chald. *revelabit*.

V. 2. CLAMABIT, scilicet more perturbatorum. FORIS; quasi dicat, In plateis. Aug. XX. Civ. 1. ab his, qui foris sunt, ab eius corpore præcisi.

V. 3. LINUM, id est myxum, seu ellychnium. FUMIGANS, scilicet pæne extincto lumine. NON EXTINGUET; quasi dicat: Neminem lædet, quin etiam vilissimos iuvabit, seu pæne deficientes. Chald. per *calamum* mansuetos, per *linum* pauperes intelligit. IN VERITATE, &c. quasi dicat, Vere indicabit.

V. 4. NON ERIT, &c. quasi dicat, Magna animi quiete, scilicet nulla passione turbatus prædicabit. IUDICIUM, id est iustam & rectam legem Evangelicam. ET LEGEM, &c. LXX. *& in nomine eius gentes sperabunt*, quomodo citatur Matthæi XII. INSULAE, id est remotissimi quique. EXPECTABUNT, scilicet cum desiderio.

V. 5. FLATUM. Chald. *spiramentum*.

V. 6. TE, scilicet o Christe. IN IUSTITIA, id est cum iustitia; quasi dicat, Iustum & iustificantem. SERVAVI, &c. Præt. pro fut. IN FOEDUS, scilicet feriendum cum tuo sanguine. POPULI. LXX. *generis Israel*.

V. 7. CONCLUSIONE, id est carcere, scilicet peccatorum.

V. 9. FUERUNT, scilicet a me prædicta. NOVA, id est inusitata & mirabilia.

V. 10. NOVUM; quasi dicat, Novis laudibus celebrate. LAUS EIUS, scilicet audiatur, vel cantetur. PLENITUDO. LXX. *navigantes*.

V. 11. DESERTUM, id est mundus. HABITABIT; pro, habitantes. CEDAR. Regio est Arabiæ. PETRAE, id est rupium. Quidam urbis nomen putant. Vide sup. cap. XVI.

V. 12. PONENT. LXX. *dabunt*.

V. 13. EGREDIETUR, scilicet ad iudicandum. ZELUM. Chald. *iram*. VOCIFERABITUR, &c. id est aget more irati. CONFORTABITUR, id est prævalebit.

V. 14. TACUI, id est iram continui. Dei verba sunt. Apud Prophetas frequens personæ mutatio. SEMPER. LXX. *a sæculo*; quasi dicat, Diu. SICUT PARTURIENS, scilicet cum vi effundens conceptam iram. ABSORBEBO, id est perdam. Chald. *consumam*.

V. 16. PRAVA, id est distorta. HAEC VERBA, id est res has. FECI. Præteritum pro futuro.

V. 17. CONVERSI, scilicet impii frustrati spe.

V. 18. INTUEMINI. LXX. *respicite*. AD VIDENDUM, id est ut videatis.

V. 19. VENUNDATUS EST, scilicet servus peccati, ut qui venditur. LXX. *qui recessit*.

V. 20. CUSTODIES, id est observabis, seu attendes.

V. 21. SANCTIFICARET EUM. Chald. *iustificaret Israel*. LEGEM. Chald. *legis factores*.

V. 22. IUVENUM, id est fortis; quasi dicat, Fortiter illaqueati. Chald. *iuvenes sunt omnes*. DICAT, scilicet raptori. REDDE, scilicet quod diripuisti.

V. 24. CUI, id est contra quem.

V. 25. COGNOVIT, id est resipuit. INTELLEXIT. Chald. *proposuit animo timorem eius*.

ESTII.

Vers. 2. NON CLAMABIT, NEQUE ACCIPIET PERSONAM, NEC AUDITUR VOX EIUS FORIS. Hoc testimonium cum verbis aliquot sequentibus citat Matthæus Evangelista cap. XII. idque ad declarandam insignem Christi mansuetudinem erga omnes. Et sciendum est, quod tam Chaldæus Paraphrastes, quam omnes quoque Iudæi hunc locum de Christo accipiunt. Et Chaldæus Paraphrastes expresse sic: *Ecce servus meus Messias*. Matthæus loco horum verborum habet: *Non contendet neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius*. Sensus est: Non litigabit, neque contentiose clamabit, sicut quidam solent, qui cum rationibus & argumentis non possint, clamore volunt adversarium vincere. *Neque audietur vox eius foris*; vel, ut Matth. habet, *in plateis*; id est, non iactabit in plateis, vel foro suam doctrinam, quasi per tumultum, vel ostentationem; sed sedate aget, docens in locis ad docendum accommodis, cuiusmodi est synagoga, desertum, ad mare, &c. In iis enim locis Christus docuisse legitur. De clamore huiusmodi Paulus agit ad Ephes. IV. *Omnis ira, & indignatio, & clamor tollatur a vobis*.

V. 4. NON ERIT TRISTIS NEQUE TURBULENTUS. Non negat Propheta futurum in Christo tristitiæ affectum, qui de seipso verissime dixit Matth. XXVI. *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Sed tristitia, cuius hic fit mentio, ad intellectum pertinet,

net, non ad affectum; & significat caliginem seu obscuritatem mentis in iudicando. Unde alii vertunt: *Non caligabit*, vel *non allucinabitur*, *& non festinabit*; & sensus est: Christus nullam patietur ignorantiam, aut difficultatem in cognoscendis iis, de quibus ei iudicandum erit, sed erunt ei omnia expedita, & manifesta. Item *non erit turbulentus*, seu, *non festinabit*; id est, in iudicando non erit præceps, non præcipitanter proferet sententiam, quod est in iudicando gravissimum vitium, sed cum maturitate, & summa prudentia iudicabit, & sententias proferet.

MARIANAE.

Verf. 1. ECCE SERVUS MEUS. *Servus* est Christus secundum naturam assumptam, non tamen filius adoptivus. Hoc caput de Christo est, uti ex Matthæo constat, cap. XII. 18. Verum in Matth. *Ecce puer meus* dicitur, non *servus meus*, ut est in Isa. etiam Heb. Septuag. *puer meus*. SUSCIPIAM EUM; aut *innitar in eo*, ut scilicet herus servo innititur, illi fidit. IUDICIUM GENTIBUS. Evangelium, Legem gentibus, quas vocabit ad se, nuntiabit.

V. 2. NON CLAMABIT, non excitabit tumultum. NEQUE ACCIPIET PERSONAM. Chald. *nec vociferabitur*. Heb. *non elevabit*, scilicet vocem. Repetitio est, ut & verba quæ sequuntur. NEC AUDIETUR VOX EIUS FORIS. Ratio agendi placida erit, præcipua benignitas.

V. 3. CALAMUM QUASSATUM..... ET LINUM FUMIGANS vocat plebeios & pauperes, quibus iniuriam non faciet. In iudiciis veritatem sequetur, non gratiam aut dona. ET LINUM, id myxum.

V. 4. NON ERIT TRISTIS. Heb. *non rugabit*, scilicet frontem, ut mœsti solent. NEQUE TURBULENTUS. Heb. *& non curret*. Hoc est, neque remissus erit in agendo, neque festinus: mediam viam tenebit. LEGEM EIUS INSULAE, id est gentes remotæ, EXPECTABUNT: sequentur; quas vocat *insulas*, quoniam ad eas mari ibatur.

V. 5. FIRMANS TERRAM. Heb. *expandens terram*. Septuag. *firmavit terram*, Chald. *fundavit*. DANS FLATUM. Sic Septuag. Heb. *animam* seu *mentem*. ET SPIRITUM, id est animam. Itaque dat hominibus vitam, id *flatus*, id *spiritus* significat.

V. 6. VOCAVI TE IN IUSTITIA; pro, in iustitiam, ut cam mundo restitueres. Aut *in iustitia*, id est ut erat iustum, & tua merita exigebant. Chald. *in veritate*. IN FOEDUS POPULI, scilicet Iudaici, ut illud impleres, & in lucem aliarum gentium te, o Christe, vocavi.

V. 7. DE CONCLUSIONE. Heb. *de carcere* educeres. VINCTUM; pro, vinctos. Sic erat genus humanum cæcum, & in tenebris carceris.

V. 8. EGO DOMINUS. Hic est nomen ineffabile Dei, quod ab existendo deducitur, quod quæ promisit, omnia impleat. HOC EST NOMEN MEUM, scilicet proprium & substantiale, alia appellativa & accidentaria. GLORIAM MEAM. Hanc gloriam & laudem, id est hoc nomen nulli, ac idolis præsertim non dabo.

V. 9. QUAE PRIMA FUERUNT, id est antiqua, præterita iam venerunt, iam exhibui. NOVA QUOQUE, id est futura annuntio; quasi dicat: Ex præteritis colligetis vera esse quæ de futuris dico, ex utrisque mihi illud nomen convenire.

V. 10. CANTATE DOMINO CANTICUM NOVUM, quia nova sunt beneficia. ET PLENITUDO EIUS; id est, omnes qui in mari versantur, & qui terram habitant, Deum laudent.

V. 11. SUBLEVETUR DESERTUM. Heb. *levent* (scilicet vocem) *desertum & urbes eius*, scilicet vocem in laudem Dei elevent. IN DOMIBUS HABITABIT CEDAR; pro, in domibus ubi habitabit Cedar, scilicet laudent Deum. *Domos* vocat mapalia. Heb. *vici* (ubi) *habitat Cedar*, id est *Arabes*, ut Chald. *laudent*. Item villas vocat gurgustia aut tentoria, ubi illi habitabant, Nomadum instar. LAUDATE HABITATORES PETRAE; id est, qui in arcibus habitant, & in vertice montium, ii etiam Deum celebrent. Arces in rupibus ponebantur, & in montium cacumine.

V. 13. ZELUM. Suscitabit in suos amorem, in adversarios vindictam: utrumque *zelus* significat. CLAMABIT. יצריח *iazriah* significat *clamabit vehementissime*. SUPER INIMICOS, aut *contra inimicos*.

V. 14. TACUI SEMPER. Heb. *tacui a sæculo*, id est æternum; sive iam diu iram

continui. PATIENS FUI. Heb. *continui*, scilicet vocem aut iram. Non est ergo mirum, si post tam longum silentium & dissimulationem nunc clamabo. Ergo SICUT PARTURIENS LOQUAR. Heb. *clamabo*. Ingentes sunt parturientis clamores. DISSIPABO, seu *desolabo*, scilicet hostes. ET ABSORBEBO SIMUL, perdam.

V. 15. DESERTOS FACIAM, seu *vastabo*, ut Septuag. GRAMEN, herbam seu fœnum. ET PONAM FLUMINA IN INSULAS, id est extenuabo. In æstate in mediis fluminibus apparent insulæ, quæ hieme aquis tegebantur.

V. 16. ET DUCAM CAECOS. Hæ sunt gentes, quæ nescientes quid facerent, ad Evangelium Dei dono venerunt.

V. 17. CONVERSI SUNT RETRORSUM; aut *convertentur*. Res illis in contrarium & vota cadent, qui idola colunt. Suos dixit servaturum superiori versu, nunc impios ait secus acturos.

V. 19. QUIS CAECUS, NISI SERVUS MEUS? Locus difficilis. Heb. a nostra Vulgata discrepant multum. Vulgatæ sensus est: Quis cæcus nisi populus hic? quem servum Dei vocat, quia talis esse debuit. Et quis surdus nisi is, ad quem mitto nuntios? id est, Prophetas, & non audit eos populus. QUI VENUNDATUS EST? Vocem משלם *mesulam* pro *tradito* sumpsit seu *venundato*, scilicet in malum, id est nequitiæ servus est. Hebraica sic habent: *Quis cæcus nisi servus meus? & mutus sicut nuntius meus* (quem) *misi? Quis cæcus nisi perfectus, & cæcus sicut servus Domini?* Nimirum Christus, aut Isaias. Hoc autem dicit ex Iudæorum opinione, & verbis, non quod ita esset. Vocaverat Iudæos surdos & mutos; illi respondent, non ipsos tales esse, sed Messiam, sed Isaiam. Melius nostra.

V. 20. QUI VIDES MULTA, NONNE CUSTODIES? pro, observabis. Heb. *videre multa* (pro, vides multa) *& non observas*. QUI APERTAS HABES AURES, NONNE AUDIES? Heb. *aperire aures* (pro, aperis aures) *& non audis*; quasi dicat: Perinde hoc est ac esse cæcum & mutum. Ne dicas, Multa video, aures habeo, & quidem apertas. Inanis ea obiectio est.

V. 21. ET DOMINUS VOLUIT, facere scilicet quæ dicta sunt, bonis favere, punire malos. UT SANCTIFICARET EUM, scilicet populum. Heb. *propter iustitiam suam*, id est ut eam ostenderet. ET MAGNIFICARET LEGEM, scilicet cum viderent ex eius observatione salutem: ex contemptu exitium extare. Chald. *magnificaret Legis factores*.

V. 22. DIREPTUS, ET VASTATUS: sive *direptus & expilatus*, scilicet erit populus. Dabitur in prædam, quia Legem non servavit. LAQUEUS IUVENUM OMNES, id est corrumpit hic populus iuniores. Heb. *illaquea*, pro, illaqueabuntur *iuvenes*. Ducentur captivi. Quidam vertunt, *illaqueabuntur in foraminibus*, seu *speluncis* בחורים *bahurim*, quæ vox & *iuvenes* potest significare, quod sequitur Chald. *& in speluncis*. Sensus est, fore ut populus recludatur in speluncis & in carceribus, ut capti solent detrudi a victoribus. NEC EST QUI DICAT: REDDE; id est, qui opem ferat direptis non erit.

V. 25. ET EFFUDIT; pro, effundet. Præterita pro futuris sumantur. FORTE BELLUM. Heb. *robur belli*, id est hostes robustos. NON COGNOVIT, non est conversus, scilicet populus. ET NON INTELLEXIT. Heb. *& non posuit super cor*, id est non resipuit, aut non intellexit populus.

MALVENDAE.

Vers. 1. ECCE SERVUS MEUS, &c. Observant, concionem hanc commode præcedenti coniunctam esse, ex eo apparere, quod exponit præcedentis conclusionis argumentum de Christo, capite Ecclesiæ, & auctore prophetiarum omnium, ut proxime nominatus est vers. 27. superioris capitis. Continet autem, inquiunt, hæc concio primum propositionem officiorum & functionum, administrationumque Christi ex vocatione Patris erga Ecclesiam, & vicissim Ecclesiæ in ipsum, usque ad vers. 13. deinde narrationem prosopopœticam operum, quæ Deus effecturus est in Christo, usque ad vers. 18. tertio reprehensionem populi, usque ad vers. 26. sive ad initium capitis XLIII. postea consolationem a promissionibus miserentis Dei, usque ad versum 34. sive a vers. 1. cap. XLIII. usque ad vers. 9. postremo confirmationem, ad finem usque, sive a vers. 9. cap. XLIII. usque ad vers. 14. Quamobrem, addunt, ut hæc concionis forma & series argumento-

rum

rum evidentior esset, partem illam, quæ vulgo in caput sequens relata est, a vers. 26. cum superioribus coniunximus. Sunt autem in propositione membra tria: primum, quo exponitur gloriosa Christi administratio atque salutaris, versibus quatuor: secundum, quo exponitur vocatio a Deo ad illam administrationem, quinque sequentibus versibus: tertium, de mutuo Ecclesiæ officio erga ipsum Christum, tribus reliquis versibus. EN SERVUS MEUS: Christus, qui se exinanivit ipse forma servi accepta, similis hominibus factus, &c. Philippens. II. 7. Sic I. Paralip. XVII. 19. & II. Samuel. VII. 22. vide Matth. XII. 17. & sequentibus, ubi quatuor priores huius capitis versus de Christo interpretatur. SUSCIPIAM EUM. Alii ex Heb. *quem sustinebo*, *sustentabo*, *fulciam*, *adiuvabo*. Nonnulli: *innitar in eo*, vel *ei*, ut solet herus inniti servo fideli. COMPLACUIT SIBI IN ILLO ANIMA MEA. Verbum רצה *ratzah*, varie hic reddunt: I. *in quo bonam voluntatem habuit anima mea*. II. *in quo beneconplacitum est animæ meæ*; id est, qui est mihi carissimus & gratissimus, quem favore & benevolentia prosequor, erga quem sum prono & propenso animo, affectuque, sive quem unice & ex animo diligo. III. *complacuit animæ meæ*. IV. *voluit anima mea*. V. *quem benigne accipit anima mea*. VI. *quem gratum, acceptumque habuit anima mea*. VII. Hispanicus Interpres: *en quien mi alma toma contentamiento*: vide Matth. III. 17. cap. XII. 18. & cap.XVII.5.&II.Petri I. 17. Nam ex hoc loco proculdubio ea phrasis desumpta est. DEDI SPIRITUM MEUM SUPER EUM. Quidam: *indam spiritum meum ipsi*, ut supra cap. XI. 2. & Ioan. III. 34. Nonnulli hoc referunt ad Spiritum Sanctum columbæ specie in Christum baptizatum descendentem, Matth. III. 16. IUDICIUM GENTIBUS PROFERET: vel *promet*, *promulgabit*; id est, ius gentibus dicet: periphrasis regni & imperatoriæ maiestatis; per Evangelium autem iudicium Christus in omnes gentes exercuit. Quidam exponunt: Id est, Spiritu instructus sine mensura, prophetam aget, sacerdotem, & regem, sed ea forma & efficacitate, quæ deinceps explicatur. Hispanicus Interpres: *dara iuizio alas gentes*, id est, *leyes*, *reglas de vivir en iusticia*. Nonnulli: *iudicium*, id est Evangelium, quod iudicium Dei continet. *Qui crediderit*, &c. *salvus erit*, *&c.* Forsterus annotat, Evangelium appellari hic *iudicium*, quod scilicet Evangelion simpliciter arguat & damnet omnem mundi & carnis iustitiam, & solius Christi iustitiam commendet & offerat.

V. 2. NON CLAMABIT, seu *vociferabitur*, &c. id est, spiritu lenitatis administrabit, in humilitate & misericordia, ut Zachariæ IX. 9. Alii: *Non clamabit*, id est non agetur perturbationibus. NEQUE ACCIPIET PERSONAM, Heb. tantum est, *non elevabit*, seu *non exaltabit*, *non tollet*, *non intendet*; iunguntque sequentibus, *neque audire faciet foris vocem suam*; hoc est, non tollet vocem suam, ut foris possit audiri; quasi dicat, Submissa voce, modeste, placide, & sine ulla vocis elatione, aut iracundia loquetur, ac peraget suam administrationem.

V. 3. CALAMUM QUASSATUM NON CONTERET, ET LINUM FUMIGANS NON EXTINGUET. Alii ex Heb. I. *Calamum conquassatum non confringet*, *&* *linum obscurum*, seu *obscuratum*, id est non lucens, seu splendens, *non extinguet*. II. *Calamum fere quassatum non conteret penitus*, *&* *linum caligans*, hoc est caliginose scintillans, seu *fere extinctum*, *non extinguet*. III. *Arundinem fractam non conteret*, *&* *myxam iam fumantem*, id est parum ardentem, & pene extinctam, *non extinguet*. Homines afflictos comparat luci malignæ; quasi dicat: Tantum abest, ut sit cuiquam facturus iniuriam, ut ne homunciones quidem sit læsurus. IV. *Arundinem quassatam non franget*, *&* *linum* seu *ellychnium ipsum* (metonymicως, ut infra cap. XLIII. 17.) *fumigans non extinguet*; id est, infirmis misericorditer consulet, nutantes in pietate confirmans, & præditos scintilla pietatis aliqua veluti moribunda, fovens & excitans: quam in sententiam hic locus adducitur Matth. XII. 20. allegoriæ. V. Hispanicus Interpres: *Noacabara de quebrar la canna cascada, ni apagara el pavilo que humeare*. Non absurde notant aliqui esse istas proverbiales formas. IN VERITATE EDUCET IUDICIUM. Heb. *ad fidem*, *constantiam*, *certitudinem*, *veritatem proferet iudicium*. Exponunt: Id est, pro veritate sententiam feret; vel in caussis iudicialibus faciet ut veritas vincat & elucescat. Alii, id est omnes vere & iuste iudicabit. Nonnulli, id est non falso odorabi-

rabitur, indagabit, cognoscet, atque iudicabit ad aspectum oculorum suorum, vel auditum aurium; sed ex veritate administrabit omnia, ut supra cap. XI. 3. Aptius erit, fideliter, constanter, stabiliter exequetur iudicium, dicet ius.

V. 4. NON ERIT TRISTIS. Diversimode alii ex Heb. I. *Non obscurus erit*, seu *turbidus*, *commotus*; id est, non agitabitur animi perturbationibus. II. *Non erit tetricus*, id est severus, obductis superciliis. III. *Non debilitabitur*, vel *non remissus erit*, a faciendo iudicio. IV. *Non obscurabitur*, id est, non docebit aut loquetur obscure, sed ad ædificationem luculenter, plane, & simpliciter. V. *Non allucinabitur*, seu *caligabit*; sed luculentissime omnia penitus introspiciet, rectissime intelliget, & diiudicabit. VI. *Non fatigabitur*. Hispanicus Interpres: *Nose cansara*, ab administrando suo munere. VII. *Non fumabit*, seu *fumigabit*: sic Noster id verbum vertit versu superiore; id est, non extinguetur, seu non tolletur de mundo Christus, antequam promulgarit Evangelium. VIII. *Non faciet ut fumiget*, *neque quassabit*; id est, nemini erit offensioni; nam quibus est offendiculo, eos non offendit ipse, sed ipsi offendunt vitiositate sua: ut supra VIII. 15. Nos exposuimus: *Non contrahet rugas*, *non corrugabit*, scilicet frontem; id est, præ indignatione, & torvitate non contrahet frontem in rugas. Vide in I. Samuel. III. 13. NEQUE TURBULENTUS. Alii ex Heb. I. *& non frangetur*, vel *concutietur*, *conquassabitur*, animo. Hispanicus Interpres: *ni dismayara*. II. *neque curret præceps*; id est, non feretur impetu, sed summa cum prudentia res, causasque iudicabit. III. *neque quassabit* quemquam; id est, neque offendet, nec more superborum alios proculcabit. IV. Forsterus præcedens, & præsens verbum ita exponit: *neque restrictus erit*, *neque procurret*, *ut ponat in terra iudicium*; id est, servabit medium, seu modum, & tempus; neque cessator erit, neque præceps. Radices רוץ *rutz*, & רצץ *ratzatz*, cognatæ sunt, unde hic quidam reddunt: *& non curret*; alii: *& non quassabit*, seu *quassabitur*. DONEC PONAT IN TERRA IUDICIUM. Alii: *donec disponat in terra iudicium*; id est, donec evulgarit suum Evangelium: Nonnulli: *quousque ponat in terra iudicium*; id est, quamdiu in terra ius dicet, & inter vivos aget, mortalesque gubernabit; vel quousque efficiet ut ius & iustitia in terra vigeant; quasi dicat, Sua mansuetudine atque prudentia regnum Dei, in quo viget vera animarum iustitia, propagabit. ET LEGEM EIUS INSULAE EXPECTABUNT; id est, excipietur cum magna expectatione Evangelium a remotissimis quibusque nationibus. Quidam: *& in doctrina eius regionis expectationem habebunt*; id est, gentes vocatæ ad Evangelium adventu Christi.

V. 5. HAEC DICIT DOMINUS DEUS, CREANS CAELOS, &c. Aliqui: *Sic ait Deus ille fortis Iehova*, *creator cælorum*, &c. Vocatio Christi, ut ad vers. 1. dictum est: quam præmunit Deus argumentis a mirifica creatione, conservatione, & administratione rerum omnium, hoc versu. ET QUAE GERMINANT EX EA. צאצאים *tzeetzaim*, *exitus*, *egressiones*, *propagines*, *stirpes*, *germina*: vide supra cap. XXII. 24. Quidam reddunt: *res prognatas ex ea*. DANS FLATUM POPULO. נשמה *neschamah*, *halitum*, *anhelitum*, *animam*, *respirandi vim*, *inspirationem*, *populo inhabitanti*, *agenti in ea*.

V. 6. VOCAVI TE IN IUSTITIA. Varie exponunt: 1. *iuste*. 2. *in iustitia*, ea, qua sum præditus pro mea iustitia & bonitate feci ut in terra nascereris, & te ad ministerium mediatoris & servatoris accivi. 3. *in iustitia tua*, id est te plenum iustitia & sanctitate. 4. *in iustitiam*; id est, ut homines per te reddantur iusti, ut tu iustus esses, & alios iustificans. Roman. III. 26. ET APPREHENDI MANUM TUAM, vel *apprehendi te per manum*, quod est & favorem & auxilium præstantis: mire enim & unice Pater Filio favit, illumque iuvit, &c. Quidam: *& apprehendam te manu tua*, id est adero tibi. Alii: *ut confirmem manum tuam*; id est, ut tibi adsim in tota administratione tua, Ioann. V. 19. & sequentibus. ET SERVAVI te. ET DEDI TE IN FOEDUS POPULI. Quidam: *& custodiens te tradam te in fœdus populi*, id est ut sis angelus fœderis, Malach. III. 1. & electos omnes uno corpore reconcilies Deo per crucem, peremptis inimicitiis per eam, veniensque evangelizes pacem omnibus, Ephesior. II. 16. Sic distinguuntur officia Christi, sacerdotium hic, atque prophetia,

tia, sequente membro, quorum effecta per hysterosin sequente versu exponuntur. IN LUCEM GENTIUM: ut infra cap. XLIX. 6. & Lucæ II. 32.

V. 7. UT APERIRES OCULOS CAECORUM. Heb. *Ad aperiendum oculos cæcos*, ut supra cap. XXXV. 5. ET EDUCERES DE CONCLUSIONE VINCTUM. Alii ex Heb. *ad educendum claustro vinctum*, ut infra cap. LXI. 1. DE DOMO CARCERIS, vel *coercitionis*, SEDENTES IN TENEBRIS: ut supra cap. IX. 2.

V. 8. EGO DOMINUS, HOC EST NOMEN MEUM, &c. Alii: *Ego sum Iehova, illud est nomen meum*, &c. Confirmatio præcedentis instituti de Christo, primum a natura vocantis, & mandantis Dei, gloriamque suam sibi soli asserentis in Christo, ut qui Deus est unus cum Patre & Spiritu sancto, hoc versu; deinde a veritate antegressorum operum, quæ denuntiaverat Deus, quo argumento se effecturum confirmat quicquid prænuntiavit, versu sequente. Quidam reddunt: *Ego Iehova*. הוא *hu est nomen meum*; id est, vocor *hu*, id est *Ipse*, quod mei similis semper sim ab æterno, constans, immutabilis, invariabilis, semper idem ipse.

V. 9. QUAE PRIMA FUERUNT, ECCE VENERUNT. Quidam: *Priora ecce venerunt*; id est, prophetata prius in nomine meo. ANTEQUAM ORIANTUR, AUDITA VOBIS FACIAM. Alii: I. *antequam oriantur, nota faciam vobis*. II. *cum nondum exoriuntur, pronuntio vobis*; ac proinde tam certo eventura sunt, quam evenerunt priora: oratio anantapodos.

V. 10. CANTATE DOMINO CANTICUM NOVUM, &c. Hortatio Ecclesiæ ad mutuum officium gratiarum actionis & prædicationis Dei, ut dictum est in vers. 1. *Canticum novum*. Vide in Psal. XXXII. 3. LAUS EIUS AB EXTREMIS TERRAE. Alii ex Heb. I. *laudem eius canant ab extremo terræ*. II. *canticum laudis eius, ab extremo terræ*; subaudi, cantate, ex initio versus. QUI DESCENDITIS IN MARE, ET PLENITUDO EIUS. Alii I. *descendentes in mare, & plenitudo eius*. II. *canant, qui descendunt in mare*, id est omnes navigantes, *& quidquid in eo est*: vide in Psal. XXIII. 1. III. *qui descenditis in mare & plenitudinem eius*, seu *& in flumina adimplentia illud*.

V. 11. SUBLEVETUR DESERTUM, ET CIVITATES EIUS. Heb. *Attollent* vocem, seu laudem, aut canticum, *desertum, & civitates eius*. IN DOMIBUS HABITABIT CEDAR. Alii ex Heb. *Villæ, quas inhabitat Kedar*; id est, Arabes nomades, & scenitæ: vide in Psal. CXIX. 5. LAUDATE HABITATORES PETRAE. Heb. *canent, iubilabunt, ovabunt habitatores petræ*, id est Arabiæ Petrææ: vide supra cap. XVI. 1. Per Kedarenos & Petræos intelligunt hic homines etiam ferissimos & omnium maxime barbaros, a pictate & humanitate alienos, ad quos perventurum erat beneficium Christi. Quidam reddunt: *canent habitatores rupis*, singulare pro plurali, habitatores petrarum seu rupium, id est habitantes in arcibus ædificatis in rupibus & locis munitis.

V. 13. DOMINUS SICUT FORTIS EGREDIETUR, &c. Alii: *Iehova velut robustus prodibit*, &c. Secunda pars, nimirum narratio prosopopoetica operum Dei in Christo, ut in vers. 1. diximus, cum erga suos, tum in adversarios: quæ duo proleptice hoc versu posita, deinde hysteron proteron præpostero ordine explicantur. Quidam reddunt: *Iehova herois instar prodibit*. SICUT VIR PRAELIATOR SUSCITABIT ZELUM. Alii ex Heb. I. *& sicut miles in procinctu stans zelum excitabit*. II. *ut vir bellorum*; seu *ut vir bellicosissimus evigilans zelo*, id est studio zelotypiæ, quo afficitur Deus propter Ecclesiam suam. VOCIFERABITUR. יריע *iariagh*, omnia ista continet, *voce læta ac plena personabit*, vel *ore*, vel *tuba*, aut *buccina, taratantarizabit, triumphabit, iubilabit, classicum canet, clanget fracto sono*: vide in Numeror. X. 7. & Iosue VI. 5. ET CLAMABIT. Futurum Hiphil יצריח *iatzriach*, verbi צרח *tzarach*, exponunt: *Etiam acerrime proclamabit*. Aiunt enim id verbum proprie significare, fortiter, dure, acriter, amare exclamare more gigantum, qui cum fortia habeant latera, clamoris vehementia alios feriunt ac velut enecant. Utrumque futurum significatum intendit: *vehementissime taratantarizabit, etiam acerrime exclamabit*. Tremellius, & Iunius reddunt: *etiam barriet*; id est, horrenda & terrifica voce inclamabit, ut solent facere milites inituri prælium, ad consternandos hostes. Vegetius Lib. III. de Re militari, cap. XVIII. *Clamor autem, quem barritum vocant, prius non debet attolli, quam acies utraque se iunxerit. Imperitorum enim est, vel igna-*

vo-

vorum, vociferari de longe, cum hostes magis terreantur, si cum telorum ictu, clamoris horror accesserit. Sed de clamore, seu barritu militum, cum prælium inirent, plura ex magnis auctoribus congessere Stevucchius in Notis ad Lib. III, Vegetii, cap. XVIII. & Lipsius Lib. IV. de Militia Romana, Dialogo .XI. Hispanicus Interpres reddit: *hara algazara*. SUPER INIMICOS SUOS CONFORTABITUR. Alii ex Heb. I. *contra inimicos suos roborabit se*; id est, omnes suas vires colliget; quasi dicat, Tandem superior evadet & superabit hostes suos. II. *supra inimicos suos prævalescet*, seu *prædominabitur*, *superior erit*, superioritatem obtinebit. III. *contra hostes suos potenter se geret*.

V. 14. TACUI SEMPER, SILUI, PATIENS FUI. Alii ex Heb. I. *Tacebam iam dudum, silebam, continebam me*. II. *Tacui a seculo, silui, & continui*, subaudi, iram meam. Mutatur hic persona: Deus enim nunc loquitur. III. *Hactenus diu silui, num igitur dissimularem? num me continerem perpetuo?* IV. *Dicens, silui a seculo, sive iam olim*, ut Genes. VI. 4. *surdum egi continui me*, &c. Humanitus dicta per gradationem, quibus ostendit Deus & potentiæ suæ magnitudinem, & iudiciorum suorum gravitatem fracta patientia: quæ iudicia non tantum homines, sed res ipsorum omnes dicuntur pervasura, ad testandum indignationem eius & zelum erga Ecclesiam, sequente versu. PATIENS FUI. Heb. *continebo me*, vel *continere me ipsum faciam*, seu *comprimam*, *coercebo*, *cogam*, *compellam*, *cohibebo me*, *vim mihi faciam*; nam formula *Hitphahel* auget significatum: sic Genes. XLIII. 31. SICUT PARTURIENS LOQUAR: DISSIPABO, ET ABSORBEBO SIMUL. Alii ex Heb. I. *tandem velut parturiens clamabo*, *desolabo*, *& deglutiam simul*, omnes inimicos meos. II. *sicut parturiens sibilabo*, vel *eiulabo*, aut *vociferabor*, *flabo*, *& insorbebo pariter*. III. *sicut parturiens sibilabam*, *anhelabam*, *& insorbebam pariter*. Elegans similitudo a feminis parturientibus, quæ præ dolore, quo halitum diutius continent, eo maiori impeut refundunt, & frequentius halitum emittunt, ac resorbent, spirant ac respirant: sic Deus ex multa strage hostium, quam se editurum designat, se defatigari ait, & spissius trahere & retrahere spiritum, vel præ dolore & angustia sustinendi & patiendi, crebro anhelare, & respirare: ut sit illud Pauli Romanor. IX. 22. *Sustinuit in multa patientia vasa apta*, seu *aptata in interitum*: unde illud Nostri, *dissipabo*, possit sumi pro *dissipabo anhelitum*, *flatum*, *spiritum*, seu *flabo*. IV. *quin more parturientis clamabo*, *anhelus gemam*, *& simul suspiria ducam*. V. *ut parturientem viperam desolabo*, *exhauriamque pariter*. Alludit ad id, quod produnt auctores, catulos viperæ nascentes abrodere, & ambedere uterum parientis, & eam interimere. Vide Herodotum Lib. III. Numero 109. Plinium Lib. X. cap. LXII. & alios. Sed hanc interpretationem non admittunt accentus Hebraici. LOQUAR. אֶפְעֶה *ephgheh*, plerique futurum faciunt verbi *phaghah*, *clamabo*, *sibilabo*, *eiulabo*, *vociferabor*. Alii nomen, *vipera*, ut Iob XX. 16. & infra cap. LIX. 5. DISSIPABO. אשום *eschschom*, a *nascham*, *anhelabam*, *anhelitum*, seu *halitum emittebam*, a נשה *naschah*, vel שמה *schamah*, *flabo*, *efflabo*: a שמם *schamam*, *afflabo*, *stupende desolabo*. Sunt omnes cognatæ radices. ABSORBEBO. אשאף *eschaph*, *hauriam*, *exhauriam*, *attraham*, *anhelabo*; *inhiabo*, *aspirabo*, *absorbebo*, *deglutiam*: ut Iob V. 5.

V. 15. DESERTOS FACIAM MONTES, &c. Hunc versum quidam ita explanant: *Vastabo montes & colles*, *omnemque herbam eorum arefaciam*, *& disponam flumina in regiones*, *& stagna arefaciam*; id est, potius ordinem naturæ evertam, & cælum miscebo terræ, quam Ecclesiam deseram. Sunt autem hæ omnes minæ, promissionesque allegoricæ ex prophetiarum usu.

V. 16. ET DUCAM CAECOS, &c. Hunc versum nonnulli dilucidius ex Heb. transfundunt: *Ut deducam cæcos per viam*, *quam non noverant*; *semitis*, *quas ignorabant*, *agam eos*: *disponam tenebras coram eis in lucem*, *& obliqua in planitiem*: *hæ sunt res quas faciam eis*, *neque derelinquam eos*. AMBULARE EOS FACIAM. Alii: I. *calcare faciam eos*. II. *dirigam eos*. III. *viabo eos*; id est, per viam ducam eos. ET PRAVA IN RECTA. Heb. *perversitates*, *tortuositates*, *obliquitates*, seu *obliqua*, *pravitates*, nos *hypocrises* diximus: vide similem vocem Proverb. IV. 24. *in rectitudinem*, *planitiem*, *planum*. De מישור *mischor*, *planitie*, vide in Deuteronom. III. 10.

V. 17.

V. 17. CONVERSI SUNT RETRORSUM. &c. Alii hunc versum ex Heb. ita reddunt: I. *Acti sunt retrorsum, pudore pudefient quicumque sculptili fidunt, & quicumque dicunt fusili: Vos estis dii nostri*. II. *Avertentur retrorsum, suffundentur pudore, qui confidunt sculptili, qui dicunt fusili: Vos estis dii nostri*.

V. 18. SURDI AUDITE, ET CAECI INTUEMINI AD VIDENDUM. Alii: *O surdi, audite; & o caeci, intuemini ad videndum*. Tertia pars, nimirum reprehensio populi cæcutientis, & obsurdescentis ad opera, monitaque Dei, ut dictum est in vers. 1. ad quam transitus paratur exclamatione, hoc versu. Sunt autem in hac reprehensione primum exprobratio cæcitatis, vers. 19. & sequente: deinde confirmatio a iustissima administratione Dei, a vers. 21. usque ad finem capitis, seu usque ad vers. 26.

V. 19. QUIS CAECUS NISI SERVUS MEUS? Nimirum populus Iudæorum liberatus ex AEgypto, & e manu hostium suorum, ut serviret Deo, supracap. XLI. 8. ET SURDUS, NISI AD QUEM NUNTIOS MEOS MISI? Alii: *& surdus, nisi quem sicut angelum meum missurus sum?* Hoc plerique de Isaia vel de Christo intelligunt, qui Iudæorum infidelium opinione cæcus & surdus habitus est. Non satis apte; rectius alii: *& surdus sicut nuntius meus, quem mittam*, vel *mitto*; id est, sicut sacerdotes & Levitæ mei, instituti ut docerent Israelem iudicia & legem Dei, Deuteronom. XXXIII. 10. & Malach II. 7. NISI QUI VENUMDATUS EST. כמשלם *cimeschullam*, participium passivum Pihel, proprie, *sicut pacificatus, pacificus:* possis reddere, *retributus, repensus, persolutus;* id est, cui abunde retributum, repensum, & persolutum est, quo forsan respexit Noster, cum reddidit, *qui venumdatus est:* nam persoluto pretio aliquis venumdari solet. Vel, *sicut integer, integratus, absolutus*. Estque id epithetum populi Iudaici, quem Deus integrum, absolutum, pacificum, cumulatum bonis præstitit, cui innumera benefica retribuit atque rependit. Apte quidam exponunt: *quis cæcus ut donatus pace?* id est, populus, quicum Deus fœdus æternæ pacis, & omnis benedictionis iniverat. Nec male convertes: *sicut prosperatus, felicitatus*. Nam felicissimus ille populus fuit tantis a Deo ornatus & auctus beneficiis.

V. 20. QUI VIDES MULTA, NONNE CUSTODIES? Heb. est duplex lectio, in textu: *Vidisti multa*; in margine: *Videndo multa, & non observabis*, vel *tamen non observas*, &c. Hæ frequentes apostrophæ augent pathos. Quidam exponunt: Id est, afflixit te Dominus sæpe, ut resipisceres; at non attendisti cur te affligeret. Sed magis universalem sermonem esse remur: Multa documenta & exempla expertus es a Deo bonorum & malorum, sed non observasti ea conferens in corde tuo. Aliqui reddunt: *Visiones multæ sunt*, id est prophetiæ & revelationes, *sed non attendisti eis*.

V. 21. DOMINUS VOLUIT UT SANCTIFICARET EUM. Alii ex Heb. I. *Iehova autem voluit propter iustitiam suam*; id est, voluit illa facere, vel hæc fecit, ut se iustum approbaret. II. *Iehova approbavit propter iustitiam suam*; id est, voluit ac constituit Deus Iudæos obcæcari, ut iustificaret se, ac notam faceret iustitiam suam, dum ab eis aufert regnum Dei, & dat illud genti facienti fructus eius; hoc est, dum impios punit, ac pios beat, quod utrumque est opus iustitiæ. III. *Egregiam quidem voluntatem erga vos habuit Iehova*. IV. *Iehova delectabatur ipso servo suo, propter iustitiam suam*, &c. Confirmatio cæcitatis surditatisque Iudæorum, a præsentibus Dei Iudicis iusti castigationibus: cuius peccati indignitas ab antegressa Dei benignitate amplificatur, hoc versu. ET MAGNIFICARET LEGEM, ET EXTOLLERET. Alii ex Heb. I. *legem suam inter vos magnificam, & augustam reddidit*. II. *& magnificabit doctrinam, & amplificabit*. Excæcationem Iudæorum consecuta est magnificatio, amplificatio, & gloria legis Dei, seu dictorum eius, quod nihil aliud est quam iustificatio Dei, eo quod omnia quæ antea prædixerat de excæcatione & reiectione Iudæorum, in lege ipsa & sacra Scriptura contenta, ad amussim completa fuerunt. III. *magnificabat doctrinam, & reddebat magnificum*, opere: nam triplex gradus dignitatis ponitur a Deo in populum collatæ, videlicet amoris, colloquii, & operis. ET EXTOLLERET. Alii: *& corroborabit, illustrabit*.

V. 22. IPSE AUTEM POPULUS DIREPTUS ET VASTATUS. Alii: I. *At hic populus direptus & expilatus*. II. *At ipse est popu-*

lus direptus & proculcatus. III. *prædam passus*, *direptus*. LAQUEUS IUVENUM OMNES. Heb. varie accipiunt: I. *capere facere in speluncis omnes ipsos*, vel *quos omnes* eorum inimici *capere facient in speluncis*. II. *illaqueare*, pro illaqueant, laqueos tendunt *in foraminibus*, id est in ipsis speluncis, & cavernis, in quibus abscondebantur, *omnes ipsos*; quasi dicat: Capiebant eos laqueis in ipsis foraminibus, speluncis. III. *capientur laqueo in illis ipsis foraminibus*, speluncis, in quibus delituerint, *omnes ipsi*. IV. *cogent eos omnes in foramina*, *quæ illis erunt instar laqueorum*. V. *illaquea in foraminibus omnes ipsos*; id est, detrude, & compelle in foramina. VI. *inflatus est*, id est, quasi vento *propulsus*, vel *propulsatus in foramina*, seu *in cavernas universus ipse*, seu *omnis eorum*. VII. *illaqueans cunctos iuvenes suos* VIII. *illaqueando*, vel *illaqueant iuvenes*, *quotquot sunt*, id est hostes, quibuscumque per iram Dei exponuntur Iudæi, etiam fortissimos & lectissimos illorum quosque captivos ducunt. IX. *laqueus iuvenes universitas ipsorum*, vel *omnes ipsi*; id est, omnes electi præstantes iuvenes in illo populo, erunt laqueus, seu in laqueum, hoc est illaqueati, & velut laqueis capti. Noster: *laqueus iuvenum omnes*; nam quamvis hic forma emphatica non patiatur constructionem, at solet subaudiri constructio more Hebraico; *laqueus*, *laqueus*, inquam, *iuvenum omnes ipsi*. LAQUEUS הפח *hapheach*, quidam infinitum, alii imperativum faciunt, verbi פוח *phuach* in Hiphil, *illaqueare*, vel *flare*, *perflare*: aut *illaquea*, *infla*. Nonnulli, participium cum *He* notificativo, *inflatus*. Alii nomen, *laqueus*. IUVENUM. בחורים *bachurim*, multi unam vocem faciunt, *iuvenes electos*. Alii, duas, ut *Beth* sit præpositio: *in foraminibus*, *speluncis*, *cavernis*. ET IN DOMIBUS CARCERUM ABSCONDITI SUNT, &c. Reliquam partem versus alii ex Heb. convertunt: I. *& in domibus carcerum in quibus latitabunt*, *erunt in rapinam*, *& non eruens*, vel *non erit*, *qui eruat*; *in direptionem*, *nec erit qui dicat*, *Redde*. II. *& in domibus carcerum abditi sunt*: *fuerunt in direptionem*, *& non est qui eripiat*: *in prædam*, *& non est qui dicat*, *Redde*. III. *ut retrusi sint in carceres*: *prædæ patuerunt nemine liberante*; *proculcati sunt & nemo dixit*, *Restitue*. IV. *in carceribus abduntur*: *sunt prædæ*, *nemine eripiente*; *conculcationi*, *nemine dicente*, *Restitue*.

V. 23. QUIS EST IN VOBIS QUI AUDIAT HOC, &c. Alii ex Heb. I. *Quis ex vobis hæc auribus capit? quis advertit*, *& attendit*, *ut imposterum caveat?* II. *Quis inter vos auribus percipit hoc? attendit*, *ut ausculet imposterum?* Apostrophe ad populum pathetica, quasi dicat: Quis vestrum tam gravia monita accipit, aut his verberibus resipiscit? cæci ergo & surdi estis, ac sensu expertes. ET AUSCULTET FUTURA? Alii ex Heb. I. *& audiet imposterum?* id est, ut imposterum admoneatur, & resipiscat. II. *ut audiat imposterum?* id est, quotus quisque vestrum credet, quæ dico ventura.

V. 24. QUIS DEDIT IN DIREPTIONEM, &c. Alii hunc versum ex Heb. reddunt: I. *Quis autem tradidit Iahakobum ut conculcetur*, *& Israelem direptoribus? nonne Iehova? peccavimus ei*, *& noluerunt incedere in viis eius*, *nec audierunt legem eius*. II. *Quis exponit proculcationi Iahakobum*, *& Israelem diripientibus? nonne Iehova: hic est cui peccavimus*: *non enim acquieverunt ut in viis eius ambularent*, *neque auscultaverunt legi eius*.

V. 25. ET EFFUDIT SUPER EUM IRAM FURORIS SUI. Heb. *æstum*, *ardorem*, *excandescentiam iræ suæ*. Notant חמה *chemah*, hic non esse formam regiminis, sed poni pro חמת *chamath*, constructo, nam absolutum loco constructi non raro poni, iuxta formam esset dicendum: *æstum*, *iram suam*, vel *æstu iram suam*; vel subaudito regimine, ut alibi: *æstum*, *æstum*, *inquam*, *iræ suæ*. Quidam exponunt hunc versum: *Quapropter effudit super illum excandescentia iram suam*, *& robur belli*, id est, bella vehementissima; hypallage: *sed etsi inflammat eum circumquaque*, *non animadvertit*; *etsi incendit eum*, *tamen non reponit in animo*. Elegans significatio misericordiæ divinæ in ipsa iudiciorum executione. Æstu, inquit Propheta, afficitur Deus propter peccata nostra, sed tamen æstum illum sum ita moderatur, ut illius particula tantum nos aspergat, quæ ira dicitur: itaque non consumit nos æstu, sed iræ demonstratione excandescens revocat: hostes vero contra, ut infra LXVI. 15. Alii reddunt: *Propterea effudit super eum ardorem iræ suæ*, *& belli impe-*

impetum; *& inflammavit eum undique*, *sed non animadvertit: exarsit contra ipsum*, vel *succendit eum*, *neque corde hoc expendit*, id est non resipuit. ET COMBUSSIT EUM IN CIRCUITU, ET SUCCENDIT EUM. Heb. utrumque verbum est semineum tertiæ personæ futuri, & ad *chamah*, *æstum*, *excandescentiam* referendum. Alii pro secunda persona futuri masculea capiunt: *& inflammabis eum*, *& exardesces in eo*, ut ad Deum referendum.

MENOCHII.

Verf. 1. SERVUS MEUS: intelligit Christum, qui servus est Dei, quatenus formam servi assumpsit, factus homo. SUSCIPIAM EUM. Hebraicum אתמך *ethmach*, significat eo modo suscipere, quomodo pater filium sustentat, & in ulnas accipit, & fovet. ELECTUS: in ducem belli spiritualis contra diabolum, & peccatum: electus etiam in filium dilectissimum. Huc allusit Deus pater, cum Christo baptizato intonuit: *Hic est filius meus dilectus*, *in quo mihi complacui*: Matt. III. 17. SPIRITUM MEUM: septuplicem, de quo cap. XI. 2. IUDICIUM: iustas leges, verum iustumque Dei cultum, & veram iustitiam, & sanctitatem.

V. 2. NON CLAMABIT: non erit clamosus, nec contentiosus, unde Matt. XII. 19. vertitur, *Non contendet*: erit mansuetissimus. NEQUE ACCIPIET PERSONAM: iuste enim iudicabit, & favor, & gratia apud illum locum non habebit.

V. 3. CALAMUM QUASSATUM NON CONTERET: summe mansuetus erit, nam rem vilem cœptam frangi, sive quæ inibi est ut frangatur, prorsus non comminuet. LINUM FUMIGANS NON EXTINGUET: nec myxam, sive ellychnium ex lino extinguet, licet oculis, & naribus fumo molestiam afferat: significatur hoc duplici adagio Christi mansuetudo, qui imbecilles in fide, spe, & caritate, non clamose, nec contentiose increpabit, & opprimet, sed sustentabit, fovebit, sanabit, & accendet. Paulo aliter Maldon. quasi dicat: Christus tam mansuete, quiete, & attente ambulabit, ut etiam si super arundinem quassatam ambularet, eam tamen non frangeret; aut si super linum, aut stuppam fumigantem incederet, eam tamen non extingueret. IN VERITATE EDUCET IUDICIUM, vere iudicabit.

V. 4. NON ERIT TRISTIS: difficilis, morosus, vultuosus; sed facilis, affabilis, benignus. NEC TURBULENTUS: sed summa cum maturitate, quiete, modestia oris corporisque compositione omnia faciet. DONEC PONAT IN TERRA IUDICIUM; id est, non desistet Christus tota vita usque ad mortem sua patientia, & mansuetudine instruere, ac docere, donec in terra legem Evangelicam stabiliat. INSULAE: gentes remotissimæ, & trans mare in insulis habitantes.

V. 5. DANS FLATUM POPULO, dans spiritum, & vitam. ET SPIRITUM: est repetitio eiusdem sententiæ.

V. 6. VOCAVI TE. Ego Deus vocavi te, elegi, & excitavi, o Christe. IN IUSTITIA, id est in iustitiam, ut scilicet collapsam iustitiam, sanctitatem, morum probitatem, & veram religionem restitueres. APPREHENDI MANUM TUAM; hoc est favi, sustentavi, deduxi te. SERVAVI TE: illæsum inter hostes, & pericula. IN FOEDUS POPULI, id est ut compleretur pactum, & promissum Dei, de mittendo Messia, & in reconciliationem humani generis tuo sanguine sanciendam. LUCEM GENTIUM: Christus de se dixit, *Ego sum lux mundi*; attulit enim lucem Evangelicæ veritatis.

V. 7. UT APERIRES OCULOS CAECORUM: Christus enim, & corpora illuminavit, & mentes. DE CONCLUSIONE, id est de carcere infidelitatis, vitiorum, & servitutis diaboli.

V. 8. EGO DOMINUS. Heb. ego *Iehova*; est enim Iehova proprium nomen Dei, idem cum eo, *sum qui sum*: vide Exod. III. 14. & cap. VI. 3. ALTERI, id est idolis, ut patet ex sequentibus.

V. 9. QUAE PRIMA FUERUNT, ECCE EVENERUNT. In Hebræo, ut vertunt Pagninus, & Vatablus, habetur: *Priora venerunt*, quæ scilicet ventura prædixeram. NOVA QUOQUE, &c. quasi dicat: Ut illa evenerunt, sic etiam hæc evenient.

V. 10. CANTICUM NOVUM: quia nova vobis beneficia annuncio. LAUS EIUS; scilicet audiatur, celebretur, resonet. QUI DESCENDITIS IN MARE; id est, vos qui mare navigatis, cantate Domino. PLENITUDO EIUS; scilicet maris, id est, ut se-

quitur, insulæ, & habitatores earum.

V. 11. SUBLEVETUR DESERTUM; quasi dicat: Cedareni, id est Arabes, aliæque gentes in deserto habitantes, adeoque tota gentilitas hactenus deserta, & depressa, nunc se erigat, lætitia exiliat, & exultet, attollat vocem, & iubilet Deo. IN DOMIBUS HABITABIT CEDAR: nam Arabes, & aliæ gentes feritate deposita, non amplius in desertis, & sub pellibus vivent, more Nomadum, sed in domibus, vicis, & civitatibus socialiter cum aliis, postquam sacra Christiana susceperint. Id ad litteram videmus hodie impleri in Brasilia, & tota India Occidentali. PETRAE: Metropolis est Arabiæ, quæ inde Petræa cognominata est. Per Synecdochen omnes Arabes, & Barbaras nationes intelligit. CLAMABUUT: etiam ipsi cantantes, & plausum dantes Domino.

V. 12. PONENT: dabunt. INSULIS: remotis gentibus. NUNTIABUNT: ad alias etiam nationes veri Dei cognitionem deferentes.

V. 13. DOMINUS, &c. describit admirabilem, & magnificam victoriam Dei, & Evangelii per Christum. SICUT FORTIS. Forerius vertit, *sicut gigas*. Aliqui Christum intelligunt, alii Deum, qui per Christum hæc patravit; sed sensus eodem redit. SUSCITABIT ZELUM; scilicet indignationem contra diabolum, ex amore erga genus humanum. VOCIFERABITUR, ET CLAMABIT: ut solent milites in bello, cum hostes aggrediuntur. CONFORTABITUR, id est prævalebit. LXX. retulerunt ad clamoris vehementiam, habent enim: *Clamabit super inimicos suos cum fortitudine*.

V. 14. TACUI SEMPER: sunt verba Dei loquentis; quasi dicat: Iam multis sæculis idololatriam, & alia hominum vitia tacitus, & patienter tuli, non amplius feram. Hoc est, quod ait Apostolus ad Rom. III. 32. *Sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum*. SEMPER. LXX. *a sæculo*; quasi dicat, Diu. UT PARTURIENS LOQUAR: quæ ex vi doloris, cum fœtum emittit, fremit, & rugit. DISSIPABO, ET ABSORBEBO; id est, desolabo, & deglutiam simul omnes inimicos meos. Aliqui vertunt, *Anhelabo, & insorbebo pariter*; quasi dicat: Tantam edam hostium stragem, ut ex defatigatione anhelus spiritum frequentius ducere cogar, expirare, & inspirare, sive attrahere ad pectus æstuans refrigerandum.

V. 15. DESERTOS FACIAM MONTES: in quibus erant excelsa, id est altaria, & templa idolorum. PONAM FLUMINA IN INSULAS, id est in aridam; quasi dicat, Flumina, & stagna arefaciam. Fluminibus etiam minatur, quia Gentiles iuxta ea, ob locorum amœnitatem, diis suis aras statuebant.

V. 16. DUCAM CAECOS IN VIAM: cæcæ gentilitati veritatis lumen impartiens. PRAVA, distorta. HAEC VERBA FECI EIS, id est faciam: est enim prophetia; verba, quæ facturus est, proxime ponuntur n. 18.

V. 17. CONVERSI SUNT RETRORSUM; quasi dicat: Meos cultores servabo, idololatras vero pudefaciam; ipsique vim, & lucem Evangelii non sustinentes, convertentur retrorsum.

V. 18. AD VIDENDUM: ut scilicet veritatem assequi, & videre possitis.

V. 19. SERVUS MEUS, scilicet populus Iudaicus. NUNTIOS MEOS: Prophetas, & ipsum Christum. QUI VENUMDATUS EST: est epitheton servi, qui tot dona accepit a Domino, ut iis solvendis non sit par, nisi se ipsum ei rependat, & in servum addicat, & quasi venumdet.

V. 20. QUI VIDES MULTA. O Israelitæ, quibus per prophetias, revelationes, & Scripturas multum cælestis luminis communicatum est. NONNE CUSTODIES? Cur non custodis legem, & ea præstas opere, ad quæ te obstringi non ignoras?

V. 21. ET DOMINUS VOLUIT, UT SANCTIFICARET EUM; quasi dicat: Non Dei culpa, sed populi malitia factum est, ut surdus fieret, & cæcus: nam Deus, quantum in se erat, voluit eum sanctificare, ideoque legem dedit, Prophetas, Scripturam, sacras cæremonias, &c. ET MAGNIFICARET LEGEM, ET EXTOLLERET: Legem magnificavit, extulit, & declaravit tot cæremoniis, tanta Levitarum, Sacerdotum, & Pontificum maiestate, tot tantisque miraculis, & victoriis.

V. 22. DIREPTUS, ET VASTATUS, id est scelebribus suis se ipsum rapinam dæmoni, & hostibus suis obiecit. LAQUEUS IUVENUM OMNES, id est fortiter illaqueati, & Romanorum armis, & stratagematibus, quasi laqueis, capti. Itaque *laqueus iuve-*

iuvenum, idem est ac laqueus fortis, & validus. NEC EST QUI DICAT: REDDE: qui de illis e captivitate liberandis cogitet.

V. 24. CUI: contra quem. NOLUERUNT, id est noluimus: vel intelligit decem tribus.

V. 25. SUPER EUM: populum Israel. ET FORTE BELLUM. LXX. *& prævaluit adversus eum bellum*. COMBUSSIT EUM IN CIRCUITU; quasi dicat: Deus per Assyrios decem tribus, & totam Samariam circumquaque vastavit & combussit. ET NON COGNOVIT: etiam cum vastaretur, adeo stupidus fuit.

TIRINI.

Vers. 1. ECCE SERVUS MEUS Christus; de quo S. Matthæus hos quatuor primos versus ad verbum exponit cap. XII. vers. 18. Is enim antonomastice est *servus* Dei, in amplissimo nobilissimoque ministerio redemptionis, instructionis & gubernationis universi deserviens Deo. ELECTUS ab ipso tum in filium naturalem, tum in ducem & principem totius Ecclesiæ militantis ac triumphantis. Sed licet Christus, etiam qua homo, propter identitatem suppositi sit filius Dei naturalis; manet tamen semper servus Dei ratione naturæ suæ humanæ, quæ est mera creatura, ac proinde serva sui creatoris, inquit S. Thomas & Scholastici *a*. DEDI SPIRITUM MEUM septuplicem SUPER EUM: de quo supra XI. 2. In cuius symbolum missa fuit species columbæ dum baptizaretur Christus, Matth. III. 17. & vox, cuius hic meminit, audita: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Ipse non Iudæis solis, sed & GENTIBUS omnibus, PROFERET, expromet, docebit, inculcabit IUDICIUM, id est quod iustum est, & iustos faciet: puta per legem Evangelicam, quæ tria complectitur; primo, iustas leges; secundo, iustum Deoque debitum cultum; tertio, iustitiæ & sanctitatis assequendæ vias & media. Porro hanc legislatoris & iudicis personam non aget Christus more principum & iudicum mundanorum.

V. 2. NON CLAMABIT; Matthæus *b* addit, *non contendet*, id est non aget rixose, vel clamose, ita ut FORIS, vel *in plateis*, vox eius audiri possit: NEQUE ACCIPIET PERSONAM cuiusquam, sed summa sinceritate & æquitate ius cuique dicet.

V. 3. CALAMUM QUASSATUM, id est fistulam, seu tibiam fissam & hiulcam, inquit S. Hieronymus, quam homines abiicere & contemnere solent, quia inutilem, & suis aculeis manus lædentem, Christus non abiiciet, NON CONTERET: ET LINUM, seu ellychnium lineum, non ardens, sed *fumigans*, quod quia fumo oculis, & fœtore naribus incommodat, extingui mox solet; Christus, NON EXTINGUET, sed incredibili mansuetudine tolerabit infirmos, fovebit imbecilles, ægros curabit, cæcos illuminabit, &c. ita S. Hilarius, Cyrillus, Hieronymus, Procopius. Ita Matthæus XII. 15. de Christo testatur, cessisse ipsum ad tempus impotenti Pharisæorum odio & obloquio, ne magis eos exasperaret, interim non destitisse curare infirmos, &c.

V. 4. NON ERIT TRISTIS; id est, non erit tetricus aut morosus, nullum vultus sui tristitia deterrebit aut animo deiiciet, inquit S. Hieronymus, sed omni cum benevolentia, suavitate ac modestia devincet sibi omnium animos: nec vero desistet, DONEC loco impietatis & iniustitiæ PONAT IN omni TERRA IUDICIUM, id est iustitiam, seu legem Evangelicam iustificantem, de qua vers. 1. S. Matthæus legit, *donec eiiciat*, seu perducat, *ad victoriam iudicium*, ut scilicet illud toto orbe instar regis & victoris dominetur, & supra omnes alias leges, Moysis, Solonis, Lycurgi, Pythagoræ principatum nanciscatur, inquit S. Irenæus *c*. Neque enim uno Iudææ angulo, vel una gente coarctabitur lex Christi, sed eam INSULAE, id est insulani quoque, seu gentes quæ trans mare in insulis habitant, usque ad extremos orbis terminos avidissime EXSPECTABUNT.

V. 6. VOCAVI TE IN IUSTITIA; id est, excitavi te, o Christe, summa iustitia præditum, & gratia ornatum: APPREHENDI MANUM TUAM, sustentans, fulciens, deducens te: IN FOEDUS, id est ad complendum fœdus, pactum, promissum *populo* meo a me factum, quia promisi Iudæis me missurum ipsis Messiam: *Gentibus* vero, licet te non ita promiserim, DEDI tamen

men TE IN LUCEM; ut scilicet etiam ipsas illumines, doceas, deducas ad fidem, ad iustitiam, ad vitam æternam.

Atque hactenus invicta divinitatis suæ argumenta protulit Deus, nempe perpetuam in clientes suos munificentiam, & omnium (ut obiter vers. 9. perstringit) *quæ prima*, seu primo, promissa *fuerunt* Patriarchis, completionem: denique certam constantemque futurorum multis demum post sæculis prædictionem de Christo, de vocatione & conversione Gentilium, &c. Iam quasi parta pro tribunali victoria de idolis & idololatris, nemine contra mutiente, sententiam pro se ipse pronuntiat, inquiens,

V. 8. EGO DOMINUS: Hebraice, *ego Iehova*, ego solus sum qui sum: hoc nomen, uti & res nomine significata, debetur mihi uni. Et hanc GLORIAM mihi uni propriam, ALTERI NON DABO: absit, permittam SCULPTILIBUS dari. Quid autem designet nomen Iehova, & quomodo soli Deo convenire possit, dixi Exodi III.

Ob lætam Dei de idolis, ut audivimus, victoriam, maximeque ob beneficia per Messiam obventura, excitat Propheta omnes ad lætas Deo laudes novo epinicio concinendas.

V. 10. PLENITUDO maris, id est INSULAE; ut mox sequitur, seu insulani, qui sicut gemma annulum, & urbes terram, sic ipsi implent mare, inquit Sanchez & a Lapide.

V. 11. DESERTUM tum Palæstinæ, tum Arabiæ, quod Iudæis est ad Meridiem, sicut mare ad Occidentem. Allegorice, omnis Gentilitas SUBLEVETUR e luto & sordibus, lætitia exultet & exsiliat: Forerius & Vatablus, *elevet & attollat vocem cum iubilo*. Quia CEDAR; id est, silvester Arabs, prædo, barbarus, per deserta loca vagari solitus, fide Christiana mansuefactus, HABITABIT deinceps pacifice IN DOMIBUS; id est, gentes agrestes, feræ & incultæ mansuescent, civiles mores induent, mutuo cohabitabunt, simul conviventes & convivantes in Ecclesiis & sacris conventibus, inquit S. Hieronymus. Nec *Cedarenis* modo vicinis Iudææ, sed & remotis *habitatoribus* PETRAE, quæ metropolis est *Arabiæ Petrææ*, eadem felicitas obveniet: ac proinde etiam ipsos evoco, ad laudes Deo & Christo eius simili iubilo concinendas: nam in illorum gratiam

V. 13. DOMINUS SICUT FORTIS bellator INGREDIETUR in bellum adversus idola & dæmones, & omnes Ecclesiæ suæ hostes. Hucusque quidem

V. 14. TACUI SEMPER, & permisi tot iam sæculis dæmones in orbe grassari, idola Gentibus dominari; sed id diutius non feram, sed instar *parturientis* LOQUAR, quæ vi doloris quo fœtum enititur, horrende fremit & rugit: ita enim & ego fremam & rugiam & detonabo in hostes meos.

V. 15. DESERTOS FACIAM MONTES (in quibus altaria sunt & templa idolorum) ET FLUMINA (quæ quasi deos adorant idololatræ, testibus Herodoto, Horatio & aliis) PONAM IN INSULAS: seu in aridam, id est arefaciam. Per catachresin significat, regna idolorum & idololatrarum per Christum prorsus eversum iri, inquit S. Hieronymus & Procopius.

V. 17. CONVERSI SUNT, id est convertentur idola & idololatræ, RETRORSUM, id est, succumbent, terga vertent, loco cedent.

V. 19. QUIS CAECUS, & in cæcitate obstinatus, NISI SERVUS MEUS? nempe populus Israeliticus, seu Iudaicus; QUI *d* VENUMDATUS EST: nempe dæmoni & peccato; Hebraice, *traditus est*: nempe hostibus suis iuratis in perpetuum mancipium.

V. 20. VIDES MULTA, tibi a Deo per Prophetas, & maxime per Christum, revelata: vides tot prodigia, tanta miracula: audis tot pia monita, tanta promissa, tam horribiles minas; an nihil horum *e* tibi curæ erit vel cordi? ita S. Hieronymus, Procopius, Theodoretus, Iustinus & Chrysostomus. Neque vero surditas hæc aut cæcitas populi adscribenda est Deo, qui, quantum ex se est;

V. 21. VOLUIT SANCTIFICARE EUM mittendo tot illi sanctos Prophetas, tot sanctas instructiones, tot sacrificia, tam sanctam LEGEM, quam tot miraculis ac prodigiis *magnificavit & extulit*. Sed culpa omnis penes ingratum populum est, qui spretis his omnibus ad sanctitatem illecebris & adminiculis, maluit venundari peccato & diabolo; a cuius ministris, iure meritoque

V. 22. DIREPTUS ET VASTATUS est, tum

tum sub Chaldæis, tum sub Romanis: a quibus facti sunt OMNES LAQUEUS IUVENUM. Abstractum pro concreto, *laqueus*, id est illaqueatus; quasi dicat: Iudæi suis sceleribus texuerunt iuvenibus filiis suis miserrimum captivitatis, servitutis & mortis laqueum, quo a Chaldæis & Romanis illaqueati sunt, inquit S. Cyrillus, Vatablus, Adamus & Forerius. NEC EST QUI DICAT, REDDE; id est, nemo curat aut cogitat de Iudæis, seu prece, seu pretio, seu vi liberandis e manu hostili: deserti sunt ab hominibus, adeoque & ab ipso Deo. Et vero hucusque

V. 24. QUIS ISRAELEM, id est ex Israele prognatos, tum Iudæos proprie dictos, tum decem tribus, DEDIT VASTANTIBUS, seu Assyriis, seu aliis hostibus, IN DIREPTIONEM?

V. 25. ET COMBUSSIT EUM IN CIRCUITU, igne & gladio omnia absumens. *Quis*, inquam, nisi *Dominus*, ob horrenda scelera populi illius? Qui tamen tam stupidus fuit, ut etiam, cum vastaretur, non agnosceret, non intelligeret, has sibi pœnas a Deo ob scelera sua infligi. Vos ergo o mei Iudæi, melius sapite, ne simili cæcitate & pœna involvamini.

(a) S. Thom. & Scholastici in III. p. q. XX.
(b) Matth. XII. 19.
(c) Iren. Lib. III. cont. hæres. cap. XI.
(d) III. Reg. XI. 25.
(e) Isaiæ VI. 9.

GORDONI.

Vers. 1. ECCE SERVUS MEUS, &c. Servus hic ex Matth. XII. 18. est Christus Dei servus in assumpta humanitate; qua vero ratione sit filius Dei naturalis, dixi Lib. X. Theo. An, inquam, qua homo, ut humanitas subsistit in persona Verbi. Hic est Evangelista promissus Sioni, capite XLI. 27. habens Spiritum Dei septemplicem, ut supra cap. XI. addit hic iudicem esse & legislatorem gentium.

V. 2. NON CLAMABIT, &c. non erit contentiosus; & Matth. XII. 19. *non contendet*. Hinc habes mansuetum. NON ACCIPIET PERSONAM. Heb. פנים *panim*, *facies*; perinde est.

V. 3. CALAMUM CONQUASSATUM NON CONTERET. Hic summa Christi mansuetudo proponitur. Calamum quassatum omnes abiiciunt ut inutilem; linum etiam, seu ellychnium non ardens sed fumigans omnes extinguunt. Christus vero qua erit mansuetudine, talia non abiiciet, sed fovebit debiles in fide & moribus: ita Hieronym. Cyril. & alii.

V. 4. NON ERIT TRISTIS, &c. Maturus in omnibus hic prædicatur Christus; sed passionum dominus, & supra id de quo glorianturin Socrate gentiles, æqualitatem vultus, & motuum quietem omni tempore conservans: vide quid sit de Passionibus in Christo, Lib. X. operis Theol. ubi de his ex professo. DONEC PONAT IN TERRA IUDICIUM; hoc est sua patientia, lenitate statuat legem Evangelicæ sanctitatis in terris. Nec (ut ait Hieronymus) ullum tristitia vultus deterrebit, non festinabit ad pœnam, donec venerit tempus & dies iudicii. In Heb. est, לא יכהה *lo iikehe*, *non caligabit*, *non contrahet*, scilicet vultum, a radice כהה *contrahere*, *caligare*. Noster vertit, *non erit tristis*; quod per contrariam affirmationem Septuag. expresserunt ἀναλάμψει, *splendebit*.

V. 5. HAEC DICIT DOMINUS DEUS, &c. Promovetur descriptio futurorum sub Christo, ubi Deus declarat primo potentiam, deinde mirabilia quæ facturus est. Creator est omnium, vers. 5. mittet Christum: erit fœdus cum gentibus, vers. 6. miraculis probabitur missio, vers. 7. qui hæc fecit Deus verus est, superans Deos falsos, nomine, potentia, & prædictione futuri, 8. 9. Multa hic dici possunt de fœdere novi testamenti, de Dei nominibus, de eius attributis, sed sunt præter instituti rationem.

V. 10. CANTATE DOMINO, &c. Invitat gentes ad salutem; nova & inaudita promittit sub Christo, remissionem, gratiam, & æternam gloriam; ac proinde ad canticum invitat & laudem.

V. 11. SUBLEVETUR DESERTUM, &c. Erigat se & exultet lætitia: civitates habebunt Cedareni, hoc est sylvestres Arabes: hos Hebræi barbaros vocabant, sicut nos Scythas: idem de his qui edita petrarum incolebant.

V. 13. & 15. EGREDIETUR, Deus, & dissipabit idola gentium sub Christo: desertos faciet montes, vers. 15. item vers. 17. CONVERSI SUNT RETRORSUM frustrati spe sua idololatræ.

V. 18.

V. 18. Surdi audite, &c. Hæc in Iudæos dicuntur, qui dum convertentur gentes, cæci manebunt, ac proinde prædicit illis bella & eversionem. Præclara narrantur facta Iudæis, sed magna ingratitudo; hoc probavit eventus sub Christo, immo etiam sub Nabuchodonosore.

Ex Eiusdem Auctario.

Vers. 19. Servus hic populus & Iudaicus, ingratus post tot accepta beneficia. Venumdatus, vel sub peccato, vel qui tot accepit dona a Deo, ut etiam seipsum Deo debeat.

Vers. 20. Populus hic auditis tot prophetis multa vidit de lege, sed quam non custodivit.

Vers. 21. Quasi utrimque certatum est. Deus bona offerebat: populus in mala pronus castigabatur.

Vers. 22. Laqueus iuvenum omnes. Laqueus fortium; quasi diceret, Laqueo forti colligati sunt.



CAPUT XLIII.

Populum credentem securum facit, eius ex universo orbe multiplicationem futuram promittens, cum enarratione præteritorum ac futurorum Dei erga populum suum beneficiorum, quibus se solum verum Deum esse comprobat: addita gravi expostulatione adversus Iudæorum ingratitudinem.

1. ET nunc hæc dicit Dominus creans te Iacob, & formans
te Israel: Noli timere, quia redemi te, & vocavi te no-
mine tuo: meus es tu. 2. Cum transieris per aquas, te-
cum ero, & flumina non operient te: cum ambulave-
ris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in
te: 3. Quia ego Dominus Deus tuus sanctus Israel salva-
tor tuus, dedi propitiationem tuam AEgyptum, AEthio-
piam & Saba pro te. 4. Ex quo honorabilis factus es in oculis meis, & glo-
riosus: ego dilexi te, & dabo homines pro te, & populos pro anima tua. 5.
Noli timere, quia ego tecum sum: ab Oriente adducam semen tuum, & ab
Occidente congregabo te. 6. Dicam Aquiloni: Da; & Austro: Noli prohi-
bere: affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ. 7. Et
omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi
eum, & feci eum. 8. Educ foras populum cæcum, & oculos habentem; sur-
dum, & aures ei sunt. 9. Omnes gentes congregatæ sunt simul, & collectæ
sunt tribus: quis in vobis annuntiet istud, & quæ prima sunt audire nos fa-
ciet? dent testes eorum: iustificentur, & audiant, & dicant: Vere. 10. Vos testes mei,
dicit Dominus, & servus meus, quem elegi: ut sciatis, & credatis mihi, &
intelligatis quia ego ipse sum. Ante me non est formatus Deus, & post me
non erit. 11. (*a*) Ego sum, ego sum Dominus, & non est absque me sal-
vator. 12. Ego aununtiavi, & salvavi: auditum feci, & non fuit in vobis
alienus: vos testes mei, dicit Dominus, & ego Deus. 13. Et ab initio ego
ipse, & non est qui de manu mea eruat: operabor, & quis avertet illud? 14.
Hæc dicit Dominus redemptor vester, sanctus Israel: * Propter vos misi in
Babylonem, & detraxi vectes universos, & Chaldæos in navibus suis glorian-
tes. 15. Ego Dominus sanctus vester, creans Israel rex vester. 16. Hæc dicit Do-
minus,

minus, qui dedit in mari viam, & in aquis torrentibus semitam: 17. Qui eduxit quadrigam & equum, agmen & robustum: simul obdormierunt, nec resurgent: contriti sunt quasi linum, & extincti sunt. 18. Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini. 19. (*b*) Ecce ego facio nova, & nunc orientur, utique cognoscetis ea: ponam in deserto viam, & in invio flumina. 20. Glorificabit me bestia agri, dracones & struthiones: quia dedi in deserto aquas, flumina in invio, ut darem potum populo meo, electo meo: 21. Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit. 22. Non me invocasti Iacob, nec laborasti in me Israel. 23. Non obtulisti mihi arietem holocausti tui, & victimis tuis non glorificasti me: non te servire feci in oblatione, nec laborem tibi præbui in thure. 24. Non emisti mihi argento calamum, & adipe victimarum tuarum non inebriasti me. Verumtamen servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. 25. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. 26. Reduc me in memoriam, & iudicemur simul: narra si quid habes ut iustificeris. 27. Pater tuus primus peccavit, & interpretes tui prævaricati sunt in me. 28. Et cantaminavi principes sanctos, dedi ad internecionem Iacob, & Israel in blasphemiam.

(a) Ose. xiii. 4. (b) II. Cor. v. 17. Apoc. xxi. 5.

B R U G E N S I S

ROMANA CORRECTIO.

Vers. 14. *Propter vos misi in Babylonem*. Non mutes verbum simplex *misi* in compositum *emisi*.

C O M M E N T A R I A

MALDONATI.

Vers. 1. ET; pro, At NUNC; id est, cum pœnas iam de sceleratis dignas sumpsero, ceteros in meam Ecclesiam aggregabo. Consolatur bonos ac electos. CREANS TE IACOB. Non loquitur de corporali creatione: sic enim non solum Iacob, & Israel, sed omnes homines, atque adeo res omnes creavit: sed de spirituali, qua Iacob & Israel, id est prædestinatos regenerat: de qua dicit D. Paulus Ephes. II. 10. *Ipsius enim sumus factura creati in Christo Iesu*: & inf. cap. XLIV. 21. NOLI TIMERE, QUIA REDEMI TE: præt. pro fut. redimam te sanguine filii mei: vel, redemi te, id est decrevi redimere, ut referatur ad prædestinationem, ut Psal. II. 7. *Ego hodie genui te*. ET VOCAVI TE NOMINE TUO, MEUS ES TU. Hæc verba coniungenda sunt, sicut apud Hebræos coniunguntur, ita ut hæc oratio, *Meus es tu*, sit in accusativo; sensus enim est: Tantum te dilexi, tantoque honore affeci, ut loco proprii nominis vocarem te, *Meus es tu*, id est populum meum, sicut Galli vocant, *Mon mignon*. I. Pet. II. 9. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*.

V. 2. CUM TRANSIERIS. Transire per aquam & ignem, est experiri contraria, id est omnia periculorum genera: sicut ignis & aqua contraria sunt, utroque tamen periclitamur; aqua suffocamur, igne urimur. Dicit ergo Deus se eos ab omnibus periculis liberaturum: ut Psal. LXV. 12. *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium*.

V. 3. DEDI PROPITIATIONEM TUAM, id est redemptionem tuam: כפרך, AEGYPTUM, AETHIOPIAM, ET SABA PRO TE; id est, ut te liberarem, converti impetum

Sennacherib contra AEgyptum, AEthiopiam & Saba, quæ AEthiopiæ regia civitas eſt: III. Reg. x. 1. ut ſupra Iſaias indicavit cap. xxxvii. 9. Senſus ergo eſt: *Iuſtus de anguſtia liberabitur, & tradetur impius pro eo:* ut ait Salomon Prover. xi. 8.

V. 4. Ex quo: *eo quod*, מאשר. Reddit cauſam cur eum liberaverit, quia יקרת; *pretioſus fuiſti in oculis meis;* id eſt, habui te in magno pretio, *dilexi te*. Ideo dabo, vel dedi, homines pro te, et populos, *gentes*, לאמים, pro anima tua, pro vita tua, ut liberem te a morte. Explicat quod dixerat verſ. præcedenti, probatque ex rebus ipſis, ſe eum dilexiſſe.

V. 5. Ab oriente et ab occidente. Ponit loca certa pro incertis; quaſi dicat: Undique ſemen tuum, id eſt poſteros tuos congregabo: Deut. xxx. 3. 4. *Rurſum congregabit te de cunctis populis, in quos te ante diſperſit. Si ad cardines cæli fueris diſſipatus, inde te detrahet Dominus Deus tuus.*

V. 6. Dicam Aquiloni: Da; id eſt, iubebo Aquilonem reddere filios tuos, qui ibi diſperſi fuerint. Et Austro (dicam) Noli prohibere (venire ad me electos meos.) Affer, reſtitue. Simili phraſi utitur Ioannes de reſurrectione loquens Apoc. xx. 13. *Dedit mare mortuos ſuos, & mors & infernus dederunt mortuos ſuos, qui in ipſis erant.*

V. 7. Et omnem. *Et* hoc loco exegetica eſt, pro, ſcilicet. Dixerat, *Dicam Auſtro, Da:* dicit nunc quos velit ſibi dari, ſcilicet non omnes, ſed eos qui invocant nomen ſuum, id eſt, qui pertinent ad populum ſuum. Heb. הנקרא בשמי, *qui vocatur nomine;* id eſt, qui convenit nomen illud meum, quod meis impoſui verſ. 1. *Meus es tu:* vel, qui eſt filius, aut ſervus, aut populus Dei. In gloriam meam creavi eum. Hebraiſmus, pro, omnem quem creavi, quem formavi, quem feci in gloriam meam, id eſt quos prædeſtinavi, *Ut oſtenderem divitias gloriæ meæ in vaſa miſericordiæ*: Rom. ix. 23.

V. 8. Educ; id eſt, redde, reſtitue, educ ex carcere, vel ſervitute (o Aquilo & Auſter) populum caecum, et oculos habentem; id eſt, omnes tam cæcos, quam qui oculos habent, tam ſurdos, quam eos qui aures habent. Hebraiſmus. Surdum, et aures ei sunt; id eſt, ſurdum, & eum, cui aures ſunt; quaſi dicat, Nemo relinquatur: ut Luc. xiv. 21. *Exi cito in plateas, & vicos civitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos & claudos introduc huc;* id eſt, omnes quos inveneris, nemine excepto.

V. 9. Omnes gentes congregatae sunt simul. Præteritum pro Imperativo: Congregentur omnes gentes, & colligantur omnes tribus: לאמים, *omnes populi;* quaſi dicat: Etiamſi omnes gentes & populi congregentur, nemo eorum reperietur qui poſſit polliceri quod ego pollicitus ſum, me congregaturum ſervos meos ex omnibus terræ partibus. Hoc eſt quod dicit, Quis in vobis? id eſt, inter vos, pro, inter eos. Eſt enim ſubita apoſtrophe & mutatio perſonæ. Et quae prima sunt, id eſt præterita, audire nos faciet. Heb. ישמענו, *audire nos faciet;* id eſt, qui retexet nobis & futurarum & præteritarum rerum ſeriem, ut ſciamus eorum idola deos eſſe, ut ſup. cap. xli. 23. Dent testes eorum, pro teſtes ſuos (ſub. idola.) et iustificentur, id eſt probent ſuam cauſam, oſtendant ſe deos eſſe. Et audiant (ſub. omnes) et dicant: Vere, aut, Verum. אמת, id eſt verum eſſe quod idola dii ſint; quaſi dicat, Nequaquam id præſtare poterunt.

V. 10. Vos testes mei. Convertit Deus orationem ad populum ſuum; quaſi dicat: Illi non poterunt ullos divinitatis ſuæ teſtes producere; vos autem divinitatis meæ locupletiſſimi teſtes eſtis, quia vidiſtis miranda opera quæ feci. Et servus meus quem elegi, id eſt totus populus meus. Alii de Iſaia, alii de omnibus prophetis interpretantur, ut ſit ſingularis pro plurali. Ut sciatis et credatis; id eſt, itaque poteſtis ſcire ac credere, & intelligere ipſa experientia me eſſe Deum. Ante me et post me; id eſt, ego ſum ſolus Deus; ut ſup. cap. xli. 4. & inf. xliv. 6. & xlviii. 12. & Apocal. i. 18. & xxii. 13.

V. 12. Ego annuntiavi, et salvavi; id eſt, quemadmodum prædixi me ſalvaturum, ita re vera ſalvavi vos, et auditum feci; id eſt, feci ut id omnibus notum eſſet, ut eius rei fama apud omnes divulgaretur. Et non fuit in vobis alienus; id eſt, nullus inter vos fuit alius Deus præter me, qui hæc fecerit & prænuntiaverit.

V. 13.

V. 13. ET AB INITIO. Heb. מיום, *a die*, aut, ut alii vertunt, *ante diem*; id est, semper ego fui eodem modo me habens, non mutor, ut Heb. XIII. 8. *Iesus Christus heri & hodie, ipse & in saecula*. ET NON EST QUI DE MANU MEA ERUAT; id est, sum omnipotens, nemo mihi potest resistere: Rom. IX. 19. & XIII. 2. OPERABOR, ET QUIS AVERTET ILLUD; id est, si quid ego efficere voluero, quis est, qui possit impedire quo minus id fiat?

V. 14. PROPTER VOS EMISI BABYLONEM. Praet. pro fut. emittam; id est, migrare faciam Babylonios, ac fugere Cyrum, ut vos liberemini, ut postea latius explicabit cap. XLV. 1. ET DETRAXI VECTES; id est, disrumpam carceres ubi vincti eritis, ut liberi abeatis. Heb. בריחים, alii vertunt, *fugitivos*. ET CHALDAEOS (sub. fugere faciam) IN NAVIBUS SUIS GLORIANTES, id est qui navibus gloriari solent. Heb. בנאיות רינתם, *in navibus clamor eorum*; id est, clamantes fugient in navibus.

V. 16. QUI DEDIT IN MARI VIAM. Alludit ad historiam Exod. XIV. 21. ET IN AQUIS TORRENTIBUS, id est vehementibus, עזים, *semitam*: repetitio eiusdem sententiae.

V. 17. QUI EDUXIT (ex AEgypto) QUADRIGAM ET EQUUM (Pharaonis.) Singularia pro pluralibus, quadrigas & equites; id est, qui fecit ut exirent ex AEgypto, Hebraeosque persequerentur, ut eos mari obrueret, ita ut non amplius surgerent.

V. 18. NE MEMINERITIS PRIORUM. Concessio est per comparationem. Non enim iubet eos tanti illius beneficii oblivisci, cum passim dicat: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra AEgypti*; sed significat se tanto maiora effecturum, ut eos a diaboli tyrannide liberet, quam olim fecit ut eos a Pharaonis potestate liberaret, ut prae novi beneficii magnitudine veteris obliviscantur, ut apertius scribit Ierem. praedicens verorum Iudaeorum, id est praedestinatorum ad Evangelium vocationem, cap. XXIII. 7. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicent ultra, Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra AEgypti: sed, Vivit Dominus, qui eduxit & adduxit semen domus Israel de terra Aquilonis, & de cunctis terris, ad quas eieceram eos illuc. Christus enim mortuus est non tantum pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum*: Ioan. XI. 52.

V. 19. ECCE EGO FACIO NOVA, id est res alias multo magis inauditas & admirabiles. ET NUNC ORIENTUR, id est cito, non multo post. Nam etsi ab Isaia usque ad Christum anni pene fuerint 600. tamen, ut ait D. Petrus II. Epist. cap. III. 8. *Mille anni apud Deum sicut dies unus*. UTIQUE COGNOSCETIS EA. Phrasis habens vim relativi; quasi dicat: Efficiam res adeo novas, adeo admirandas, adeo magnas, ut non possint latere vos, ut non possitis eas non cognoscere. Heb. הלא תדעה, *an non cognoscetis ea?* id est, certe cognoscetis. PONAM IN DESERTO VIAM, ET IN INVIO, id est in solitudine, FLUMINA. Dicit se contra miracula effecturum illis, quae in exitu Israel de AEgypto fecerat. Tunc enim per mare viam fecit, nunc per solitudinem dicit se esse facturum: tunc siccavit mare, nunc dicit se in solitudine, id est in locis siccis atque aridis aperturum flumina. Quod non est historice intelligendum, sed mystice, nam in deserto viam fecit, cum in media gentilitate Evangelium per Apostolos praedicavit: flumina vero aperuit in solitudine, cum in arida gentilium corda Spiritum sanctum effudit: Act. x. 44. quia, ut ait Christus Ioan. IV. 14. *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam*: & Ioan. VII. 38. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae*. Similem locum vidimus sup. XXXV. 6. & XLI. 18.

V. 20. ET GLORIFICABIT ME BESTIA. Sing. pro plur. Mystice debet intelligi sicut versus praecedens: populum suum vocat Iudaeos, bestias agri, dracones, & struthiones gentiles. Significat ergo fore ut prius Spiritus sanctus detur Iudaeis quasi potus aquae vivae, sicut datus est Apostolis: Act. II. 4. deinde quasi flumen in gentiles effunderetur: Act. x. 44.

V. 21. POPULUM ISTUM, id est Iudaicum, FORMAVI MIHI; id est, regeneravi per gratiam, ut laudem meam narret. Explicat quem vocaverit populum electum. Vel, *Populum istum*, id est Christianum ex bestiis & draconibus, id est ex gentilibus *formavi mihi*, id est per baptismum genui.

V. 22. NON ME INVOCASTI IACOB: ולא, *& non me invocasti Iacob*; quasi dicat;

cat: Populus gentilis ad Evangelium converſus laudabit me, tu vero, o Iacob, qui eras populus mihi electus ac peculiaris, Evangelium averſatus non invocaſti me, id eſt non me coluiſti. NEQUE LABORASTI IN ME; id eſt, non dediſti operam, ut me obſervares. Heb. כי יגעת בי, *ſed potius laboraſti in me, o Iſrael*, id eſt, non libenter, ſed ægre & cum moleſtia de me cogitaſti: Oſee II. 25. & Rom. IX. 25. *Vocabo non plebem meam plebem meam*. Aut aliter, ego te, o Iacob & Iſrael, ſine ullis tuis meritis elegi, cum tu potius mihi repugnares. Ioan. XV. 16. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos*.

V. 23. NON OBTULISTI MIHI. Non ſignificat aut queritur non obtuliſſe, nimis enim diligentes Iudæi in hac re fuerunt, ut dixit ſup. cap. I. 11. *Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus, plenus ſum holocauſto arietum*. Sed ſenſus, neque hæc abs te requiſivi, neque huiuſmodi ſacrificiis quicquam apud me meruiſti. Illud dicit Dominus Iſai. I. 12. *Quis quæſivit hæc de manibus veſtris?* Hoc Paulus Rom. III. 20. & ad Gal. II. 16. NEC LABOREM TIBI PRAEBUI: ולא הוגעתיך, *& non feci te laborare in thure;* id eſt, non iuſſi te offerre thus, eo ſcilicet modo quo mihi obtuliſti ſine caritate & miſericordia, quam omnibus ego ſacrificiis antepono: Oſee VI. 6. & Matth. IX. 13. Alioqui Deus iuſſerat offerri ſibi thus: Exod. XXX. 34. & Levit. II. 1. 2. 15. 16.

V. 24. NON EMISTI; id eſt, non iuſſi te emere eo modo quo emiſti ſine miſericordia calamum, ex quo unguenta conficiebantur: Exod. XXX. 23. 24. 25. SERVIRE ME FECISTI, id eſt laborare, ſicut ſtatim dicit; quaſi dicat: Tantum abeſt ut me tibi ullis tuis meritis obligaveris, ut me potius offenderis.

V. 25. EGO SUM, EGO SUM; id eſt, ego ſolus ſum, non tu, QUI DELEO INIQUITATES TUAS PROPTER ME, id eſt gratis: non propter merita tua, ſed propter miſericordiam meam. Eſt enim confirmatio verſus 23. & 24. quaſi dicat: Non tu tuis ſacrificiis remiſſionem peccatorum meruiſti, ſed ego tibi ea gratis remitto.

V. 26. REDUC ME IN MEMORIAM; id eſt, revoca mihi in mentem ſi quid feciſti, cuius cauſa iuſtificari mereare. ET IUDICEMUR SIMUL; id eſt, iudicio contendamus, ut videamus, ecquid meritorum habeas, quod ego non animadvertam. NARRA, id eſt profer, SI QUID HABES, UT IUSTIFICERIS.

V. 27. PATER TUUS PRIMUS PECCAVIT, id eſt Adam: aut ſingulare pro plurali, patres tui. ET INTERPRETES TUI, id eſt Moſes & Aaron, vel, Doctores tui; quaſi dicat: Neque tuis, neque maiorum tuorum meritis iuſtificari poteris: *Omnes enim peccaverunt, & egent gratia Dei:* Rom. III. 23.

V. 28. ET; id eſt, propterea contaminatos eſſe oſtendi PRINCIPES SANCTOS: קדש *ſanctitatis*, id eſt populi ſancti, quia peccaverant. *Neque permiſi Moſen & Aaron ingredi in terram ſanctam:* Deut. XXXIV. 4. DEDI AD INTERNECIONEM IACOB; id eſt, propterea feci, ut in deſerto ſancti a ſerpentibus morerentur: Num. XXI. 5. 6. I. Cor. X. 9. ET ISRAEL IN BLASPHEMIAM, id eſt in opprobrium, quia ceteræ gentes videntes ita perire Iudæos, dicebant: *Ubi eſt Deus eorum?*

S Ā.

Verſ. 1. IACOB, id eſt Eccleſia, ſeu popule fidelis. VOCAVI, ſcilicet ut ſolent domini ſervos.

V. 2. CUM TRANSIERIS, &c. quaſi dicat: In omnibus periculis te liberabo.

V. 3. PROPITIATIONEM, id eſt redemptionem; quaſi dicat: Pro te perdidi multas gentes tibi adverſantes. Chald. & LXX. *commutationem*.

V. 4. DABO, id eſt perdam. TE, ſcilicet ſervando. ANIMA, id eſt vita; quaſi dicat: Perdam vitæ tuæ inſidiantes.

V. 5. SEMEN TUUM. Chald. *filios tuos*.

V. 6. PROHIBERE. Chald. *morari*. AFFER, id eſt reduc; quaſi dicat, Reducendos curabo.

V. 8. EDUC. Chald. & LXX. *eduxi*; pro, adducam, ſcilicet ad lucem Evangelicam. ET OCULOS, &c. quaſi dicat: Oculos habet, ſed non videt; aures, & non audit.

V. 9. CONGREGATAE, ſcilicet in Eccleſiam ex omnibus mundi partibus. VOBIS, ſcilicet o cultores idolorum. PRIMA. LXX. *a principio;* quaſi dicat: Mundi creationem, & quæ Dei revelatione ſola poſſunt ſciri, vel primo ventura. IUSTIFICENTUR, id eſt can-

causam suam iustificent, scilicet quod veraces sint dii eorum. VERE. Chald. & LXX. *verum*. At Complut. cum sequentibus iungit; quasi dicat, Sane vos, &c.

V. 10. Vos, scilicet o Apostoli. SERVUS MEUS. Chald. *servus meus Christus*. FORMATUS. LXX. *alius*. Quidam legunt *formator*, scilicet rerum.

V. 12. ANNUNTIAVI, scilicet futura. ALIENUS, id est alius, scilicet Deus, qui ista faceret.

V. 14. MISI; pro, mittam, scilicet Cyrum, vel Christum. VECTES, id est impedimenta. CHALDAEOS, scilicet detraxi, seu perdidi. NAVIBUS, scilicet per Euphratem.

V. 16. MARI, scilicet rubro. AQUIS; scilicet Iordanis. TORRENTIBUS. Heb. Chald. & LXX. *vehementibus*.

V. 17. EDUXIT, id est fecit exire ex AEgypto, scilicet contra Hebraeos. OBDORMIERUNT, scilicet submersi in Mari rubro. RESURGENT. Chald. *surrexerunt*.

V. 18. NE MEMINERITIS, &c. quasi dicat: Atque ut antiqua omittamus.

V. 19. NUNC, id est cito. DESERTO, id est gentilitate. VIAM, scilicet salutis. FLUMINA, id est copiam gratiarum.

V. 20. BESTIA, &c. scilicet gentiles ante fidem, ut ferae.

V. 21. FORMAVI MIHI. Chald. *praeparavi cultui meo*.

V. 22. NON ME, &c. quasi dicat: Non me coluisti, ut debueras. IN ME, id est causa mea.

V. 23. SERVIRE, scilicet gravi servitute, vel praet. pro fut. quasi dicat: Non a te posthac exigam sacrificia ista, sed alia potiora.

V. 24. ARGENTO, scilicet multo. CALAMUM, scilicet aromaticum. LXX. *thymiama*. INEBRIASTI ME. Chald. *impinguasti altare meum*. SERVIRE, id est induere formam servi, vel gravari, more servorum. IN PECCATIS TUIS, id est ob peccata tua. LABOREM, scilicet Passionis; vel quasi dicat, molestiam.

V. 26. ME, scilicet quid tecum egerim. NARRA SI QUID HABES. LXX. *dic tu iniquitates tuas primus*. IUSTIFICERIS, id est causam tuam iustifices; quasi dicat, Te defendas.

V. 27. PRIMUS, scilicet Adam. INTERPRETES, scilicet Moyses & Aaron. Chald. *doctores*. LXX. *principes*. IN ME, id est contra me.

V. 28. CONTAMINAVI; id est, ostendi contaminatos peccato, & indignos qui Terram promissam ingrederentur. DEDI, scilicet in deserto. BLASPHEMIAM. Chald. & LXX. *opprobrium*, scilicet hostium.

E S T I I.

Vers. 8. EDUC FORAS POPULUM CAECUM, ET OCULOS HABENTEM; SURDUM, ET AURES EI SUNT. Potest hoc vel de Iudaeis intelligi, vel de gentibus. Si de Iudaeis accipiatur, prophetia est comminatoria excaecationis Iudaeorum; & sensus erit: Produc foras, ut omnibus innotescat, populum qui oculos habet, & tamen caecus est, aures habet, & tamen surdus est: scilicet, populo Iudaico oculi quidem sunt & aures ad legendum, & ad audiendam legem & Prophetas; sed caeci sunt, & surdi, quia legentes non intelligunt, & audientes non credunt verum Messiam. Si de gentibus intelligitur, laeta est prophetia, & hunc habet sensum: Educ foras, velut e tenebris, & e carcere, populum quondam caecum per infidelitatem, sed nunc habentem oculos illustratos lumine veritatis; surdum quondam ad praedicationem caeli & terrae, nunc autem aures habentem, quibus audiat praedicationem Apostolorum. Et hic sensus magis convenit contextui sermonis; quia quae praecedunt, ad fideles pertinent, & de gentibus subiicitur generalis sententia: OMNES GENTES CONGREGATAE SUNT SIMUL.

V. 25. EGO SUM, EGO SUM IPSE, QUI DELEO INIQUITATES TUAS PROPTER ME. Abutuntur hac Prophetae sententia haeretici, qui ita remissionem peccatorum volunt esse gratuitam, ut nulla poenitentiae opera ad eam consequendam requirantur. Contra docent catholici esse quidem remissionem peccatorum gratuitam, ita ut nihil eorum quae iustificationem praecedunt, sive fides, sive opera, ipsam iustificationis gratiam promereantur, ut declaravit & definivit Concilium Tridentinum sess. VI. cap. VIII. Sed sicut necesse est hominem fide praeparari ad consequendam peccatorum veniam, quod & haeretici concedunt; ita etiam dicimus requiri poenitentiae opera, eaque tamquam media quoque propinquiora ad remissionem peccatorum,

&

& iustitiam obtinendam. Neutra tamen, neque fides, neque opera pœnitentiæ meriti rationem habent, si de merito proprie dicto loquamur. Unde vere hic dicit Deus: *Ego qui deleo iniquitates tuas propter me*; quasi dicat: Omnino gratuite, propter bonitatem meam, non propter opera, immo ne quidem propter fidem tamquam meritum condignum. Potest etiam dici Deus gratis delere iniquitatem, quia omnino gratuito inspirat homini fidem & pœnitentiam, per quæ pervenit ad gratiam remissionis, sicut & Ezech. XXXVI. dicit: *Non propter vos ego faciam, sed propter nomen sanctum meum*.

EGO SUM IPSE QUI DELEO INIQUITATES. Ergo (inferunt Novatores) sacerdos non delet aut remittit peccata. Respondeo, distinguenda est duplex deletio iniquitatis, seu vivificatio animæ; altera per conversionem cordis præcedentem, altera per remissionem peccati subsequentem. Priorem Deus solus operatur sine ministerio hominis, saltem efficaci: neque enim ad effectum conversionis internæ Deus proprie constituit sacramenta, sed potius conversionem in adultis ad suscipienda sacramenta prærequirit. Posteriorem vero per ministerium hominis sacramentum conferentis operatur, sicut ipsa veritas in discipulos suos insufflans, & potestatem communicans dixit Ioan. XX. *Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*.

MARIANAE.

Vers. 1. ET NUNC HAEC DICIT DOMINUS. Mala quæ populo minatus sum, non erunt perpetua. Post illa succedet quies & felicitas. REDEMI TE, id est liberabo te a malis: præteritum pro futuro. ET VOCAVI TE NOMINE TUO. Id amoris argumentum, cum quis suo nomine vocat aliquem. Inde Nomenclatores Romæ. MEUS ES TU, scilicet servus aut populus, ideo ut rem meam diligo.

V. 3. DEDI PROPITIATIONEM TUAM; id est, pretium pro te dedi AEgyptum, cum mala quæ tu merebaris, in illas nationes verti. *Dedi*, pro, dabo. SABA scribitur per ס; non est ergo Saba Africæ, sed Asiæ, ubi erant Sabæi in Arabia Felici: de quo Genes. X. 7.

V. 4. EX QUO HONORABILIS, id est quoniam pretiosus fuisti coram me. ET GLORIOSUS. Heb. *gloriosus es factus*. ET DABO HOMINES PRO TE, id est in alios mala & bella vertam, ut tu liber evadas; quod superiori versu dixerat. PRO ANIMA TUA, id est vita & incolumitate tua dabo homines.

V. 5. AB ORIENTE, ex omnibus mundi plagis posteros tuos congregabo & liberabo. Hoc Christi adventu & benignitate est factum. Aut de reditu e Babylone loquitur, uti paulo post.

V. 7. ET OMNEM, QUI INVOCAT NOMEN MEUM. Sic Septuag. Heb. *omnis qui vocatus est nomine meo*, id est qui meus est. IN GLORIAM MEAM CREAVI EUM, id est ut eo liberato gloriosus appaream.

V. 8. EDUC FORAS; pro, educam, liberabo. POPULUM CAECUM: quamvis apertis oculis nihil videat, aut audiat populus hic, id est non agnoscat mea beneficia, tamen eum liberare certum est.

V. 9. OMNES GENTES CONGREGATAE SUNT; pro, congregentur in unum. TRIBUS. Heb. *populi*. QUIS IN VOBIS ANNUNTIET ISTUD; quasi dicat: An erit ex omnibus aliquis qui possit annuntiare quæ ego ventura dico? ET QUAE PRIMA SUNT, id est antiqua: par enim difficultas, vetera & futura nuntiare. Quod si tentare audent, DENT TESTES, id est aliquo argumento declarent se vera dicere. IUSTIFICENTUR, id est iustos eos putabimus. ET AUDIANT, ET DICANT: VERE; pro, & de iis quæ audient (a Deo) dicant vere, Heb. *veritatem*. Illud *vere*, Regia iungunt cum sequentibus: *Vere vos testes*.

V. 10. VOS TESTES MEI, id est vos scitis me vera dicere; quasi dicat: Si peto ab aliis testes, ego do etiam. ET SERVUS MEUS: Isaias est, scilicet testis. ANTE ME NON EST FORMATUS DEUS; id est, non est alius Deus, nec fuit ante me, nec post me erit. Quibusdam durum videtur de Deo formationem dici, ita *formatus* ponunt in neutro genere, sic: *Ante me*, id est prius quam ego conderem res, *non formatum Dei*, id est a Deo nihil formatum est: *& post me non erit*. Ego solus sum rerum opifex. Hæc sunt prima & vetera, quæ negavit posse aliquem nuntiare.

V. 12. ET NON FUIT IN VOBIS ALIENUS, scilicet Deus: aut melius, non fuit ex vobis qui ista nesciret.

V. 13. AB INITIO. Sic Septuag. Chald. a sæ-

a sæculo. Heb. *a die*, scilicet primo. EGO IPSE; pro, ego sum. NON EST QUI DE MANU MEA ERUAT. Omnes subiectos habeo. OPERABOR, id est, omnia opera ego facio, neque aliquis ea impedire potest.

V. 14. PROPTER vos, ut vos liberem. MISI IN BABYLONEM; pro, mittam, scilicet Cyrum. DETRAXI VECTES; pro, detraham. Alii vertunt, *fugitivos*: id Septuag. sunt secuti. Vox בריחים pro ratione punctorum, & *vectes* significat, & *fugitivos*: si *vectes*, clara est sententia; si *fugitivos*, significat Iudæos, quos fugitivos, id est exules vocat, inde detracturum. Detraham etiam Chaldæos, eos agam in captivitatem. IN NAVIBUS SUIS GLORIANTES. Multas cymbas in flumine Tigri & vicinis stagnis habebant Babylonii.

V. 16. IN AQUIS TORRENTIBUS. Heb. *vehementibus*. SEMITAM dedit. Hoc fecit, cum eduxit Israel ex AEgypto.

V. 17. QUI EDUXIT QUADRIGAM, fecit Deus exire quadrigas contra Iudæos, quando discesserunt. CONTRITI SUNT QUASI LINUM, scilicet cum maceratur in aqua, & postea ligno decutitur. Heb. *extincti sunt sicut linum*, id est myxum lucernæ: sic Septuag. Periere omnes AEgyptii.

V. 18. NE MEMINERITIS PRIORUM. Quid opus est vetera commemorare? nova nunc prodigia facturus sum.

V. 19. PONAM IN DESERTO VIAM, ut scilicet captivi redeuntes in patriam minus laborent, eis complanabo viam, auferam difficultates. Id significat *ponere in deserto flumina*. Aut dic copiosos imbres misisse, unde flumina extitere.

V. 20. GLORIFICABIT ME BESTIA AGRI. Bestiis etiam utilis fuit ea reductio, nam aquam unde biberent, & ipsæ habuerunt. Mutis vocem tribuit: cum lætæ sunt bestiæ, videntur Deum laudare bonorum largitorem.

V. 21. POPULUM ISTUM FORMAVI MIHI. Non mirum si illi benefacio; est populus meus. Heb. sic verto: *Dixerat posuisse in deserto flumina, ut potaret populum*, nunc addit: *Populum istum* (quem) *formavi mihi* (ut) *laudem meam narrarent*: sic connectitur hic versus cum superiori, sic connectunt Septuag.

V. 22. NON ME INVOCASTI IACOB; quasi dicat: Ego te formavi in laudem meam, ut me laudares; tu fecisti contra, non me invocasti. NEC LABORASTI. Heb. *quin potius te lassasti in me*, id est fastidisti me, & cultum meum. Aut sic: *quin non laborasti in me*, id est propter me nullum laborem suscepisti, ut negatio prior geminetur.

V. 23. NON OBTULISTI MIHI ARIETEM, aut *pecudem*: id significat שה *seh*. ET VICTIMIS TUIS: significat nulla Deo obtulisse sacrificia, nulla munera. Quæ omnia ad Dei laudem pertinebant, ad quam celebrandam te formaram. NON TE SERVIRE FECI; pro, non servisti, scilicet in deserto victimas non obtulisti.

V. 24. CALAMUM, scilicet odoratum, aromaticum, odoris causa non emisti. Nec INEBRIASTI ME. Chald. *impinguasti altare meum adipe*. Id *inebriare* vocat propter copiam adipis. VERUMTAMEN; seu *quin potius*, tua peccata mihi negotium & molestiam exhibuerunt. Loquitur more humano.

V. 25. EGO SUM IPSE, QUI DELEO INIQUITATES TUAS. Tu mihi molestiam exhibuisti, ego tamen tibi remitto peccata.

V. 26. REDUC ME IN MEMORIAM, id est mihi: si quid contra hæc habes, si quid boni fecisti, id profer in medium, ut pro tribunali iustus esse iudiceris.

V. 27. PATER TUUS PRIMUS. Non est quod maiorum merita excuses, nam Adam peccavit. ET INTERPRETES TUI, id est Principes, scilicet Patriarchæ illi etiam prævaricati sunt.

V. 28. CONTAMINAVI; seu *profanavi*, profanos esse ostendi. PRINCIPES SANCTOS. Heb. *Principes sanctitatis*, id est quos mihi consecraram, Moysem & Aaron, quos aditu Terræ promissæ prohibui. DEDI AD INTERNECIONEM. Heb. *dedi in anathema, devovi, occidi*. Quem? IACOB; magnam eius populi partem in deserto occidi. IN BLASPHEMIAM, aut *opprobria*, id est ex quo factum, ut gentes convitiarentur populo, quasi non haberet Deum qui illum tueretur.

MALVENDAE.

Vers. 1. ET NUNC HAEC DICIT DOMINUS, &c. Alii: *Nunc vero sic ait Iehova creator tuus*, &c. Quarta pars concionis, nimirum consolatio a promissionibus Dei, uti dictum est in cap. XLII. 1. quæ

quæ confirmatur a natura eius, ab opere creationis, a vocatione populi, & a singularibus exemplis beneficentiæ Dei erga vocatum, adscitumque populum: quæ omnia proleptice hoc versu posita, sequentibus exponuntur usque ad vers. 9. vel, ut distinguunt, 34. QUIA REDEMI TE. Alii: *nam vindicavi te*, vel *liberavi te*; hoc est, asserui a servitute gentium & satanæ, & in servum mihi comparavi. ET VOCAVI TE NOMINE TUO: id est, illis vindiciis singulare dominium mihi in te comparavi, ut supra cap. XLI. 8. & 9. ac proinde peculiari ratione meus es, Exod. XIX. 5. Alludi hic notant ad morem herorum, qui servos suis nominibus propriis accersunt, & vocant ad operas. MEUS ES TU. Heb. *mihi tu*: quidam, *ut meus esses tu*.

V. 2. CUM TRANSIERIS PER AQUAS &c. Alii hunc versum ex Heb. transfundunt: I. *Et cum transibis per flumina, ego tecum ero, & flumina profunda te transversum non rapient; cum ambulaveris per ignem non combureris, nec flamma te lædet*. II. *Ut cum transieris per aquas ego tecum essem, cum vero flumina non te obruerent, cum per ignem incederes, non comburereris, neque flamma te incenderet*; id est, vocavi te ut meus esses, ut cum transires &c. III. *Cum transis per aquas, tibi adsum, & per flumina, ne inundent te; cum ambulas per ignem, non ureris, & flamma non incendet te*.

V. 3. DEDI PROPITIATIONEM TUAM AEGYPTUM. Vox כופר *copher*, hæc omnia complectitur: *expiationem*, *redempturam*, *redemptionem*, *pretium redemptionis*; *lytron*, vel *placationem*, *piaculum*, *piamentum*, *lustramentum*, & quod Græci dicunt, *catharma*, *peripsema*, *purgamentum*. Quidam exponunt: Ut te expiarem, & lustrarem, mactavi AEgyptios & AEthiopes, ac synecdochice alios hostes populi mei: nam occisio improborum est victima gratissima Domino, qua nedum iusti, sed totus ipse mundus lustratur, & purgatur, & a piis in improbos supplicia depelluntur; nam dum ea lustratio non fit, flagella promiscue probos & improbos involvunt. Unde hic reddunt: *dedi piaculum tuum AEgyptum*, vel *tradidi AEgyptum*, *ut esset pro te piaculum*, ut eorum sanguine tua supplicia lueres. Aptius alii: *dedi in redemptionem tui AEgyptum*, &c. His verbis Deus se servatorem esse populi confirmat, primum a recente exemplo, de quo supra cap. XXXVII. 9. deinde generali liberationum omnium commemoratione, sequente versu. Est autem exemplum recens regis Thirhakæ, qui Sancheribo Iudæam infestante, cum maximis copiis adventavit AEgyptiorum atque AEthiopum: atque ita deveniens in Iudæorum locum (ut loquitur Sapiens Proverbior. II. 8.) ipse fusus est, & Iudæi liberati: ac proinde quodammodo Iudæis redemptioni fuit. Hispanicus Interpres exponit: *A AEgypto he dado per tu rescate*, id est, *Los idolotras impios llevaran mi ira, tu: & loque dixo arriba cap.* XXXII. 19. AETHIOPIAM. כוש *chusch*, vide in Genes. II. 13. & in cap. X. 6. ET SABA. Heb. סבא *seba*, cum *Samech*: vide in Genes. X. 7. & in Psal. LXXI. 10.

V. 4. EX QUO HONORABILIS FACTUS ES, &c. Hunc versum alii ex Heb. transferunt: I. *Ex quo pretiosus habitus es in oculis meis, ex quo honoratus fuisti, & ego dilexi te, & dedi hominem pro te, & nationes pro anima tua*. II. *Eo quod pretiosus fueris in oculis meis, quodque te magnifacerem*, id est, reliquis anteponerem, vel *quodque tanti esses, & quod te amore prosequerer; immo quodvis genus hominum pro te expendi, & populos quosvis pro anima tua*. III. *Ex quo pretiosus visus es in oculis meis, honoratus fuisti, quia ego dilexi te: & subieci homines tibi, & nationes animæ tuæ*, seu *desiderio tuo*, ut Psal. XXVI. 12. quasi dicat: Denique ex quo mihi fuisti peculium, præ omnibus illis populis honore & dominatione valuisti propter amorem meum erga te. HONORABILIS FACTUS ES. Heb. *pretiosus fuisti*, *in pretio fuisti*, *magni æstimatus es*. ET GLORIOSUS. Heb. *gravis*, *honoratus*, *gloriosus*, *splendidus*, *clarus fuisti*. ET DABO HOMINES PRO TE. Heb. *& dedi hominem sub te*, vel *subtus te*. Plerique exponunt *pro te*, ut superiore versu, id est, in locum tui, seu loco tui, vel in gratiam tui, nedum AEgyptios & AEthiopas, ut superiore versu, sed etiam plures alios homines & nationes dedi, expendi, concidi, nihil feci. Sic, ut Israelitas servaret, primogenitos AEgyptiorum interfecit: sic pro salute populi sui sæpe in gentes exercitus, & gentes delevit. Alii, *sub te* seu *subtus te*; id est, dedi tibi, tradidi subie-

subiectos, subieci tibi homines, feci te illis superiorem, ac dominari in eos. ET POPULOS PRO ANIMA TUA. Heb. *& nationes sub anima tua*, vel *pro anima tua*, id est pro vita tua, seu ut te vivum conservarem, nationes multas ac gentes concidi. Alii: *sub anima tua*, id est sub desiderio, vel pro desiderio, & arbitrio tuo, ut illas pro tua voluntate ageres, & illis utereris.

V. 5. AB ORIENTE ADDUCAM SEMEN TUUM, &c. Mysterium vocationis gentium ad Christum, ex omnibus orbis plagis venturos ad fidem, qui in semine Abrahami secundum promissionem censentur. Hoc est illud Christi, Matth. VIII. 11. *Multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum*. *Ab oriente*: Mesopotamia, Chaldæa, Persia, India, Sinarum regione, Iaponiis &c. *Ab occidente*: Græcia, Italia, Gallia, Hispania, &c.

V. 6. DICAM AQUILONI, DA. Germaniæ, Gothiæ, Norvegiæ, Moschoviæ, Sarmatiæ, Scythiæ, &c. ET AUSTRO: Africæ, AEgypto, AEthiopiæ, Nubiæ, &c.

V. 7. ET OMNEM, QUI INVOCAT NOMEN MEUM. Heb. *Omnis vocatus in nomine meo*; id est, qui dicitur & appellatur meus. Hispanicus Interpres: *Todo llamado demi nombre*; id est, *mio*, *mi hiio*, *mi fiel*, *mi siervo*, ut vers. 1. Quidam hunc versum exponunt: *Omnem, qui vocat se de nomine meo, quem ad gloriam meam creavi, quem formavi, etiamque feci*. Gradatio elegans, qua Deus ordinem suæ benignitatis in electos explicat: quia primum inde a creatione instituit illos ad gloriam suam, ex proposito æterno bonæ voluntatis suæ: deinde eos vocat & iustificat, reformatque spiritu regenerationis; ac postremo ornat, & glorificat, ut ait Apostolus Romanor. VIII. 29. hoc autem significari faciendi verbo sæpius ostendimus, ut Deuteronom. XXXII. 6.

V. 8. EDUC FORAS POPULUM CAECUM. Heb. infinitivus, *Exire facere*, seu *educere*, *producere*, subaudiunt, dixi, vel iussi, seu feci, *populum cæcum*. Alii hunc versum ex Heb. reddunt: I. *Educam*; id est, ab ignorantia ad Evangelii lucem pertraham, *populum cæcum*; *cui oculi sunt, & surdos, quamvis aures sint eis*. II. *Omnino propositum est educere populum cæcum, cui tamen sunt oculi*; *tam surdum quam eos, qui aures habent*. III. Hispanicus Interpres: *Sacando al pueblo ciego, que tiene oios: y alos sordos que tienen oreias*, id est *sacanse desta sancta compagnia, y de sus conditiones los hypocritas*. IV. *Produc populum cæcum, cui* iam sunt *oculi*; *& surdos, quibus* iam sunt *aures*; id est, populum Dei, qui ex cæco & surdo, per gratiam Dei oculatus & auritus factus est. Ita in bonum, vel in malum hic versus varie accipitur.

V. 9. OMNES GENTES CONGREGATAE SUNT SIMUL, &c. Hunc versum quidam ex Heb. ita convertunt: *Omnes gentes congregentur pariter, & colligantur nationes: quis in illis indicaret istud*; *vel priora pronuntient nobis*: ut supra cap. XLI. 22. *dant testes suos ut iustificentur*: ut supra cap. XLI. 26. *aut audiant, & dicant, Verum est*, id est cedant veritati Dei. Ultima pars concionis, confirmatio superiorum omnium, ut supra cap. XLII. 1. dictum est: primum per comparationem Dei loquentis cum gentibus obloquentibus Deo, hoc versu; deinde a sanctissimo testimonio Christi, & Ecclesiæ, sequente versu: ex quibus asseritur categorice maiestas & veritas Dei ad præstandum ea quæ dixit, tribus sequentibus versibus, usque ad vers. 14. sive, ut alii distinguunt, usque ad finem capitis. *Ut iustificentur*; id est, ut iusti pronuntientur, & causam evincant.

V. 10. VOS TESTES MEI, DICIT DOMINUS. Alii: *vos testes mei estis*, *dictum Iehovæ*. Apostrophe ad pios, qui adunati Christo membra sunt Ecclesiæ. ET SERVUS MEUS, QUEM ELEGI: Christus, ut supra cap. XLII. 1. ANTE ME NON EST FORMATUS DEUS. Plerique secuti nonnullos Hebræorum, נוצר *notzar*, existimant esse participium *Niphal* constructum, quod sit cum *Patach*, redduntque: *Ante me non est formatus*, vel *formatum* aliquid *Dei fortis*, vel *non esse formatum Dei fortis*, vel *a Deo forti*; id est, omnia per me fieri, & sine me nihil fieri eorum quæ fiunt, neque futurum esse umquam, Ioan. 1. 3. Sed præstat esse præteritum *Niphal*, *Ante me non est formatus Deus*, ut plures accipiunt, nam Scriptura de Deo humano more loquitur: & dicitur hoc ad aliorum deorum extenuationem, qui esse aliquando cœperint, cum a suis cultoribus ficti sunt: cum Deus ab æterno fuerit. Vide Thesaurum Sanctis, colum. 1029.

V. 12. Ego annuntiavi, et salvavi, &c. Hunc versum alii ex Heb. traducunt: *Ego indico, & servo, & prænuntio, non autem ullus in vobis alienus* Deus: *& vos testes mei estis, dictum Iehovæ, me Deum fortem esse.*

V. 13. Et ab initio ego ipse. Heb. *Etiam a die ego ipse.* Alii: I. *Etiam, ex quo dies esse cœpisset, ego eram.* II. *Etiam præ die*, vel *ante diem*, seu *antequam esset dies, ego ille sum.* III. *Quodque ab æterno ego ille ipse.* Operabor, et quis avertet istud? Quidam: *opus faciam, & quis revocabit illud?* Hispanicus Interpres: *Si yo hiziere, qui en lo estorvara?* Heb. feminine effertur: *operabor, quis reverti faciat eam*, scilicet rem. Sed feminina in his locutionibus passim pro neutris usurpantur. Nonnulli: *cum operor, quis avertat illam*, scilicet manum, quæ proxime præcesserat: vide supra xiv. 17.

V. 14. Haec dicit Dominus redemptor vester, &c. Alii: *Sic ait Iehova vindex vester, sanctus Iisraelis*, &c. His faciunt initium capitis xliii. & illud continuant usque ad vers. 6. captis xliv. unde ipsi exordiuntur caput xliv. Hanc concionem, inquiunt, ita componendam, & distinguendam integro hoc cap. xliii. ut fecimus, res ipsa loquitur. Estque tota quoddam veluti argumentum breve sequentium capitum. Duo enim summatim continet, quæ copiosius deinceps exponuntur: casum regni Babylonici, duobus primis versibus; & liberationem populi, reliquo capite, sive ad vers. 6. cap. xliv. in nostra distinctione. Propter vos misi in Babylonem. Alii: *propter vos missurus sum in Babyloniam;* id est, ut vos gratiose liberem & instaurem, mittam in Babyloniam Cyrum cum ingenti exercitu Medorum ac Persarum. Et detraxi. Heb. *& descendere faciam, detraham, deponam deiiciam.* Vectes universos. בריחים *barichim*, proprie, *transfugitoria, transcursoria, vectes, repagula, transtilla:* vide in Exod. xxvi. 26. Quidam: *& detraxi omnes vectes illos*, id est optimates, qui scilicet tamquam vectes gestant ac muniunt populum. Alii: *& deiecturus sum vectes omnes*, id est munimenta omnia, synecdochice: ut I. Samuel xxiii. 7. Fortasse intelligi possint portulæ illæ ædificatæ in ora fluminis a Nitocri regina, quibus descensus erat in flumen, quas si Babylonii observavissent, ipsi pro ripis stantes, Persas progressos in flumen veluti in cavea excepissent, inquit Herodotus Lib. I. Num. 191. sed Deus ademit illis mentem, ne portulas vectibus firmarent, & obserarent, ut per eas ingrederentur Persæ; ac proinde ait se deiecturum vectes omnes: vel forte alludit ad portas Babylonis, de quibus Herodotus Lib. I. Num. 179. *Eius per ambitum centum portæ stabant, æreæ omnes cum cardinibus, postibusque.* Nonnulli, quia hic *barichim* scribitur cum *Cametz*, cum pro vectibus scribi soleat cum *Scheva*, *berichim*, exponunt: *& deponam fugitivos universos*, vel *profugos universos ipsos*, hoc est, deponam e sede sua seu dignitate Chaldæos, qui postea fugient navibus; vel *& descendere faciam*, subaudi, in naves, *fugientes omnes*. Quidam distinguunt: *& descendere feci:* ut superioribus nectatur: *misi, & descendere feci*; deinde sequatur: *fugitivi universi ipsi, & Chaldæi, quorum in navibus est clamor.* Sanctes in Thesauro vertit: *& descendere feci lignos vectibus ferreis universos ipsos*, Chaldæos. Et Chaldaeos in navibus suis gloriantes. Heb. *& Chaldæos, in navibus gratulatoria acclamatio eorum.* Alii: I. *& Chaldæos, quorum clamor*, mœroris & eiulatus, *in navibus est*; hoc est, fugient Chaldæi in navibus clamantes & eiulantes præ mœrore, quod deturbati patria possessione sint. II. *quorum exultatio in navibus est*, id est, qui navibus exultant ac superbiunt. III. *quorum est in navibus ovatio*; id est, navibus ovant & triumphant. IV. *Chaldæosque cum navibus cantus ipsorum*, seu *cum navibus celeberrimis ipsorum*; id est, quas ipsi celebrant, viribus earum præfidentes, & quarum nomine apud alios decantantur Babyloniorum vires. Erant enim in Babylonia Euphrates, Tigris, Basilius, Nahar-Malcha, Nahar-Sares, Marsias, Pallacopa, & fluvii alii multi, qui magnos lacus, & vastas paludes efficiunt, navigabilesque, ut ex Plinio, Ptolemæo, Arriano, Amiano Marcellino constat: quibus maxima erat navigandi per Babyloniam commoditas: tamen ipsa quoque navigandi facultas, utendarumque navium, a Cyro adempta est in expugnatione Babylonis, ut demonstratum est supra cap. xxi. 1. Verum hunc locum de celebritate Babylonicarum navium mire illustrant Plutarchus, & Arianus, ille in Alexandro: *Instituit ipse Alexander magna classe de-*

se de-

se devectus Euphrate Arabiam, & Africam ambire, atque per columnas Herculis mare mediterraneum decurrere. Omnis generis navigia apud Thapsacum parabantur, nauticique & gubernatores conquirebantur undique. Arrianus Lib. VII. Rerum Alexandri, multa de classibus Alexandri apud Babyloniam paratis prodens, hæc inter alia narrat: *Portum præterea apud Babylonios effodi curavit, qui mille naves oblongas caperet: porticus etiam, & navalia portui adiecit.* Et quamvis hæc multo post tempora Cyri facta fuerint, at satis arguunt Babyloniam multo iam antea multitudine navium abundasse.

V. 15. EGO DOMINUS, SANCTUS VESTER, &c. Quidam: *Ego Iehova sum sanctus vester, creator Iisraelis, rex vester.* Confirmatio a natura Dei, officio & beneficiis.

V. 16. HAEC DICIT DOMINUS, QUI DEDIT, &c. Alii: *Sic ait Iehova, &c.* Altera pars capitis, ut dictum est in versum I. qua Deus primum leberationem populi, profligatis Chaldæis, ad gloriam suam promittit, usque ad vers. 9. seu 22. deinde populum hypocriseos nomine reprehendit, ut quisque gloriaturus glorietur in Domino, usque ad vers. 16. sive usque ad finem capitis: postremo, plenam restitutionem promittit in Christo, ad finem usque capitis, seu quinque prioribus vesibus capitis sequentis. QUI DEDIT IN MARI VIAM, ET IN AQUIS TORRENTIBUS SEMITAM. Alii: *qui edit in mari viam, & in aquis validis semitam;* id est, qui invia loca mirifice reddit pervia, non tantum Ecclesiæ suæ, ut eam liberet (quemadmodum olim factum est in mari rubro, & in Iardene) sed etiam iis, quorum operam Deus adhibet ad vindicandam Ecclesiam, ut Cyro Euphrates factus est pervius ad occupandam Babylonem ab utraque parte oppidi. Vide Herodotum Lib. I. Num. 191.

V. 17 QUI EDUXIT QUADRIGAM, &c. Hunc versum alii ex Hebr. reddunt: I. *Qui educit currus & equos, exercitum, & robur, ita ut simul iaceant, & non resurgant, extincti, ut linamentum expirent.* II. *Qui educit currus, & equos, copias & robur, pariter iacebunt, non resurgent, expirabunt ut linum,* seu *ut ellychinum,* ut supra cap. XLII. 3. *extinguentur;* id est, duces Chaldæorum singuli cum rege facile delebuntur. III. Hispanicus Interpres: *Quando el saca carro y cavallo, exercito y fuerça,* id est, *quando Dios despliega su potentia en favor de su pueblo: caen iuntamente para no levantarse: que dan apagados, como pavilo que dan apagados,* scilicet, *los enemigos.* ET EQUUM, AGMEN, ET ROBUSTUM. Alii ex Heb. *& equum strenuitatis, & obfirmatum.* Sed præstat חיל *chaiil,* absolute accipere, *equum, strenuitatem,* seu *aciem, exercitum, copias, agmen.* עזוז *ghizzuz,* vero pro adiectivo accipiunt: *& fortem, robustum,* vel *obfirmatum,* ut Psalm. XXIIII. 8. Alii pro substantivo: *& fortitudinem, robur, obfirmationem.* CONTRITI SUNT QUASI LINUM, ET EXTINCTI SUNT. Utitur Hebraice duobus verbis fere synonymis, ad maius sententiæ incrementum; quasi dicat, Penitus, omnino, nullo negotio, quam facillime extinguentur.

V. 18. NE MEMINERITIS PRIORUM, &c. Alii: *Ne recordemini priorum, & antiqua ne consideretis,* sive *& anteriora ne diligenter observetis.* Expositio usus iusti, & finis beneficiorum Dei, nimirum gloriæ ipsius in Ecclesia prædicatio. Hoc autem interdictum non simpliciter, sed respective accipiendum est; quasi dicat: Etsi præcedentes liberationes vobis in perpetuum celebrandæ sunt, ut de liberatione ex AEgypto præcipitur Exod. XII. & XIII. tamen tanta erit novi huius beneficii dignitas, ut huic uni maxime prædicationi vobis sit incumbendum: ut Ierem. XVI. 14. 15.

V. 19. ECCE EGO FACIO NOVA, &c. Hunc versum quidam ex Heb. reddunt: *Ecce ego facio novum quid iam iam efflorescet: num & hoc cognoscetis,* &c. Alii: *Ecce ego facturus sum rem novam, iam exorietur, an cognosceretis illam; etiam disponam in deserto viam, in solitudine flumina;* id est, quemadmodum olim populo viam paravi per avias solitudines, & de viatico prospexi in locis aridissimis; ita etiam facturus sum.

V. 20. GLORIFICABIT ME BESTIA AGRI, &c. Versum ex Heb. exponunt: I. *Gloriam meam prædicabunt agrestes bestiæ, dracones, & pulli struthionum, quod dederim aquas in deserto, & flumina in solitudine, ut potum habeat populus meus, electus meus.* II. *Honorabit me bestia agri, dracones & filiæ ululæ,* ut Levit. XI. 16. *cum posuero in deserto aquas, flumina in solitudine, ad præbendum potum populo meo.* Exponunt: Honorabit me, videbit in populo meo; quasi dicat, Nullo damno afficient meos feræ agre-

grestes, sed reverentia prosequentes eum, ut cedent ei, aut servient: respicit enim ad historiam exitus ex AEgypto, qua noxia animalia populo cesserunt, Deuteronom. VIII. 15. alia vero fuerunt cibo, ut Exod. XVI. 13.

V. 21. POPULUM ISTUM FORMAVI MIHI, &c. Alii ex Heb. *Populus, quem formavi,* vel *finxi mihi, laudem meam enarrabunt;* id est, Populus, qui sunt opus meum, conditi in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparavit ut versentur in eis, Ephesior. II. 10.

V. 22. NON ME INVOCASTI IACOB, &c. Observant esse ætiologiam honoris, quem sibi attribui Deus præcepit, ab improbitate populi, cui exprobratur sua hypocrisis, tribus versibus; & a natura, ac fœdere Dei efficace in nobis per remissionem peccatorum, vers. 12. vel potius 25. quæ duo postea per contestationem confirmantur, usque ad versum 16. vel finem capitis. Hunc versum alii ex Heb. interpretantur: I. *Et tu Iahakob non invocasti me, ut mei gratia laboris aut molestiæ aliquid insumeres, o Israel.* II. *Et ad me non clamavisti, o Iahakob, quin fatigatus es in me, o Israel,* vel *quin potius tædio mei affectus es,* aut *quia laboravisti in me, o Israel;* id est, cum fastidio suscepisti quidquid a me præcipiebatur. Alii: *tantum abest ut laboraveris in me, o Israel;* id est, fessus fueris in cultu meo. III. *Nam me non invocas, Iahakob,* id est non colis: synecdochice, ut Genes. IV. 26. similem exprobrationem vide supra cap. I. 11. & sequentibus: *aut laboras apud me, Israel,* id est, ante faciem meam, ut dicitur ibidem, vers. 12.

V. 23. NON OBTULISTI MIHI ARIETEM HOLOCAUSTI TUI. Alii ex Heb. I. *Non adduxisti mihi pecudem holocaustorum tuorum.* II. *Non offeres mihi parvam pecudem holocaustorum tuorum.* Sed dæmonibus: quia sacrificium improbi est abominationi Iehovæ, Proverbior. XV. 9. Vide Deuteron. XXXII. 17. ET VICTIMIS TUIS NON GLORIFICASTI ME. Alii: I. *nec sacrificiis tuis me celebrasti.* II. *& sacrificiis tuis non honoras me.* NON TE SERVIRE FECI IN OBLATIONE. Alii: I. *nec ego te coegi, ut servires in oblatione minchah;* id est, non extorsi a te multa sacrificia farinacea, ut heri a servis suis multas operas solent exigere. II. *non premo te ut servias munere.* NEC LABOREM TIBI PRAEBUI IN THURE. Alii: I. *Neque fatigo te thure.* II. *Neque negotium tibi feci thure.* III. *Neque fatigavi te in suffimento.* Hispanicus Interpres: *Ni tebize fatigar con perfume;* id est, ut mihi multa odoramenta afferres.

V. 24. NON EMISTI MIHI, &c. Hunc versum ex Heb. alii reddunt: I. *Non emisti mihi pecunia calamum aromaticum, neque adipe victimarum tuarum imbuisti me: quin potius me servire fecisti in peccatis tuis,* vel *ob peccata tua, & negotium mihi fecisti iniquitatibus tuis.* II. *Non comparas mihi pecunia calamum odoratum, & adipe sacrificiorum tuorum non irrigas me: quin servitute premis me;* id est, me ipsum angis, mihique molestus es: dictum anthropopathos, ut supra cap. I. 14.: *propter peccata tua, fatigas me in iniquitatibus tuis.*

V. 25. PROPTER ME; id est, ex mera mea misericordia & gratia, non propter merita tua, aut iustitiam tuam, ex lege.

V. 26. REDUC ME IN MEMORIAM, &c. Hunc versum varie ex Heb. exponunt: I. *Reduc mihi in memoriam,* subaudi, peccata tua, *iudicabimur simul,* vel *contendemus iudicio inter nos: narrato tu, ut iustificeris,* sive *id cuius causa absolutionem speras;* id est, ut in hac disceptatione vincas si vincere debes, ut ostendas causam tuam iustam & bonam. Quod si dicas te fecisse aliquid in mei gratiam, quo tibi sim obstrictus, age videamus. II. *Revoca in memoriam mihi, disceptemus una; enarra tu ut iustificeris.* Contestatio synchoretica, seu concessiva, ad confirmandum superioris versus documentum, de gratuita peccatorum remissione in Christo; quasi dicat, Profer iustitiam tuam, si qua forte est, & si obliviscor eius.

V. 27. PATER TUUS PRIMUS PECCAVIT, &c. Quidam hunc versum ita accipiunt: *Pater tuus primus peccaverit, & interventores tui defecerint a me.* Subiectio, seu responsio ad præcedentem contestationem: Si ad disceptationem, inquit Deus, causæ veniatur, invenieris non tantum peccasse in me, sed etiam inde a conceptu peccatorem esse, ut patres tui, neque tibi ullum esse, qui tibi intercedere tua causa possit: adeo omnes ordines tui, omnesque ætates corruptæ sunt. *Interventores tui,* &c. id est, sacerdotes & Levitæ ipsi, quorum interventus

tus facer institutus est a Deo, Numer. III. Nam distribuuntur Iisraelitæ hoc versu in ordinem popularem, & sacrum: & suæ pœnæ utrique ordini hysteron proteron denuntiantur, sequente versu: quæ fuissent eventuræ nisi ad gloriam suam respexisset Deus. Plerique, *Interpretes*, *interventores*, *legatos*, *rethores*, *oratores*, hic intelligunt Mosen, & Aaronem, qui erant interpretes inter Deum & populum, & ipsi quoque prævaricati sunt ad aquas contradictionis.

V. 28. Et contaminavi principes sanctos, &c. Quidam hunc versum reddunt: *Et principes sanctuarii* vel *sanctitatis*, id est principes populi sancti, vel principes, quos mihi consecraveram, & delegeram, ut essent duces populi mei, videlicet Mosen & Aaronem, *profanavi*, id est, illos profanos & contaminatos denuntiavi, atque indignos qui ingrederentur in terram promissam & sanctam: *Iahakobum devovi internecioni*, vel *dedi neci Iahakobum*; id est, maiorem partem Iahakobi trucidavi in deserto: *& Israelem obieci opprobrantibus*, vel *opprobriis*; id est, permisi ut Israelitæ probris afficerentur: nam cum tanta strages fieret in deserto, hostes Israelis per contumeliam dicebant, Ubi est Deus Israelitarum? & ludibrio illis erant Israelitæ. Alii: *Et profanavi principes sanctitatis*; id est, ut contaminatos & profanatos duxi tuos illos principes, quorum erat eximia sanctitas, & tamquam immundos eos castigavi, noluique ut terram sanctam pedibus contingerent: *& dedi in anathema Iahakobum*; id est, insuper & ceteros omnes patres tuos, quod in me prævaricati fuissent, dedi in anathema, ut internecione delerentur. Et Israelem in opprobria: id est, fueruntque opprobrio universis; nemo enim erat qui non eos damnaret, quemque non eorum puderet, qui tam ingrati in Deum suum fuissent, toties ab eius fide deficientes. Hispanicus Interpres: *Portanto yo profane los principes del Sanctuario?* id est, *desheche, de puse del ministerio: ey puse per anathma, para ser destruido a Iahakob, y a Israel por verguenca.* Nonnulli hunc versum possibiliter accipiunt: *Proinde essem profanaturus principes sacros*, id est sacerdotes & Levitas, nimirum universum ordinem sacrum; *& expositurus anathemati Iahakobum, & Israelem contumeliis*, id est omnem ordinem popularem, nisi ad gloriam meam respexissem.

MENOCHII

Vers. 1. Haec dicit Dominus, &c. Alloquitur Heb. Babylone captivos, eosque liberandos prædicit, sed sub hoc typo altius aliquid intelligit, scilicet liberationem fidelium a captivitate peccati, & diaboli per Christum. Itaque typum cum antitypo permiscet, iamque dicit aliqua quæ magis typo, iam quædam, quæ magis antitypo conveniant. Creans te Iacob. Deus peculiariter dicitur Israelitas creasse, quia miraculose Abraham ex Sara anu, & sterili genuit Isaac, ex Rebecca genuit Iacob, ex quo prognati sunt Hebræi. Formans te: feci te tamquam vas in honorem, legibus, & sanctis institutis formavi, ut esses mihi in remp. fidelem, & sanctam Redemi te: ex captivitatibus AEgypti, & Babylonis, & tandem diaboli per Christum. Vocavi te nomine tuo; id est, vocavi nomen tuum, volui ut nomen tuum esset, Meus es tu.

V. 2. Cum transieris; id est, ego tibi adero, & a periculis incolumem præstabo.

V. 3. Dedit propitiationem tuam AEgyptum. Pagninus & Vatablus vertunt: *dedi pretium tuum AEgyptum*; id est, effeci, ut Sennacherib Israeli iam imminens, ad vastandum AEgyptum &c. verteretur, atque ita regnis illis ei obiectis, quasi in tui pretium, te liberavi. Vide historiam supra cap. xx. & xxxvii. Pro Ecclesia Christiana perdidit Deus Gentes illi adversantes, iuxta illud Prover. xi. 8. *Iustus de angustia liberatus est, & tradetur impius pro eo.*

V. 4. Ex quo. Pro rationali particula accipiunt Hebræi, *Quia*, *eo quod*. Potest etiam esse temporis: *Ex quo tempore*. Pagninus, & Vatablus vertunt: *Ex quo pretiosus fuisti in oculis meis, gloriosus fuisti*. Dabo homines pro te: sicut AEgyptios, & AEthiopas dedi pro te, sic dabo & Babylonios: hos enim Deus per Cyrum deleri voluit, ut Iudæos liberaret. Sic pro Ecclesia populos Deus aut evertit, aut convertit. Et populos, &c. est repetitio eiusdem sententiæ.

V. 5. Ab oriente: ex omnibus orbis plagis colligitur Ecclesia Christi, omnibus nationibus ei nomen dantibus.

V. 7. ET OMNEM: particula &, est caufalis, Quia omnem, &c. IN GLORIAM MEAM CREAVI EOS: creavi, formavi, & feci eos fideles, aut Christianos, ut nomen meum celebrarent, & invocarent.

V. 8. EDUC FORAS: e cœtu fidelium eiice o Christe per te, & per Apostolos. POPULUM CAECUM: Iudæos: hoc est quod ait Christus Matth. VIII. 12. *Filii regni eiicientur in tenebras exteriores*. ET OCULOS HABENTEM: qui voluntarie, & suo vitio cæcus est.

V. 9. OMNES GENTES, &c. Redit Propheta ad disceptationem cum Gentibus & earum idolis; sententia est: Congregentur omnes gentes, cum suis diis. TRIBUS: nationes. QUIS IN VOBIS ANNUNTIET ISTUD. Hoc mysterium redemptionis mundi a potestate dæmonis, & fundationis Ecclesiæ, quis deorum agnovit? quis prædixit? ET QUAE PRIMA SUNT AUDIRE NOS FACIET? Vide dicta cap. XLI. 22. EORUM, scilicet oraculorum suorum. IUSTIFICENTUR: causam suam iustificent, scilicet probent se esse deos, ex præsagio futurorum. ET AUDIANT, &c. id est, & populi hoc testimonium audiant, & dicant, Vere sunt hi dii.

V. 10. VOS: Israelitæ. TESTES MEI: quia multis beneficiis affecti, & recenter a Sennacherib liberati. SERVUS MEUS. Aliqui putant intelligi Cyrum, alii Isaiam ipsum, alii verius Christum, qui etiam supra cap. XLI. 1. vocatus fuit *Servus Dei*: est autem Christus testis, quia dicta verba Prophetarum confirmavit, & factis, quia in ipso illorum vaticinia adimpleta sunt. EGO IPSE SUM: scilicet Deus.

V. 12. ANNUNTIAVI, scilicet futura. ET SALVAVI: salutem attuli, quod idola facere non possunt. AUDITUM FECI: est idem quod dixerat *Annuntiavi*. NON FUIT ALIENUS; quasi dicat: Cum hæc mirabilia ad vestram salutem fierent, nullus erat in vobis Deus alienus, nulla idola colebatis, sed me tantum: ergo illorum mirabilium ego auctor fui. VOS TESTES, &c. id est, vos ergo testes estis, quod ego sim Deus.

V. 13. ET AB INITIO EGO IPSE; id est, quæ olim a principio maiores vestri beneficia receperunt, a me profecta sunt. ET NON EST QUI DE MANU MEA ERUAT; quasi dicat: Ego quippe sum omnipotens, penes quem vitæ, & mortis claves sunt. OPERABOR, &c. id est, si aliquid facere velim, quis prohibebit quominus fiat?

V. 14. MISI: mittam Cyrum. DETRAXI: detraham. VECTES UNIVERSOS: vectes portarum, omniaque robora, & munitiones Babylonis frangam, ut vos ex ea liberem. Pari modo per Christum, cuius typus est Cyrus, vos ex dæmonis captivitate liberabo. IN NAVIBUS SUIS GLORIANTES: alluitur enim Babylon ab Euphrate, per quem naves ultro citroque commeant.

V. 15. CREANS ISRAEL: vide dicta supra num. 1.

V. 16. IN MARI, rubro. IN AQUIS TORRENTIBUS, id est vehementibus maris rubri; est enim repetitio eius quod dictum fuerat priore parte versiculi.

V. 17. QUI EDUXIT QUADRIGAM, ET EQUUM, id est fecit exire ex AEgypto, scilicet contra Hebræos, AGMEN, ET ROBUSTUM: exercitum, & strenuos bellatores. OBDORMIERUNT: somno mortis. QUASI LINUM: ea facilitate, qua lini stipula conteritur; vel crebris, & validis Dei percutientis ictibus, ut percutitur linum.

V. 18. NE MEMINERITIS PRIORUM, &c. quasi dicat, Sed omittamus antiqua.

V. 19. NUNC ORIENTUR: nunc recentia exhibebo beneficia, veteribus illis maiora. UTIQUE COGNOSCETIS EA: adeo magna erunt, & evidentia, ut neminem latere possint. PONAM IN DESERTO VIAM: in deserto gentilitatis viam aperiam, quæ ducat ad Christum. IN INVIO FLUMINA: in eodem deserto flumina cælestium gratiarum.

V. 20. GLORIFICABIT ME BESTIA AGRI; scilicet Gentiles, qui ante fidem erant quasi feræ.

V. 21. FORMAVI MIHI: ex feris, & quasi ex lapidibus, suscitans mihi filios Abrahæ.

V. 22. NON ME INVOCASTI IACOB; quasi dicat: Ideo elegi Gentes, quia tu o Israel, non me, ut par fuisset, invocasti, aut coluisti. NEC LABORASTI IN ME: nec causa mea laborasti, meæ legis, religionis cultor sedulus. Vatablus vertit: *Quin fatigatus es in me o Israel*.

V. 23. NON TE SERVIRE FECI IN OBLATIONE: non optavi a te mihi oblationes offerri, quia sacrificia tua, & oblationes tuas pollutas existimavi. NEC LABOREM, &c. est repetitio eiusdem sententiæ.

V. 24. NON EMISTI MIHI ARGENTO CA-

LA-

LAMUM; quasi dicat: Calamum quem emisti, ut mihi offerres, ego mihi emptum, & oblatum non reputo, non accepto, nec admitto, cum sis sceleribus pollutus, & existimes satis esse, si externa hæc offerentur sacrificia, & interim pietas, religio, & iustitia negligatur. CALAMUM: aromaticum. Aliqui putant cam esse, quam vulgo *camellam* dicimus. LXX. habent *thymiama*. SERVIRE ME FECISTI IN PECCATIS, id est gravari more servorum, adeo molestus mihi fuisti tuis illis sacrificiis. PRAEBUISTI, &c. est repetitio eiusdem sententiæ.

V. 25. EGO SUM, &c. quasi dicat: Non tuæ victimæ, quæ plus habent sceleris quam pietatis, non opera legis a te facta, ut tu putas; sed ego per Christum, & eius merita deleo iniquitates tuas. PROPTER ME: mea misericordia, non meritis tuis. NON RECORDABOR: ut puniam.

V. 26. REDUC ME IN MEMORIAM: revoca in memoriam quid tecum egerim. IUDICEMUR SIMUL: iudicio simul contendamus, ut videamus, an ex operibus, & meritis tuis, an vero ex mera mea misericordia remissio peccatorum tibi obtingere debeat. UT IUSTIFICERIS: ut in hac causa, & lite superior evadas, & pro tua iustitia sententia pronuncietur.

V. 27. PATER TUUS PRIMUS PECCAVIT. Aliqui Adamum intelligunt, alii Abrahamum, quo patre potissimum Hebræi gloriabantur; hic autem peccavit, quia ut multi docent, antequam vocaretur a Deo, coluit idola gentis suæ, scilicet Chaldæorum, ut colligi videtur Ios. XIV. 2. vide ibi dicta. INTERPRETES TUI: Moses & Aaron, qui fuerunt sequestri, & internuncii inter Deum, & populum.

V. 28. CONTAMINAVI PRINCIPES SANCTOS: & Aaronem hunc, & Mosen, Principes sanctos, peccato contaminatos ostendi, & indignos, qui terram sanctam ingrederentur; quare eos quasi peccati reos ad mortem damnavi, & mori in deserto coegi. DEDI AD INTERNECIONEM IACOB: ob peccatum murmuris Num. XIV. 29. IN BLASPHEMIAM. LXX. & Chaldæus habent, *In opprobrium;* hostes enim irridebant eos, & subsannabant, quod ob scelera a Deo suo educti essent ex AEgypto, ut male perirent in deserto.

TIRINI.

Vers. I. CREANS TE IACOB, etiam præter morem vulgarium hominum, nempe ex sterili Rebecca *a* & Sara *b*. En primum beneficium. Secundum, FORMANS TE, instar figuli, in vas mihi in honorem, in rempublicam florentissimam, in regnum amplissimum ac potentissimum. Tertium, REDEMI TE tum ex AEgypto, tum ex tot aliis hostibus. Quartum, VOCAVI TE NOMINE TUO (id est, quod tuum, seu tibi proprium esse volui) MEUS ES TU: hoc ipso faciens, ut reipsa sis populus meus, peculium, hereditas & cimelium meum. Nam ut verissime ait Plato, *c*, *Dei appellatio est, cum facit inesse rei nominatæ id quod nomen significat*. Quæ sane ingens est dignitas æque ac utilitas, *ut filii Dei nominemur & simus: genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*. Nec potuit quidquam tristius accidere Iudæis, quam quod Osee I. Deus minaretur, vocatum eos iri deinceps, *Non populus meus*: ita Leo Castrius.

V. 2. CUM TRANSIERIS PER AQUAS ET IGNEM; id est, per gravissimas afflictiones & vitæ pericula tum sub Assyriis & Chaldæis, tum sub aliis hostibus, illæsum te traducam, ut olim traduxi Abrahamum per *Ur*, id est ignem *e* Chaldæorum & patres vestros per mare *f* rubrum & Iordanem *g*. Sic ad litteram traducti postea per ignem tres pueri in fornace, Daniel III. 50. & in novo testamento S. Vincentius, Cæcilia, Agnes, Lucia, aliæque plurimæ virgines, in flammis tum libidinis, tum fornacis, Deo protegente, prorsus fuere intactæ.

V. 3. AEGYPTUM AETHIOPIAM ET regnum SABA, quæ est Abassia, DEDI PROPITIATIONEM PRO TE; id est, pro victima piaculari mactanda obieci Sennacheribo, loco Iudææ & Ierosolymæ cui devorandæ inhiabat. Historiam vidimus supra XXXVII. & IV. Reg. XIX. 7. Sic LXX. vertunt, *AEgyptum, AEthiopiam & Saba feci commutationem tuam pro te*. Et hoc est quod Proverb. XI. dicitur, *Iustus de angustia liberatus est, & tradetur impius pro eo*: ita S. Cyrillus, Sanchez & a Lapide. Sicut ergo tunc dedi AEthiopes & AEgyptios: ita postea

V. 4.

V. 4. DABO alios HOMINES PRO TE, nempe Babylonios, reliquosque Chaldæos quos Cyro & Dario victimas obiiciam.

V. 5. SEMEN TUUM per quatuor orbis *h* plagas dispergendum, ego rursus ex illis omnibus reducam in propriam patriam. Saltem

V. 7. OMNEM, QUI INVOCAT NOMEN MEUM; id est, omnes qui volunt esse & censeri populus meus, de quo v. 1. Nam de reliquis subditur:

V. 8. EDUC; Hebraice, *eiice* FORAS extra limites patriæ: extra numerum populi Dei, POPULUM CAECUM, id est in perfidia sua obstinatum, OCULOS quidem HABENTEM, quibus vident & palpant veritatem, sed nolunt amplecti, immo oculos occludunt, ut cæci: ita S. Hierorenymus, Procopius, Theodoretus & Prosper *i*. Et hoc est quod ait Christus Matth. VIII. *Filii regni eiicientur in tenebras exteriores*.

V. 9. OMNES GENTES idololatræ CONGREGATAE SUNT coram oculis meis divinis; Vatablus vertit, *congregentur omnes gentes*, SIMUL cum idolis suis. QUIS omnium falsorum deorum istorum ANNUNTIET ISTUD IN VOBIS? id est prædicere tale quid possit vobis olim obventurum, quale ego nunc palam prædico? DENT TESTES, si quos habeant, similium oraculorum a se profectorum. Hac enim occasione digreditur ad insectandam idolorum ignorantiam & impotentiam, ut Iudæos in idola propensissimos longius ab illorum cultu divertat.

V. 14. PROPTER VOS MISI IN BABYLONEM, supple, Cyrum & Darium, & per hos DETRAXI VECTES UNIVERSOS portarum, id est impedimenta & remoras omnes, quas Zacharias VI. 1. vocat *montes æreos*: nempe, ut submotis obstaculis tota facilius Babylonia potiantur, & vos in libertatem asserant.

V. 17. EDUXIT ex AEgypto QUADRIGAM ET EQUUM, id est quadrigas & equitatum Pharaonis, in *mare* rubrum; ubi aquis in alveum suum reductis oppressi, morte æterna OBDORMIERUNT, CONTRITI ET EXTINCTI QUASI LINUM, vel stupa fumigans in aquas depressa. Magna hæc sunt & stupenda beneficia: sed nolo

V. 18. MEMINERITIS iam istorum PRIORUM olim vobis collatorum: statui enim longe ampliora de novo propediem in vos conferre, puta per Christum, & in Ecclesia Christi, inquiunt S. Hieronymus, Procopius, Forerius & Sanchez. Rursus enim, ut olim sub Moyse,

V. 19. PONAM IN DESERTO VIAM, id est per Gentilium deserta prius corda & invia viam aperiam ad terram promissam, non Palæstinæ, sed cæli: neque *mare rubrum* aut solitudinem *Sin*, duce columna nubis & ignis, sed per omnia dæmonum obstacula duce Christo & Spiritu sancto: quo *flumina* erumpent gratiarum & beneficiorum spiritualium, quæ desertum istud sic humectabunt, ut quemadmodum olim sub Moyse, aquis e rupe scaturientibus,

V. 20. DRACONES, STRUTHIONES & aliæ *bestiæ* AGRI sitim illic suam restinguebant, seque oblectabant: ita nunc gentes barbaræ, & feritate draconibus & struthionibus similes, ex his fontibus haurire possint quidquid, seu ad salutem, seu ad oblectationem exoptarint: ob tantas delitias me *glorificantes*, & gratias perpetuo agentes: ita S. Hieronymus & Abulensis *k*; qui addit, aquis Mosaicis e petra excussis, perpetuo deinceps fluentibus Arabiam ante aridam & sterilem, redditam prorsus fecundam & habitabilem. Simili etiam modo regiones Gentilium fecundatæ sunt per fidem & gratiam Christi, inquit S. Gregorius *l*. Hic Deo obstrepunt Iudæi. Vocas, inquiunt, Gentes, ut laudent & serviant tibi: cur nos deseris & spernis qui continuo te laudamus, tibi sacrificamus & servimus? Respondet Deus, negando hæc illos facere.

V. 22. NON ME INVOCASTI, sed ad iram provocasti, o IACOB: non LABORASTI IN ME colendo vel laudando; sed vituperando & offendendo: ita S. Hieronymus, Procopius, & alii.

V. 23. NON MIHI honorando vel *glorificando* OBTULISTI VICTIMAS TUAS, sed propriæ tuæ laudi & commodis consulendo. Unde NON TE SERVIRE FECI IN eiusmodi OBLATIONE, NEC LABOREM TIBI PRAEBUI IN THURE sic adolendo; id est, nil tale tibi præscripsi vel expetii a te. Potius ut ingrata & exosa detestor & execror.

V. 24. CALAMUM aromaticum, id est canellam, inquit Forerius, EMISTI ARGENTO, sed NON MIHI, qui tali odore non

non oblector, sed corde religioso & a sceleribus puro. ADIPE VICTIMARUM te INEBRIASTI, sed NON ME, qui externa sacrificia sine interno mentis obsequio neque rata, neque grata habeo. Quin potius, o te ingratum, immo perfidum! tu ME tibi SERVIRE *& laborare fecisti* cum PECCATIS TUIS: primo, illis mihi ob oculos impudenter statuendis & ostentandis, ut LXX. insinuant: secundo, illis ferendis, & quasi contra divinam iustitiam meam ne mox plectantur, tutandis, inquit S. Hieronymus: tertio, illis ope & concursu meo vobiscum quasi producendis. Nam licet Dei concursus ad scelera hominum ex se determinatus non sit, neque ea intentione illis detur; adest tamen promptus paratusque ad illorum arbitrium, optans ex se ad bona impendi, sinens tamen etiam ad mala, sed invitum trahi. Et hoc exprobrat hic impiis Iudæis, quod non sinerent se suo iure arbitrio illorum & menti dominari; sed ipsi Deum, ac si servus illorum & mancipium esset, eogerent impio suo nutui vel invitum deservire: quarto denique illis expiandis & delendis: in quem finem destinavi unigenitum meum, qui humanam servi naturam indutus, tot annorum labore & dolore, ac demum probrosissima morte liberet vos a peccato, a diabolo, ab inferno: ita Lactantius *m*, & Leo Castrius. Sed hoc feci

V. 25. PROPTER ME; id est, propter immensam meam misericordiam, merumque amorem, non ob victimas vestras: sed nec ob merita patrum vestrorum, inquit Origenes *n*.

V. 26. REDUC ME IN MEMORIAM; id est, fac mihi in mentem veniant, si quæ habes, aut proferre potes merita, seu tua, seu tuorum parentum, ob quæ putas me debere tibi tua scelera ignoscere, vel per filium meum expiare.

V. 27. PATER TUUS PRIMUS, Adam, item Abraham (in iuventute *o* idololatra) & si quem alium iactes, *peccavit* in me. Quin ET INTERPRETES TUI, Moyses & Aaron, qui sequestri & internuntii fuerunt in me & te, PRAEVARICATI SUNT IN ME apud aquas *p* Contradictionis. Unde & hos

V. 28. PRINCIPES tam SANCTOS CONTAMINAVI, id est ostendi contaminatos esse peccato, & reos mortis pronuntiavi, & in deserto mori coegi. Quod vero ad reliquos parentes vestros attinet, qui tunc una cum Moyse & Aarone erant in deserto, omnes ob ingratitudinem, ob murmur, ob rebellionem suam, DEDI AD *q* INTERNECIONEM, id est damnavi ad mortem obeundam in deserto: totumque *Israelem* non tunc solum, sed & postea tempore Iudicum, dedi hostibus IN BLASPHEMIAM, seu *in opprobrium*, ut vertunt LXX. & Chald. Quo igitur pacto parentes tui te suo merito iustificent, qui ipsimet ob sua crimina morte damnati sunt? *Omnes peccaverunt, & egent gloria r* ac misericordia *Dei* & gratia Christi. Hanc amplexi sunt Gentiles, hanc & vos Iudæi amplectimini; & pari iure utroque pari affectu, pari amore complectar: ita S. Hieronymus & alii Patres.

(a) Genes. xxv. 21.
(b) Genes. xviii. 12
(c) Plato in Cratylo.
(d) Exod. xix. 5. & 1. Pet. ii.
(e) Genes. xi. v. 31.
(f) Exodi xiv. 22.
(g) Iosue iii. 15.
(h) Zachariæ ii. 6.
(i) Prosp. Lib. I. de Vocat. Gentium c. iii.
(k) Abulens. in Num. xx. q. xx. 114.
(l) Greg. Lib. XXXI. Moral. c. v.
(m) Lact. Lib. IV. cap. xix.
(n) Orig. hom. xiii. in Gen.
(o) Gen. xii.
(p) Num. xx. 12.
(q) Num. xiv. 29.
(r) Rom. viii. 27.

GORDONI.

Vers. 1. ET NUNC HAEC DICIT DOMINUS, &c. Israelem, hoc est Ecclesiam solatur, initio commemorans quatuor beneficia, creationem, legem datam qua formatur, redemptionem, & vocationem.

V. 2. CUM TRANSIERIS, &c. En promissionem factam Ecclesiæ, ut olim per aquas maris rubri & Iordanis, ignemque & Ur Chaldæorum adsui; ita deinceps non tantum cum pueris in fornace Babylonica, sed etiam post aliquot sæcula adero: contra tyrannorum & imperatorum ignes, & feras, ostendam protectionem meam: libri sunt pleni exemplis.

V. 3. QUIA EGO DOMINUS, &c. Narratum est cap. xvii. quomodo Deus regem Sennacherib avertit ab Ezechia in AEgyptum, ut hinc haberet propitiationem E-ze-

zechias; hinc, inquit Deus, concipe spem, ne timeas: maiora beneficia te manent. Sic ergo in hoc typo multa promittuntur Ecclesiæ, quod satis usque ad vers. 9. explicatur.

V. 9. OMNES GENTES CONGREGATAE SUNT SIMUL, &c. Regreditur Isaias ad gentes & idola. Superiora quæ iam commemoravi, faciet Dominus: iam ergo congregentur gentes in unum, & dicant pro idolis si quid simile habent: proferant pro se prima & præcipua; vel divinent si possunt ventura. Vos autem (v. 10.) Israelitæ & principes Ecclesiæ, testes estis eorum quæ fecit Dominus.

V. 16. HAEC DICIT DOMINUS. Commemorat beneficia & miracula facta in mari rubro, vel aquis Iordanis. Sed expectate (ex v. 18.) nova & maiora quæ fient in Ecclesia Christi; & quod v. 20. dicitur de bestiis glorificantibus Deum, intellige homines feris moribus, quos convertet gratia Christi.

V. 22. NON ME INVOCASTI IACOB, &c. Paterna velut exhortatio est ad Israelem & Ecclesiam, habens commemorationem tum negligentiæ præteritæ in cultu divino; tum bonorum quæ Deus parat dare Ecclesiæ; ac si diceret, Non me invocasti ut debebas: vitiosæ tuæ oblationes, non laudes, sed potius opprobria fuere. Ego tales oblationes, boves sic oblatos, & calamos aromaticos non volui, nec optavi: ego non te sic servire feci, sed me potius tibi servire fecisti, gravans me tuis peccatis, ac si servus essem tuus: aspice ventura (v. 25.) non opera legis quæ tu facis mihi deinceps placebunt; sed aliunde tibi salus erit: ego enim per Christum te redimam, misericors ero, & iustificabo: revoca in mentem pristinos dies, & meditare quæ facturus sum, ait Dominus.

Nota v. 25. DELEO INIQUITATES TUAS. Hoc sane non est manentia in homine peccata abscondere, aut non imputare; sed est efficere ut non sint, sicut inter homines deletur & obliteratur chirographum, & obsignatio diplomatis. Respondent editiones aliæ Septuag. ἐξαλείφων. Heb. מחה *mocheh*, *delens*: rad. מחה, *delevit*, *abstersit*: vide cap. XLIV. 22.

V. 28. PRINCIPES SANCTOS CONTAMINAVI, &c. Ne putarent Iudæi se ob patrum merita iustificari, dixit v. 27. etiam primum patrem peccasse; sive Adamum intelligas in quo omnes peccaverunt; sive Abrahamum, qui putatur coluisse idola, antequam vocaretur a Deo, ex Iosue XXIV. 2. de qua re dixi Genes. XI. & XII. Iam vers. 28. addit se satis ostendisse principes eorum peccato contaminatos fuisse. CONTAMINAVI, hoc est, iudicio declaravi, ostendendo indignos qui ingrederentur terram promissam. Sancti vocantur; quia segregati erant ad sanctuarium Moses, & Aaron, & alii. Septuag. *contaminaverunt*.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 3. DEDI PROPITIATIONEM. Sicut ad liberandum Ezechiam ab hoste Sennacherib, Deus obtrusit AEgyptum & AEthiopiam; has, inquam, & alias nationes obiecit hosti velut in propitiationem, quo modo avocatus est hosti: ita plane erit de Ecclesia quando Deus gentes perdet, ut consulat Ecclesiæ.

Vers. 18. NE MEMINERITIS. Post recensita vetera quæ Deus egit, nunc est ad nova transitio.

Vers. 22. NON ME INVOCASTI. Hæc de cultu & sacrificiis: non sunt facta, ut oportuit.

CA-



CAPUT XLIV.

Deus consolatur populum suum, effusurus super eum spiritum suum, & aquas super sitientem: ipse primus & novissimus ac solus Deus, omnium creator ac moderator: idolorum quoque, artificum eorum ac idololatrarum magna vanitas, immo stupor aperte convincitur: proinde ab idolis ad Deum, in cuius manu sunt omnia, populus revocatur.

1. ET nunc audi Iacob serve meus, & (*a*) Israel quem elegi: 2. Hæc dicit Dominus faciens & formans te, ab utero auxiliator tuus: noli timere serve meus Iacob, & rectissime, quem elegi. 3. Effundam enim aquas super sitientem, & fluenta super aridam: effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam. 4. Et germinabunt inter herbas, quasi salices iuxta præterfluentes aquas. 5. Iste dicet: Domini ego sum: & ille vocabit in nomine Iacob: & hic scribet manu sua: Domino: & in nomine Israel assimilabitur. 6. (*b*) Hæc dicit Dominus rex Israel, & redemptor eius Dominus exercituum: Ego primus, & ego novissimus, & absque me non est Deus. 7. Quis similis mei? vocet, & annuntiet: & ordinem exponat mihi, ex quo constitui populum antiquum: ventura & quæ futura sunt annuntient eis. 8. Nolite timere, neque conturbemini: ex tunc audire te feci, & annuntiavi: vos estis testes mei, numquid est Deus absque me, & formator quem ego non noverim? 9. Plastæ idoli omnes nihil sunt, & amantissima eorum non proderunt eis: ipsi sunt testes eorum, quia non vident, neque intelligunt, ut confundantur. 10. Quis formavit Deum, & sculptile conflavit ad nihil utile? 11. Ecce omnes participes eius confundentur: fabri enim sunt ex hominibus: convenient omnes, stabunt & pavebunt, & confundentur simul. 12. (*c*) Faber ferrarius lima operatus est: in prunis, & in malleis formavit illud, & operatus est in brachio fortitudinis suæ: esuriet & deficiet, non bibet aquam, & lassescet. 13. Artifex lignarius extendit normam, formavit illud in runcina: fecit illud in angularibus, & in circino tornavit illud: & fecit imaginem viri quasi speciosum hominem habitantem in domo. 14. Succidit cedros, tulit ilicem, & quercum, quæ steterat inter ligna saltus: plantavit pinum, quam pluvia nutrivit. 15. Et facta est hominibus in focum: sumpsit ex eis, & calefactus est: & succendit, & coxit panes: de reliquo autem operatus est deum, & adoravit: fecit sculptile, & curvatus est ante illud. 16. Medium eius combussit igni, * & de medio eius carnes comedit: coxit pulmentum, & saturatus est, & calefactus est, & dixit: Vah, calefactus sum, vidi focum. 17. Reliquum autem eius deum fecit & sculptile sibi: curvatur ante illud, & adorat illud, & obsecrat, dicens: Libera me, quia Deus meus es tu. 18. Nescierunt, neque intellexerunt: obliti enim sunt ne videant oculi eorum, & ne intelligant corde suo. 19. Non recogitant in mente sua, neque cognoscunt, neque sentiunt, ut dicant: Me-

dietatem eius combussi igni, & coxi super carbones eius panes: coxi carnes
& comedi, & de reliquo eius idolum faciam? ante truncum ligni procidam?
20. Pars eius cinis est: cor insipiens adoravit illud, & non liberabit animam
suam, neque dicet: Forte mendacium est in dextera mea. 21. Memento ho-
rum Iacob, & Israel, quoniam servus meus es tu: formavi te, servus meus
es tu Israel, ne obliviscaris mei. 22. Delevi ut nubem iniquitates tuas, &
quasi nebulam peccata tua: revertere ad me, quoniam redemi te. 23. † Lau-
date cæli, quoniam misericordiam fecit Dominus: iubilate extrema terræ, re-
sonate montes laudationem, saltus & omne lignum eius: quoniam redemit Do-
minus Iacob, & Israel gloriabitur. 24. Hæc dicit Dominus redemptor tuus,
& formator tuus ex utero: Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens cæ-
los solus, stabiliens terram, & nullus mecum. 25. Irrita faciens signa divino-
rum, & ariolos in furorem vertens. Convertens sapientes retrorsum: & scien-
tiam eorum stultam faciens. 26. Suscitans verbum servi sui, & consilium nun-
tiorum suorum complens. Qui dico Ierusalem: Habitaberis; & civitatibus Iu-
da: AEdificabimini, & deserta eius suscitabo. 27. Qui dico profundo: De-
solare, & flumina tua arefaciam. 28. Qui dico Cyro: Pastor meus es, &
omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Ierusalem: AEdificaberis; &
templo: Fundaberis.

(a) Ier. xxx. 10. & xlvi. 27. (b) Sup. xli. 4. Inf. xlviii. 12. Apoc. i. 18. & xxii. 13.
(c) Sap. xiii. 11.

B R U G E N S I S

Romana Correctio.

V. 16. *Et de medio eius carnes comedit*. Quod multi codices addunt *coxit & ante comedit*, superfluum est.

Lectionum Varietas.

Vers. 23. *Laudate cæli quoniam misericordiam fecit Dominus*. Multi antiqui libri, Hebræo similiter, omittunt *misericordiam*: quod tamen supplent Græcus & Chaldæus.

Notationes.

Vers. 16. ET *de medio eius carnes comedit: coxit pulmentum, & saturatus est*. Coniunctionem quæ in huius partis capite est, auferunt antiqui libri: quam etiam Hebræa, Chaldæaque transfodiunt. Complures codices cum Hugone Carensi addunt *coxit &: de medio eius coxit, & comedit:* (& o.) *coxit pulmentum &c.* Quidam unus calamo, tres typis exarati transponunt *coxit*, quod præponitur pulmento, & *comedit*, quod postponitur carnibus, hoc modo: *de medio eius carnes coxit, comedit pulmentum*. Hinc autem facta est, & illa additio, & hæc transpositio, quod absurde dici videretur, quemquam de ligno carnes comedere; recte autem de ligno carnes coquere. Atqui emendatiora exemplaria cum nostra, tum Hentenii, Parisiensium, Epanorthotæ, & Dominicanorum scribunt: *De medio eius carnes comedit: coxit pulmentum &c.* quibus Hieronymi textus, Richelii commentarius, & Hebraici, ac Chaldaici libri suffragantur. Richelii commentarius hunc ad modum habet:
„ *Et de medio eius carnes comedit*, id est, carnes
„ coctas per ignem constructum ex media
„ parte ligni: vel *de medio cuius carnes co-*
„ *medit*, id est, unam partem ligni vendidit, & cum pecunia illa carnes emit, & comedit. Porro illud *coxit &*, quod multis codicibus additur, sumptum est ex versu huius capitis 19. quo eis quæ hoc versu similia leguntur, inter quæ sunt hæc: *Et coxi super carbones eius panes: coxi carnes & comedi*. Quo ex loco longe plura Græcis antigraphis, 16. versu adiecta sunt: sic enim habent pleraque, 16. versu: καὶ ἐπὶ τῶν ἡμίσους αὐτοῦ ἔπεψεν (ἔπεμψεν O. — R.) ἐν τοῖς ἄνθρα-ξιν ἄρτους, καὶ ἐπ' αὐτοῦ κρέας ἔφαγε (ὀπτῆσαι ἔφαγε Vatic.) ὀπτήσας, ὤπτησεν ὀπτὸν (ἐπ-

τὸν

τὸν R.) καὶ ἐνεπλήσθη. *Et super medio eius coxit in carbonibus panes, & super illo carnem comedit postquam coxit (postquam coxit comedit* Vatic.) *coxit coctum, & repletus est.* Adiectum est inde in primis illud ἔπεψεν ἐν τοῖς ἄνθραξιν ἄρτους, additumque est καὶ ἐπ' αὐτῶ: ea quæ Complutensis, & Regia editiones tollunt. Tum adiectum est inde ὀπτήσας quod in Vaticano quidem codice ante ἔφαγε scribitur, ut 19. versu; in aliis post. Complutensis, & Regiæ editionibus ἑψῆσαι legitur pro ὀπτῆσαι: utrumque significat *coquere*, sed in particulari illud quidem *lixare*; hoc autem *assare*. Quare quod sequitur ὤπτησεν ὀπτὸν recte vertas *assavit assatum*: quo modo recentiores ex Hebræo vertunt, pro eo quod noster dixit *coxit pulmentum*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. ET NUNC; id est, cum & tu & patres tui omnes peccaveritis, convertimini ad me tandem aliquando.

V. 2. FACIENS ET FORMANS TE. Heb. coniunguntur hæc cum sequentibus, FORMANS TE AB UTERO: post sequitur, יעזרך, *auxiliabitur tibi*, intellecto relativo, אשר, *qui*. RECTISSIME: ישרון, *o recte*, id est quem eligendo rectum feci: *Elegit enim nos ut essemus sancti & immaculati*: Ephes. I. 4. Vel, o recte, id est o delecte, sic enim loquuntur Hebræi, ut Deut. XXXII. 15.

V. 3. EFFUNDAM ENIM AQUAS; id est, Spiritus sancti dona largiter impertiar: hanc enim vim habet verbum effundendi, ut Ioel. II. 28. & Act. II. 17. *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ.* Potest etiam intelligi de rebus ad vitam necessariis: nam quas hic vocat aquas, paulo post vocat spiritum, & benedictionem. SITIENTEM autem, & ARIDAM vocat homines maxime indigentes opis Dei, ut Psal. XLI. 3. *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum*: & Psal. LXII. 2. *Sitivit in te anima mea*: & Psal. CXLII. 6. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi*. SUPER STIRPEM TUAM: על צאצאיך, *super germina tua*, id est super posteros tuos.

V. 4. ET GERMINABUNT INTER HERBAS: בבין חציר, *inter herbam*, id est sicut herba. ET QUASI SALICES IUXTA PRAETERFLUENTES AQUAS: על יבלי מים, *iuxta fluenta aquarum*; id est, omnia illis prospere succedent. Psal. I. 3. *Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum*. Similis sententia est apud Hierem. cap. XVII. 8.

V. 5. ISTE DICET, DOMINI EGO SUM; id est, unus confitebitur verum Deum. ET ILLE, id est alter, VOCABIT IN NOMINE IACOB (se) id est, profitebitur se esse ex semine Iacob, appellabitur fidelis sicut Iacob. ET HIC SCRIBIT; id est, alius vero ascribit nomen suum in catalogum credentium in Deum. ET IN NOMINE ISRAEL ASSIMILABITUR, יכנה, *cognominabit se*, id est gloriabitur nomine Israelitæ, non secundum carnem, sed secundum spiritum: *Non enim omnes qui ex Israel, ii sunt Israelitæ:* Rom. IX. 6. Itaque sensus est, fore ut certatim omnes ad Ecclesiam veniant: hæc enim est vis huius distributionis, *Iste, ille, hic*.

V. 6. EGO PRIMUS: vide supra XLI. 4.

V. 7. VOCET ET ANNUNTIET; id est, clara voce annuntiet, ET ORDINEM EXPONAT MIHI: יערכה לי, *ordinet mihi*; id est, ordine mihi exponat, texat mihi seriem rerum omnium, quæ acciderunt, ex quo constitui populum antiquum; id est, ex quo tempore condidi primos homines. VENTURA ET QUAE FUTURA SUNT ANNUNTIENT (idola) EIS, id est cultoribus suis. Relativum sine antecedente: ex cognitione præteritarum & futurarum rerum probat divinitatem: ut sup. XLI. 22.

V. 8. NOLITE TIMERE; id est, cum ego sim Deus vester, qui hæc omnia fecerim, non est quod me protectore timeatis. EX TUNC AUDIRE TE FECI; id est, iam olim exposui tibi per Mosem originem mundi & primorum hominum, unde potes cognoscere me esse Deum. Opponit se idolis, quæ dixerat neque futura neque præterita nuntiare posse. VOS ESTIS TESTES MEI, id est divinitatis meæ, quia audistis quæ prædixi vobis. NUMQUID EST DEUS PRAETER ME, id est vos scitis non esse. ET FORMATOR: צור, *fortis*, id est Deus: sic enim vocant Hebræi. Noster autem Interpres

pres videtur legisse, יצר, *formator*, id est creator. QUEM EGO NON NOVERIM; id est, vos mihi ostendite, si quis fortasse alius Deus est, quem ego ignorem: ego enim neminem præter me novi.

V. 9. PLASTAE, id est fictores, fabricatores idoli. Sing. pro plur. NIHIL SUNT: תהו, *vanitas sunt*; id est, nullam rationem habent, qua suam idololatriam tueantur: itaque facillime vanitatis arguuntur: vel, *vani sunt*; id est, perdunt operam suam in faciendis idolis, quia faciunt sibi deos, qui non possunt eos iuvare, ut statim explicat. ET AMANTISSIMA EORUM; id est, idola quæ illi maxime amant, NON PRODERUNT EIS. IPSI (cultores idolorum) SUNT TESTES EORUM, id est quod non sint dii, quia non vident, neque intelligunt (idola: Psal. CXIII 5. & CXXXIV. 16.) sicut vos testes estis, quod ego sim Deus. UT CONFUNDANTUR: למען יבושו, *propterea confundentur*, (ipsi cultores) quia spem ponunt in idolis, quæ nihil illis prodesse possunt. Hoc enim est confundi apud Hebræos, ut sæpe diximus, spe falli.

V. 10. QUIS FORMAVIT DEUM; id est, quis adeo insanus fuit, ut idola primus fabricaverit, quæ nihil prodesse possent. Incipit idolorum originem explicare.

V. 11. ECCE OMNES PARTICIPES EIUS (idoli) id est, omnes qui manum admoverunt, ut idolum fabricarent, CONFUNDENTUR, vel, כל חבריו, *omnes socii eius* (artificis qui idola fabricatur) quasi dicat: Et artifices idolorum, & eorum ministri confundentur. CONVENIENT ENIM OMNES; id est, quamvis omnes congregentur, & in una quodam modo acie stent ut se defendant; pavebunt & confundentur, quia eorum idola nullum ipsis auxilium ferre poterunt.

V. 12. FABER FERRARIUS LIMA OPERATUS EST (idolum.) Alii ex R. David, *securi*: quod instrumentum minus convenit fabro ferrario, quam lima. IN PRUNIS. Heb. *prunis & malleis*, aut *cum prunis & malleis* FORMAVIT ILLUD. ET OPERATUS EST IN BRACHIO FORTITUDINIS SUAE, id est brachio forti suo, totis suis viribus. ESURIET ET DEFICIET. Heb. רעב ולא כח, *etiam famescens usque ad virium defectum*; quasi dicat: Tanta aviditate idola conflat, ut neque famem neque laborem sentiat.

V. 13. ARTIFEX LIGNARIUS EXTENDIT NORMAM: *regulam*, *lineam* קו. IN RUNCINA: בשרד, *cum filo phœnicio*, ut interpretatur R. David. Significat enim שרד *filum* phœnicio colore tinctum, quo fabri lignarii solent dolanda ligna designare. IN ANGULARIBUS, id est ductis prius angulis: במקצעות, *dolabris*. IN CIRCINO TORNAVIT: יתארהו, *figuravit illud*.

V. 14. SUCCIDIT CEDROS. Heb. לכרת לו ארזים, *ad succidendas sibi cedros* (ivit in sylvam.) INTER LIGNA sylvæ. Heb. ויאמץ בעצי יער, ad verbum, *corroboravit sibi inter ligna sylvæ*; quasi dicat: Delegit sibi magnam copiam optimorum lignorum inter ligna sylvæ. Gall. *Il se fournit de tous les meilleurs bois*. PLANTAVIT PINUM, QUAM PLUVIA (ablativus) id est quam rigando NUTRIVIT. Declarat enim insanum laborem, & sollicitudinem idololatrarum, qui longo ante tempore, ut idola facerent, pinos plantabant, rigabant, cædebant, nullique labori parcebant.

V. 15. SUCCENDIT (furnum) sicut Hispanice, *Calentar*, id est calefacere: absolute positum aliquando significat, calefacere furnum. DE RELIQUO AUTEM; id est, de eo, quod inutile erat ad alios usus, Deum fecit, ut appareat eius stultitia.

V. 16. COMEDIT PULMENTUM. Heb. יצלה צלי, *assavit assaturam*.

V. 18. NESCIERUNT NEQUE INTELLEXERUNT; id est, stulte & insipienter egerunt idolorum fabricatores. OBLITI ENIM SUNT. Obliti legendum est accentu in prima syllaba a verbo *oblino*, non ab *obliviscor*, ut ex verbo Hebraico טח perspicuum est, quod significat *oblinere*. Est autem hoc loco טח singularis numeri, *oblivit*. Itaque intelligendus est nominativus. Unusquisque eorum oblivit oculos (suos) ne videat, & cor suum ne intelligat; id est, *Noluit intelligere ut bene ageret*: Psal. XXXV. 4. vel, ut alii putant, intelligendus est nominativus, Deus; quasi dicat: Deus excæcavit oculos eorum, ne videant, & corda eorum, ne intelligant.

V. 19. NON RECOGITANT IN MENTE SUA. Heb. ולא ישיב אל לבו, *& non induxit in animum*, *& non est* (illi) *scientia*, *neque intelligentia*, ut dicat, ANTE TRUNCUM LIGNI; id est, truncum ligni adorabo?

V. 20. PARS EIUS (ligni aut idoli) CI-

NIS

NIS EST. In cinerem conversa per ignem: & tamen adeo insipienti corde est idololatra, ut cum videat unam partem in cinerem redactam, alteram adoret. Ita etiam interpretatus est Chaldæus Paraphrastes. Hebræi vero aliter legunt, רעה אפר, *pascit cinerem;* id est, frustra laboravit ut faceret idolum, quia non liberabit animam eius. Pascere ventum dicunt Hebræi, pro, frustra laborare, ut Prov. x. & Osee xii. 1. Pascere autem cinerem nusquam legi: quare suspicor nostrum Interpretem, & Chaldæum Paraphrastem legisse, רעהו, *socius eius;* id est, altera pars eius cinis est, quemadmodum verterunt. COR INSIPIENS ADORAVIT ILLUD. Melius mihi videtur noster Interpres sensum expressisse, quam hebraizantes, qui quod Hebraice legimus, לב הותל הטהו, interpretantur nimis ad verbum: *Cor seductum inclinavit illum* (idololatram) id est, errare fecit. Malim sic exponere, *Cor seductum*; id est, homo corde seducto, inclinavit se ad illud (lignum) id est adoravit illud. NEQUE DICET, *forte*. Heb. הלא, *an non mendacium est in dextera eius*; id est, non consideravit an frustra laboraverit dextera sua, quodque nullum fructum attulerit labor dexteræ suæ quo idolum fecit, ut sup. cap. xxviii. 15. *Posuimus mendacium spem nostram*: & Heb. iii. 17. *Mentietur opus olivæ*; id est, frustra olivæ colentur, non enim fructum ferent.

V. 21. MEMENTO HORUM, id est eorum omnium quæ dixi, maxime vero, quod nullus sit Deus præter me. FORMAVI TE; id est, feci te populum mihi peculiarem, aut regnavi te spiritualiter, ut supra cap. xliii. 1. & ad Ephes. ii. 10. NE OBLIVISCARIS MEI. Alii secuti puncta quæ nunc Habraice leguntur, לא תנשני, interpretantur passive, *non traderis a me oblivioni*.

V. 22. DELEVI UT NUBEM INIQUITATES TUAS, id est facile, ut nihil culpæ remaneat, nam pœnam quidem remissa culpa sæpe remanere, multis exemplis Scripturæ discimus. Ponuntur autem præterita, *delevi*, & *redemi*, pro, *delebo*, & *redimam*. Invitat enim illum ut ad se revertatur.

V. 23. LAUDATE CAELI. Invitat per prosopopœiam res omnes ad collaudandum Deum ob singulare beneficium redemptionis per Christum collatum. QUONIAM MISERICORDIAM FECIT DOMINUS. Præt. pro fut. Hebraice absolute ponitur verbum, עשה, *fecit*, sine ullo accusativo: sed noster Interpres expressit quod intelligebatur. IUBILATE EXTREMA TERRAE: תחתיות ארץ, *inferiores partes terræ*; quasi dicat, Et summæ partes cæli, & infimæ partes terræ. QUONIAM REDEMIT: quoniam redimet. ET ISRAEL: ובישראל יתפאר, *& in Israel gloriabitur*; (passive id est, in redimendo Israel gloriam suam declarabit, ut dixit Christus, Ioan. xvii. 1. *Pater venit hora, clarifica filium tuum*.

V. 25. ET ARIOLOS IN FUROREM VERTENS, id est ostendens esse insanos. CONVERTENS SAPIENTES RETRORSUM; id est, faciens ut consilia sapientum non consequantur suum effectum, sed contra res accidant, quam illi putaverant. ET SCIENTIAM EORUM STULTAM FACIENS, id est ostendens esse stultitiam: *Sapientia enim huius mundi, stultitia est apud Deum*: I. Cor. iii. 19. & I. Cor. i. 20. *Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi*.

V. 26. SUSCITANS VERBUM SERVI SUI; id est, faciens ut eveniat, quidquid servus suus dixit; id est, quidquid Prophetæ prædixerunt: sing. pro plural. ET CONSILIUM NUNTIORUM SUORUM COMPLENS; id est, perficiens quæ Prophetæ consulti prænuntiarunt. QUI DICO IERUSALEM, HABITABERIS; id est, qui promitto ea quæ videntur fieri non posse, & præsto. Videtur enim fieri non posse, ut civitas funditus deleta iterum habitetur. Id autem mystice de Ecclesia intelligi debet, fore ut cum Ecclesia videbitur in summas angustias redacta, tunc crescat maxime.

V. 27. QUI DICO PROFUNDO; id est, qui solo iussu profundissimas aquas arefacio; id est, qui facio quæcumque videntur fieri non posse.

V. 28. QUI DICO CYRO; qui facio Cyrum hominem profanum pastorem populi mei, ut eum in patriam suam ex Babylone reducat, qui etiam inimicorum meorum opera uti scio ad liberandum populum meum. Intelligitur hic locus ex initio sequentis cap. & ex Lib. I. Esdræ, cap. i. ET TEMPLO: FUNDABERIS. Post captivitatem Babylonicam, Aggæi ii. 4. viii. 10.

SA.

S A.

Verſ. 2. RECTISSIME. Chald. & LXX. *Iſrael*.

V. 3. SITIENTEM, id eſt aridam, ſcilicet gentilitatem. SEMEN TUUM. Chald. *filios tuos*. STIRPEM TUAM. Chald. *filios filiorum tuorum*.

V. 4. INTER; pro, ut inter.

V. 5. VOCABIT, ſcilicet ſe; quaſi dicat, Dicet ſe Iſraelitam, id eſt Chriſtianum. DOMINO, ſcilicet ſervio; quaſi dicat, Domini ſum. ASSIMILABITUR, id eſt cognominabitur, ſcilicet Iſraelita, id eſt Chriſtianus.

V. 6. ABSQUE ME, id eſt præter me.

V. 7. VOCET, id eſt dicat clare. ANNUNTIET, ſcilicet futura. ORDINEM, ſcilicet futurorum. ANTIQUUM, ſcilicet docui eum etiam de futuris. Dii ergo gentium ventura, &c.

V. 8. ANNUNTIAVI, ſcilicet futura. TESTES, ſcilicet huius rei. QUEM EGO NON NOVERIM, ſcilicet nihil poſſe ſine me, Chald. *cui a me non ſit data fortitudo*.

V. 9. AMANTISSIMA, id eſt dilecta ſimulacra. CONFUNDANTUR, id eſt merito confundi debent.

V. 10. QUIS, ſcilicet niſi demens aliquis; quaſi dicat: Quæ inſania eſt Deum formare?

V. 11. PARTICIPES EIUS. Chald. *cultores eorum*. CONFUNDENTUR, ſcilicet die iudicii, vel ubi errorem intellexerint per Evangelium

V. 13. RUNCINA: vulgo *planula* dicitur, qua fabri tabulas lævigant. Chald. *perpendiculo*. ANGULARIBUS: videtur ſignificari inſtrumentum triangulare fabrorum. Chald. *dolabra*. TORNAVIT. Chald. *formavit*. LXX. *regulavit*.

V. 16. VAH. LXX. *dulce mihi*. FOCUM. Chald. *ignem*.

V. 18. OBLITI, id eſt illiti re aliqua viſum impediente. Chald. *obturati*. LXX. *obtenebrati*.

V. 20. LIBERABIT, ſcilicet errore. DEXTERA, id eſt opera dexteræ, ſcilicet idolo.

V. 21. SERVUS, ſcilicet iure creationis.

V. 23. FECIT, ſcilicet redemptionem. ISRAEL. Chald. *in Iſrael*. GLORIABITUR. Chald. *laudabitur*. LXX. *glorificabitur*.

V. 25. VERTENS; quaſi dicat, Oſtendens eſſe inſanos. CONVERTENS, &c. quaſi dicat, Faciens fruſtrari eorum opera. STULTAM, ſcilicet apparere.

V. 26. SUSCITANS, id eſt implens. LXX. *ſtatuens*. SUSCITABO. Chald. *inſtaurabo*.

V. 27. PROFUNDO. Chald. *Babyloni*. LXX. *abyſſo*.

V. 28. PASTOR MEUS ES; quaſi dicat: Tu reduces populum meum, ut ſolet paſtor gregem. Chald. *dandum ei Regnum*. LXX. *ut ſapiat*.

E S T I I.

Verſ. 15. ET FACTA EST HOMINIBUS IN FOCUM, DE RELIQUO AUTEM OPERATUS EST DEUM. Et rurſum verſ. 17. RELIQUUM AUTEM EIUS DEUM FECIT, ET SCULPTILE SIBI. CURVATUR ANTE ILLUD ET OBSECRAT DICENS: LIBERA ME, QUIA DEUS MEUS ES TU. Quæ hic dicuntur de idolis gentium *a* Propheta, ea ab Iconomachis noſtri temporis, nominatim Io. Oecolampadio, & Conr. Pellicano, utroque apoſtata monacho, detorquentur ad imagines Chriſtianorum. Hinc quoque dicunt illi, ethnicos non uſque adeo fuiſſe craſſos, & ſtupidos, ut lapides & ligna pro diis colerent, ſed eodem modo idola ſua coluiſſe, ut chriſtiani colunt ſuas imagines. Sed reſpondeo, falſum eſſe aſſumtum: dicimuſque, idololatras fuiſſe in triplici differentia. Qui rudiores erant, ipſa ſimulacra aurea & argentea deos putaverunt; ut patet hoc loco & alibi. Alii paulo intelligentiores, non quidem ipſa ſimulacra deos putabant, ſed tamen iis adſiſtere vel ineſſe divinam quamdam virtutem exiſtimabant. Qui denique inter ethnicos cordatiſſimi videri voluerunt, ſimulacra tantum, ut ſimulacra honoranda duxerunt, hoc eſt, ut imagines, Iovem, Martem & alios repræſentantes. Sed Chriſtiani colentes, vel venerantes imagines, nullis horum poſſunt aſſimilari. Non primis; nam nemo ſanæ mentis dicet ullum Chriſtianum tam eſſe ſtupidum. Non ſecundis; nam Chriſtiani nullam vim divinam putant ineſſe ipſis imaginibus, ſed tantum venerantur eas, tamquam illorum imagines, per quas ipſis grata eorum recordatio & communio in memo-

moriam revocetur. In tertiis autem illud discrimen est, quod illi in simulacris suis illos colebant pro diis, qui tantum homines fuerant; Christiani autem in imagine Christi, verum Deum colunt; in imaginibus autem Sanctorum sanctos quidem, non tamen ut Deos, sed secundo modo iam dicto. Et de hoc tertio discrimine sic quoque August. Quid enim, inquit, interest ad errorem, sive Iovem, sive Iovis statuam quis colat, cum utroque modo honor Dei transferatur in creaturam? Hæc ille. Sed non sic apud nos.

V. 28. Qui dico Cyro, pastor meus es; et omnem voluntatem meam complebis. Sensus est: Qui Cyrum regem constituo, pastorem populi mei, cuius videlicet curam habebit, sicut pastor ovium suarum. Admiratione dignum est, quod hic Propheta, nomine suo Cyrum appellet, regem Persarum & Medorum, qui multo post nasciturus erat, nimirum post annos centum quinquaginta, aut circiter; idque non in Iudæa, sed in gente remotissima. Porro cum subdit de eodem Cyro, *Et omnem voluntatem meam complebis*, non de voluntate signi loquitur, ut alibi in laudem Caleb & Iosue dicitur, sed de voluntate beneplaciti sui. Sensus enim est: Quæ promitto & facere dispono, circa populum meum e captivitate liberandum, & in terram suam reducendum, deque templo & civitate eius restituenda, illa omnia Cyrus implebit; id est, ea per Cyrum implebo. Non ergo hinc recte quis collegerit, quod Cyrus Deo placuerit, tamquam implens voluntatem Dei: nam & per malos sæpe suam implet voluntatem Deus, malis aliud cogitantibus, vel prava etiam intentione rem gerentibus: nam & de Iudæis Christi persecutoribus dicitur Act. XIII. quod voces Prophetarum, quæ de Christo erant, impleverunt, & consummarunt.

MARIANAE.

Vers. 1. Ed nunc audi Iacob. Rursus consolatur veros Israelitas, & in idola invehitur.

V. 2. Et rectissime, quem elegi. Chald. *& Israel, quem elegi*. *Rectum* vocat *Israel*, quia Deum recto cultu colebat.

V. 3. Super sitientem, scilicet terram. Super semen tuum, id est filios tuos, posteros. Super stirpem tuam. Heb. *super germina tua*, id est filios & posteros effundam aquas & spiritum meum. Per *aquas* & *spiritum* intelligit dona cælestia, & opem, quam suis contulit Deus.

V. 4. Et germinabunt inter herbas filii tui; id est, sic inter herbas germinabunt, sicut quod seminatur in locis herbidis, id est locis humidis & pinguibus; ibi enim herbæ & fœnum nascuntur. Per *herbam* fœnum intellige. Quasi salices iuxta praeterfluentes aquas. Heb. *iuxta rivos aquarum*. *Salices* ad rivos crescunt.

V. 5. Iste dicet: Domini ego sum. Tanta erit felicitas Israel, ut externi certatim se Dei esse, & ex genere Iacob contendant. Et hic scribet manu sua: Domino; id est, manu exterius notam feret scriptam, quæ id significat se Domini esse. Et in nomine Israel assimilabitur, cognominabit, scilicet se: dicet se Iudæum esse. Sic felicibus contingit, multi se esse cognatos dicunt eorum.

V. 7. Vocet; id est, clara voce dicat, protestetur se esse Deum mihi similem. Et annuntiet. Heb. *annuntiet illud*, quod scilicet iam præteriit. Et ordinem exponat mihi. Heb. *exponat illud mihi*. Ex quo constitui populum antiquum. Heb. *populum sæculi*, id est ex quo tempore creavi homines, dicat quæ tunc contigere. Deinde etiam futura nuntiet. Quod si non possunt, quid se esse deos mentiuntur.

V. 8. Nolite timere, neque conturbemini, neque paveatis, scilicet idola. Ex tunc audire te feci; id est, iam olim nuntiavi vobis tum præterita, tum futura. Vos id verum esse scitis, vobis testimonium dico, non esse Deum alium præter me. Et formator, id est Deus, scilicet est alius? Heb. *petra*. Sed per *petram* sæpe Deum intelligit.

V. 9. Plastae idoli, id est formatores, artifices idoli nihil sunt. Et amantissima, id est idola non proderunt. Ipsi sunt testes eorum. Ipsi falsi dei & idola testes sunt, testantur se non esse deos, quia non vident, & non cognoscunt quidquam. Ut confundantur, pudefiant scilicet eorum cultores.

V. 10. QUIS FORMAVIT DEUM; pro, formare audeat, scilicet nisi demens. CONFLAVIT; pro, conflare audeat.

V. 11. ECCE OMNES PARTICIPES EIUS. Heb. *socii eius*, scilicet formatoris idoli aut idoli ipsius socii, id est cultores pudefient. FABRI ENIM SUNT EX HOMINIBUS, id est homines sunt, non Angeli. ET PAVEBUNT, quasi in idolo sit numen. ET CONFUNDENTUR SIMUL, id est pudefient omnes videntes, scilicet se fecisse rem inutilem.

V. 12. FABER FERRARIUS. Ex materia & modo faciendi idolum, ostendit non esse Deum. LIMA OPERATUS EST, scilicet idolum. Heb. *securim*: sic Chald. alii *asciam* aut *dolabram*. Denique securim facit ferrarius, ut illa lignarius idolum fabricet. IN PRUNIS, ET IN MALLEIS FORMAVIT ILLUD, scilicet idolum. Alii, *formavit securim, igne adhibito & malleo:* & per *securim* intelligunt alia lignarii instrumenta. ESURIET ET DEFICIET, id est etiam si esuriat, & sitiat, & lassetur, non tamen desistit ab opere.

V. 13. EXTENDIT NORMAM, id est regulam. FORMAVIT ILLUD IN RUNCINA. Heb. *formavit*, seu *designavit illud* (scilicet lignum) *in filo rubricato*: id vox *sered* significat. FECIT ILLUD IN ANGULARIBUS. Heb. *in asciis*, seu *dolabris*. Hisp. *el cepillo*. ET IN CIRCINO TORNAVIT ILLUD, figuravit illud. IMAGINEM VIRI. Heb. *sicut imaginem viri*. QUASI SPECIOSUM HOMINEM. Heb. *pulchritudinem hominis;* qui scilicet inter animantes longe pulcherrimus est. HABITANTEM IN DOMO. Heb. *ad habitandum in domo*, id est civilis hominis adinstar, qui in domo habitat; quod Noster dixit, non in agro, ubi facies coloratur, & de gratia perdit.

V. 14. QUAE STETERAT INTER LIGNA SALTUS. Heb. *& roboravit sibi in lignis, saltus*, id est aliqua ex illis lignis accepit. PLANTAVIT PINUM, scilicet ut deinde succideret eam ad faciendum idolum. Commemorat has arbores, quoniam ex illis dolari potest idolum.

V. 15. ET FACTA EST HOMINIBUS IN FOCUM, scilicet pinus. Heb. *& erit* (scilicet lignum) *homini ad comburendum*. Parte ligni se calefacit, parte coquit panem, id est panes: ex parte format deum, quem adoret. Irrisio est.

V. 16. ET DE MEDIO EIUS CARNES COMEDIT. *Carnes*, supple, assas, aut elixas. COXIT PULMENTUM. Heb. *assat assaturam, & saturatus est*. Explicatio eius quod dixerat, *carnes comedit*. VIDI FOCUM, id est sensi, calefactus sum, scilicet parte ligni quam combussit.

V. 18. OBLITI ENIM SUNT: ab *oblino* deducitur, non ab *obliviscor*. Heb. *oblevit a videndo*, id est ne videant, quod opus est, fallaciam: Deus scilicet oblevit, excæcavit oculos.

V. 19. IDOLUM faciam ex ligni parte. Heb. *in abominationem faciam*; sed *abominatio* pro *idolo*. ANTE TRUNCUM: alii, *ramum* בול *bul* significare putant. PROCIDAM. Heb. *me incurvabo*, scilicet ut adorem. Irrisio.

V. 20. PARS EIUS CINIS EST. Chald. *Ecce dimidium eius in cinerem redactum est*. Ita videntur legisse Heb. רעה *rehah*, id est *socia eius*, sive *pars eius*, ut Genes. xv. 10. Nunc mutatis punctis legunt רעה *rohe*, id est *pascens:* hac sententia: *Pascit cinerem cor insipiens*, id est rem inutilem facit: nostra melius. ADORAVIT ILLUD. Heb. *inclinavit se* (ad) *illud*, scilicet adorationis ritu. FORTE, &c. Heb. *Nonne mendacium est in dextera mea?* scilicet qua idolum feci, quod mendacium est; aut *in dextera*, quoniam in adoratione manus ad os admovemus. De quo plura in illa verba, *Si osculatus sum manum meam:* Iob XXXI. 27.

V. 21. MEMENTO. Hæc cogita Israel, ne te impio cultu polluas.

V. 22. UT NUBEM, scilicet ventus aut Sol ita disiicit nubem, ut ne vestigium quidem supersit: ita ego peccata tua delevi: ad me revertere.

V. 23. QUONIAM MISERICORDIAM FECIT DOMINUS. Vox *misericordiam* Heb. non est, sed bene suppletur. Supplent Septuag. & Chald. *quia fecit Dominus salutem*. EXTREMA TERRAE. Heb. *inferiora terræ*, id est tu terra, quæ infima es, iubila. ET ISRAEL GLORIABITUR; pro, *in Israel* (ut est Heb. sic Chald.) *gloriabitur Deus*.

V. 24. STABILIENS TERRAM. Heb. *expandens terram ego sum*. ET NULLUS MECUM. Heb. *& a mecum*; id est, mea potentia facta est nullo alio socio.

V. 25. DIVINORUM: signa irrita facio. Heb. *mendacium*. CONVERTENS SAPIENTES

RETROR-

RETRORSUM. Quomodo vertat retrorsum, explicat mox. ET SCIENTIAM EORUM STULTAM FACIENS, id est ostendens eos stulta & falsa loqui.

V. 26. SERVI SUI, scilicet Isaiæ suscitans verbum. ET DESERTA EIUS SUSCITABO, id est inhabitari faciam urbes & oppida ante desolata Iudææ.

V. 27. QUI DICO PROFUNDO: DESOLARE, id est Babylonis profundis aquis siccitatem inducam, id est cladem ei urbi & genti.

V. 28. CYRO. *Cyri* nomen hic expressum fuit causa liberationis populi e captivitate Babylonica: Iosephus Lib. XI. cap. 1. PASTOR MEUS ES. Tu reges populum meum, tu Cyre. COMPLEBIS. Heb. *complebit*. In ea lingua sæpe personæ mutantur.

MALVENDAE.

Vers. 1. ET NUNC AUDI IACOB, &c. Quidam quinque priores huius capitis versus præcedenti capiti affuunt, notantque esse postremum locum præcedentis concionis, exponentem promissiones restitutionis in Christo, ex fœdere, æternoque decreto Dei, ut dictum est superiore capite, vers. 16. atque hunc versum ita reddunt: *Iam vero audi, Iahakob serve mi, & Israel quem elegi*.

V. 2. HAEC DICIT DOMINUS, &c. Alii hunc versum ex Heb. reddunt: *Sic ait Iehova, qui fecit te, & formavit te ex utero, adiuvaturus te: ne timeto, serve mi Iahakob, & Ieschurum, quem elegi*. Ieschurum epitheton veræ Ecclesiæ: vide in Deuteronom. XXXII. 15.

V. 3. AQUAS SUPER SITIENTEM, &c. id est, spiritum & benedictionem omnimodam in Christo copiose largiar, quemadmodum hæc allegoria sequente membro exponitur. SUPER SEMEN TUUM: id est, Ecclesiæ filios ex Iudæis & gentibus adunatos, & genitos in Christo, ut apparet ex versu quinto. SUPER STIRPEM TUAM. Alii: I. *super germina tua*. II. *super prognatos tuos*. III. *super progerminationes*, seu *propagines tuas*: vide de hac voce supra cap. XLII. 5.

V. 4. ET GERMINABUNT INTER HERBAS, &c. Alii: I. *Et crescent ut inter herbas, & sicut salices ad rivos aquarum*. II. *Et succrescent inter fœnum, veluti salices iuxta scaturigines aquarum*. III. *Et efflorescent velut inter gramen, velut salices, inquam, secundum processus aquarum*.

V. 5. ISTE DICET, DOMINI EGO SUM, &c. Quidam ex Heb. reddunt: *Hic aiet, Iehovæ sum; & iste vocabit nomine Iahakobi: ille vero scribet manu sua, Sum Iehova, & de nomine Israelis cognominabit*; id est, profitebuntur singuli se filios esse Dei & Ecclesiæ, ut Psal. LXXXVI. & fratres in eamdem Ecclesiam adscitos & cooptatos prædicatione verbi ac ministerio suo testificabuntur: sive, ut Paulus ait, servabunt se, & eos qui ipsos audiverint.

V. 6. HAEC DICIT DOMINUS, REX ISRAEL, ET REDEMPTOR EIUS DOMINUS EXERCITUUM, &c. Quidam: *Sic ait Iehova rex Israelis, & vindex eius, Iehova exercituum*, &c. Hinc ordiuntur caput XLIV. Concionem hanc, inquiunt, ab hoc loco incipiendam esse, cum præcedentis concionis verba ostendunt, tum huius argumentum: nam cum in præcedente concione duæ summatim partes essent expositæ de reversione populi e Babylonia, & de instauratione regni per Christum; iam Propheta priorem partem aggreditur, & capitibus quinque explicat; quæ propterea in concionem unam computavimus. Sunt autem huius concionis (ut eam in pauca membra dividamus) summæ partes quatuor: prima est exordium, toto hoc capite; secunda, narratio prophetica rerum gerendarum ex decreto Dei, tribus capitibus, usque ad vers. 12. capitis 48. tertia, confirmatio, inde ad vers. 16. deinde conclusio ad finem usque cap. XLVIII. Exordium autem, quod hoc capite diximus contineri, sumit Deus a persona sua, fidem asserens, & populum suum confirmans de suis promissionibus, duobus argumentis: unum est, ab æterna omnipotente & constantissima natura sua, operum suorum, & sermonis sui, usque ad vers. 16. seu potius 21. alterum, a fœdere, & effectis eius, inde ad finem usque capitis. Prius autem argumentum propositum summatim hoc versu 6. illustratur sequentibus per syncrisin sive comparationem veri Dei cum falsis. EGO PRIMUS, ET EGO NOVISSIMUS, ET ABSQUE ME NON EST DEUS. Alii: *Ego sum primus, & ego ultimus, ac præter me nullus est Deus*, id est natura sempiternus,

ac proinde dictis & factis constantissimus, & aliorum omnia principia atque exitus in manu habens. Vide supra cap. XLI. 4.

V. 7. QUIS SIMILIS MEI, VOCET ET ANNUNTIET, &c. Quidam hunc versum ex Heb. exponunt: *Quis ego ut ego prædicat, & indicat istud, aut ordinat istud mihi, ex quo disposui populum sæculi*, seu *æternum*, *ut futura & quæ ventura sunt indicent*: sumptum impersonaliter, ut Iob VII. 3. pro *indicentur illis?* Antithesis, qua Deus ex antegressa propositione sibi uni asserit facultatem & officium prophetandi in Ecclesia, aliisque omnibus abiudicat: *populum æternum*, id est Ecclesiam, quam ab æterno elegit Deus, suoque tempore vocavit ut in æternum sanctificet: *ut futura & quæ ventura sunt*, &c. vide supra cap. XLI 22. & 23. VOCET. Exponunt; id est, clara voce & alta dicat ac narret, quod præterit. Hispanicus Interpres: *y quien llamara como yo? llamar por criar y dar ser.* Alii *vocet*, id est imperet: ut supra cap. XLI. 26. Alii: *prædicet*. ET ORDINEM EXPONAT MIHI. Heb. *& ordinabit illud mihi*. Alii: *æquabit*, *æquiparabit*, *instruet illud mihi*. Exponunt: Id est, conferat mecum, videat si est res aliqua, quæ mihi conferri & æquiparari queat. EX QUO CONSTITUI POPULUM ANTIQUUM. Heb. *ex quo posui populum sæculi*. Quidam: *ex quo posui mihi populum mundi*, id est ab eo tempore, quo creavi homines in terra; quasi dicat, Post homines natos. VENTURA ET QUAE FUTURA SUNT, ANNUNTIENT EIS. Quidam evidentius reddunt: *& ea, quæ paulo post sunt ventura, & quæ futura sunt longo post tempore, annuntient* idola *illis?* id est, suis cultoribus.

V. 8. EX TUNC AUDIRE TE FECI, ET ANNUNTIAVI. Alii: I. *nonne ex tunc*, sive *ex eo tempore*, id est priusquam acciderent, indicavi tibi, & annuntiavi? nimirum ventura. II. *an non inde ab eo tempore*, nimirum ex quo disposui populum æternum, pronuntiavi tibi ac indicavi? Vos ESTIS TESTES MEI. Vide supra cap. XLIII. 10. & 12. ET FORMATOR, QUEM EGO NON NOVERIM. Heb. *& non petra*, *non cognovi*. Alii: I. *& quod non sit fortis*, seu *deus*, *quem ego non noverim*. II. *aut petra*, *quam non cognoverim*. III. *utique nulla est rupes*, *nullam novi*. צור, *tzur*, *petra*, *rupes*, attributum Dei: vide in Deuteronom. XXXII. 4. Hæc autem toties a Propheta inculcantur, ut populus Dei adversus Babyloniorum idola firmo esset securoque animo, quemadmodum etiam fuit Ieremias 10.

V. 9. PLASTAE IDOLI OMNES NIHIL SUNT. Alii ex Heb. I. *Fictores*, artifices, *sculptilis*, *omnes ipsi vanitas*. II. *Effigiatores sculptilis omnes sunt inanitas*. III. *Formatores sculptilium omnes vani sunt*. IV. *Formatores sculptilis omnes sunt rei inanis formatores*. Ergasia proxime præcedentis antitheseos, qua confirmavit Deus nullum esse Deum, & nullam rupem præter se, nam cetera, inquit, idola sunt, prorsus inania, quæ nullam utilitatem, sed confusionem iustam cultoribus afferunt, hoc versu: cuius utrumque membrum singulis versibus deinde exponitur. ET AMANTISSIMA EORUM NON PRODERUNT EIS. Heb. *& expetibilia*, seu *concupiscibilia*, *desiderabilia eorum*; id est, ipsa, quæ maxime amant, sculptibilia; vel optima quæque & pretiosissima, quæ ipsis sunt idolis, ut argentum, aurum, gemæ, &c. non *sublevabunt*, *relevabunt*, *levamen afferent*, *conservabunt*, *proficient*, *proderunt*, *prodesse poterunt*, *usum aliquem aut utilitatem afferent*, *usui aut commodo esse poterunt*: sic infra vers. 10. IPSI SUNT TESTES EORUM, &c. Alii: I. *ac testes eorum sunt ipsa*, *non vident neque cognoscunt*, *ut erubescant*; id est, idola ipsa testantur & clamant in ipsorum idololatrum animis se nihil esse, cum nullo sensu, aut intellectu sunt prædita: quod unum satis esset ad perfundendos pudore idololatras. II. *& quidem testes eorum ipsi sunt*, plastæ, qui cum ea fabricantur, satis cognitam habent eorum materiam & formam; vel *testes autem sui ipsa sunt*, id est ipsa idola testantur, quod sunt inutilia: *non enim vident*, *neque cognoscunt*, *ut pudore afficiantur*; subaudi, cultores eorum, cernentes se tam inutilia pro diis habere. Quidam subaudiunt, propterea hoc dico, *ut pudore afficiantur* idololatræ: alii: *testes autem eorum ipsi sunt* formatores, *quod idola non vident*, *neque cognoscunt*, *ideoque*, vel *propterea confundentur*, seu *pudefient* cultores eorum. Nonnulli hunc sensum concipiunt. Non opem ferre possunt idola; cuius rei ipsi effinctores testes sunt: hoc tamen non vident, neque norunt idololatræ, ut vel sic pudefiant, & idolorum cultum deserant.

V. 10.

V. 10. Quis formavit Deum, et sculptile conflavit ad nihil utile? Alii ex Heb. I. *Quis formavit Deum, & sculptile conflavit, ut non prosit?* vel *quod ad nihilum profuit?* II. *Quis unquam nisi stolidus, finxit Deum aliquem, aut sculptile conflavit, ut non prosit?* vel *quod nullam utilitatem affert, quod non est emolumentum,* vel *emolumento?* III. *Quis formavit Deum, & sculptile fudit, ut sublevamen non afferat?* IV. *Quis igitur* nisi demens *fingat Deum, aut fusile simulacrum, quod nihil prodest?* V. *Qui format Deum fortem, & sculptile fundit.* VI. *Quis igitur formare audet Deum, & sculptile conflare? ad nihilum certe proderit.* הוֹעִיל *hoghil,* plerique Præteritum faciunt, rectius alii Infinitivum; vide versum superiorem.

V. 11. Ecce omnes participes eius confundentur. Alii ex Heb. I. *Ecce omnes socii eius,* videlicet artificis, *pudore suffundentur.* II. *En omnes partiarii eius pudefient.* III. *En omnes se consociantes ei erubescent;* id est, qui adhærent illis idolis, & quasi spirituali coniugio cum illis copulantur, ut Numeror. xxv. 3. Fabri enim sunt ex hominibus; quasi dicat: Cum fabri ipsi sint homines, quid divini fabricari possunt? Quidam: *& fabri ipsi magis quam homines ulli,* subaudi, *erubescent,* ex præcedente membro, videlicet ex interminatione Dei Exod. xx. 5. Convenient omnes, stabunt, &c. Alii: *congregent se omnes, consistant, pavebunt, erubescent una.* Concessio idololatras graviter provocans, infaustumque exitum omnibus prænuntians.

V. 12. Faber ferrarius lima operatus est: prunis et in malleis formavit illud. Varie alii ex Heb. I. *Faber ferrarius dolabra operabitur, prunis & malleis figurabit illud.* II. *Faber ferrarius securim fabricat cum prunis & cum malleis (qua securi possit) fingere illud:* fecit, inquam, securim illam, ad formandum sculptile. Per unum instrumentum reliqua omnia intelligit synecdochice. III. *Faber ferri dolabram faciet, & operabitur in carbone & malleis, qua figuret illud.* IV. *Fabricatur ferum in forcipe, & operatur in carbone, & cum malleis format illud.* V. *Faber ferrarius forcipe correpta operatur in prunis, & scalpris fingit illud.* VI. *Faber ferrum polit & operatur in carbone, & cum malleis format illud.* VII. Hispanicus Interpres: *El herrero tomara la tonaza, obrara en las asquas, darle ha forma con los martillos.* VIII. *Faber ferrarius cum norma, & operatur prunis, & malleis format illud.* Confirmatio præcedentium propositionum, quarum una est, Idola ad nullam utilitatem esse; & probatur usque ad vers. 18. altera, confusionem afferri ab illis in cultores ipsorum, quæ probatur vers. 18. & duobus sequentibus. Inutilia autem esse, probatur ab operariis, instrumentis, materia, & usu illius, ipsorumque impotentia. Lima. מַעֲצָד *maghatzad,* & Ierem. x. 3. reperitur, aiunt esse, *securim, asciam, dolabram.* Nonnulli, *normam.* Forsterus: צער *maghatzad, litterarum transpositione, a tzaghad, incessit, forceps, quod forcipe ferrum in ignem, & ex igne alias transferatur.* Quod etymon recte congruat *limæ,* quæ sæpius incedit, & reciprocatur per ferrum, videtur hic esse instrumentum ferrariorum: at in Ieremia diserte est lignariorum. Forerius: *Ego tamen, si, quod sentio, dicendum est, hic maghatzad participium esse existimo verbi, quod polire seu complanare notat, & sic reddendum locum duco: Faber ferrum polit,* &c. Extricet hæc Oedipus, nam ego non capio. Et operatus est in brachio fortitudinis suae, &c. Alii posterius hoc hemistychium varie ex Heb. convertunt. I. *operabitur,* inquam, illam dolabram, *brachio fortitudinis suæ,* id est totis viribus suis, *etiam famelicus, non bibat aquam, & lassus sit,* vel *& siti conficiatur.* II. *agit robusto brachio suo: quin esuriet interim, ita ut vires deficiant.* III. *& operatur illud brachio potentiæ suæ,* id est brachio suo potentissimo: *esurit etiam, neque vires ei sunt: non bibit aquam, & defatigatur.* IV. Hispanicus Interpres: *obrara en ella con el braço de su fortaleza: aunque este hambriento y le falter las fuerças, no bevera agua aunque se desmaye.* V. *cum operatur illud brachio roboris sui,* seu *robusto suo, etiam esurit, & nullis est viribus, non bibens aquam defetiscitur;* id est, etiam in isto opere sentit lassitudinem, neque a deo, quem cudit, sublevatur, neque reficitur, nisi sumptis alimentis, quæ Deus verus subministrat.

V. 13. In runcina. Quid sit *runcina,* docebit te Nomenclator Iunii. שֶׂרֶד *sered,* aiunt esse filum Phœnicium, quo fabri lignarii designant ligna incidenda, minium, seu rubricam, seu alium colorem, aut instru-

ſtrumentum, quo fabri lignarii utantur, filum rubrica infectum, quod ſuper ligna ducunt, Hiſpanice, *hilo de almagre*. Quidam, *amuſſim* reddunt. FECIT ILLUD IN ANGULARIBUS: vel *aptat illud in angulos*. מקצעות *maktzugboth*, aiunt eſſe inſtrumenta, quibus aliquid defricatur, ſeu abraditur, ſeu dedolatur, & quaſi decorticatur; *aſcias*, *dolabras*, *planulas*, exponunt. Hiſpanicus Interpres: *cepillos*. Vide Lexicon Sanctis, colum. 2515. Nonnulli Hebræorum volunt eſſe *regulas*, *amuſſes*. Totum verſum dilucidius alii ex Heb. transfundunt: I. *Faber vero lignarius extendit lineam, delineabit illud filo Phœnicio, faciet illud dolabris, & circino figurabit illud: facietque illud ad imaginem viri iuxta gloriam hominis, ut habitet in domo*; id eſt, dat illi effigiem humanam elegantiſſimam, ut reponat illud in ædicula ſua. III. *Faber lignarius regulam extendit, deſignat illud rubrica, & format illud normis*, vel *dolabris*, aut *ſecuribus*; *& definit illud circino, & dat illi formam viri, atque ſpeciem hominis, ut in æde ſedeat*, ſibi conſtructa. IV. *Faber lignarius extendit regulam, delineat ipſum amuſſi, aptat illud in angulos ſuos, aut circino format illud: denique facit illud ad ſtructuram viri ſecundum ornatum humanum, ut deſideat domi*. QUASI SPECIOSUM HOMINEM. Hebræorum nonnulli exponunt: *ſecundum decorem (pulchritudinem) hominis*, id eſt feminæ, nam etiam deas effingebant. HABITANTEM IN DOMO. Heb. *ad manendum domi*, ſive *ut domi ſedeat*. Putant id ſignificare non in alium uſum affabrefactum fuiſſe idolum, niſi ut domi maneret, ſenſu & vita caſſum, ut dicitur infra cap. XLVI. 7.

V. 14. SUCCIDIT CEDROS, TULIT ILICEM, ET QUERCUM. Alii ex Heb. I. *Ibit ut ſuccidat ſibi cedros, & tollet ilicem & quercum*. II. *Accingit ſe ad incidendum ſibi cedros, ut advehat ilicem, & quercum*. III. *Cædendo ſibi cedros, cum ſumpſit cupreſſum & robur*. ILICEM. תרזה *tirzah*, dicunt eſſe ſpeciem cedri a tenuitate dictam, ut ארז *araz*, *cedrum*, ab eadem radice רזה *razah*, *tenuem*, *gracilem eſſe*: quia procera, & gracilis tamen ſit, non frondoſa, nec reſina pinguis. Alii, *pinum*, alii *abietem*, & alii *ilicem*; alii *cupreſſum* interpretantur. Nos vocem obſcuram ſine interpretatione retinuimus. QUAE STETERAT INTER LIGNA SALTUS: PLANTAVIT PINUM, QUAM PLUVIA NUTRIVIT. Ex Heb. varie alii: I. *& roborabit ſe* ut quærat meliora *inter ligna ſilvæ: plantabit pinum, quam pluvia nutriet*. Ac ſi dicat, magno ſtudio, cura, & diligentia deliget ſibi optimam materiam ex lignis ſilveſtribus. II. *& ſurrigit ſibi inter arbores ſilvæ*, id eſt erigit, ac ſerit alias arbores ſilvæ, *plantat ornum, & imber creſcere facit*. III. *& corroborat ſe in lignis ſaltus; plantat cedrum, atque imbre auget*, ſeu *educat*. IV. *& erexit ſibi inter ligna ſilvæ*; id eſt, firmiter decrevit, deſtinavit, ſtrenue ſelegit: *plantavit cedrum, quam pluvia creſcere fecit*. V. *aut quæ fortificat ſe inter arbores ſilvæ: ornum quam plantaverit, & pluvia educaverit*; id eſt, ſive arborem voluntariam cædat, quæ ſponte naſcitur, ſive plantatam & cultam humana arte, materia illa quæcumque tandem ſit, in varios ac plane differentes uſus conſumitur, ac proinde nihil divinum habet, niſi quantum affingit hominis voluntas, & ſuperſtitio. VI. Hiſpanicus Interpres: *y esforçarſe ha contra los arboles del boſque*; id eſt, validam utraque manu bipennem quatiet in arbores: *plantara pino que ſe crie con la lluvia*. PINUM. ארן *oren*, voce conſona, *ornum* fere omnes interpretantur. Forſterus: *Arboris nomen, quam alii* cedrum *alii* pinum, *alii* abietem, *alii ornum eſſe putant, Chaldæus vertit* אורנא *urenah. Quidam haud vulgariter docti exiſtimant eam eſſe arborem, quam Germani vocant* Lerchenbaum, *aptam fabricandis ciſtis, & quæ non facile putreſcit*. Shindlerus ait, iuxta quoſdam Arabice vocari Tzanabar, id eſt *pinum*: & annotat, Maſoritas obſervaſſe ſcribi cum *Nun* parvo; & tria eſſe Nunim parva in Scriptura. Sed quid portendant, ipſe non auguror.

V. 15. ET FACTA EST HOMINIBUS IN FOCUM, &c. Hunc verſum ita alii ex Hebr. reddunt: I. *Fit hæc homini ad incendendum ignem, accipit enim ex his lignis, & caleſit, quin & incenſo furno panem coquit; deinde & Deum ex his facit & adorat: ſculptile illud facit & coram illo procumbit*. II. *Tunc eſt homini ad comburendum, qui ſumit ex eis ut caleſiat, etiam accendit furnum, ut coquat panem, etiam operatur Deum fortem, cui honorem exhibens incurvat ſe; aptat ipſam in ſculptile ante quod procumbit*. ET CURVATUS EST ANTE ILLUD. סגד *ſaglad*, eſt proprie

Chal-

Chaldæum, aiunt esse *procumbere adorandi*, *vel honorandi causa*. Forsterus vult esse *flectere se*, ac notat voluisse fortasse eo consilio hoc verbo Chaldaico uti Prophetam (nam solum in Isaia reperitur) ut simul gestum & ritum gentium significaret: differre autem significatione a verbo השתחוה *histhtchauah*, quod significat *prosternere se in faciem*. Forte innuit ritum illum gentilium, quo usum patrem Vitellii Imperatoris Svetonius cap. 11. ita describit: *Idem miri in adulando ingenii, primus C. Cæsarem adorari ut Deum instituit: cum reversus ex Syria non aliter adire ausus esset, quam capite velato, circumvertensque se, deinde procumbens*. Plinius Lib. XXVIII. cap. 11. *In adorando dexteram ad osculum referimus, totumque corpus circumagimus, quod in lævum fecisse, Galliæ religiosius credunt*. Vide Notas Delecampii. Ceterum *saghad*, Avenarius ait esse, *flectere se*, *incurvare se capite*, cum *hischtachavah*, sit incurvare se toto corpore. Mercerus nullo modo distingui putat, & utrumque verbum totius corporis prostrationem & inflexionem significare. Siquidem Chaldæus *hischtachavah*, per *saghad* reddit Genes. XLVIII. 12. Reuchlinus exponit: *adgeniculatus est ei*. Nobis observatio Forsteri placet, quod Isaias utrumque verbum coniungens distinguere videatur, hoc versu, & infra vers. 17. & cap. XLVI. 6.

V. 16. MEDIUM EIUS COMBUSSIT IGNI, &c. Ex Hebr. alii: I. *Partem eius incendit igni, parte eius carne assa edit: assat assaturam, & satur fit; calefit etiam, & dicit, Euge, caleo, & ignem vidi*, id est sensi. II. *Partem eius exussit igni, ad partem eius carnes comedit, assat assum, & satiatur; etiam calefit, dicitque, Euge, concalui, vidi ignem*.

V. 17. RELIQUUM AUTEM EIUS, &c. Hunc versum alii ex Hebr. I. *Et residuum eius in Deum facit, sculptili suo flectit se, & procidens adorat & interpellat ad eum, & dicit, Eripe me, quia Deus meus es*. II. *Reliquum autem eius*, vel *ex reliquiis autem eius*, subaudi, ligni, *in Deum facit, & in simulacrum*, seu *in idolum suum*; vel *Deum facit, idque est sculptile eius, cui procumbit, quod adorat, & ante quod precatur, dicens, Libera me, Deus enim meus es tu*. III. *Residuum autem eius in Deum fortem captat exsculpendo illud; procumbit coram eo, incurvatque se honorem exhibens, & deprecatur ipsum, dicens: Eripe me, nam Deus fortis meus es*. לפסלו *lephislo*, plerique nomen accipiunt cum articulo, & affixo, *Ipsi sculptili, dedolato simulacro suo*, vel *in sculptile suum*. Alii, Infinitum putant: *ad dedolare, exsculpere illud*, vel *exsculpendo illud*.

V. 18. NESCIERUNT, NEQUE INTELLEXERUNT, &c. Hunc versum alii ex Heb. I. *Nihil neque sentiunt, neque intelligunt cæci idololatræ, quia tectorium est super oculos eorum, quo minus videant, aut cordibus suis intelligant*. II. *Non norunt, neque animadvertunt*, &c. Confirmatio alterius propositionis, ut diximus in vers. 12. nimirum idola confusioni esse suis cultoribus; primum enim excæcantur idolis suis ipsorum oculi & corda, duobus versibus: deinde etiam in dies obfirmantur ad suam ipsorum perditionem, vers. 20. *illud obducere oculos ipsorum a videndo*, seu *a visionibus*, id est *ne videant, & corda ipsorum ab intelligendo*, vel *ne intelligant*; id est, idolum in animis hominum quoddam veluti tectorium, & velum esse ad obcæcandos idololatras, non autem specillum ad cernendum Deum. OBLITI ENIM SUNT NE VIDEANT OCULI EORUM. Heb. *quia oblinit, obduxit, obtexit, operuit, incrustavit, tectorium induxit, complanavit a videndo oculos eorum*, scilicet Deus, vel idolum ipsum.

V. 19. NON RECOGITANT IN MENTE SUA, &c. Alii totum versum ex Heb. transfundunt: I. Nullus ad cor suum revocat (*neque enim sensu pollent, aut intellectu*) *ut dicat: Partem eius igni combussi, quin ad prunas eius panem coxi, assavi carnem & comedi; & ex reliquo eius abominandum idolum facerem? & ante truncum ligneum procumberent*. II. *Neque revocat ad animum suum, neque scientia, neque prudentia inest, ut dicat: Partem istius excussi igne, etiam coxi ad prunas istius panem, assavi carnem quam comedo: & reliquum istius in rem abominandam aptavero? ante proventum arboris*, seu *ante id quod provenit ex arbore, proculuero?* ANTE TRUNCUM. *Bul*, inquit Forsterus, *per aphæresin Iod initialis litteræ, similiter ut* יבול *iebul, est nomen collectivum, germen: ad germen ligni adorabo? Vocat autem Propheta Idolum ex ligno instar germinis fabrefactum, &*

exscul-

exsculptum hac voce, *sicut eadem ratione de idolis legitur Ierem.* x. 5. Quasi palmæ dispositio eorum, & tamen non loquuntur. Avenarius: *Bul ramus densior in arbore*, *ex quo fit palus ad sustinendam vitem*; *item truncus ligneus*, *qui pallescit*, *seu cuius folia emarcuerunt*. Unde hic reddunt: *Trunco*, *ramo*, *palo*, *germini*, *proventui*, *fructui*, *productioni arboris me inflectam?*

V. 20. Pars eius cinis est, &c. Hunc versum varie ex Hebr. reddunt: I. *Pascit cinerem cor seductum*, *facit declinare illum*, *neque eripiet animam suam*, *neque dicet*: *Nonne est mendacium in dextera mea?* Cinerem pascere proverbiali sermone, est frustra & sine fructu laborare, rem vanam & nihili moliri, ut Hoseæ xii. 2. pascere ventum. Cor, inquit, seductum idololatria frustra laborat, declinare facit eum a via recta, neque se ipsum eripiet a morte seu damnatione, neque tandem resipiscet, ut dicat: Nonne frustra laboravi, cum sculptile manu dextera mea feci, existimans me Deum facere? II. *Cinerem pascens*, *& cor errore seductum devolvit illum*, *ut mentem suam non afferat*, *neque dicat*: *An non dolus in dextera mea?* III. *Pascens cinere animum*, id est, luctificus deus nihil nisi luctum & mala omnia importans cultoribus suis: periphrasis idoli; nam cinerem pro luctu & miseriis luctuosis accipi, omnibus notum est, ut Psalm. cii. 10. & infra cap. lxi. 3. aut (si quis me vult) *consocians cineri*, id est, hominem in terram deiiciens, *illusum*, id est, qui iam idolorum velo captus & excæcatus est, *avertit*, id est, magis ac magis seducit, & transversum rapit: alter gradus confusionis, ut diximus in vers. 18. *adeo ut non eripiat animam suam*, seu *se ipsum*: id est, præceps ruat in perditionem suam, ac ne cogitare quidem de salute velit, aut falsitatem, cui adhæret, agnoscere; *neque dicat*: *An non falsitas est ad dexteram meam?* id est, an non in falsitatem incumbo, cum do operam idololatriæ, ut Eccli. ix. 20. Hispanicus Interpres: *La ceniza apacienta*, id est, *haze obra inutil*, scilicet, *e fabricador del idolo*: *su coraçon engañado lo inclina*, *para que no libre su anima*, *y diga*: *no esto la mentira a mimano derecha?* id est, *no es idolatria loque hago*. V. *Socius cineris est*; quasi dicat de idolo, quod altera pars illius trunci seu rami in cinerem versa sit haud apte, nam mutant puncta, & pro רועה *rogheh*, participio *pascens*, vel *consocians*, legunt, *regheh*, *Socius*, *sodalis*, &c. *cor falsum inclinabit*, *neque eripiet animam suam*, *& non dicet?* *An non fallacia est in dextera mea?* Subtilius aliqui: *Pascens cinerem*, id est, serpens ille antiquus, qui pulvere pascitur, Genes. iii. 14. cor falsum inclinat ad fabricanda & colenda idola, &c.

V. 21. Memento horum Iacob, &c. Transitio, inquiunt, ad alterum huius exordii argumentum, ut dictum est in vers. 5. in quo Deus Iudæos proposito idololatrarum exemplo ad fœdus suum revocat, quod a se integrum perstare ostendit. Primum itaque fœdus suum proponit populo, & res omnes creatas contestatur de veritate eius, tribus versibus; deinde fœderis effecta futura, a vers. 24. ad finem usque capitis. Ne obliviscaris mei. לא תהנשי *lo tinnascheni*, est futurum *Niphal*. Mercerus & Bertramus: *Sic resolvendum esset*, *Ne te obliviosum exhibeas mei*; *propter communicationem significationis Hithpahel*, *& Niphal*: *ita ut reciprocatio*, *& frequentatio in hac voce confluant*. *Sensus ergo erit*: *Ne te*, *Iisrael*, *mei oblivio capiat*: *sicut & Chaldæus vertit*, *ne obliviscaris*, *oblivione capiaris*, *timoris mei*. *Est enim etiam Chaldaice*, תתנשי *tithnesche*, *passivum*: *Kimchi tamen passive*, *ut vocis natura postulat*, *verbum obliviscendi accipit*: *Mihi in oblivionem non venies*, *Israel non a me oblivisceris*: *tantum da operam*, *ut mei memineris*, *sicut & ego semper tui ero memor*, *qui te formarim*, *&c.* *quod est summe consolatorium*. *Unde Rab. David in libro Radicum exponit*: תנשה־ממני *tinnascheh- mimmeni*, *in oblivionem daberis a me*, *memoria mihi non excides*. *Nam neutrum*, *aut passivum verbum non nisi hac ratione*, *affixa adsciscit*. Hæc illi. Buxtorfius: *Ne obliviscaris*, vel *ne obliviosum exhibeas te mei*, vel passive, *oblivioni traderis a me*, ut Kimchi explicat, quasi *tinnascheh mimmeni*. Vatablus: *Ne oblivioni traderis a me*. Leo Iudas: *Neque venires mihi umquam in oblivionem*. Tremellius & Iunius: *Non traderis oblivioni mihi*, seu *a me*, etsi oblitus mei peccavisti in me: quamobrem sequitur proxime prædicatio remissionis peccatorum gratuitæ: sic infra cap. xlix. 5. Hunc sensum quoque sequuntur Marinus & Schindlerus. At

For-

Forsterus exponit: *Ne oblivioni tradar ego*; id est, ne obruar apud te: quod durum existimo.

V. 22. DELEVI UT NUBEM INIQUITATES TUAS, &c. Quidam: *Ego delevi transgressiones tuas ut densas nebulas*, subaudi, ventus delet ac dispellit. Alii: *Deleo ut densa nubes defectiones tuas*; nimirum, ut densa nubes delet & abluit sordes, quæ in terra sunt, cum pluviam profundit in terram: eclipsis relati, ut Levit. XXI. 4. & Proverb. v. 19. QUONIAM REDEMI TE. Alii: *nam vindico te*; quasi dicat: Melius agitur tecum quam cum idolorum cultoribus, quibus nulla utilitas, nullæ vindiciæ, nulla salus, sed totus luctus est ab idolis suis.

V. 23. LAUDATE CAELI, QUONIAM MISERICORDIAM FECIT DOMINUS: vox *misericordiam* non est. Heb. Alii: I. *Iubilate cæli, quia Iehova fecit*, subaudi bonum cum Israele, id est adimplevit promissiones suas Israeli. II. *Ovate*, vel *congratulamini cæli, quoniam fecit Iehova*. Verbum *faciendi* absolute positum emphasim habet, ut illud: *Spera in Domino, & ipse faciet*; id est, fecit ingens aliquod opus & se dignum. III. *Cantate cæli, facere Iehovam hoc*. Contestatio ut diximus in vers. 21. IUBILATE EXTREMA TERRAE. Alii ex Heb. I. *iubilum edite profundissima terræ*. II. *triumphate inferiora terræ*. III. *clangite ima terræ*. Verbum proprie est: *taratantarizate, classicum canite*: vide supra cap. XLII. 13. RESONATE MONTES LAUDATIONEM. Alii: I. *edite montes clamorem*, plenum lætitiæ, iucundum & lætum. II. *erumpite montes in laudem*. III. *personate montes ovationem*. IV. *prorumpite in lætas voces o montes*. V. *fragorem edite montes cantu*. ET ISRAEL GLORIABITUR. Heb. *& in Israele glorificare sese faciet, decorare, ornare sese faciet; gloriosum, decorum, ornatum, speciosum sese exhibebit*, vel *glorificabitur, decorabitur, ornabitur*. Sed coniugatio Hithpahel significatum auget, amplissime ac frequentissime sua virtute gloriosum sese præstabit & ostentabit. Quidam reddunt: *& in Israele gloriam suam amplificabit*; id est, in liberando Israelem a Babyloniis magnum honorem sibi peperit, vel ob Israelem liberatum magna gloria afficietur.

V. 24. HAEC DICIT DOMINUS REDEMPTOR TUUS, &c. Alii: *Sic ait Iehova vindex tuus*, &c. Transitio ad effecta fœderis, ut diximus in versum 21. qua Deus ab exemplo creationis rerum omnium, hoc versu confirmat se promissiones effecturum, quæ summatim proponuntur quatuor versibus sequentibus. STABILIENS TERRAM, ET NULLUS MECUM. Alii ex Heb. I. *& mea virtute terram expando*. II. *expando terram per me ipsum*. III. *expandens terram a mecum*, seu *mea potentia*. IV. *diduco terram a me ipso*. Nonnulla exemplaria Hebraica habent: *expandens terram quis mecum?* id est, quis mecum expandit terram? quasi dicat, Quis me iuvit in condendo mundo?

V. 25. IRRITA FACIENS. מפר *mepher*, participium Hiphil: *Disrumpens, diffringens, irritans, labeafactns, abolens, abrogans, dissipans, cassa reddens*. SIGNA DIVINORUM. בדים *badim*, varie interpretantur, *divinatorum, astrologorum, iudiciariorum, vatum, vanidicorum, magorum*, qui sic dicti videntur, quasi solitarii, quod id genus hominum sit clancularium, & solitudinem amet. Forsterus exponit: *labefactat signa vectium*, id est, sacerdotum seu prophetarum, qui ceu vectes portant onera populi. Hebræorum tamen nonnulli, & plerique Nostrorum reddunt, *signa mendacia*, seu *mendacium*. Tremellius, & Iunius ita hunc locum accipiunt. *Is sum, qui irrita facturus est signa mendacium*. Propositio summa totius sequentis narrationis: primum de sapientissimis Babylonicorum consiliis adimendis, & verbo Dei unius præstando, duobus versibus: postea de modo & instrumento, quod Deus erat adhibiturus ad iudicia sua, duobus versibus ultimis: quæ duo per hysterosin exponuntur, instrumenti quidem ratio, cap. XLV. iudicia vero, sequente cap. XLVI. *Signa mendacium*, de quibus infra cap. XLVII. 10. & sequentibus.

V. 26. SUSCITANS VERBUM SERVI SUI. Alii: *Excitans, statuens verbum servi sui*. Quidam: *Præstiturus verbum servi sui*, id est Christi, cuius spiritu acti locuti sunt prophetæ, II. Petri. 1. 21. Plerique: *servi sui*, id est Isaiæ. ET CONSILIUM NUNTIORUM SUORUM COMPLENS. Nonnulli: *& consilium nuntiorum eius absoluturus*, id est consilium prophetarum, quorum opera Christus utitur ad nuntiandam voluntatem suam.

suam. Qui dico Ierusalem, Habitaberis; et civitatibus Iuda, AEdificabimini. Alii ex Heb. I. *qui dico Ierosolymæ, Sis habitata; & civitatibus Iudæ, AEdificemini*. II. *qui dico de Ierusch alaimis, Habitabuntur; & de civitatibus Iehudæ, AEdificabuntur*. Et deserta eius suscitabo. Alii: I. *& desolationes eius erigam*. II. *& qui vastitates istius erecturus sum*. III. *cuius vastitates ego restituam*.

V. 27. Qui dico profundo, Desolare; et flumina tua arefaciam. Alii ex Heb. I. *Qui mando abysso, Aresce: & flumina tua arefacio*. II. *Qui edicturus sum ipsi de profundo, Exsiccare; & flumina tua arefacturus*; id est, Babyloniam palustrem, in qua Iudæi demersi quodammodo & sepulti erant futuri, ita comparaturus, ut commode ex ea liberentur Iudæi, & ipsi hostes in eam perrumpant: nam Iudæos commodissime ex Babylonia reversos esse, historiæ Hezræ & Nechemiæ docent: Cyrum vero siccato Euphrate Babylonem irrupisse, ex prophetis & historiis ante confirmavimus.

V. 28. Qui dico Cyro: &c. Alii hunc versum ex Heb. elucidant: I. *Qui dicit de Chores: Pastor meus, & omne beneplacitum meum perficiet; dicendo etiam ipsi Ierusalaim, AEdificaberis; & templo, Fundaberis*. II. *Edicturus Choresch, seu Cyro pastori meo, ut omnem delectationem meam perficiat; utque edicat Ieruschalaimis, Reædificantor; & templo, Fundantor*. Exponunt: *Edicturus Cyro* primo Persarum regi, in historiis famigeratissimo, Persicæ monarchiæ conditori; cuius nomen de industria exprimi per Prophetam voluit Deus, ut hoc signo Ecclesia amplius confirmaretur de veritate sermonis Dei; quemadmodum factum fuerat de Ioschiia, I. Reg. XIII. 3. nam a tempore huius prophetiæ, quo enuntiata est, usque ad complementum eius (ut ab ultimo Chiyziiæ anno numeremus) fuerunt minimum anni 170. ut melior chronologia docet: *pastori meo*, id est pastoris officium facturo erga populum meum, liberando, remittendo, curando, fovendo, omnia denique præstando, quæ fuerint opus; sic Homerus Agamemnonem pastorem populorum appellat: *utque edicat Ieruschalaimis*, &c. quemadmodum narratur II. Paralipom. XXXVI. 22. & 23. & Hezræ I. Est autem totus hic versus ad narrationem sequentem metabaticus, sive transitorius.

MENOCHII.

Vers. 1. Et nunc, &c. Describit felicem statum, & aureum sæculum Ecclesiæ. Iacob. Intellige spiritualem Israel, id est populum fidelem, & Christianum, cum allusione tamen ad Israel carnalem, eiusque liberationem e captivitate Babylonica.

V. 2. Faciens & formans te. Vide dicta superiori cap. num. 1. Ab utero: ab initio ortus tui; ab antiqua tui origine. Rectissime. Israel dicitur rectissimus, quia rectissimam Dei legem, cultum, & religionem a Deo accepit.

V. 3. Aquas: cælestium charismatum. Sitientem. Sitientem terram appellat gentilitatem, quæ prius arida, squalida, & infrugifera erat. Spiritum meum: halitum, sive calorem vitalem, quo semina quasi emortua vivificantur. Semen tuum: intelligit Israelis posteros spirituales, non carnales; quasi dicat, Super Gentes Christo credentes, ideoque spirituales Abrahæ, & Israelis filios.

V. 4. Inter herbas, &c. quasi dicat: Quantum inter herbas humiles eminent salices: sic Virgilius dixit Ecloga 1.

Verum hæc tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

V. 5. Iste: populus scilicet Gentilis. Domini sum: servus Domini. Vocabit: scilicet se; quasi dicat, Se Israelitam vocabit. Et hic scribet manu sua: Domino. Profitebitur se Domini esse syngrapham manu propria exarans, qua id testetur. LXX. habent: *inscribet manui suæ: Dei ego sum*: olim enim servi stigma manui inustum ferebant, ex quo cuius essent agnoscerentur. Et in nomine Israel assimilabitur: cognominabitur enim Israelita, id est Christianus, Græcus, aut Italus; non se Græcum dicet aut Italum, sed Christianum.

V. 6. Haec dicit Dominus, &c. Hic rursus vertit se Deus ad idola, & idololatras, & cum eis de divinitate disceptat. Redemptor eius; scilicet Israelis, & populi fidelis. Primus et novissimus: vide

vide dicta supra XLI. 4. ego solus Deus sum.

V. 7. VOCET: prædicet, clara voce pronuntiet. ORDINEM EXPONAT MIHI: narret mihi ordinem, & seriem rerum gestarum, & consiliorum meorum circa populum Israeliticum. EX QUO CONSTITUI POPULUM ANTIQUUM: ex quo Adamum, & primos parentes creavi, & terræ cultores constitui. VENTURA, ET FUTURA, &c. Hoc est quod dixit supra cap. XLI. 23. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dii estis vos*.

V. 8. NOLITE TIMERE. Cum idololatræ omnia vastassent in regno Israelis, occasio dabatur infirmis, ut a diis Gentium timerent. EX TUNC; quasi dicat, A priscis temporibus, ab initio mundi docui veritatem, & futura prædixi: ego, inquam, non idola; ergo ego solus sum Deus, non idola. VOS ESTIS TESTES MEI: qui potestis testificari ea ad unguem evenisse, quæ prædixi, & me maioribus vestris opem tulisse, cum fideliter invocarunt nomen meum. FORMATOR. In Hebræo est צור *tsur*, quæ vox saxum, aut præruptam rupem significat, & sæpe ponitur pro loco tuto, ad quem quis confugit, & in quo tutus est, & Deo non infrequenter tribuitur, ut cum I. Reg. II. 2. dicitur: *Non est Deus sicut Deus noster*, ubi primo loco pro *Deus* in Heb. est צור *tsur* petra, rupes &c. noster legit יוצר *iotser*, quæ vox formatorem, aut *Plasten* significat, hoc est Deum qui omnium plasmator est, & architectus. Sensus ergo est: An aliquis Deus est præter me, & mihi incognitus?

V. 9. PLASTAE IDOLI: artifices omnes qui fabricantur, aut fingunt idola. NIHIL SUNT: vani sunt, & nihili faciendi. AMANTISSIMA EORUM; scilicet idola, quæ ipsi amant, & habent in pretio. IPSI: plastæ scilicet idolorum. SUNT TESTES EORUM: testificari possunt de suis idolis, quod scilicet saxa sint, & trunci, visus, & mentis expertes. CONFUNDANTUR: ut merito confundi debeant, qui idola fingunt, & quasi deos colunt.

V. 10. QUIS FORMAVIT DEUM, &c. quasi dicat: Quis ergo adeo demens fuit, ut idolum formaret?

V. 11. OMNES PARTICIPES EIUS: qui in idolo fabricando, poliendo, ornando collaborant. FABRI ENIM SUNT EX HOMINIBUS; quasi dicat: Quomodo ergo non pudefiant, qui cum sint homines, & Adæ filii, Deum tamen fabricare volunt? CONVENIENT OMNES: coram tribunali Christi, & pavebunt, & confundentur. Vel loquitur de artificibus collato studio idolum fabricantibus, & solicitis, & paventibus cum opus non succedit ut voluissent; quasi dicat: Quam miseri ergo sunt dii, qui a talibus homuncionibus formantur. IN BRACHIO FORTITUDINIS: summo brachiorum nisu. ESURIET, ET DEFICIET: deo illo, quem fabricatur, esuriem, & sitim non sedante. NON BIBET AQUAM, ET LASSESCET: nisi enim comedant, & bibant vires deficiunt.

V. 13. NORMAM: lineam, regulam mensoriam. IN RUNCINA. Runcina fabrile est instrumentum, quo trabes, & tabulas, inæqualia, & aspera abradendo, complanant, & lævigant. IN ANGULARIBUS: angulari mensura, ad rectum perpendiculi angulum, illud dimetiendo: videtur significari triangulare instrumentum fabrorum, vel, fecit illud in angulis domorum, & locis secretis. TORNAVIT. Chald. *formavit, figuravit*: ut est in Heb.

V. 14. PLANTAVIT PINUM; quasi dicat, Vel etiam ex arbore, quam ipse olim plantaverat, materiam eligit, ex qua faciat idolum.

V. 15. FACTA EST HOMINIBUS IN FORMA, id est crevit, & aptam materiam suppeditavit alienis flammis. SUCCENDIT, clibanum.

V. 16. CARNES COMEDIT: coxit, & comedit. ET DIXIT: VAH, id est euge. LXX. *dulce mihi*: suavis enim est ignis frigenti.

V. 18. NESCIERUNT, NEQUE INTELLEXERUNT. Plastæ idolorum, & horum cultores non intellexerunt hæc non esse numina, & nullam inesse truncis illis divinitatem. OBLITI: penultima correpta. Oculi fabrorum, ut etiam idolorum obducti sunt, ne videre possint.

V. 20. COR INSIPIENS ADORAVIT ILLUD: stultum est huiusmodi statuam colere. NON LIBERABIT ANIMAM SUAM; id est, nullus idolo vota faciens salutem consequetur, nec propterea quod illud coluerit, pericula evadet. NEQUE DICET, &c. quasi dicat: Non cogitat artifex ut

dicat: Fortasse dextera mea operatus sum rem mendacem, & vanam; tale enim est idolum.

V. 22. Ut nubem: quam facile ardor solis nubem solvit, aut ventus dissipat. Nebulam: caliginem, aerem occupantem. Redemit te, ex AEgypto; & redimam ex Babylone, & plenius per Christum a captivitate dæmonis, & peccati.

V. 23. Laudate caeli, &c. Quia meminit Propheta redemptionis, ad beneficii huius memoriam, erumpit in iubilum, cælosque & terram, &c. ad Dei laudem invitat.

V. 24. Redemptor tuus, et formator, &c. Vide supra num. 2. cap. xliii. num. 1. & ibi dicta.

V. 25. Irrita faciens: inania esse ostendens signa futurorum, quæ divini captant ex astris, animalium extis, avium garritu, &c. Ariolos. De significatione huius vocis, *Ariolus*, dixi Levit. xix. 31. & Num. xxii. 5. Vertens in furorem: ostendens eos non divino spiritu agi, sed lymphatico furore dæmonis. Convertens sapientes retrorsum: ut excidant ab ea sapientiæ fama, quam imperita plebecula ceperat. Stultam faciens: stultam, inanem, veteratoriam esse ostendens.

V. 26. Suscitans verbum servi sui: implens oracula cuiuscumque Prophetæ servi sui; videtur peculiariter Isaiam intelligere. Consilium nunciorum suorum: verba Prophetarum salutaria suadentium, & divina consilia suis vaticiniis appetentium. Qui dico Ierusalem, &c. qui prænuncio Ierusalem a Chald. eversam, per Cyrum ædificandam, & restaurandam. Rursus, & potius, Ierusalem, spiritualem, id est Ecclesiam Christianam per Christum instituendam. Suscitabo: excitabo ædificia, quæ erant solo fere æquata, & habitatoribus vacua.

V. 27. Profundo: Babyloni amplæ, frequenti, & opulentæ civitati. Flumina tua; Tygrim & Euphratem.

V. 28. Dico: dicam; edita est enim hæc prophetia ducentis, & decem annis ante Cyrum, ut ait Iosephus. Pastor meus es: qui more pastoris populum dispersum congregabis, & in Iudæam reduces, sicut pastor oves dissipatas colligit, & reducit ad caulas.

TIRINI.

Vers. 2. Rectissime. Sic merito vocatur Israel propter rectissimam Dei legem, cultum & religionem, qua reliquis gentibus præcellebat. Hebræum *oescun* LXX. & Chald. vertunt, *dilecte*, vel dilectule *Israel*, ob similitudinem litterarum, inquit S. Hieron.

V. 3. Effundam aquas, id est charismata Spiritus sancti, super sitientem et aridam terram, id est super Gentilem populum: & spiritum, id est vitalem halitum, meum effundam super semen tuum, id est super procreandos ex lege, partim Iudæos, partim Gentiles, qui instructi ab Apostolis & discipulis Christi, ex iis spiritualiter prognati sunt: ita S. Cyrillus, Procopius & Gregorius *a*.

V. 5. Iste. Gentilis conversus dicet gratulabundus, Domini ego sum; supple, servus vel cliens. Alter vocabit se in nomine, seu de nomine Iacob, id est supplantatorem, puta dæmonis & peccati. Tertius scribet manu sua, Domino, supple, mancipatus sum, illi vivo & servio. Et sic nomine Israelis assimilabitur, seu similis reddetur Gentilis Iudæo: uterque enim vocabitur & erit vere Israel, id est prævalens Deo *b*, & per Deum quibusvis hostibus.

V. 6. Ego primus et novissimus: ut supra xli. 4.

V. 7. Vocet; id est, clara voce denuntiet enarret ordinem, id est seriem generationum & sæculorum, quæ fluxerunt ab eo tempore ex quo constituit in terris populum antiquum, nempe Adamum, eiusque filios & nepotes usque ad diluvium, & inde hucusque.

V. 8. Ex tunc; id est, a priscis illis & primis temporibus, audire te feci in parentibus tuis, id est prænuntiavi futura, quæ iam sentitis impleta; quasi dicat: idola nil tale præstiterunt, ergo dii non sunt.

V. 9. Plastae, id est fabri idoli, omnes nihil sunt, id est homines nihili, nullius rei nomine digni, utpote qui adeo desipiunt, ut putent se suis manibus deos efformare: ita Forerius. Et vero amantissima eorum, nempe idola ab ipsis efformata, non proderunt eis, sed oberunt *c* quamplurimum: ut merito con-

fun-

FUNDANTUR, id est confundi debeant ob tantam stultitiam.

V. 13. FORMAVIT ARTIFEX idolum suum RUNCINA, id est instrumento, quo tabulæ ligneæ sculpendo levigantur, & complanantur, unde *planula* a quibusdam teste Plinio *d*, vocari solet: FECIT ILLUD IN ANGULARIBUS, id est ad angulos perpendiculi illud dimetiendo; Chaldæus & Vatablus, *dolabris efformavit illud*; Forerius, *in angulis domorum*.

V. 16. VAH. Hebræum *heach* gaudentis est, idemque quod *euge*; LXX. vertunt, *dulce est mihi*.

V. 18. OCULI plastarum istorum OBLITI & tecti videntur eodem stibio, calce & fuco, quo ipsi obliverunt oculos suorum idolorum.

V. 20. FORTE MENDACIUM EST IN DEXTERA MEA; id est, forte manibus meis conficerem mendacem, falsum & vanum, nempe fictitium Deum.

V. 21. MEMENTO HORUM tam stultorum, tam absurdorum plasmatum: memento, inquam o IACOB, cum alias semper, tum maxime sub *Manasse*, qui vos ad idola pertrahet *e*, & sub Chaldæis, qui etiam compellent *f*. Tum memineris horum, & NE MEI OBLIVISCARIS qui FORMAVI *g* & creavi TE: & semper hucusque,

V. 22. DELEVI PECCATA TUA, semperque deinceps delere paratus sum, ea promptitudine, facilitate & perfectione, qua *nubes & nebulæ*, vel a vento dissipantur, vel radiis solis dissolvuntur, & aeris serenitas emergit.

V. 25. IRRITA FACIENS SIGNA DIVINORUM, augurum & ariolorum: v. g. exta animalium, garritum vel volatum avium, aspectu astrorum, somnia, fulgura & alia e quibus divinare solent. Quæ Deus irrita & mendacia facit quando vult: CONVERTENS SAPIENTES, ut cadant RETRORSUM, & excidant spe, lucro, fama & gloria sua: e contrario autem

V. 26. SUSCITANS VERBUM SERVI SUI; id est, reipsa complens quæcumque prædixi & promisi per Isaiam *servum* meum, & per alios *nuntios* meos Prophetas. Ac nominatim tibi, o Ierusalem, quam per Chaldæos vastandam prædixi, certissime promitto, iterum HABITABERIS.

V. 27. DICO & impero PROFUNDO fluminis magni Euphratis, DESOLARE, aquis destituere, exsiccare ut per siccum fluminis alveum Persæ & Medi subintrent urbem Babylonem. Ita factum testantur historici. Porro qui hæc mea iussa exequetur, tu eris,

V. 28. O *Cyre*, cui DICO, PASTOR MEUS ES, id est rex populorum meorum qui instar optimi pastoris colliges dispersas per Chaldæos oviculas, & reduces eas ad caulas suas Iudaicas in Iudæam, alias alio. Voluit autem Deus, hæc & alia cap. seq. de *Cyro* per Isaiam fere ducentis annis antequam fierent nominatim prædici: primo, ne Iudæi suam illam liberationem alicui, seu homini adscriberent, sed soli Deo, a quo scirent tot annis ante prædictam & promissam fuisse: secundo, ut hac tam certa testataque experientia fidem Iudæis faceret de aliis nobilioribus oraculis suis, quibus remissio peccatorum, & liberatio a servitute diaboli, aliæque gratiæ per Christum toti orbi promittebantur, quarum typus & figura erant illa beneficia quæ Iudæis per Cyrum obvenerunt, inquiunt Tertullian. Iustinus, Cyprianus, Lactantius, Chrysostomus, Augustinus, a Leone Castrio, immo & Rabbini plerique a Galatino citati *h*: qui tamen corrigendi sunt in nomine *Cyri*, Hebraice *curos*: nam ipsi aliis punctis legunt, *cores*, quod *solem* designat, cui volebant Cyrum assimilare. Fœdior error irrepsit in quædam exemplaria LXX. interpretum, ubi pro χύιῳ legitur κυρίῳ: sed hoc mendum ex Hebræis, Chaldæis & Latinis aliisque Græcis exemplaribus aperte detegitur, inquit S. Hieronymus.

(a) Greg. Lib. XXXIII. Moral. c. v.
(b) Gen. xxxix. 25.
(c) I. Reg. xii. 21.
(d) Plin. Lib. XVI. xxiv.
(e) IV. Reg. ii. 3.
(f) Daniel. iii. 14.
(g) Isaiæ xliii. 1.
(h) Galat. Lib. IV. cap. xii. Legendum כורש non vero כורש.

GORDONI.

Vers. 1. & 5. ET NUNC AUDI, &c. Alloquitur populum fidelem, immo & Christianum, non tamen excludendo Israelitas, præsertim sub Cyro, promittit præclara. Hinc vers. 5. ILLE VOCABIT IN NOMINE MEO, invocabit, prædicabit, ET

SCRI-

SCRIBET MANU SUA DOMINO. LXX. *Domini, Ego sum*; ac si dicat, se esse e familia Domini; quo modo dicuntur baptizati esse e familia Christi, aut qui cum morte, aut martyrio, aut voto profitentur: ectera perspicua sunt.

V. 8. PLASTAE IDOLI OMNES, NIHIL SUNT. Longa descriptio ostendens idoli vanitatem. Fabricatores sunt homines, sunt nihil, esuriunt, sitiunt, deficiunt, a Deo deducti sunt: (non sic Deus) hi sunt qui ex rebus usu consumendis, operantur Deum.

V. 21. & 22. MEMENTO HORUM IACOB, &c. Apostrophe est ad populum fidelem, cum exhortatione ad verum cultum & promissione. DELEVI (inquit vers. 22.) UT NUBEM INIQUITATES TUAS, & faciens ea quæ usque ad finem capitis dicuntur, de Cyro & Christo.

V. 24. Vox SOLUS, excludit creaturas, non vero personas.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 5. ISTE DICET, scilicet populus gentilis profitebitur Christum: scribet & syngrapha, si oportet, hoc ipsum testabitur. ASSIMILABITUR, vocabitur cognomento, Israelita, Christianus, &c.

Vers. 6. HAEC DICIT DOMINUS. Hic conversus Dominus iterum ad idola, disputat cum illis de divinitate.

Vers. 13. RUNCINA. Instrumentum est quo lævigari solent tabulæ asperiores.

Vers. 21. VAH: euge: lætantis est vox ob novum Deum fabricatum.

Vers. 28. Supra in tabula ad initium Isaiæ ostensum est, diu ante Cyrum hæc prædicta fuisse.



CAPUT XLV.

Prophetia de Cyro & victoriis ipsi a Deo concedendis, cum increpatione quod Deum in his non agnoscat, cum ipse solus sit Deus, omnium Dominus, cui nemo potest contradicere: prædicitur Christi nativitas: & loquitur Propheta permixtim de Iudæorum per Cyrum liberatione, ac salute per Christum futura: quandoque solus Dominus sit Deus, iustus & salvans, promissaque complens.

1. HAEc dicit Dominus christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, ut subiiciam ante faciem eius Gentes, &
dorsa regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, &
portæ non claudentur. 2. Ego ante te ibo: & gloriosos
terræ humiliabo: portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam. 3. Et dabo tibi thesauros absconditos,
& arcana secretorum: ut scias quia ego Dominus, qui
voco nomen tuum, Deus Israel. 4. Propter servum meum
Iacob, & Israel electum meum, & vocavi te nomine tuo: assimilavi te, &
non cognovisti me. 5. Ego Dominus, & non est amplius: extra me non est
Deus: accinxi te, & non cognovisti me: 6. Ut sciant hi, qui ab ortu solis, & qui ab occidente, quoniam absque me non est. Ego Dominus, & non
est alter, 7. formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum: ego Dominus faciens omnia hæc. 8. Rorate cæli desuper, & nubes
pluant iustum: aperiatur terra, & germinet salvatorem: & iustitia oriatur simul: ego Dominus creavi eum. 9. * Væ qui contradicit fictori suo, testa de
Samiis terræ: (*a*) numquid dicet lutum figulo suo: Quid facis, & opus tuum
absque manibus est? 10. Væ qui dicit patri: Quid generas? & mulieri: Quid
partu-

parturis? 11. Hæc dicit Dominus ſanctus Iſrael, plaſtes eius: Ventùra interrogate me, ſuper filios meos, & ſuper opus manuum mearum mandate mihi. 12. Ego feci terram, & hominem ſuper eam creavi ego: manus meæ tetenderunt cælos, & omni militiæ eorum mandavi. 13. Ego ſuſcitavi eum ad iuſtitiam, & omnes vias eius dirigam: ipſe ædificabit civitatem meam, & captivitatem meam dimittet, non in pretio, neque in muneribus, dicit Dominus Deus exercituum: 14. Hæc dicit Dominus: Labor AEgypti, & negotiatio AEthiopiæ, & Sabaim viri ſublimes ad te tranſibunt, & tui erunt: Poſt te ambulabunt, vincti manicis pergent: & te adorabunt, teque deprecabuntur: Tantum in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus. 15. Vere tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael ſalvator. 16. Confuſi ſunt, & erubuerunt omnes: ſimul abierunt in confuſionem fabricatores errorum. 17. Iſrael ſalvatus eſt in Domino ſalute æterna: non confundemini, & non erubeſcetis uſque in ſæculum ſæculi. 18. Quia hæc dicit Dominus creans cælos, ipſe Deus formans terram, & faciens eam, ipſe plaſtes eius: non in vanum creavit eam: ut habitaretur, formavit eam: ego Dominus, & non eſt alius. 19. Non in abſcondito locutus ſum in loco terræ tenebroſo: non dixi ſemini Iacob: Fruſtra quærite me: ego Dominus loquens iuſtitiam, annuntians recta. 20. Congregamini, & venite, & accedite ſimul qui ſalvati eſtis ex Gentibus: neſcierunt qui levant lignum ſculpturæ ſuæ, & rogant Deum non ſalvantem. 21. Annuntiate, & venite, & conſiliamini ſimul: quis auditum fecit hoc ab initio, ex tunc prædixit illud? numquid non ego Dominus, & non eſt ultra Deus abſque me? Deus iuſtus, & ſalvans non eſt præter me. 22. Convertimini ad me, & ſalvi eritis omnes fines terræ: quia ego Deus, & non eſt alius. 23. In memetipſo iuravi, egredietur de ore meo iuſtitiæ verbum, & non revertetur: 24. (b) quia mihi curvabitur omne genu, & iurabit omnis lingua. 25. Ergo in Domino, dicet, meæ ſunt iuſtitiæ & imperium: ad eum venient, & confundentur omnes qui repugnant ei. 26. In Domino iuſtificabitur, & laudabitur omne ſemen Iſrael.

(a) Rom. IX. 20. Ierem. XVIII. 6. (b) Rom. XIV. 11. Philip. II. 10.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

Verſ. 9. *Væ qui contradicit fictori ſuo*. Non ſcribas *factori* a facio, pro *fictori* a fingo.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. HAEC DICIT DOMINUS CHRISTO MEO CYRO: למשחו, *chriſto ſuo*: vel, de chriſto ſuo Cyro. Chriſti vocabantur reges Iudæ, quia uncti erant, ut I. Reg. II. 10. *Et dabit imperium regi ſuo; & ſublimabit cornu Chriſti ſui*: & I. Reg. XII. 3. & XV. 6. & XXIV. 7. XI. κατ' ἐξοχὴν vero redemptor noſter hoc nomine appellatus eſt: & quia Cyrus quamvis profanus rex eius figuram in liberando populo præ ſe ferebat, Chriſtus etiam vocatur. CUIUS APPREHENDI DEXTERAM; id eſt, cuius dux ero, vel, quem ſuſtentavi atque roboravi, cui auxilio

xilio fui: ut Psal. LXXII. 24. *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me*. Ponitur autem præteritum pro fut. apprehendam. UT SUBIICIAM ANTE FACIEM EIUS GENTES, id est Babylonios. ET DORSA REGUM VERTAM, id est faciam ut fugiant ab eo. Heb. ומתני מלכם אפתח, *& lumbos regum aperiam*, id est dissolvam; quasi dicat: Efficiam ut eius metu etiam potentissimi reges animum despondeant: sicut dixerat ante apprehendere dexteram, id est corroborare, ita nunc dicit, dissolvere renes, id est debilitare: nam in utraque parte corporis robur hominis maxime consistit. Sicut Galli solent dicere, *Estre foible des reins*. UT APERIAM CORAM EO, id est eo veniente, aut eo pugnante, IANUAS, portas urbium. ET PORTAE NON CLAUDENTUR; ita ut me aperiente nemo possit claudere: ut Iob XII. 14. Isai. XXII. 22. Apoc. III. 7. *Qui aperit, & nemo claudit*: quo Hebraismo, ut illic diximus, summa potentia significatur, cui nemo possit resistere.

V. 2. EGO ANTE TE IBO, id est ero dux tuus. Chaldæus, *verbum meum ante te ibit*. ET GLORIOSOS TERRAE HUMILIABO, id est potentissimos quosque tibi subiiciam. Heb. הודרים אושר quod Hebræi interpretantur, *Et tortuosa recta faciam*, viam illi facilem reddam: ita etiam Septuag. verterunt, ὄρη ὁμαλιῶ. PORTAS AEREAS, &c. per portas æreas, & vectes ferreos, summas difficultates significat: difficillimum enim est portas æreas conterere, & vectes ferreos confringere; quasi dicat: Nulla erit difficultas tanta, quam me duce non superes.

V. 3. ET DABO TIBI THESAUROS ABSCONDITOS: אוצרות חשך, *thesauros tenebrarum*, id est reconditos in locis tenebrosis. ET ARCANA SECRETORUM. Heb. Repetitio est: ומטמוני מסתרים, *& thesauros absconsionum*, id est abstrusos; quasi dicat: Omnes opes Babyloniorum tibi tradam. UT SCIAS QUIA EGO DOMINUS, QUI VOCO NOMEN TUUM; id est, qui te elegi, & ad hoc munus vocavi: hoc enim significat vocare aliquem nomine suo: vel, vocavi te nomine tuo, imposui tibi nomen Cyri antequam nascerere, ut inde possis intelligere me esse Dominum.

V. 4. PROPTER SERVUM MEUM; id est, non elegi te propter teipsum, sed propter servum meum Iacob, ut eum a servitute Babyloniorum liberares. ET VOCAVI TE NOMINE TUO: ut sup. vers. 3. ASSIMILAVI TE; id est, antequam natus esses, qualis futurus esses, depinxi per Prophetas meos imaginem & similitudinem tuam. Heb. אכנך, *cognominavi te*, ut sup. cap. XLIV. 5. quasi dicat: Vocavi te nomine & cognomine tuo antequam tu me cognovisses: itaque non tu me elegisti, sed ego elegi te.

V. 5. EGO DOMINUS, ET NON EST AMPLIUS, id est & nullus est prætereа Dominus. EXTRA ME, id est præter me non est Deus. ACCINXI TE; id est, dedi tibi vires, antequam me cognosceres. Prius enim Cyrus Chaldæorum regnum occupavit, quam cognosceret Deum: postea vero ex consuetudine Iudæorum, qui in captivitate erant, Deum novit, doctore, ut creditur, Daniele, postea vero Iudæos in libertatem misit.

V. 7. FACIENS PACEM, ET CREANS MALUM, id est excitans bellum. Opponit enim malum paci, sicut tenebras luci. Est autem repetitio eiusdem sententiæ: idem enim significat per lucem & pacem, nempe res omnes prosperas, & per tenebras & malum, nempe omnes res adversas. Nominat autem res prosperas & adversas potius quam alias, quia agebat de captivitate & liberatione Iudæorum.

V. 8. RORATE CAELI DESUPER. Dubium an sint hæc Prophetæ, an Dei verba. Si Dei sint, magis hærebunt ad superiora; cum enim Deus de futuro Cyro Christi figura loqueretur, transfert sermonem ad Christum. Si sint verba Prophetæ, precatorie accipi debent; si Dei, imperative. *Rorate cæli*; id est, emittite Spiritum sanctum in Virginem ut Christum concipiat, sicut Angelus dixit, *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*: Lucæ I. 35. ET NUBES PLUANT: שחקים, *cæli pluant*: est enim repetitio verbis variata. PLUANT IUSTUM, צדק, *iustitiam*, id est Christum qui iustitia nostra est, id est quæ nos iustificat: I. Cor. I. 30. APERIATUR TERRA; id est, præparetur B. Virgo ad concipiendum atque pariendum Christum. Aperiri enim non significat apertionem, sine qua B. Virgo concepit ac peperit, sed effectum apertionis, id est præparationem: quia cum terra aperitur præ-

parat

parat se ad excipiendam pluviam. Beata ergo Virgo aperuit animum suum ad excipiendum Spiritum sanctum, cum dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*: Luc. I. 38. SALVATOREM: ישע וצדקה, *salutem & iustitiam*, id est Christum salvatorem, & iustificatorem nostrum. EGO DOMINUS CREAVI EUM, id est, sine opera viri in utero B. Virginis formabo: praet. pro fut. Hinc apparet nomina feminina *Iustitia* & *Salus*, posita fuisse pro Christo, quia utitur nunc relativo masculino, בראתיו.

V. 9. VAE QUI CONTRADICIT. Difficile est intelligere, quo modo cum praecedentibus haec verba cohaereant. Ego sic existimo coniungenda, ut quia de Christi adventu mentionem fecerat, nunc reprehendat impatientem eorum temeritatem, qui Dei providentiam arguebant, quod non statim toties promissum Christum mitteret, sed per Cyrum quasi per eius umbram se diceret populum liberaturum, ut Habacuc II. 3. *Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in ipso*. TESTA DE SAMIIS TERRAE; id est, tamquam testa, aut tamquam fictile aliquod ex fictilibus terreis. Samia vasa fictilia apud veteres auctores celebrata sunt: posuit Interpres nomen proprium pro communi; nemo tamen mihi videtur tam bene sensum expressisse. ET OPUS TUUM ABSQUE MANIBUS EST, id est impolitum est, non est manu artificis fabrefactum. Gallice, *Il n' est pas bien manie*.

V. 10. VAE QUI DICIT PATRI. Eadem sententia aliis exemplis declarata.

V. 11. HAEC DICIT DOMINUS. Loquitur Deus cum hominibus tamquam par cum paribus, aut inferior potius cum superioribus deposita maiestate sua, ut ostendat se quid facit non auctoritate, sed ratione facere. VENTURA INTERROGATE ME; id est, tantam habeo curam filiorum meorum, ut paratus sim rationem reddere de omnibus quae illis sunt in futurum eventura. ET SUPER OPUS MANUUM MEARUM MANDATE MIHI; id est, praescribite mihi quam curam habere debeat auctor operis sui, & ostendam me eam habere: vel, iubete reddere rationem operis mei, & reddam; quasi dicat: Etsi non debet opus ab artifice rationem exigere cur ita se fecerit, vosque opus manuum mearum estis; hoc tamen vobis concedo ut rationem a me exigatis eamque vobis reddam.

V. 12. EGO ET MANUS MEAE. Heb. אני ידי, ad verbum, *Ego manus meae*; id est, ego sum, cuius manus caelos tetenderunt. ET OMNI MILITIAE EORUM; id est, omnibus eorum stellis certam legem imposui, qua moverentur; vel, omnes stellas solo verbo iussuque feci.

V. 13. EGO SUSCITAVI; pro, suscitabo eum; id est, Cyrum hominem a religione & iustitia alienum faciam in hac re ministrum iustitiae meae, ut populum meum in libertatem dimittat. ET OMNES VIAS EIUS DIRIGAM; id est, faciam ut in hac re nullo modo erret, sed prudenter se gerat: vel, tollam illi omnes difficultates. IPSE AEDIFICABIT; id est, permittet aedificari civitatem meam Ierosolymam, quae incensa fuerat una cum templo, per Nabuzardam principem militiae regis Babylonis: IV. Reg. XXV. 8. 9. ET CAPTIVITATEM MEAM; id est, populum meum qui Babyloni captivus tenetur. Captivitas, pro captivis, ut Psal. LXVII. 19. & Ephes. IV. 8. *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem*. NON IN PRETIO. Heb. *non propter pretium aut munera*, sed gratis motus a me ut id faciat.

V. 14. LABOR AEGYPTI; id est, omnes opes, quas AEgyptii labore suo pepererunt. ET NEGOTIATIO AETHIOPIAE; id est, quidquid per negotiationem AEthiopes acquisiverunt. ET SABAIM. Civitas erat regia AEthiopiae, alio nomine Saba appellata: III. Reg. X. 1. Sensus est, fore ut Iudaei opibus AEgyptiorum & AEthiopum templum & urbem Ierosolymitanam reaedificarent. Legimus enim I. Lib. Esdrae cap. VI. 4. Cyrum praecepisse, ut templum suis sumptibus aedificaretur: erant autem illi AEgyptus & AEthiopia vectigales, atque factum est ut AEgypti & AEthiopiae divitiis templum aedificaretur. VIRI SUBLIMES. Heb. אנשי מדה, *viri mensurae*, id est proceri AEthiopes intelligit, qui fere magna sunt statura. VINCTI MANICIS PERGENT; id est, ita a Deo impellentur, ut Ierosolymam confluant, ut vincti duci videantur. Debent autem haec de Ecclesiae reaedificatione mystice intelligi: nam ex omnibus gentibus con-

concursus ad Ecclesiam factus est, & eorum opibus ad Apostolorum pedes positis Ecclesiæ fundari cœptæ sunt: Act. IV. 35. ET TE ADORABUNT, id est tibi se inclinabunt, atque subiicient. TANTUM IN TE EST DEUS, (sub. dicentes.) ET NON EST DEUS ABSQUE TE, id est nisi in te. Deus ubique est, sed dicitur esse in sola Ecclesia Catholica, quia in ea sola rite colitur.

V. 15. VERE TU ES DEUS ABSCONDITUS, id est incomprehensibilis, quem homines non cognoscunt: si enim cognoscerent, amarent, & colerent, relictis idolis. Verba sunt Prophetæ sententiam gentilium confirmantis: sicut dixit Iacob Gen. XXVIII. 16. *Vere Deus est in loco isto, & ego nesciebam.*

V. 16. CONFUSI SUNT; pro, confundentur, & erubescent. ABIERUNT IN CONFUSIONE, id est confusi perierunt. FABRICATORES ERRORUM, צירים, *simulacrorum.*

V. 17. ISRAEL SALVATUS EST; pro, salvabitur salute æterna, id est quam semel partam numquam amittet: Antithesis præcedentis versus. NON CONFUNDEMINI, o Israelitæ: mutat personam, ut solet.

V. 18. NON IN VANUM. Oratio absoluta vim habens relativi; quasi dicat: Hæc dicit Dominus, cuius potentia & sapientia in cæli terræque conditione cernitur. Non enim temere fecit, sed ut commodam hominibus habitationem præberet.

V. 19. NON IN ABSCONDITO LOCUTUS SUM. Qui falsa docent, solent in locis abditis & obscuris docere; sicut idola & idolorum vates. Qui autem vera, palam loquitur, ut Christus ait, *Ego palam locutus sum mundo:* Ioan. XVIII. 20. Opponit ergo se idolis, quod non falsa vanaque prænuntiet. NON DIXI SEMINI IACOB: FRUSTRA; id est, non fefelli illos, cum iussi ut me sequerentur: sed quicumque secuti sunt me, copiose eos remuneravi.

V. 20. QUI SALVATI ESTIS EX GENTIBUS: עלימי גוים. Nemo hunc locum meo iudicio tam bene vertit, quam noster Interpres. Invitat enim eos qui ex gentibus prædestinati erant, ut veniant ad Ecclesiam. Atque eos vocat salvatos ex gentibus, id est prædestinatos ad salutem: sicut Ioannes vocavit filios Dei etiam ante quam crederent, *Ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret:* Ioan. XI. 52. NESCIERUNT; id est, imprudentes fuerunt, nescierunt quid egerunt. QUI LEVANT: הנושאים, *qui portant simulacra sculptilium suorum*; id est, qui deos habent ligneos, & lapideos, qui moveri non possunt de loco, nisi portentur. ET ROGANT, id est supplicant Deo lapideo, qui salvare eos non potest.

V. 21. ANNUNTIANTE ET VENITE ET CONSILIAMINI SIMUL; id est, congregamini; & inite consilia quantumcumque vobis libet, non reperietis ullum Deum præter me futura prædixisse. EX TUNC, id est iam olim PRAEDIXIT ILLUD. Relativum *Hoc*, & *illud* refertur ad historiam Cyri, quam paulo ante narravit, antequam accideret. NUMQUID NON EGO, ET NON EST ULTRA; id est, numquid non ego, præter quem non est alius Deus. DEUS IUSTUS ET SALVANS (ego) NON EST PRAETER ME; id est, qui solus sum Deus iustus & salvans, id est præter quem nullus Deus iustus est, & qui salvare possit.

V. 22. CONVERTIMINI: פנו, *respicite ad me*; id est, venite recta ad me via, revertimini ad me.

V. 23. IN MEMETIPSO: בי, *per me ipsum iuravi*, ut Hier. XXII. 5. EGREDIETUR DE ORE MEO; pro, egressum est de ore meo iustitiæ verbum, aut verbum in iustitia: ET NON REVERTETUR, id est non erit vanum & inane; quasi dicat: Efficiam ut eveniat, quicquid eventurum prædixi. QUIA MIHI CURVABITUR; id est, me colent omnes gentes, & rebus, & verbis, GENU ET LINGUA: significavit omne genus cultus externi: colimus enim Deum aut animo, aut lingua, aut rebus externis. Lingua, cum per eum reverenter iusteque iuramus; profitemur enim iurantes eum esse Deum, ideoque Iudæis præceptum erat, ut cum iurandum illis esset, per nomen Dei iurarent: Deut. VI. 13. & X. 20. Psal. LXII. 12. *Laudabuntur omnes qui iurant in eo.* Est enim iuramentum, ut Theologi docent, actus religionis. Genu autem flexione significatur quilibet alius actus externus.

V. 24. ERGO: *itaque*, vel, *atique*, אך (unusquisque eorum) DICET, IN DOMINO

NO MEAE SUNT IUSTITIAE; id est, omnis mea iustitia ex Deo profecta est. ET IMPERIUM: עז, *& fortitudo*; id est, quidquid possum auctore Deo possum. AD EUM VENIENT; id est, ad eum convertentur qui in eum credent, QUI VERO REPUGNANT, id est qui increduli sunt, CONFUNDENTUR.

V. 25. IN DOMINO IUSTIFICABITUR; id est, cognoscet se a Deo iustificari, in eoque omnem suam laudem sitam esse.

S A.

Vers. 1. CHristo, id est uncto; quasi dicat, Regi. APPREHENDI; quasi dicat, Quem adiuvi: præteritum pro futuro. VERTAM, scilicet ante eum in fugam.

V. 2. GLORIOSOS, scilicet principes. AEREAS, id est fortes.

V. 3. ARCANA SECRETORUM. Chald. *abstrusas opes*. Voco, scilicet multo ante quam sis.

V. 4. ASSIMILAVI, scilicet pastori; vel quasi dicat: Feci, ut esses figura & similitudo Christi mundum e captivitate liberaturi. Chald. *direxi*. LXX. *suscepi*. Heb. *cognominavi*.

V. 5. AMPLIUS. Chald. *alius*. EXTRA, id est præter. ACCINXI. Chald. *audivi*. LXX. *confortavi*.

V. 7. CREANS, id est faciens. MALUM, id est bellum, seu calamitatem.

V. 8. RORATE, scilicet misso Spiritu sancto in Virginem, vel Christo in mundum. IUSTUM, scilicet Christum. ORIATUR, scilicet per Christum iustificamur.

V. 9. TESTA; pro, cum sit velut testa. SAMIIS TERRAE, id est vasis e terra. *Samia vasa* vocantur a Samo insula, ubi pulchra fiebant. MANIBUS, id est artificio.

V. 10. QUID GENERAS, id est cur me genuisti? quasi dicat: Ut indignum est queri de parentibus, quod genuerint; ita de Deo, qui fecerit.

V. 11. MIHI, id est Prophetis meis; quasi dicat, Per eos me interrogate.

V. 12. MANUS, id est virtus. MILITIAE. LXX. *stellis*.

V. 13. EUM, scilicet Cyrum, vel Christum. IUSTITIAM, id est punitionem, scilicet Chaldæorum; vel, si ad Christum referatur, iustificationem hominum. AEDIFICABIT, id est permittet ædificari, scilicet Cyrus, vel Ecclesiam ædificabit, scilicet Christus. IN PRETIO, id est accepto pretio; quasi dicat, gratis.

V. 14. LABOR, id est opes labore partæ. SABAIM, id est Sabæorum. Per hos populos Gentiles intelliguntur ad Christum conversi. SUBLIMES, id est proceri. VINCTI; pro, velut vincti; scilicet compulsi spiritu. TANTUM. Chald. *in veritate*. IN TE, scilicet o Christe. ABSQUE, id est præter. Not. non esse unam personam præter aliam Deum, quia una sola est Divinitas.

V. 16. ERRORUM. Chald. *idolorum*.

V. 17. SALVATUS EST; pro salvabitur.

V. 19. DIXI: iungi potest cum *frustra*. IUSTITIAM. Chald. *veritatem*.

V. 20. LEVANT, id est gestant, scilicet humeris; vel ponunt loco edito.

V. 21. ANNUNTIATE, scilicet reliquis, ut veniant. Hoc, scilicet quod futurum est, seu quod supra dixi.

V. 23. IN MEMETIPSO, id est per meipsum. IUSTITIAE, id est iustum. NON REVERTETUR, id est non erit irritum.

V. 25. ERGO IN DOMINO; pro, per Dominum, scilicet iurabit, non per idola. Heb. tantum *in Domino*. DICET; pro, dicit, scilicet Dominus. EUM, scilicet Deum.

V. 26. IN DOMINO, id est per Dominum. LAUDABITUR. Chald. & LXX. *gloriabitur*.

E S T I I.

Vers. 4. PROPTER SERVUM MEUM IACOB, ET ISRAEL ELECTUM MEUM VOCAVI TE NOMINE TUO; ASSIMILAVI TE, ET NON COGNOVISTI ME. Verba sunt Dei ad Cyrum, ut patet ex initio capitis. Quod ergo ait: *Vocavi te nomine tuo*, hoc significat, quod proprium eius nomen tanto tempore ante prædixerit. Illud autem, *assimilavi te*, quidam intelligunt, volui te gerere similitudinem & typum Christi mei; sed vox Hebræa aliud significat; videlicet legere aut vocare aliquem, non aperto nomine, sed oculto ac secretiori, quod sit velut cognomen, unde alii vertunt, *Cognominavi te*; sensus itaque est: Non

fatis mihi est te proprio nomine vocare, sed & adieci cognomina, eaque talia, quibus excellentiam tuam declarem; videlicet hæc: *Christus*, *pastor*, *iustus*, *salvator*: in quibus omnibus itaque Cyrus haud dubie typum gessit Christi veri Salvatoris. Verum in eo quod addit: *& non cognovisti me*, in eo Cyrus Christi typum non gessit, sed hoc addere voluit Propheta, ut ostenderet aliud esse typum, aliud veritatem, & sicut populus Iudaicus etiam nesciens præfiguravit veritatem evangelicam; ita Cyrus homo gentilis, Christi quidem typum gessit, sed nesciens.

Sed quomodo non cognovit Cyrus Deum cum dicatur, II. Paralip. ult. & I. Esdræ I. ex nomine ipsius Cyri: *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, & ipse præcepit mihi, ut ædificarem ei domum in Ierusalem?* Respondeo: cognoverat aliquo modo; nihilominus, recte hic dicitur: *Et non cognovisti me*; ut intelligatur de cognitione certa, stabili, ac perfecta. Quia in religione veri Dei parum erat institutus. Potest etiam referri ad cognitionem typi, quem gerebat, hoc sensu: Magnifice te appellavi, & tamen nescis quam magnæ, & eximiæ rei typum geras.

V. 9. NUMQUID DICET LUTUM FIGULO SUO, &c. Argumentatur ex hoc Calvinus: Ergo sicut lutum tantum patitur, & non agit, neque movere seipsum potest, neque resistere, dum figulus ex ipso facit opus aliquod, ita & homo se habet in his quæ Deus in ipso operatur: sed respondeo, eatenus hanc similitudinem locum habere; quod homo non magis possit impedire voluntatem Dei circa ipsum statuentis sive prospera, sive adversa, quam lutum impedire possit operationem figuli; deinde etiam ad significandum non ex ullis meritis, sed ex sola Dei voluntate unum eligi, ut ex eo fiat vas in honorem; alium vero relinqui ut sit vas in contumeliam. Neque repugnat hoc libero arbitrio: nam cum homo sit animal ratione præditum, sic voluntas eius a Deo movetur, ut & ipsa sese moveat & quidem libere: nimirum Deo illam movente, secundum modum naturæ eius. Vide plenius ad illud Esther. xv. *Convertit Deus spiritum regis*.

MARIANAE.

Vers. 1. HAEC DICIT DOMINUS CHRISTO MEO, uncto meo, Regi meo. Reges ungebantur. De Cyro agit. CUIUS APPREHENDI DEXTERAM, UT SUBIICIAM, vel *sternam*. ANTE FACIEM EIUS, ante eum, coram eo, aut *illi*. DORSA REGUM VERTAM, scilicet in fugam. Heb. *lumbos Regum aperiam*, id est dissolvam, scilicet præ metu.

V. 2. ET GLORIOSOS TERRAE HUMILIABO. Heb. *& tortuosa dirigam*: complanabo scilicet viam.

V. 3. THESAUROS ABSCONDITOS dabo. Heb. *thesauros tenebrarum*, id est occultos. ET ARCANA SECRETORUM. Repetitio. QUI VOCO NOMEN TUUM. Heb. *qui voco* (te) *nomine tuo*. Id signum amoris est.

V. 4. PROPTER SERVUM MEUM IACOB; quasi dicat: Tot in te beneficia confero, ut liberes populum meum. ASSIMILAVI TE. Heb. *cognominavi te*, Regis, & Messiæ cognomina dedi. ET NON COGNOVISTI ME, non enim Cyrus coluit Deum.

V. 5. ACCINXI TE, id est balteo militari te instruxi. Militem meum feci.

V. 6. ABSQUE ME NON EST. Heb. *absque me nihil*, scilicet fit. Victoriarum Cyri ego sum auctor, nisi mea ope tam magna præstare non potuisset. Ego Dominus.

V. 7. FORMANS LUCEM, id est noctem & diem, ut in Genesi. ET CREANS MALUM, id est bellum, sic dictum, quoniam malorum omnium fons est. Vel malum pœnæ creans.

V. 8. ET NUBES. Sic Septuag. Heb. *cæli*, aut *æthera*. PLUANT IUSTUM. Heb. *pluant iustitiam*; pro, *iustum*. ET GERMINET SALVATOREM. Heb. *germinent salutem*, scilicet cæli, atque ex iis cadat in terram; aut *germinent*, pro, *germinet terra*, ut Noster posuit. ET IUSTITIA ORIATUR SIMUL. Heb. *iustitiam germinare faciat*: terra scilicet. CREAVI EUM, Christum, de quo omnia hæc intelliguntur. Chald. *ego Dominus creavi ea*, scilicet iustitiam & salutem.

V. 9. VAE QUI CONTRADICIT FICTORI SUO. Non *factori*. Heb. *væ qui litigat cum fictore suo*. TESTA DE SAMIIS TERRAE, id est talis est quasi argilla. *Samia* pro

pro testeis vasis sumuntur, teste Nonio Marcello, quod scilicet in Samo fictilia nobilissima fierent. Sensus ergo erit: Testa de testis terræ, scilicet litigat. Quid vero si חרשי *harsei* legamus cum puncto *Iamin*, non cum *Smol*, ut modo est, dicamus: *Væ testæ litiganti cum figulis terræ*. Male illi erit. ET OPUS TUUM ABSQUE MANIBUS EST, id est rude, ut manibus factum non videatur. Heb. *& opus tuum non manus illud*, scilicet fecerunt, ל *Lamed* pro nota accusativi in לו *lo*, id est *illud*. Hoc testa si dicit figulo, Rude opus fecisti, stulte loquitur; sic qui Deum accusant.

V. 10. QUID GENERAS? quasi dicat: Neque filii cum parentibus litigare debent.

V. 11. PLASTES, id est fictor sum Israelis. INTERROGATE ME; pro, interrogatis. MANDATE MIHI; pro, mandatis; quasi dicat, In hoc mecum litigatis.

V. 12. MILITIAE EORUM MANDAVI, id est solo iussu feci stellas: ut sic, *mandavi*, pro, mando, impero militiæ cæli. Ita licet homines stulte faciant litigantes cum Deo, ipse tamen rationem reddit, cur stulte faciant, quia scilicet cum omnipotente litigant.

V. 13. EGO SUSCITAVI EUM AD IUSTITIAM. Ad Christum revertitur, sive ad Cyrum, quem vult iustitiam sancire sublata tyrannide.

V. 14. LABOR AEGYPTI ad te transibit, tibi dabitur, id est labore ab AEgyptiis parta. ET NEGOTIATIO AETHIOPIAE, id est merces. ET SABAIM VIRI SUBLIMES. Sic Septuag. Heb. *viri mensuræ*, scilicet magnæ, aut qui mensuris utuntur. Ideo dixit Chald. *viri negotiationis*. Mercatores potissimum mensuris utuntur. *Sabaim*. per *Samech* scribitur: significat Sabæos, qui erant in Arabia Felici. VINCTI MANICIS, aut *compedimus*: ET TE ADORABUNT quasi Deum. TANTUM IN TE EST DEUS. Sic dicent illi de vero Deo Iudæorum, te solum ut Deum habebunt. Cap. XXIII. 3. dixerat Deus se pro Israele daturum AEgyptios, AEthiopes & Sabæos, seu Sabaim: nunc ostendit id factum cum Cyrus in eos versis armis illos omnes sibi subiecit.

V. 15. DEUS ABSCONDITUS. Nempe lucem habitat inaccessibilem. Hic Isaias sermonem vertit ad Deum verum. Qui absconditus, & eius consilia abscondita latent, & rationes eorum quæ fecit.

V. 16. OMNES, scilicet illæ gentes, quas subiugatas a Cyro dixit. FABRICATORES ERRORUM. Heb. *artifices idolorum:* isti pudefacti sunt, cum idola cultoribus suis opitulari non potuerunt.

V. 17. IN DOMINO salvatus est Israel, id est per Dominum. SALUTE AETERNA. Sic Septuag. & Chald. non loquitur ergo de liberatione per Cyrum, quæ non longi temporis fuit; sed de liberatione per Christum. Iudæi ut hoc evadant, dicunt, tunc Iudæos fuisse in perpetuum ab idololatria liberatos.

V. 18. NON IN VANUM CREAVIT EAM: terram scilicet de cuius conditione loquitur. Heb. *non Tohu creavit eam*, id est non ut esset chaos & vasta. Memento ea voce Gen. I. significari *chaos*. Ergo ut inhabitaretur terram finxit. Ideo parcit hominibus, ne terra vastetur.

V. 19. NON IN ABSCONDITO. Dixerat, Deum absconditum; nunc ait, se palam locutum. FRUSTRA, seu *in vanum*, ut Septuag. & Chald. qui iungunt illud cum verbo *dixi*, non cum verbo *quærite*. Ergo non frustra dixi, quærite me, sed ut vobis, scilicet benefacerem. EGO DOMINUS LOQUENS IUSTITIAM, id est veritatem. Veræ sunt promissiones meæ. Confidite, non fallam.

V. 20. ET ACCEDITE, scilicet ad me QUI SALVATI ESTIS, quos e captivitate liberavi: sic Septuag. & Chald. Alii vertunt, *Accedite ad me abiecti gentium*, id est inter gentes. NESCIERUNT, scilicet me. Qui nescierunt? QUI LEVANT LIGNUM, scilicet ut adoretur illud, ponunt in loco sublimi: sic inter nos elevantur ossa eorum qui cælo adscribuntur.

V. 21. ET CONSILIAMINI; id est, communicatis inter vos consiliis dispicite, non ab alio quam a me iam olim esse prædicta quæ sunt futura, argumento me solum Deum esse. Ergo ad me convertimini: sic

V. 22. ET SALVI ERITIS OMNES FINES TERRAE. Omnes gentes invitat ad salutem, quod non contingat nisi per Christum.

V. 23. IN MEMETIPSO, id est per memetipsum iuravi. Egredietur de ore meo. IUSTITIAE VERBUM, id est verbum iustum & verum. Heb. non est regimen: ideo sic verto, *iustitia verbum*; pro, in iustitia verbum non erit irritum. Sententia eadem.

V. 25.

V. 25. Ergo, seu *vere*. In Domino, id est, per Dominum, hoc est, per semetipsum iurans. Dicet; pro, dixit. Et imperium, seu *fortitudo* mea est, & iustitia. Ad eum venient. Heb. *veniet*; pro, *venient*. *Ad eum*, id est ad me: mutat personas. Nimirum qui nunc sunt rebelles, ad Deum tandem venient, convertentur. Et confundentur, pudore suffusi ob rebellionem & repugnantiam priorem.

V. 26. Et laudabitur. Heb. *laudabunt se*, glorificabunt se Israelitæ, cum viderint Deum de omnibus gentibus triumphasse, subiecisse omnes.

MALVENDAE.

Vers. 1. HAEc dicit Dominus, &c. Heb. *Sic dixit Iehovah*, &c. Secunda pars concionis, inquiunt, quam propheticam narrationem esse diximus supra in cap. xliv. 6. nunc demum incipit: in qua Deus mirificam suam administrationem prædicit in perdendis Babyloniis, & servandis suis. Sunt autem huius narrationis partes duæ; una est, prolepsis sive propositio & narratio brevis rerum gerendarum, causarum & consiliorum Dei, hoc capite: altera est, ergasia, id est exornatio sive explicatio fusior huius narrationis, in sequentibus capitibus, 46. 47. & 48. Huius ergo capitis tria sunt membra; primum, de nomine, vocatione, & rebus gerendis a Cyro, tribus versibus: secundum, de causis istius administrationis, inde ad versum 14. tertium, de consilio promovendi his rationibus, & suo tempore instaurandi regni per Christum, inde ad finem usque capitis: e quibus primum membrum fusius explicatur cap. xlvi. & xlvii. secundum cap. xlviii. ad tertium tota reliqua prophetia libri pertinet, quam non dubium est permultis vicibus prophetatam esse. Christo meo Cyro: vel *Uncto, Mesiæ, suo Cyro*; id est, regi vocato & instituto divinitus ad perficiendam voluntatem Dei, quæ mox subiicitur: metonymia est signi pro re significata, ex Iudæorum usu, ut I. Reg. xix. 15. Nam alioqui Cyrus non legitur unguento unctus in regem, nec Persarum regibus inaugurandis unguentum adhibebatur; sed alius inaugurationis ritus, quem describit Plutarchus in Artaxerxe. Cuius apprehendi dexteram; id est, quem præsenti auxilio meo defendo, guberno, ac confirmo in ea vocatione, in qua eum constitui: sic supra cap. xlii. 6. Quidam reddunt: *cuius confirmaturus sum dexteram*; id est, cui non solum vocatio, sed etiam donum a Deo obventurum est, ut præstet hæc mandata Dei; quasi dicat, Cui affuturus sum, ut reges & regiones subigat: quemadmodum fuisse factum docent historici, seorsim Herodotus Lib. I. Ctesias in Excerptis Persicis, Iustinus Lib. I. Synecdoche. Ut subiiciam ante faciem eius gentes. Alii: I. *ut subdam coram eo gentes*. II. *ut expandam coram eo gentes*. III. *ad sternendum ad facies eius gentes*. Et dorsa regum vertam. Heb. *& lumbos regum aperiam*, vel *dissolvam*; id est, faciam ut viribus deficiant, & destituantur, infirmabo robur eorum, & exarmabo, ut nihil supersit virium.

V. 2. Ego ante te ibo. Alii: I. *Ego ante te procedam*. II. *Ego tibi præiturus sum*. Et gloriosos terrae humiliabo. Vocem הדורים *hadurim*, varie exponunt: I. *& tortuosa*, *aspera*, *inæqualia*, *perversa*, loca, vel *vias tortuosas*, *& obliquas*, seu *asperas ac difficiles*, *dirigam*, *rectificabo*, *æquabo*; id est, difficultates omnes ita sublaturus sum, ut nullo negotio etiam potentissimas nationes ac regiones perdomes. II. Participium passivum verbi הדר *hadar*, faciunt: *& decoratos*, *ornatos*, *honoratos*, id est magnos & altos, *æquabo*, id est in ordinem redigam. Illud sequuntur Marinus, Avenarius, Schindlerus. At Forsterus annotat: *Pluraliter hadurim*, *quod abstractive ponitur*, *pro ornamentis*, *id est rebus excellentibus*, *& excellenter ornatis*: *& excellentia quæqua æquabo*.

V. 3. Et dabo tibi thesauros absconditos, &c. Hunc versum alii ex Heb. efferunt: I. *Dabo tibi thesauros*, *qui sunt in locis tenebrosis*, *& abscondita latibulorum*, vel *arcana latebrarum*, seu *thesauros absconditos*: *ut scias quod ego sum Iehova*, *qui voco te nomine tuo*, vel *voco nomen tuum*, *Deus Israelis*. Deus nomine vocare dicitur eos quos eligit, atque ad opus aliquod destinat, ut ipsum Cyrum constituit ac designavit ducem ac principem huius liberationis. Vide de hac locutione supra cap. xliii. II. *Et dabo tibi thesauros caliginis*, seu *thesauros in tenebris latentes*, *& quæ in occulto abstrusa sunt*, seu *thesauros abs-*

con-

tonsionum, id est thesauros defossos in terra; quasi dicat: Faciam ut urbium, quas tibi subiecerim, thesauris potiaris, etiam abditissimis: *ut cognoscas, quod ego sum Iehova, qui te nomine tuo voco, Deus Israelis.* III. *Daturusque tibi sum thesauros tenebrarum*, seu *abstrusissimos*, *& repositas opes latebrarum*, seu *abstrusissimas*: fortasse innuit immensas opes Crœsi Lydorum regis, etiam proverbiis celebratas, quibus eo devicto potius est Cyrus. Plinius Lib. XXXIII. cap. III. *Nam Midas & Crœsus in infinitum possederant. Iam Cyrus devicta Asia pondo triginta quatuor millia invenerat, præter vasa aurea, aurumque factum, & in eo folia, ac platanum, vitemque. Qua victoria argenti quinquaginta millia talentorum reportavit, & craterem Semiramidis, cuius pondus quindecim talenta colligebat. Talentum autem AEgyptium pondo octoginta capere Varro tradit: ut cognoscas me Iehovam, qui voco te nominatim, Deum Israelis esse.* Transitio ad explicationem causarum, ex quibus Deus ad hæc iudicia per Cyrum efficienda adducitur, quarum una est, ut agnoscatur Deus, & fides ipsius, studiumque in populum suum, cum a Cyro, hoc & sequente versu; tum a gentibus, versibus tribus sequentibus; tum a rebus creatis omnibus, vers. 8. altera, ut Babyloniorum blasphema & scelerata vita castigetur, a vers. 9. ad 14. Huius autem Cyri agnitionis exemplum exstat II. Paralipom. XXXVI. 23. & Hezræ I. 2. nimirum qualis in viro ignorante Dei esse potest: non autem salutaris, ut fine duorum sequentium versuum confirmatur. ET ARCANA. מטמונים *matmonim*, *mammonæ*, *divitiæ*, *thesauri*, *recondita*, *reposita*, *occultationes*: vide in Genes. XLIII. 23. SECRETORUM. מסתרים *mistarim*, proprie *absconsionum*, *latebrarum*, *occultorum*, *latibulorum*, *mysteriorum*. Nam ex Hebraica Græcam vocem effluxisse, non est dubium.

V. 4. ET VOCAVI TE NOMINE TUO: ASSIMILAVI TE, ET NON COGNOVISTI ME. Alii ex Heb. I. *vocavi te nomine tuo*, proprio; vers. 1. & vers. 23. antecedentis capitis: *& te cognominavi*; id est, locutus sum de te nomine tecto, vel tacito, seu suppresso; quasi dicat: Aliquando locutus sum de te per prophetas nomine tuo expresso, aliquando intellecto, *cum nondum haberes mei notitiam*. II. Tremellius, & Iunius: *propterea me vocasse te de nomine tuo, cognominasse me, quamvis ignores me.* Exponunt, *Cognominasse me*, nam proprium illi nomen, teste Herodoto & Iustino, fuit, *Spaco*, id est Canis, Medorum lingua, a cane, quæ ipsum infantem lactaverat: *Choresch* vero cognomen fuit honorificum a Persis indilum, quod sonat Dominum: nam eadem quoque ratione *Choresch* apud Persas est solis, quem colunt, epitheton, vel cum augmento Persicæ terminationis, *Chorsar*. Evidens allucinatio, neque enim Herodotus aut Iustinus proprium Cyri nomen *Spaco* fuisse produnt, sed nutricis eius uxoris bubulci, quæ Medica lingua *Spaco*, id est Canis, & Græca *Cyno*, quod etiam canem significat, appellabatur: unde factum locum fabulæ, Cyrum expositum, a cane fuisse educatum. Sed hunc Isaiæ locum illustrat perspicue Herodotus ipse Lib. I. Numero CXIII. *Alterum vero infantem qui postea Cyrus appellatus est, uxor bubulci sibi sumptum educavit, imposito illi alio quopiam, ac non Cyri nomine*. Et paulo inferius Numero 114. agens de Cyro puero, ait: *& quæ a Cyro pertulisses deploravit: non tamen Cyrum*, nominans (*nondum enim eius hoc erat nomen*.) Ex quibus constat Cyrum, primum alio nomine, sed quod ignoratur, nuncupatum fuisse: deinde Cyri nomen ei divina ordinatione inditum, & hoc esse, quod hic Isaias ait, *cognominavi te*. De nomine vero *choresch*, seu Cyri, vide Comm. in II. Paralip. XXXVI. 22. Nonnulli exponunt: *Cognominavi te*, videlicet, cognomine *Messiæ*, *Christi*, seu *Uncti*, supra vers. 2. *Pastoris*, cap. XLIV. 28.

V. 5. ACCINXI TE. Heb. *accingam te*; id est, expediam, instruam, roborabo, dabo tibi vires ad officium, ad quod institui te; vel armabo te, accingam te viribus, & exercitibus, strenuum te ducem ac bellatorem faciam.

V. 7. FACIENS PACEM; id est, omne bonum & prosperitatem, cuius contrarium est malum, quod proximo membro nominatur.

V. 8. RORATE CAELI DESUPER, ET NUBES PLUANT IUSTUM, &c. Plerique existimant Prophetam præstrictum oculos mentis sublimitate mysterii, relicto filo historiæ, subito a Cyro liberatore ad Christum verum servatorem orationem convertere. Admonitum

nitum enim per umbram Cyrum, Christum liberatorem optare. Descendat, inquit, Spiritus Sanctus in virginem, velut ros & imber, & incarnetur Filius Dei & nascatur de cælo Iustus, Christus, iustus nimirum ipse, & iustificans impios, &c. Quidam hunc versum ita ex Heb. accipiunt: *Distillate cæli superne, & superiores nubes fluant iustitia: aperiat se terra, & terræ stria edant fructum salutis, iustitiaque efflorescat simul, me Iehova patrante illud*. Provocatio rerum creatarum omnium ad testificandum & prædicandum salutare, iustumque Dei opus, & quibuscumque modis poterunt ministrandum ei: quæ omnia enuntiantur allegorice. APERIATUR TERRA, ET GERMINET SALVATOREM; ET IUSTITIA ORIATUR SIMUL. Alii ex Heb. *aperiet se terra & fructificent*, seu *crescant*, *succrescant*, *proveniant salus & iustitia*, *quas germinare faciet terra simul*. Quidam exponunt: *Aperiat se terra*, *& fructificent salus & Iustitia;* id est, virgo pariat sine opere viri: pariat, inquam, nobis salvatorem & iustificatorem: *quas progerminare simul faciet*; id est, quas virgo est productura simul cum Christo. Nec absurde expones: *Distillate cæli*, *æthera fluant*, *aperiat se terra*, *& fructificaverunt salutem*, seu *ut fructificent salutem;* nempe cæli, æthera, omnia effundant & producant salutem. EGO DOMINUS CREAVI EUM, id est, Cyrum, vel Christum; aut *eam*, iustitiam, & salutem; aut *illud*, opus iustum & salutare, mittendi Cyrum ad liberationem populi.

V. 9. VAE QUI CONTRADICIT FICTORI SUO. Alii: *Væ litigantis*, *contendenti*, *disceptanti*, *corrixanti*, *cum fictore*, *formatore*, seu *plasmatore suo*. Transitio ad alteram causam iudiciorum Dei, nimirum, nequitiam Babyloniorum, ut dictum est in vers. 3. cuius primum indignitas coniuncta maledictione his duobus versibus exponitur, perinde esse ac si figmentum in figulum, aut semen genitale in parentes efferretur: deinde potentia Dei asseritur adversus illorum blasphemias, inde usque ad vers. 14. TESTA DE SAMIIS TERRAE. De *samiis* vide Plinium Lib. XXXV. cap. XII. & XVI. & Nonium Marcellum cap. IV. §. 474. Quidam reddunt: *testæ cum aliis testis terreis*; id est, qui utcumque alat ingentes animos, tamen æque testa est fragilis ad voluntatem figuli, atque altera quævis: vide Daniel. v. NUMQUID DICET LUTUM FIGULO SUO? Alii: *an dicturum est lutum fictori suo?* Simile argumentum contra Assyrium vide supra cap. x. 15. QUID FACIS? Quidam: *Quid facturus esses?* id est, non poteris facere quod dicis: te invito permanebimus, neque Iehudæi illi eripientur nobis. ET OPUS TUUM ABSQUE MANIBUS EST? Alii ex Hebr. I. *& operi tuo non sunt manus?* id est, alicuius opus dicitne fictori suo: Non sunt manus doctæ, quæ me fecerunt? quasi dicat: An dicet alicuius opus se non esse affabrefactum, & perite elaboratum a suo artifice? Soletne insurgere opus in factorem suum, ac dicere ei: Opus tuum est rude, & tale quale est id quod non est factum manu artificis periti? II. *& opus tuum non habet manus?* id est, inutile est, nihil valet efficere, vel *non habet ansas*; sic enim manus sumi pro ansis notant, Exod. XXVI. 17. & XIX. quasi dicat: Dicet ne testa figulo: *Opus tuum ansas habet*, *aut non habet?* III. *cum opus tuum non sint manus* ad istud. Emploce verborum. Hebræis recepta in concursu relativi cum antecedente; pro, cum ad opus istud tum nullæ sint manus? id est, cum vires te deficiant, & sis imbecillior quam ut præstes ea, quæ prænuntiavisti de nostra eversione, istorumque liberatione.

V. 10. QUID GENERAS? Alii: *Quid genniturus esses?* &c. quasi dicat, Laboras frustra: penes me est potestas rerum conficiendarum, non penes te.

V. 11. HAEC DICIT DOMINUS SANCTUS ISRAEL, PLASTES EIUS. Alii: *Sic ait Iehova Sanctus Israelis*, *& formator eius*. Assertio potentiæ Dei, ut diximus in versum 9. VENTURA INTERROGATE ME. Alii: I. *Sciscitamini a me imminentia*. II. *quæ ventura sunt*, *petite a me*. Obiectio ironica in Babylonios: Agite, inquit Deus, negate ista siquidem vultis, aut si potestis impedite: sed tamen signa præsentia iam satis evincunt dictorum meorum veritatem, sequente versu: opus autem meum, cui obsistitis vobis invitis suo tempore consummabo, vers. 13. SUPER FILIOS MEOS, ET SUPER OPUS MANUUM MEARUM MANDATE MIHI. Nonnulli; *de filiis meis*, id est Iehudæis liberandis, *& de opere manuum mearum*; id est de toto eo, quod me denuntiavi per Cyrum effecturum esse, *interdicite mihi*, id est impedite si potestis ironia. *V.* 12.

V. 12. Ego feci terram, &c. Quidam hunc versum ex Heb. reddunt: *Ego feci terram, & hominem super eam creavi; ego manibus meis extendentibus cœlos, omni quoque exercitui eorum præcepta dedi*. Dicta sua confirmat Deus a signis & elementis rerum naturalium inanimarumque. Et omni militiae eorum mandavi. Quidam: *& omni exercitui eorum præcepi*; id est, mandato feci, vel solo verbo & iussu creavi. Alii: *& omni militiæ eorum impero*.

V. 13. Ego suscitavi eum. Alii: *Ego excitaturus sum illum*. Cyrum, cuius ante memini, vers. 1. In iustitia: vel *propter iustitiam* faciendam, ut scilicet sumat pœnas de Babyloniis: Alii: *iuste*, id est, prout iustitia mea denuntiat peccatis vestris, & iuste effectura est ad meorum liberationem. Ipse aedificabit civitatem meam. Alii: *ipse reædificaturus est civitatem meam*, ut supra cap. xliv. 28. Et captivitatem meam. Heb. *devolutionem, deportationem, exilium, demigrationem meam*; id est, deportatos meos dimittet, seu remittet, aut remissurus est in solum patrium ipsorum. Non in pretio, neque in muneribus. Alii: *non pretio, neque munere*; id est, gratis, non tantum non accipiens munus ad dimittendum populum, sed ipse ultro offerens liberationem & munera, Hezræ 1. vide infra cap. li. 3.

V. 14. Haec dicit Dominus, &c. Heb. *Sic ait Iehova*, &c. Tertium membrum huius capitis, ut diximus in versu 1. quo Deus ostendit consilium suum: se non alium ad finem ista effecturum esse, quam ut promoveat hoc pacto, & instauret regnum suum tempore suo per Christum, qui fundamentum est & finis omnium prophetiarum. Quamobrem prædicuntur duo: primum, gentes his principiis adductum iri ad colendum & prædicandum Deum, quatuor versibus: secundum, Deum illas ultro vocaturum, aucturum esse, & confirmaturum in notitia & fide in Christum, a vers. 18. ad finem usque capitis. Labor AEgypti. Exponunt: Id est, opes labore partæ: metonimia. Alii pretiosæ merces quæ ex AEgypto asportabantur, de quibus I. Reg. x. 28. Et negotiatio AEthiopiae. Heb. *& circulatio, circumgyratio, negotiatio, mercimonium, merx, Chus*, seu *AEthiopia*. Et Sabaim viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt. Heb. *& Sebaim homines mensuræ*, id est altos, magnos, proceros, seu magnæ staturæ, ut Num. xiii. 32. & I. Paralipom. xi. 23. Quiddam reddunt: *& Sabæorumque procerorum ad te transibunt, & tua erunt*; id est, Sabæorum potentissimorum agro, & mercibus: fuerunt enim Sabæi propter thuris & odorum merces clarissimi, ad utraque maria porrectis gentibus, Persicum & rubrum, teste Plinio Libro VI. cap. xxviii. Vide Strabonem Lib. XVI. pag. 778. Post te ambulabunt; vel *post te ibunt*. Quidam: *te sequentur*; id est, adiungent se, & submittent Christo in Ecclesia. Teque deprecabuntur: tantum in te est Deus, et non est absque te Deus. Alii ex Heb. I. *& supplicabant tibi*, vel *supplices te precabuntur: tantum in te est Deus, præter quem nullus Deus est*; id est, ut semel dicam, Non est alius Deus præter te. II. *te deprecabuntur, dicentes: Tantum in te est Deus fortis*, cor *nullus est praterea, nusquam præterea Deus*.

V. 15. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator. Alii: *Utique tu Deus fortis, præbens te latibulum Deus Israelis, servator es*; id est, qui a temporibus æternis reticuisti apud gentes mysterium tuum, nunc vero fecisti manifestum, & per Scripturas ad obedientiam fidei omnibus gentibus te perfugium esse piorum in quavis gente declarasti, ut ait Apostolus Romanor. xvi. 25. Aliqui exponunt: *Deus abscondens te*, seu *tegens te*; id est, qui omnibus te notum non reddis, sed tantum electis tuis Israelitis.

V. 16. Confusi sunt, et erubuerunt, &c. Alii hunc versum ex Heb. transferunt: I. *Erubescant, pudefiant quoque omnes, cum ignominia abeant simul opifices idolorum*. II. *Erubuerunt etiamque ignominia affecti sunt omnes isti: pariter abiverunt cum ignominia fabri imaginum*. Exornatio præcedentis dicti a spectato iudicio eius per antithesin ultionis in idololatras, & Babylonios ipsos, salutisque communicatæ cum populo, versu sequente. Errorum. צירים *tzirim*, omnia ista continet, *figurarum, imaginum, formarum, plasmationum, idolorum*; vel *coangustationum, angustiarum, torminum, dolorum*; quo nomi-

ne dicuntur idola figurate, conscientiis & cultoribus suis nihil aliud afferentia quam angustiam & dolorem. Radices צור, & יצר *Iatzar*, affines sunt.

V. 17. ISRAEL SALVATUS EST IN DOMINO, &c. Alii ex Heb. I. *Israel salvus est*, vel *servabitur in Iehova salute sempiterna*; *non erubescent*, *neque ignominia notabuntur per æterna sæcula*. II. *Iisrael servatur per Iehovam salute sæculorum*, seu *æterna: non erubescetis*, *neque ignominiosi reddemini in sæcula æternitatis*, seu *in sempiterna sæcula*.

V. 18. QUIA HAEC DICIT DOMINUS, &c. Hunc versum alii ex Heb. convertunt: I. *Quoniam sic dixit Iehova*, *creans cælos*, *Deus ille*, *qui finxit terram*, *qui fecit eam*, *qui & paravit eam: non creavit eam in vanum*, vel *frustra*, seu *ut vasta esset; sed finxit eam ut inhabitaretur: ego Iehova*, *& nullus alius*. II. *Nam sic ait Iehova creator cælorum*, *ille ipse Deus firmator terræ*, *& opifex eius*, *idem stabiliens eam*. Alterum membrum promissionis ex consilio Dei, ut supra diximus vers. 14. quo Deus confirmat, se gentes ad ipsum confluentes æterna benedictione & salute donaturum esse, quam in fine superioris versus penes Iisraelem esse confitebatur: *qui non ad inanitatem creavit eam*, *sed ad inhabitandum formavit eam;* id est, qui non vult profligatis hostibus & idolis terram desertam esse, sed habitari a suis; ac proinde statuit gentes cum Iudæis in Ecclesiam cooptare. Hæc autem dicuntur allegorice comparatione sumpta a rebus bellicis: *ego sum Iehova*, *& nullus præterea*.

V. 19. NON IN ABSCONDITO LOCUTUS SUM, IN LOCO TERRAE TENEBROSO. Alii: I. *Non in occulto locutus sum*, *aut in obscuro terræ loco*. II. *Non clam loquor*, *non in loco terræ tenebrarum*, seu *tenebrosæ*; id est, nunc demum me sermonem & beneficia mea expono palam, contra quam supra dixerant gentes, vers. 15. NON DIXI SEMINI IACOB: FRUSTRA QUAERITE ME. Quidam distinguunt: *Non dixi semini Iahakobi*, *Inaniter quærite me;* id est, non frustra voco Ecclesiam meam, sed ad iustitiam & vitam æternam, ut sequentia docent.

V. 20. CONGREGAMINI, ET VENITE, ET ACCEDITE SIMUL QUI SALVATI ESTIS EX GENTIBUS. Alii: *Congregamini*, *& advenite*, *appropinquate una qui evasistis ex gentibus*. Prænuntiatio luculentissima vocationis gentium ad Evangelium Christi, tribus versibus: cui subiungitur confirmatio a iuramento Dei patefacti in Christo Filio suo, tribus versibus ultimis. ACCEDITE, verbum ex Hitphahel, *accedere vos ipsos facite*, magnum habet sententiæ incrementum; id est, ingenti studio & propensione, ac promptissima voluntate accedite ad Christum. QUI SALVATI ESTIS EX GENTIBUS. Varie alii: I. *fugitivi gentium*, id est abiectissimi quique inter gentes. II. *præcipui gentium*; id est, qui dignitate, opibus, potentia, scientia inter gentes illustres evaditis. III. *remoti gentium*; quasi dicat, Ab extremis terræ. IV. Forsterus: *salvatores gentium*, sic enim hæc vox sumi videtur infra cap. LXVI. 19. ut ironice sic vocet deos gentium, seu præcipuos cultores eorum: vel potius reges & principes gentium intelligat. NESCIERUNT QUI LEVANT LIGNUM SCULPTURAE SUAE, ET ROGANT DEUM NON SALVANTEM. Alii ex Heb. I. *Nihil norunt*, id est errant, *qui lignum simulacrum extollunt*, vel *gestant*, scilicet humeris collocatum in thensis: *& qui ad deum orant*, *qui salvando non est*, vel *qui servare non potest*. II. *qui ignari erant gestantes lignum sculptilis sui*, *& deprecantes deum fortem*, vel *pro deo forti*, *non valentem servare;* id est, qui prius alieni erant a Deo & promissionibus eius, innixi falsis diis, Ephesior. II. 12.

V. 21. ANNUNTIATE, ET VENITE, &c. Alii hunc versum ex Heb. convertunt: I. *Annuntiate & adducite*, *ut consilium pariter ineant*, *quis prodit hoc olim? & hactenus qui hoc annuntiavit? an non ego Iehova*, *& non est alius Deus præter me solum*, *Deus iustus & salvans*, *nullus præter me*. II. *Indicate*, *& admovete*, *etiam consilium ineant*, impersonaliter, pro ineatur una: *quis pronuntiavit hoc a priscis diebus?* *ab eo tempore indicavit illud? an non ego Iehova*; *nullusque amplius Deus præter me*, *Deus fortis*, *iustus & servator? nullus præterquam ego*; id est, nuntiate, & vocate alii alios, convenite & consilia inite fidei, & pœnitentiæ, &c. quæ duo ponuntur hoc & sequente versu.

V. 23. IN MEMETIPSO IURAVI, &c. Hunc versum quidam ita ex Heb. explanant:

nant: *Per me iuravi, prodiit ex ore meo iuste verbum, quod non revocabitur: Mihi incurvatum iri omne genu, iuraturam omnem linguam*. Confirmatio a iuramento, ut dictum est in vers. 20. quia Christus primum asserit auctoritatem suam, hoc versu: deinde totam Ecclesiam sibi attributum & delatum iri docet, duobus sequentibus: quo sensu accipiendum esse hunc locum docet Apostolus Romanor. XIV. II. & Philippens. II. 10. EGREDIETUR DE ORE MEO IUSTITIAE VERBUM, ET NON REVERTETUR. Quidam ex Heb. I. *egressum est ex ore meo iustitia*, id est iuste, *verbum*, *quod non revertetur*, id est non erit irritum. II. *egressa ex ore meo iustitia*, *verbum*, *quod non retrocedet*. Sed est Hebraice discordia generum, nam יצא iatza, *exivit*, est masculum, & *iustitia* femineum.

V. 25. ERGO IN DOMINO, DICET, &c. Hunc versum ex Heb. varie transferunt: I. *Dumtaxat in Iehova dixit* Ichova, id est in Filio Pater, *sunt mihi iustitiae & robur*; id est, praestabo quae promitto, quia sunt mihi vires; nec denegabo, quia iustum sum: *usque ad ipsum*, id est usque ad me: mutatio personae: *veniet*, quisque electus: *& pudefient omnes illum provocantes*, vel *quotquot indignabuntur illi*. II. *Utique*, vel *tantum per Iehovam mihi* (dixit electus) *iustitiae & fortitudo*, *usque ad eum veniet: pudore autem afficientur omnes, qui irascuntur in eum*, vel *succensentes ei*, seu *qui repugnant ei*. III. *Certe per Iehovam* (*mihi dixit*, id est, in gratiam meam dixit omnis lingua) *Iustitiae & imperium ad eum veniet*; id est, ad Christum pertinebunt, eius erunt, ut eius propria & genuina ab omnibus praedicabuntur: *& pudefient omnes, qui excandescunt in eum*. IV. Hispanicus Interpres: *y a mi dira*, scilicet *toda lengua: cierto en Iehova esta la Iustitia y la fuerça, hasta el vendra: y todos los que se enojan contra el*, id est, *toman contienda*, ut supra vers. 9. *seran avergonçados*. V. *Tantummodo in Iehova, de me, inquiet, omnis Iustitia & robur est* praedicatio Ecclesiae gloriantis in Christo, quam praedicationem Christus de se futuram dicit: *ad ipsum veniat congressurus, ac erubescent quicumque exardescunt contra eum*. Erubescent: provocatio gloriosa in hostes; quasi dicat Ecclesia: Agedum, si qui pugna experiri cum Christo volent; victi cum pudore discedent.

V. 26. IN DOMINO, &c. Alii: *In Iehova iustificabuntur, & gloriabuntur totum semen Israelis*; id est, Ichova facit, ut electi apud ipsum iustitiam consequantur, de qua glorientur inter homines; seu in Christo iustitiam & gloriam adipiscetur Ecclesia Dei, ex omnibus gentibus adunata.

MENOCHII

Vers. I. CHRISTO MEO CYRO. Cyrus vocatur Hebraice Messias, id est Christus, sive unctus tum allusione ad Reges Hebraeorum, qui unctione consecrabantur (Cyrus autem fuit Rex a Deo electus, & quasi consecratus ad liberationem Hebraeorum, quare Deus eum hic vocat suum cum ait, *Christo meo*) tum quia Cyrus fuit typus, & imago Christi; imago autem sortitur nomen eius cuius est imago: sic de imagine S. Petri dicimus, Hic est S. Petrus. CUIUS APPREHENDI DEXTERAM: illa, tamquam instrumento meo utar ad feriendum, & puniendum Chaldaeos. DORSA REGUM VERTAM: scilicet ante eum in fugam. APERIAM, &c. urbium portas.

V. 3. ET ARCA SECRETORUM: repositos, & absconditos thesauros intelligit. In Hebraeo est: *Dabo tibi thesauros caliginis, & thesauros absconsionum*. QUI VOCO NOMEN TUUM: multo antequam sis.

V. 4. PROPTER SERVUM MEUM IACOB. Hic est finis, & scopus Dei, ob quem Cyrum ita evexit. VOCAVI TE NOMINE TUO. Voluit Deus in sacris litteris, multo ante inscribi cum hoc elogio nomen Cyri, ut Hebraei Cyro ipsi possent ostendere, quae tanto ante de illo praedicta fuerant, & gratiam illius inire; & ut ipse ad ea praestanda animaretur, quae praenunciata fuerant a Propheta. ASSIMILAVI TE: feci ut esses figura, & similitudo Christi mundum e captivitate liberaturi. Sanchez putat, assimilavi te, idem esse ac, te tuis notis, & characteribus descripsi, vocando te nomine tuo, & quae facturus esses prae dicendo.

V. 5. ACCINXI. Chald. *adiuvi*, LXX. *confortavi*. ET NON COGNOVIST MEI; id est, nescis te a me eligi, & dirigi ad eversionem Babylonis, hoc consilio, ut Iudaeos inde liberes, utque formam, & typum Christi geras.

V. 6. ABSQUE ME NON EST. LXX. *Non est Deus praeter me*.

V. 7. Faciens pacem. Pax Heb. significat quietem, opulentiam, libertatem, felititatem, & bonorum omnium affluentiam. Creans malum: ut, verbi gratia pestem, famem, bellum, &c.

V. 8. Rorate, &c. scilicet misso spiritu sancto in virginem, vel Christo in mundum. Iustum: Christum Dominum. Aperiatur terra, &c. quasi dicat, Utinam terra producat, & in lucem proferat Salvatorem: Christus enim nasciturus quidem erat cælitus, sed in terris. Terra ergo hic simpliciter, & generice sumitur; terra enim præbuit materiam corpori, ut Christus nasceretur. Et iustitia oriatur simul; scilicet cum Christo. Respicit illud Psal. lxxi. 6. *Descendet sicut pluvia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram; orietur in diebus eius iustitia*, &c. Ego Dominus creavi eum, id est creabo eum, scilicet Cyrum, ad quem redit Propheta, ita tamen, ut multa Christo conveniant, cuius typus fuit Cyrus.

V. 9. Vae qui contradicit factori suo. Increpat eos qui de divina providentia querebantur, quod misera ipsis conditio contigisset, & in mala tempora incidissent, captivitatis, scilicet ærumnarum plenæ. Testa de samiis: cum sit quasi vas non ex auro, aut pretioso metallo, sed ex argilla samia formatum. In Heb. est, *Testa de testis terræ;* quasi dicat, Testa lutea, terrea, vilis. Et opus tuum absque manibus est; id est, opus tuum caret ansis suis: ansæ enim vasi sunt quod manus homini: vel sensus est, opus tuum impolitum est, & informe, ac si pedibus non manibus esset elaboratum, & sic maior est blasphemia.

V. 10. Quid generas? id est, cur me genuisti? quasi dicat: Ut indignum est queri de parentibus quod genuerint; ita de Deo quod fecerit, aut tali loco, tempore aut aliis circumstantiis. Et mulieri; scilicet matri.

V. 11. Plastes eius; scilicet Israelis formator. Ventura interrogate me: licet enim, ut figulus luto rationem reddere non tenear consilii mei, tamen, quæ mea est benignitas, quid de vobis, deque vestra captivitate proroganda, vel solvenda decreverim, quidque vobis eventurum sit, aperire non dedignabor. Super filios meos: vobis, qui filii mei estis. Super opus manuum mearum: quod estis vos. Mandate mihi, id est ab Isaia, meisque Prophetis sciscitamini, & postulate. Alii putant esse ironiam; quasi dicat: Est ne vestrum mihi mandare quid facere, & quomodo filios meos regere debeam?

V. 12. Militiae eorum: stellis. Mandavi: eas disponens, & ordinans.

V. 13. Suscitavi eum ad iustitiam: Cyrum scilicet ut iuste puniret tyrannos, Chaldæos, & fideles Hebræos ab eorum tyrannide liberaret. Cyrus, ut iam supra dictum est Christi typus. Civitatem meam: Ierusalem. Captivitatem meam: captivum populum meum, scilicet Iudæos. Non in pretio: gratis, & sine lytro. Ita factum, ut patet I. Esdræ c. 3.

V. 14. Labor AEgypti, &c. Sensus est: Labore partæ divitiæ negotiatorum, AEgyptiorum, AEthiopum, Sabæorum sive Abyssinorum, quas opulenti, & primarii viri collegerunt, ad te Cyre transibunt, cum dominis earum, & ipsis provinciis; sub Cyro tamen, propheta intelligit Christum, eiusque victorias. Tantum in te est Deus, &c. quasi dicat: Quæ facis, Deo auctore & impulsore facis, qui per te, quasi flagello suo gentes illas punit: sic cap. v. dixerat indignationem Dei fuisse in manu, & virga Assur. Vatablus vertit: *Revera in te est Deus, præter quem nullus est alius*. Optime hæc Christo conveniunt, *in quo habitavit plenitudo divinitatis corporaliter*, (ut loquitur) Paulus ad Coloss. II. 9.

V. 15. Vere tu es Deus absconditus. De Christo potissimum dicuntur, cum aliquo tamen respectu ad Cyrum; quasi dicat: Sicut in Cyro occulte salutem Iudæorum operatus est Deus, & quasi abscondit se: ita multo magis in Christo homine paupere, & abiecto abscondet se deitas, quæ tamen miraculis, & salute, quam afferet, foras emicabit.

V. 16. Confusi sunt: Babylonii, & aliæ gentes, quod Baal, sive Bel eorum Deus non posset eos tueri: sic dæmones, & omnes impietatis, & errorum propugnatores erubuerunt Christi doctrina, increpationibus, & miraculis confusi.

V. 17. Salvatus est: salvabitur. In Domino: Dei beneficio, & gratia. Salute aeterna. Talis fuit salus, quam Christus attulit; nam salus per Cyrum parta

ta

ta temporalis tantum fuit. USQUE IN SAECULUM, id est numquam erubescetis, nec confundemini.

V. 18. NON IN VANUM CREAVI EUM; quasi dicat: Reducam vos per Cyrum in Iudæam; non enim frustra creavi eam, ut esset, & maneret deserta.

V. 16. NON IN ABSCONDITO, &c. ut dæmones Lucifugæ qui in antris edebant oracula. Ita etiam de se vere dicebat Christus Ioan. XVIII. 20. *Ego palam locutus sum mundo: & in occulto locutus sum nihil.* FRUSTRA QUAERITE ME: non frustra Dominum quærunt qui illum sectantur; nam fidelibus suis ampla præmia constituit. LOQUENS IUSTITIAM, ANNUNTIANS RECTA. Pura, iusta, recta, sancta obsequia exigens; non impura, & scelesta, ut dæmones.

V. 20. CONGREGAMINI, &c. Vide dicta supra cap. XLIII. 9. & XLI. 1. sensus est: Quicumque idolorum causam defenditis, convenite, & afferte si quid habetis quod iis, quæ dixi, opponatis pro causa idolorum. QUI SALVATI ESTIS EX GENTIBUS: qui a gentilismo ad Christum convertimini. NESCIERUNT; quasi dicat: Frustra eos provoco ad defendendam idolorum causam; scio enim omnes mecum dicturos cæcos, & stolidos esse omnes idololatras. QUI LEVANT LIGNUM SCULPTURAE SUAE; id est, qui erigunt idolum ligneum a se sculptum, illudque colunt. ROGANT: invocant.

V. 21. ANNUNTIATE, &c. iungite colloquia, cœtus, & consilia, ut quod uni non occurrit, alter suggerat pro deitate idolorum. QUIS AUDITUM HOC FECIT, &c. quasi dicat: Cogitate quis prædixerit Iudæos e Babylone per Cyrum liberandos, idque re ipsa præstiterit.

V. 23. IN MEMETIPSO: per memetipsum. IUSTITIAE VERBUM; id est, verbum quod est vera, & mera iustitia; verbum iustissimum, & æquissimum.

V. 24. IURABIT: homines enim per eum iurare solent, quem credunt esse Deum, & summum numen, quod periurii sit vindex.

V. 25. ERGO IN DOMINO, &c. Vel sensus est: Omnis lingua dicet, meæ iustitiæ sunt in Domino, quia illarum fons, & auctor est Deus. Vel, omnis lingua iurabit, dicetque, *In Domino*; ita ut, *in Domino*, sit formula iurantis. Immo dicet omnis lingua quod Dei sit laus iustitiæ, & imperium. Dicit *meæ*, quia hæc sunt verba loquentis Dei. Vel, Christus dicet meæ iustitiæ, & imperium mihi sunt in Domino, id est a Deo Patre, a quo habeo quod sim iustus, & iustificans, & quod Ecclesiæ imperem. Vel tandem sensus est; quasi dicat: Omnis fidelis sua lingua dicet, *In Domino*, id est Dominum laudans decet, *meæ* sunt iustitiæ Evangelii, meum est imperium, & regnum Christi, mea est eius Ecclesia, non Iudæorum. AD EUM: scilicet Christum Deum.

V. 26. IN DOMINO: apud Dominum, a Domino, vel coram Domino. IUSTIFICABITUR; per fidem vivam & Sacramenta. Vel sensus est, iustificabuntur, id est iusti publice declarabuntur. LAUDABITUR OMNE SEMEN ISRAEL: ab omnibus, ita ut etiam reprobi dicturi sint: *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est:* Sapient. V. 5.

TIRINI.

Vers. 1. CYRO CHRISTO MEO, id est uncto a me in regem & monarcham. CUIUS APPREHENDI DEXTERAM: ut illa feriam & exscindam Chaldæos: ipsum vero Cyrum per omnes hostes & pericula illesum, immo victorem traducam.

V. 2. ANTE TE IBO quasi dux & antesignanus, ut prævi olim castra Hebræorum in deserto per columnam nubis & ignis Exodi XIII. ET GLORIOSOS TERRAE principes HUMILIABO, pedibusque tuis adsternam. Audi Xenophontem *a*: *Cyrus subiugavit Syros, Assyrios, Arabas, Cappadocas, Phrygas, utrosque Lydos, Caras, Phœnicas, Babylonios: potitus est Bactrianis, Indis, Ciliciibus, Sacis, Paphlagonibus & Maryandinis: dominatus est Asiaticis, Græcis, Cypriis, AEgyptiis*, &c. Audi & Herodotum *b*: *Quamcumque gentem Cyrus invaserat, nullo pacto poterat evadere.* Quid mirum? Deus præibat, obvia quæque sternebat. Et vero, si notum id fuit Cyro, ut vult Iosephus *c*, ex narratione Iudæorum, illi innotuisse, & patet ex I. Esdræ I. 2. potuit iure a Deo sibi dato Babylonem, aliaque regna sibi subiugare, nec tyrannus fuit, sed legitimus monarcha.

V. 3. DABO TIBI ARCANA SECRETORUM. Hebraice, *thesauros caliginis*, id est

in

in locis profundis & occultis, ac proinde obscuris repositos. Cogita thesauros quos Crœso eripuit, quos Babylone reperit, quos e reliqua Asia extulit, quos ad trecentos aureorum milliones ascendisse Plinius *d* testatur. Ad solum Euphratem fertur e reperisse *hydrias æneas 680. plenas auro & pretiosis lapidibus, margaritis & gemmis*. Porro hæc omnia tibi dabo.

V. 4. PROPTER SERVUM MEUM IACOB; id est, ut Iudæis mihi vera religione obstrictis faveas & opituleris, eosque e captivitate liberos & opibus auctos in Iudæam remittas, & templum meum Ierosolymis instaures. Ita fatetur ipse Cyrus, I. Esdræ 1. *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, & ipse præcepit mihi* (ubi? nisi hic per Isaiam *f.*) *ut ædificarem ei domum in Ierusalem*. ASSIMILAVI TE, id est vero Christo meo Messiæ similem te in plurimis rebus feci, utpote typum illius & figuram: primo, in nomine Christi & pastoris; secundo, in liberatione populi mei e captivitate & traductione in patriam; tertio, in tot victoriis, triumphis & thesauris. Hebraice est, *cognominavi te*. Sanchez exponit, descripsi & depinxi te tuis notis & characteribus, quibus facile, cum prodieris, orbi innotescet, te illum esse quem hic prædico venturum. Tu tamen NON COGNOVISTI ME: saltem initio, & prius quam ex Iudæis intelligeres talia de te iam olim a me prædicta fuisse: ita Lyranus & Forerius. Sed & hoc ex Iudæis intellecto, non plene *cognovisti me*: nam licet agnoveris me Deum cæli esse, meque talia de te prædixisse, & *hæc ipsa* a te deposcere; non tamen cognovisti me solum & unicum Deum esse: nam una mecum idola quoque tua & aliarum gentium colere perrexisti ad mortem usque, ut Xenophon *g*, S. Hieronymus & alii testantur.

V. 8. NUBES PLUANT IUSTUM: non Cyrum, ut S. Thomas, Lyranus & Forerius exponunt; sed antitypum Cyri, Christum Messiam, qui etiam qua homo, fuit germen illud cæli, toti orbi exoptatum, ac tandem a Spiritu sancto tamquam nube rorida Virginem obumbrante formatum, & sine læsione conceptum, inquit S. Augustinus *h* & reliqui omnes Patres. Respondet mox votis Prophetæ Deus: Bono sis animo, EGO CREAVI EUM ex nunc decreto meo æterno, sed reipsa creabo in tempore, quo placitum mihi fuerit. Interim par est, omni patientia præstolemini hæc obventura olim beneficia, neque murmuretis quod post tot sæcula demum promittam & præstem vobis felicem ac lætam sortem sub Cyro, sub Christo, vobis relictis in pristina miseria & afflictione, quin & afflictis adicienda per Chaldæos nova maiorique afflictione; ut melius censeatis, notos numquam fuisse, quam sic natos.

V. 9. VAE TESTAE DE SAMIIS TERRAE; id est, væ testæ ex luto Sami insulæ a figulo compactæ, si contendat cum figulo suo: illam enim figulus mox confringeret. Pari modo continget homini, a Deo prout & quando illi collibitum fuit plasmato, si factori suo obstrepere voluerit. Quare suadeo, nutui meo placitoque divino per omnia acquiescatis.

V. 11. INTERROGATE ME, ET MANDATE MIHI, non quæ vobis arrident; sed quæ ego iustissimo decreto meo designavi VENTURA SUPER VOS, non hostes, sed FILIOS MEOS; quasi dicat: Mihi fidite, mihi totum committite, mihi acquiescite: pater & figulus vester ego sum, magis mihi curæ & cordi estis, quam vos ipsi vobis. Quando ergo mihi visum fuerit,

V. 13. EGO SUSCITAVI, id est suscitabo *i*, EUM puta Cyrum, inquit S. Thomas, Hugo, Forerius & Sanchez: & etiam Cyri antitypum Christum, inquiunt alii. Utrumque enim hic promittit Deus excitatum iri suo tempore, idque AD IUSTITIAM exercendam in omnes sibi adversarios & rebelles. Uterque AEDIFICABIT CIVITATEM MEAM Ierosolymam: Cyrus terrenam; sed inchoate tantum, iubendo ruinas eius instaurari, I. Esdræ 1. Christus cælestem & spiritualem perfecte & complete exstruendo, puta Ecclesiam suam. Uterque captivum populum Dei dimittet, & quidem gratis, ac sine lytro: sed Cyrus e captivitate Babylonica, Christus ex infernali: Cyrus exiguam Synagogam, Christus universum orbem. Utrique dicitur:

V. 14. LABOR EGYPTI, ET NEGOTIATIO AETHIOPIAE, ET SABAIM VIRI SUBLIMES, id est AEgyptii laboriosi, & AEthiopes negotiosi, & Sabæi, seu Abyssini proceris corporibus homines, TRANSIBUNT AD TE, o Cyre, tibique subiicientur cum omnibus opibus suo labore & negotiatione par-

partis. Omnes enim has nationes Cyro subiectas fuisse, constat ex Xenophonte *k*, qui imperium illius terminat a Oriente mari Rubro, ab Occidente AEgypto, a Meridie AEthiopia, ab Aquilone Ponto Euxino. Et quidem non omnino sponte illos Cyro subiectos fuisse, colligi videtur ex illo, VINCTI MANICIS PERGENT: id enim bello subactis convenit. Sed ut Christo, cui omnes illæ nationes etiam subiectæ fuerunt, accomodatur, exponendum est de potenti & efficaci gratia Spiritus sancti, *cuius vincula adamante fortiora sunt*, inquit S. Ambrosius *l*. His enim vinculis & manicis adstrictæ nationes etiam remotissimæ & barbaræ, Christo eiusque Ecclesiæ constanter multis sæculis adhæserunt, publice fatentes ac proclamantes: TANTUM IN TE, o Christe, EST DEUS; nempe & hypostatice, per divinum suppositum: & superexcellenter per tanta dona Christo communicata, quo modo in nulla pura creatura Deum, seu esse, seu operari, seu emicare certissimum est: ita S. Hieronymus, Cyrillus, Epiphanius *m*, Procopius & Theodoretus. Sic Cyro figuræ & typo Christi vere dicebatur: *Tantum in te est Deus*. Neque enim per alium quempiam operatur Deus tam stupendas victorias, quam per te: unde nec in alio sic relucet, sicut in te. ET NON EST ABSQUE TE, O DEUS, qui talia possit non idolum, non homo, non angelus: ita Forerius & alii. Sed in his omnibus

V. 15. VERE TU ES DEUS ABSCONDITUS: in tam vili creatura tantus Deus tam occulte latens, operans, relucens: ita S. Hieronymus, Hilarius, Ambrosius, Cyrillus & Eusebius *n*. Sed quantumcumque *absconditus*, manifestaris per opera tua mirabilia. Unde

V. 16. CONFUSI SUNT OMNES idololatræ, ET FABRICATORES idolorum, quæ nil tale possunt. Inter idola vero & Deum triplex hic discrimen datur. Primum, quod Deus

V. 19. NON IN ABSCONDITO ut lucifuga loquatur, ex LOCO TERRAE TENEBROSO, ex antris & cavernis, ex ventre pythonum, &c. ut solent dæmones, incantatores & magi: sed publice & palam, clara voce, media luce, ut olim in Sinai, & Ierosolymis sub Davide, Salamone, & tot Prophetis, in baptismo Christi, in Pentecoste, &c. Secundum quod idola frustra colantur, nullo præmio, nullo fructu: Deus vero cultoribus suis amplissima det præmia, v. g. Chanaanitidem, & tot adiunctas terras; ac demum etiam cælum. Tertium, quod idola a suis impura & scelesta postulent obsequia: Deus non nisi iusta, *recta*, pura & sancta. Testes vos ipsos cito

V. 20. QUI SALVATI ESTIS EX GENTIBUS, e captivitate Babylonica, e gentilismo. An aliud fateri potestis, quam NESCIERUNT, quid faciant cæci & stolidi idololatræ, QUI LEVANT LIGNUM SCULPTURAE SUAE, id est qui in altum erigunt idolum ligneum a se sculptum, illudque adorant & rogant & invocant tamquam DEUM, cum tamen neminem salvet aut iuvet?

V. 21. QUIS HOC, id est hanc per Cyrum Iudæorum, & per Christum omnium gentium redemptionem, AUDITUM FECIT AB INITIO, & EX NUNC PRAEDIXIT, & fideliter suo tempore præstabit? Quis, inquam, nisi ego?

V. 23. EGREDIETUR DE ORE MEO, id est dicam, proloquar, IUSTITIAE VERBUM, id est sententiam iustissimam & æquissimam, ET NON REVERTENTUR, id est non erit irrita, vel frustra, sed reipsa complebitur. Quænam hæc tam iusta sententia?

V. 24. OMNE GENU omnium populorum, MIHI CURVABITUR, Deo, Domino, creatori & redemptori suo: ET OMNIS LINGUA omnium nationum IURABIT mihi, id est colet me & adorabit. Synecdochice enim species una cultus divini, nempe iuramentum, ponitur pro quovis Dei cultu in genere. Unde S. Paulus pro *iurabit*, vertit, *confitebitur*, id est laudabit & glorificabit me, ad Rom. XIV. 11. ubi hunc locum exponit de die extremi iudicii quantum complete & perfecte *omne genu flectetur* Christo: interim inchoate id impletur quotidie in conversione Gentium ad Deum, inquit S. Hieronymus, Cyrillus & alii.

V. 25. ERGO iurando DICET omnis lingua, IN DOMINO, id est per Deum, per Christum (hæc erit formula iuramenti) quod MEAE SUNT IUSTITIAE, id est quod a me stet iustitia, non item a parte idolorum, quæ (ut vidimus,) ubique causa ceciderunt. Ergo meum solius esse IMPERIUM in omnes & in omnia. Hoc mihi accla-

acclamabunt , hoc adgratulabuntur æternum: ita Forerius, Sanchez & a Lapide.

(a) Xenophon. Lib. III.
(b) Herod. Lib. I.
(c) Ioseph. Lib. X. Antiq. cap. I.
(d) Plin. Lib. XXXIII. cap. III.
(e) Ab Auctore Chaldaico lib. Esther (qui Compluti manuscriptus extat; teste Sanchez) initio libri.
(f) Isaiæ XLI. vers. ult. & hic
(g) Xenoph. Lib. VIII. de Cyro.
(h) Aug. Lib. V. de Hæref. cap. IV.
(i) In Proleg. de Idiotism. Heb. n. 44.
(k) Xenoph. Lib. VII. & VIII. Cyri pæd.
(l) Ambros. in Psalm. XXXVII. post princ.
(m) Cyrill. I. in Ioan. XV. Epiph. Lib. II. in hæresi Noetianorum.
(n) Hilar. Lib. IV. de Trinit. Ambros. in cap. II. ad Rom. Cyr. Lib. V. in Ioan. cap. II. Euseb. Lib. V. Demonst. cap. IV.

GORDONI.

Vers. 1. & 7. HAEC DICIT DOMINUS CHRISTO MEO CYRO, &c. Satis notum est ex vers. 4. Deum ad litteram loqui de Cyro, qui dicitur non cognovisse Deum: vocat autem eum Deus propter libertatem populi sui, vers. 4. Potuit sane Cyrus a Deo vocatus iure invadere Chaldæos; de quo vide etiam Esdram, cap. 1. Vocatur vero Christus more Hebræorum, qui reges ungebant suos. De Cyri victoriis vide Xenophontem initio Libri I. Non recte aliqui Cyro tantum dant triennium: vide Chronol. Vers. 7. CREANS MALUM, antithesis est. Deus ut pacem dat & bona, ita etiam mala pœnæ.

Vers. 8. RORATE CAELI DESUPER, &c. Lyranus vult ad litteram hoc pertinere ad Cyrum: alii ad litteram de Christo intelligunt, ut sane verba hic aliqua plus sonant quam Cyrum: est ergo hic non una sermonis mutatio. Prophetæ quidem aliquando simul in sensu litterali loquuntur de signo & re signata, (vers. 9. de Hierosolyma & cælesti patria,) aliquando de altero tantum (quod sæpius fit) in sensu puro litterali. Ea vero regula dari solet, tunc esse sensum litteralem solum de re signata, quando verba aliquid maius habent, quam quod possit typo convenire. Atque ita fit, ut hoc versiculo 8. per repentinum excursum, tantum fit sermo (in sensu litterali) de antitypo seu re signata, nempe de Christo; ita ut totus hic versus sit parenthesis, continens velut in raptu, votum Prophetæ repentinum. Solum per hæc ultima versiculi verba, EGO DOMINUS CREAVI EUM, redit post suspirium de Christo ad Cyrum; & sic recte cohærent omnia, nam vers. 9. pergit loqui de Cyro, ut iam dicam.

V. 9. VAE QUI CONTRADICIT FICTORI SUO, &c. Creavit & creabit (enallage Prophetarum) Cyrum Dominus qua est erga captivum populum suum providentia: & væ illis qui huic providentiæ, & factis Dei contradicunt, quod varia similitudine illustratur; & suam Deus demonstrat simul potentiam, qui est plastes & fictor Israelis.

V. 11. INTERROGATE ME VENTURA. En futurorum notitiam in Deo, locus Theologicus.

V. 14. & 15. HAEC DICIT DOMINUS, &c. Victoria hæc, & opes sane Cyro designantur, qui regiones has pervasit a Ponto Euxino usque ad AEthiopiam interiorem, cuius provinciam præcipuam, quæ Sabæa, sive Abyssia dicta est, occupavit. Non dubium tamen videtur quin de Christo (qui in his antitypon est) aliqua dicantur, & hic misceantur, quæ ipsi etiam in litterali sensu conveniant, ut potissimum est versiculus 15. VERE TU ES DEUS ABSCONDITUS, &c. & vere sicut in Cyro occulte operatus est Deus salutem Iudæorum; ita multo magis in Christo, Deo abscondito, operatus est Deus redemptionem orbis: sic clare proponitur divinitas Christi.

V. 16. CONFUSI SUNT, &c. Iterum regreditur ad idololatras, & eorum pudorem exaggerat; ingeminat etiam quod est de salute Israelis, quem non frustra, sed proposito præmio invitavit, & gentes invitat ad salutem.

V. 23. IN MEMETIPSO IURAVI, &c. Iuramento firmat Deus quod dixit, & verbum eius vanum non erit; in me IURABIT OMNIS LINGUA, hoc est confitebitur, adorabit: hinc vers. 26. IUSTIFICABITUR ET LAUDABITUR OMNE SEMEN ISRAELIS, non carnalis, sed spiritualis, in iustitia & sanctitate.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 1. Hoc Domini decretum de vocando Cyro ad tollendam captivitatem, & typo Christi, fuit per Isaiam publicatum multis annis ante Cyrum natum, ut iam dice-

dicebam. ARCANA, sunt thesauri absconditi.
Verf. 4. ASSIMILAVI TE, formavi & descripsi. Alii, instituì in typum futuræ sub Christo libertatis.



CAPUT XLVI.

Ostenditur idolorum vanitas, & destructio ipsorum prædicitur: Iudæi cum reliquis Israel ad Deum revocantur, ostensa Dei magna benignitate ad ipsos, addita gravi increpatione ob ipsorum ingratitudinem & idololatriam: hortaturque ut ad ipsum qui solus omnia novit & potest, revertantur, salutem ipsis per filium promittens.

1. COnfractus est Bel, contritus est Nabo: facta sunt simulacra eorum bestiis & iumentis, onera vestra gravi pondere usque ad lassitudinem. 2. Contabuerunt, & contrita sunt simul: non potuerunt salvare portantem, & anima eorum in captivitatem ibit. 3. Audite me domus Iacob, & omne residuum domus Israel, qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva. 4. Usque ad senectam ego ipse, & usque ad canos ego portabo: ego feci, & ego feram: ego portabo, & salvabo.
5. Cui assimilastis me, & adæquastis, & comparastis me, & fecistis similem? 6. Qui confertis aurum de sacculo, & argentum statera ponderatis: conducentes aurificem, ut faciat Deum: & procidunt, & adorant. 7. (*a*) Portant illum in humeris gestantes, & ponentes in loco suo: & stabit, ac de loco suo non movebitur: sed & cum clamaverint ad eum, non audiet: de tribulatione non salvabit eos. 8. Mementote istud, & confundamini: redite prævaricatores ad cor. 9. Recordamini prioris sæculi, quoniam ego sum Deus, & non est ultra Deus, nec est similis mei: 10. Annuntians ab exordio novissimum, & ab initio quæ necdum facta sunt, dicens: Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet: 11.* Vocans ab Oriente avem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ: & locutus sum, & adducam illud: creavi, & faciam illud. 12. Audite me duro corde, qui longe estis a iustitia. 13. Prope feci iustitiam meam, non elongabitur, & salus mea non morabitur. Dabo in Sion salutem, & in Israel gloriam meam.

(*a*) Bar. vi. 25.

BRUGENSIS.

ROMANA CORRECTIO.

Verf. 11. *Vocans ab oriente avem*. Quidam, interpretandi causa, pro *avem*, id est volucrem, scripserunt *iustum*; male.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verf 1. CONFRACTUS EST BEL: כרע, *cecidit*, pro, cadet, Bel idolum celeberrimum. CONTRITUS EST: קרס, *iacuit*, *proftratus eft*, pro, profternetur. NABO idolum etiam Chaldæorum, cui poft Bel fecundos honores deferebant. Per hæc duo idola alterum maius, alterum minus, omne genus idololatriæ comprehendit; quafi dicat: Omnis idololatria concidet. FACTA SUNT SIMULACRA EORUM BESTIIS; id eft, facta funt onera beftiarum, cum enim idola confracta effent iumentis comportabantur, ut comburerentur. ONERA VESTRA (erunt idola) mutatio perfonæ. Alii vertunt כשאותכם, *quæ vos portant*, id eft iumenta, *onerata funt pondere* (idolorum) USQUE AD LASSITUDINEM. Ego alium fenfum effe arbitror, ut alloquatur idololatras, qui eum fugerent, idola fua fecum portabant, ut ab illis falutem obtinerent, vel, ut ipfa idola fervarent, ut verfu fequenti fignificatur. Portabant autem *ufque ad laffitudinem*, id eft quamdiu poterant, poftea relinquebant.

V. 2. CONTABUERUNT: קרסו, *corruerunt & ceciderunt fimul* (idola) vel, qui idola portabant, nimio pondere fuccubuerunt. NON POTUERUNT (idola) SALVARE PORTANTEM, id eft qui ea portabat, ut ab illis falvaretur: vel, non potuerunt (ipfi idololatræ qui idola portabant) falvare: משא, *onus*, id eft idola quæ portabant, quia præ laffitudine abiiciebant ea: omnia debent verti per futurum, referrique primum ad expugnationem Babylonis, quæ per regem Perfarum facta eft, vel per Darium regem Medorum: Dan. v. 31. Deinde ad tempora Chrifti, quibus temporibus idola ubique conciderunt. ET ANIMA; id eft, vita eorum, qui idola portabant, IN CAPTIVITATEM abducetur; pro, illi abducentur in captivitatem, ut in ea miferabilem vitam agant.

V. 3. QUI PORTAMINI A MEO UTERO. Duo fignificantur hac fimilitudine gravidæ mulieris; fumma Dei folicitudo erga populum fuum, qualem habere folet mulier prægnans uteri fui; & fumma moleftia. Sicut & D. Paulus de Chriftianis dicit ad Gal. IV. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriftus in vobis*. Alium fenfum habere poffunt verba Hebraica, מני בטן מני רחם, *ab utero & a vulva*, id eft ex quo nati eftis; quafi dicat: Mater veftra non portavit vos nifi novem menfes; ego porto vos toto reliquo tempore ufque ad fenectutem, ut dicit verf. fequenti, id eft ufque ad mortem.

V. 4. USQUE AD SENECTAM EGO IPSE (porto vos.) EGO FECI (vos) id eft, ego genui, propterea æquum eft ut portem, ficut mater, infantem, quem generavit.

V. 5. CUI ASSIMILASTIS ME. Fabricantes idola, ut fup. cap. XL. 18. 25. quafi dicat: Nemo mihi æqualis, nemo fimilis eft, ut poffitis me eius fimulacro colere.

V. 6. QUI CONFERTIS: הזלים, *qui promunt* AURUM DE SACCULO, ET ARGENTUM STATERA ponderant. Ridet eos qui adorant deos, quos ipfi fuis impenfis fecerunt.

V. 7. PORTANT ILLUM; quafi dicat: Non poteft Deus eorum moveri nifi portetur.

V. 8. MEMENTOTE ISTUD; id eft, ifta, quæ fupra de me & de idolis expofui. ET CONFUNDAMINI; id eft, erubefcite videntes vos, relicto me vero Deo, fervire diis, qui nifi portentur humeris, moveri non poffunt. Verbum התאששו, alii vertunt, *Corroborate vos*: alii, *Viriliter agite*, quod vix fenfum habet. Melius igitur nofter Interpres.

V. 9. RECORDAMINI PRIORIS SAECULI: ראשונות מעלם, *priora a fæculo*; id eft, ea quæ a me ab origine mundi facta funt: ex illis enim perfpicere poteritis quod ego fim Deus, & non fit alius fimilis mei.

V. 10. ANNUNTIANS AB EXORDIO NOVISSIMUM; id eft, quod noviffimis temporibus futurum eft prænuntians antequam fiat. CONSILIUM MEUM STABIT, id eft firmum erit, non poterunt interrumpi, aut impediri mea confilia, fed quidquid deliberavi ut fieret, fiet.

V. 11.

V. 11. VOCANS AB ORIENTE AVEM, id eſt Cyrum, qui tam ſubito ac celeriter veniet contra Babylonem, ut tamquam avis volare videatur: עיט *avem* ſignificat, ut Geneſ. XV. 11. & Iob XXVIII. 7. Ier. XII. 9. Tamen R. Menachen exponit hoc loco, *conſilium*, ut Dan. 11. 13. עצה, ſenſuſque videtur convenire, quia continuo addit, VIRUM *conſilii mei*, id eſt Cyrum qui exequatur conſilium meum adverſus Babylonem: איש עצתי, quod noſter Interpres vertit, *Virum voluntatis meæ*, eodem prorſus ſenſu. ET LOCUTUS SUM, ET ADDUCAM ILLUD: אף דברתי אף אביאנה, *utique locutus ſum, utique adducam illud*; id eſt, ſicut locutus ſum, ita faciam ut eveniat, quemadmodum locutus ſum, ita faciam. CREAVI UT FACIAM ILLUD: צירתי אף אעשנה, *formavi*, id eſt, cogitavi, deſignavi animo, *utique faciam illud*; id eſt, quemadmodum animo conſilioque deſignavi, ita faciam.

V. 12. QUI PROCUL ESTIS A IUSTITIA, id eſt ab auxilio meo, qui vos indignos redditis auxilio meo, dum promiſſis meis non creditis. Iuſtitiam vocat auxilium ſuum, quia propter promiſſionem ſuam illud præſtat, & iuſtum eſt, ut Deus promiſſa ſua perficiat. Itaque quia facit, non quod nobis, ſed quod ſibi ipſi debet, iuſtus vocatur: ut verſu ſequenti.

V. 13. PROPE FECI IUSTITIAM MEAM; id eſt, appropinquare feci auxilium meum, ut verſu præcedenti. NON ELONGABITUR, id eſt non differetur. ET SALUS MEA, qua ſalvum faciam populum meum, non tardabit. Hiſtorice loquitur de ſalute qua populum ſuum a ſervitute Babyloniorum liberaturus erat: Myſtice vero de ea qua IESUS ſalvum facturus erat populum ſuum a peccatis eorum: Matth. I. 21. DABO IN SION SALUTEM, id eſt ſalvabo Sion, hoc eſt, populum meum, vel, Eccleſiam meam. ET IN ISRAEL, in populo meo, DABO, id eſt oſtendam ac declarabo GLORIAM MEAM.

SA.

Verſ. 1. CONFRACTUS EST. Chald. *incurvatus eſt*. LXX. *cecidit*. BEL, Idoli nomen. NABO. LXX. *Dagon*. Vide I. Reg. V. IUMENTIS; ſcilicet portanda in Perſidem, capta Babylonia. ONERA VESTRA, id eſt quæ vos ſolebatis geſtare.

V. 2. CONTABUERUNT. Chald. *præciſa ſunt*. EORUM, ſcilicet qui ipſa colebant.

V. 3. A MEO UTERO, &c. *Dei uterum*, intellige viſcera miſericordiæ. VULVA, id eſt utero. Repetitio. LXX. *infantia*.

V. 4. CANOS, id eſt ſenectam. Repetitio; quaſi dicat, Per totam vitam veſtram. PORTABO. LXX. *ſuſtineo vos*. FERAM. LXX. *dimittam*. Chald. *dimittam peccata*. PORTABO. LXX. *ſuſcipiam*.

V. 5. ASSIMILASTIS, &c. quaſi dicat: Numquid aliquid mihi ſimile eſt, quod pro Deo adoretis? Vide ſup. cap. XL.

V. 8. CONFUNDAMINI. LXX. *ingemiſcite*. Chald. *confortamini*. REDITE, &c. LXX. *pœnitentiam agite, revertimini corde*.

V. 9. ULTRA, id eſt præter me.

V. 10. NOVISSIMUM; quaſi dicat, Longe poſt futura.

V. 11. AVEM, ſcilicet Cyrum feſtinantem. MEAE, ſcilicet executorem in expugnanda Babylonia, & liberandis Hebræis. ILLUD, ſcilicet quod promiſi. CREAVI; pro, creabo. Chald *præparabo*.

V. 12. DURO CORDE. LXX. *qui perdidiſtis cor*.

V. 15. FECI. Chald. *eſt*. IUSTITIAM, ſcilicet Chriſtum. GLORIAM, id eſt filium.

ESTII.

Verſ. 1. CONFRACTUS EST BEL, CONTRITUS EST NABO. Prophetia eſt, qua prædicitur deſtructio idolorum Babylonis futura in everſione regni Babyllonici. Quæ res ulterius fuit figura abolendæ idololatriæ per univerſum mundum, coruſcante Evangelio Chriſti. Bel idolum erat proprium Babyloniorum, ut ex Daniele conſtat. Hunc Hieron. putat eſſe quem Græci Belum, & alio nomine Saturnum vocant. Cuius, inquit, tanta apud veteres fuit religio, ut ei non ſolum hoſtias humanas captivorum, ignobiliumque mortalium, ſed & proprios liberos immolarent. *Nabo* autem, ſeu *Nebo* & ipſum erat idolum Chaldæorum, ſed ſecundi nominis, & auctoritatis; quod interpretatur, *prophetia* ſeu *divinatio*. Et per hoc ſignificatum eſt, poſt prædicationem Evangelii,

gelii, omnia quoque oracula deorum, id est dæmoniorum cessatura. Pro *Nebo*, Septuaginta verterunt, *Dagon*, quod fuit idolum Philisthiim.

V. 8. MEMENTOTE ISTUD, ET CONFUNDAMINI, REDITE PRAEVARICATORES AD COR. Hieron. legit *fundamini*, ut patet ex eius commentario. Et vox Hebræa non significat *confundi*, sed fundari, seu roborari; quasi dicat: Revocate in memoriam vanitatem idolorum; & fundamini, seu corroboramini, id est præstate vos viros; estote fortes & fundati, ne iterum forte vos idololatriæ turbo subvertat. Sic etiam legit Glossa ordinaria: tamen legendo, *confundamini*, sensus eodem recidit; ac si dicat: Mementote, nec umquam deponatis ex animo pristinam vestram stultitiam: fundate vos in sano iam proposito, & sic utiliter confundamini, ac redite ad cor.

M A R I A N AE.

Vers. 1. CONTRITUS EST NABO, aut incurvatus est. *Bel*, seu *Baal*, & *Nebo* erant idola Babylonis. BESTIIS ET IUMENTIS, ONERA VESTRA, scilicet a vobis imposita iumentis, sunt idolorum fragmenta, ut in Persidem deferrentur, urbe capta a Cyro. GRAVI PONDERE. Hebr. *gravatis*, scilicet iumentis. *Pondere*, onere eo, usque ad lassitudinem. Indicat ea idola gravia esse, per irrisionem.

V. 2. CONTABUERUNT, ET CONTRITA SUNT SIMUL, seu *conciderunt*, & *corruerunt*, aut *curvaverunt*, & *incurvaverunt se*, scilicet ea iumenta præ lassitudine. NON POTUERUNT SALVARE PORTANTEM, scilicet idola. Hebr. *non potuerunt liberare onus:* forsassis ea idola in prædam in itinere cesserunt. ET ANIMA EORUM IN CAPTIVITATEM IBIT: *anima eorum*, id est idola ipsa. Audite vos Israel:

V. 3. QUI PORTAMINI A MEO UTERO. Hebr. *portamini ab utero & a vulva;* id est, a nativitate vestra gesto vos quasi onus. Vulgata *matris uterum* vocat *Dei uterum*, quod Deo auctore concipiant & pariant. Sept. *ab infantia*.

V. 5. USQUE AD SENECTAM. Per totam vitam curam vestri geram. EGO FECI, id est vos genui. ET EGO FERAM. Non patiar, intellige, ut sitis in prædam. Sed ego *gestabo*, נשא *æsa* Hebr. Hæc ego feci: quid vos?

V. 5. CUI ASSIMILASTIS ME, idola fecistis. ET FECISTIS SIMILEM? Hebr. & *assimilatus sum cui*, scilicet qui faciunt idola, Deum illis assimilant, quia Dei nomine illa vocant.

V. 6. QUI CONFERTIS AURUM, aut vilipenditis, aut profunditis aurum de marsupio. ET ARGENTUM STATERA PONDERATIS. Sic Sept. & Chald. Hebr. *in calamo*: sed *calamus* est mensuræ genus, & hic pro *statera* sumitur: significat autem, illos, ut idolum faciant, aurum argentumque prodigere.

V. 7. PORTANT ILLUM IN HUMERIS, neque enim movere se potest. ET PONENTES IN LOCO SUO. Hebr. *ponunt illum sub se*, id est in loco suo, ut dixit Hieronymus & Chald. NON AUDIET. Hebr. *non respondebit*. NON SALVABIT EOS. Hebr. *eum*, pro, *eos*: sic Chald.

V. 8. CONFUNDAMINI. Chald. *Confortamini*. Hebr. *roborate vos;* id est, vos viros esse ostendite contra hanc vanitatem. REDITE. Hebr. *revocate*, prævaricatores ad cor, ut scilicet peccare desinant.

V. 9. RECORDAMINI PRIORIS SAECULI. Hebr. *recordamini priorum a sæculo*, id est antiquorum a condito orbe. Ex iis intelligetis non esse alium Deum præter me.

V. 11. VOCANS AB ORIENTE AVEM: sic vocat Cyrum ob velocitatem. VIRUM VOLUNTATIS MEAE. Hebr. *consilii mei*, ut scilicet exequatur illud. ADDUCAM ILLUD, scilicet consilium. CREAVI. Hebr. *formavi*; id est, apud me id consilium disposui & constitui.

V. 12. QUI LONGE ESTIS A IUSTITIA; id est, estis iniqui & duro corde. Audite.

V. 13. PROPE FECI IUSTITIAM MEAM, id est Christum, aut decretum puniendi Babylonios cito veniet. ET SALUS MEA. Decretum liberandi populum meum. ET IN ISRAEL GLORIAM MEAM dabo, id est libertatem, quæ est gloria mea, & de hostibus vindictam.

M A L V E N D AE.

Vers. 1. CONFRACTUS EST BEL, &c. Ergasia, inquiunt, id est exornatio narrationis, quæ præcedente capite facta est, nunc demum incipit, ut diximus supra cap. XLV. 1. ac primum quidem exornantur res gestæ, duobus capitibus:

bus: deinde vero causa istarum, cap. XLVIII. Res autem gestæ in duo iudiciorum genera dividuntur: narrantur enim iudicia Dei effecta contra idola, hoc capite; deinde contra Babylonios ipsos idololatras, capite sequente: & singulis istis narrationis partibus suus usus, suaque doctrina subnectitur. Sunt itaque huius capitis partes duæ; una est narratio (ut modo diximus) duobus versibus comprehensa; altera est doctrina ad populum Dei, eruta ex narratione præcedente, toto reliquo capite. Quidam reddunt: *Procubuit, concidit Bel*, vel *prostratus est*. BEL: de quo vide Numeror. XXII. 4. Sed nunc pauca adiiciamus. Herodotus Lib. I. Num. 181. *Iovis, Beli templum, æris portis*, &c. Diodorus Siculus Lib. II. Numero 69. *& Iovis, quem Belum Babylonii nominant, imagines*, &c. & Numero eodem paulo inferius: *Iovi, quem Belum, ut diximus, Babylonii vocant*, &c. Plinius Lib. VI. cap. XXVI. *Durat adhuc ibi Babylone Iovis Beli templum. Inventor hic fuit sideralis scientiæ*. Et Lib. XXXVII. cap. X. de gemma dicta *Beli oculus*: *Hæc propter suam speciem sacratissimo Assyriorum Deo dicatur*. Et infra: *Eumetren Beli gemmam sanctissimi deorum suorum Assyrii appellant*. Arrianus Lib. III. Rerum Alexandri: *Beli, quem præcipue deum Babylonii colunt*. Agathias Lib. II. Historiarum cap. XIII. *Siquidem vetustiores illi Persæ, Iovem Belum dicebant*. De Beli templo summa magnificentia Babylone condito, vide Herodotum & Diodorum iisdem locis, Strabonem Lib. XVI. pag. 738. Q. Curtium Lib. V. Plinium Lib. VI. cap. XXVI. Solinum cap. LX. Arianum Lib. VII. Dionysium in Periegesi. Quod vero ait Propheta, *Procubuit Bel*, forsan alludit ad historiam eversi templi Belis a Xerxe, quam fuse narrant Strabo & Arrianus iisdem locis, & Ælianus Lib. XIII. Variæ Historiæ, cap. III.

Ceterum S. Hieronymus hic ait: *Bel, quem Græci Belum, Latini Saturnum vocant*. Sanctus Theophilus Antiochenus Lib. III. ad Antolycum: *Quidam divinos honores Crono deferunt, eumque Bel, & Bal nominant. Cronus a Romanis Saturnus appellatur*. Tremellius, & Iunius annotant: *Bel nomen est idoli, quod unum in pretio fuit apud Assyrios, Persas, & Babylonios; alii Saturnum esse volunt filium Oceani, alii Iovem, (unde Iupiter Bellus appellatur Plinio Lib. VI. Naturalis Historiæ, cap. XXVI.) alii denique Solem; quod magis probamus, quia Solem ab Assyriis, Persis, & Babyloniis pro deo summo habitum esse, & igni tamquam illius particulæ cultum exhibitum omnes historiæ testantur: unde factum est, ut temporibus Ioschiæ, equi currus, & cultus soli essent dicati Ierushalaimis superstitione invecta per Assyrios* II. *Reg.* XXIII. 11. *Dicitur autem Belillarum gentium sermone tamquam Dominus, pro eo quod dicunt Hebræi Bahal*. Hæc illi. Marinus notat fortasse dictum *Bel*, a *Babel*, Babylone, detracto altero *Beth*: sed satius est contractum esse a *Bahal* Hebraico.

CONTRITUS EST NABO. Alii: *incurvatus, incurvus, repandus est Nebo*, vel *corruit Nebo*. Quidam idem esse volunt, quod Valentine dicimus, *Ajupir*, *Acorrucarse*. Sic versu sequente. Tremellius, & Iunius: *deflexit se*, vel *reflexus est Nebo*. Hac loquendi forma non dubium est, quin Propheta ad fatidica illa oracula respexerit, quæ religionis specie edebantur: nam stabant proceræ statuæ, Sacerdotes vero ex tripode, aut alio instrumento, velut Deum a tergo consulentes responsa dabant: Iam vero, inquit Propheta, illi reflexi & complicati sunt, ademptaque facultas amplius edendi oracula. *Nebo* exponunt, Id est *Deus vaticinus*. Vocem, inquiunt, qua Propheta utitur, appellative accipimus pro idolis omnibus, quæ superstitiosi consulebant a verbo æque Babyloniis atque Hebræis usitato, quod significat prophetare. FACTA SUNT SIMULACRA EORUM BESTIIS ET IUMENTIS. Heb. *fuerunt dolores eorum bestiæ & iumento*. Alii: *fuerunt terricula eorum imposita bestiæ & iumento*, nimirum deportanda in Persidem veluti captiva, ut prædæ essent post expugnatam Babyloniam. Enallage numeri, ut in fine versus. Hispanicus Interpres: *Sus imagines fueron puestas sobre bestias, y sobro animales de carga*. Fortasse alludit ad morem sacerdotum Deæ Syriæ, quam iumento impositam circumducere solebant, uti fuse narrat Apuleius Lib. VIII. Asini. ONERA VESTRA GRAVI PONDERE USQUE AD LASSITUDINEM. Varie ex Hebr. alii: I. *gestamina vestra onerata erant onere ad lassitudinem*. II. *quæ vos ferebant*; id est, iumenta, quæ vos portabant, *onerata erant*, &c. III.

&c. III. *quæ a vobis sunt gravata* , & *onerata pondere premente ad fatigationem* . IV. *quæ portando gravata sunt onere usque ad lassitudinem*. V. *gestatricia vestra* , seu *gestamina vestra imposita* , *onus ad lassitudinem*, subaudi, fuerunt . VI. *oneribus vestris onerebantur* , *pondus* fuit *illis fessis*; id est, iumenta vestra maximis oneribus ex auro & argento vestro, quod hostes avehent, prægravabuntur, & lassabuntur . VII. *in oneribus vestris* , o idola , *onerabantur* iumenta , *pondus* eritis *fesso iumento* . VIII. *gestamina vestra onerata* , *oneri sunt defessæ* , nimirum bestiæ & iumento in Persidem exportanti*:* erant enim aures , pretiosaque & gravia multa , ut constat ex Danielis III. IX. Hispanicus Interpres: *que.os llevaran*, *cargadas de vosoltros* , *carga de cansacio* . נשאותיכם *nesuothechem*, participium passivum femineum cum affixo, proprie, *levata*, *portatæ vestræ*, scilicet bestiæ & iumenta . Alii active capiunt *: levantes* , *portantes vestræ* , sive *quæ vos portant*, bestiæ . Nonnulli nomen substantivum faciunt : *gestamina vestra* , id est onera ex auro & argento vestro עמסות *ghamusoth* , participium etiam passivum femineum , *oneratæ*, *impositæ* . Usque ad lassitudinem . לעיפה *laghaiephah*, nomen faciunt , *lassitudini* , vel *ad lassitudinem* . Alii participium in dativo , *defatigatæ*, *lassæ*, scilicet bestiæ. Illustrant hunc Isaiæ locum ea quæ de aureis , gravibusque vasis templi Belis Babylonici exportatis a Persis victoribus prodit Diodorus Siculus Lib. II. Numero 69. & 70. *In summo ascensu tres ex auro statuas malleo ductas*, *Iovis videlicet* , *Iunonis* & *Rheæ erexit* Semiramis . *Iovis imago pedibus insistenti ac veluti ambulanti similis erat* , *pedum quadraginta longitudine* , & *pondere mille talentum Babyloniorum*. *Rheæ effigies eiusdem ponderis in aureo throno residens* , *leonesque duos ad genua stantes ac prægrandes iuxta colubros ex argento talentum trigenum pondo habebat* . *Illic etiam Iunonis simulacrum octingenta talenta pendens* , *quod dextra serpentem capite prehensum* , *sinistra gemmatum sceptum tenebat* . *Mensa omnibus communis ex auro* , *malleis elaborata*, *pedes quadraginta longa*, & *septemdecim lata* , *quingentorum talentorum pondere apposita erat* . *In qua carchesia duo talentum triginta* . . *Aderant etiam thuribula numero quidem paria* , *sed pondere trecentum talentorum* . *Crateres insuper aurei tres* , *quorum Iovi dicatus talenta Babylonia mille & ducenta pendebat* , *ceterorum uterque sexcenta*. *Verum ista Persarum reges postea sacrilegio abstulerunt* . Hæc Diodorus.

V. 2. Contabuerunt, et contrita sunt, &c. Hunc versum alii ex Heb. diversimode reddunt*:* I. *Curvaverunt sese*, vel *corruerunt*, *prostrata sunt*, *incurvaverunt se*, seu *succubuerunt simul*, vel per futura: *corruent* & *concident pariter*, animalia illa onusta idolis, & auro, & argento*: nec potuerunt eruere se ab onere*, vel *nec poterunt subtrahere se*, vel *subducere se* gravi illi *oneri*: & *anima eorum in captivitatem abiit*. II. *Repanda fuerunt*, *incurvaverunt se pariter* , *non potuerunt facere evadere*, vel *eripere onus: anima eorum in captivitatem ivit*; id est, non potuerunt excutere a se onus. Quidam exponunt, *non potuerunt evadere onus*, vel *erui*, aut *eruere se ab onere*, vel *facere evadere*, id est, salvum auferre, *onus*, vel *servare onus*, quin illud a se excuterent præ lassitudine. III. *Reflexi sunt*, *procubuerunt pariter*, *neque potuerunt* Babylonii *eripere onus*, *sed ipsimet in captivitatem abiverunt* . Possit hic versus referri ad ipsa idola, quæ corruerunt & conciderunt, nec potuerunt evadere quin imposita iumentis in captivitatem abducerentur*;* quibus animam tribuit opinione idololatrarum, vel per sarcasmum. Alii ad ipsos Babylonios*:* qui prostrati hostibus succubuerunt , nec potuerunt Persis eripere prædam, quin potius ipsi in captivitatem abierunt. Sed rectius expones: Iumenta illa procubuerunt & corruerunt præ lassitudine, nec potuerunt portare tam grave onus auri & argenti (hyperbole) quin & ipsi Babylonii in captivitatem abducti sunt.

V. 3. Audite me, &c. Alii hunc versum ex Heb. exponunt : I. *Attendite ad me*, *domus Iahakobi*, & *universi residui domus Israelis*, *impositi*, seu *onerati ab utero*, *gestati a vulva*. II. *Auscultate mihi domus Iahakobi*, *totumque residuum domus Israelis*. Secunda hæc pars didascalica , ut dictum est in vers. 1. sumpta occasione ex præcedente historia Iudæos instituit, primum fideles & pios, usque ad versum 8. deinde infirmos Iudæorum: itemque impios & hypocritas, ad finem usque. Est autem utriusque

que loci commune exordium, his duobus versibus, in quibus Deus per antithesin singularia sua officia in populum suum explicat, ostendens quam procul ab idolorum conditione absit, quæ nisi a suis ferantur, & eripiantur, pereunt: *qui baiulamini inde ab utero, qui gestamini inde a vulva*; id est, quos ego baiulo, quemadmodum portat quis, aut nutrix, seu mater filium suum, Deuteronom. I. 31. & tamquam aquila assumens porto vos super alas meas, Exod. XIX. 4. & Deuteronom. XXXII. 11. Heb. ad verbum: *impositi, onerati, a me utero; levati, portati, a me vulva*; id est, quos tam caros, & intimos habeo, ac si vos utero meo genuissem, ac in matrice portarem, ut mater infantem suum.

V. 4. USQUE AD SENECTAM EGO IPSE, &c. Alii hunc versum ex Heb. reddunt: *Et usque ad senium ego idem, & usque ad canitiem ego portaturus sum: ego feci, & ego gestabo; ego, inquam, portaturus sum, & erepturus*; quasi dicat: Nedum vos genui, & in utero fovi ac gestavi, sed iam inde ab utero per totam vitam vestram usque ad extremum senium alui, sustentavi, vobis adfui, curam vestri perpetuo gessi, & de omnibus periculis eripui, nimirum mei semper similis.

V. 5. CUI ASSIMILASTIS ME, &c. Quidam: *Cui assimilaretis me, & æquaretis, aut compararetis me, ut similes essemus?* Primus doctrinæ locus, quo præmonentur pii ut sibi prudenter & sancte a falsis Babyloniorum commentis & superstitionibus caveant, observantes naturam Dei Optimi Maximi, atque in ipsos beneficentissimi. Simile vide supra cap. XL. 18. & 25. ET COMPARASTIS ME. Proprie, *& proverbiabitis me*; id est, proverbio comparabitis, cui me adagialiter similem dicetis, vel proverbio iactabitis. ET FECISTIS SIMILEM? נדמה *nidmeh*, plerique participium Niphal esse aiunt: *assimilatus, similis*. Quidam reddunt: *ut similis sim*. Alii nomen substantivum: *& similitudo ero?* Nonnulli, futurum plurale: *& assimilabimus*, vel *ut similes essemus?* Puta ego & imago, cui compararetis me.

V. 6. QUI CONFERTIS AURUM DE SACCULO, &c. Quidam reddunt: *Qui prodigunt aurum e marsupio*, &c. Amplificatio a comparatione idolorum & maiestate Dei, ut supra cap. XL. 18. & 25. & officiorum, quæ idololatræ coguntur diis suis inutilibus exhibere, cum illis officiis, quæ cultoribus suis facit Deus, hoc & sequente versu. Participium זלים *zalim*, exponunt, *vilipendentes, tamquam rem vilem depromentes, prodigentes, profundentes, abiicientes*. ET ARGENTUM STATERA PONDERATIS. Alii ex Heb. *& argentum in calamo ponderant*, id est in statera habente utrimque lances. II. *& argentum in bilance appendunt*. III. *& argentum scapo appendunt*, id est trutina, synecdochice: est enim scapus trutinæ pars ex qua dependent lances. קנה *kaneh*, hic est, *canna, calamus mensorius*, ut Ezechiel. XLII. 16. AURIFICEM. צורף *tzoreph, urentem, ustorem, excoctorem, conflatorem, fusorem, aurifabrum*: ut supra cap. XL. 19. & cap. XLI. 7. ET PROCIDUNT. Vide supra cap. XLIV. 15.

V. 7. PORTANT ILLUM IN HUMERIS GESTANTES. Ponuntur hic duo נשא *nasa*, & סבל *sabal*, quorum discrimen & vis ex hoc loco, & superius ex vers. 4. dignoscitur: nam *Nasa* motum, seu levationem significat, nempe onus levando accipere, tollere, imponere: *Sabal* vero, onus in se susceptum & impositum portare. Vide Forsterum in Lexico. pag. 522. Proculdubio alludit ad morem Gentilium, quo simulacra deum solebant in sacra pompa ferculis super humeros gestare. Macrobius I. Saturnalior. cap. XXIV. *Vehitur etiam simulacrum Dei Heliopolitani ferculo, veluti vehuntur in pompa ludorum Circensium deorum simulacra. Et subeunt plerumque provinciæ proceres, raso capite, longi temporis castimonia puri: feruntur que divino spiritu, non suo arbitrio, sed quo Deus propellit vehentes, ut videmus apud Antium promoveri simulacra Fortunarum ad danda responsa*. Vide quoque Apuleium Lib. XI. Asini ad finem, cum describit pompam Isidis. Hunc versum alii luculentius ex Heb. convertunt: I. *Portant eum in humero, baiulant eum, & collocant eum in locum suum: illic stat, nec de loco suo movetur: & si quispiam ad eum clamat, nihil respondet, ab angustia sua non liberat eum*. II. *Gestant eum, humero portant eum, deinde collocant eum in sede sua, ubi stat, e loco suo non recedit; etiamsi quis clamet ad eum, non exaudit, ab angustia ipsius non servat ipsum*.

V. 8. MEMENTOTE ISTUD, &c. Secundus doctrinæ locus, ut diximus in vers. 3. ad

ad Iudæos infirmos aut ignorantes Dei, ut consimiliter imbuti vera notitia Dei, si qua infirmitate cedentes Babyloniorum tyrannidi cultum Dei veri dimiserint, saltem his duobus argumentis ad bonam frugem revocentur: primum documentis rerum creatarum, & operum præteritorum Dei, vers. 9. & 10. deinde præsentissima liberatione, quam per Cyrum promisit Deus, & iusto tempore effecit, vers. 11. ET CONFUNDAMINI. Imperativum *hithpahel*, התחששו *hithochschasehu*, quidam a nomine אשישים *aschischim*, *fundamenta*, supra cap. XVI. 7. derivant: *& fundate vos ipsos*, *fundamini*, vel *fundamenta sitis*, aut *fundati sitis*; hoc est, fortes & robusti estote, ut fundamenta. Alii ab אש *esch*, *ignis*: *& ignescere vos facite*, id est *erubescite*, *rubore perfundimini* instar ignis: ut Poetæ dicunt:

Calor per ora cucurrit.

Plerique ab איש *isch*, geminato, id est *vir*: *& viriliter agite*, *seu præbete vos viros*; & geminatio significatum auget, *præbete vos*, *exhibite*, *præstate vos summos viros*. Pudet referre, quod Marinus coniectatur depravatam esse scripturam, & pro *hithoschaschu*, legendum התבוששו *hithboschescbu*, *erubescite*. REDITE PRAEVARICATORES AD COR. Heb. *revocate*, *reducite*, *o defectores in cor*, seu *in animum*; subaudi, ea quæ dico, id est resipiscite.

V. 9. RECORDAMINI PRIORIS SAECULI, &c. Hunc versum ex Heb. reddunt: I. *Memineritis priorum*, *quæ iam olim facta sunt*: *quod ego sum Deus*, *& nullus ultra Deus*, *neque quidquam mihi simile est*. II. *Recordamini priorum inde a sæculo*, *me esse Deum fortem*, *& nullum præterea Deum esse*, *& neminem parem mihi*.

V. 10. ANNUNTIANS AB EXORDIO &c. Alii hunc versum ex Heb. transferunt: I. *Qui annuntio a principio postrema*, *& ab exordio ea quæ nondum facta sunt*: *qui dico*, *& consilium meum ratum est*, *& quidquid volo facio*. II. *Indicantem a principio finem*, *& ab antiquitate*, *quæ nondum facta sunt*; *dicentem*, id est, qui solus merito ac vere dicere possum: *Consilium meum stabit*; *& omnem delectationem meam facturus sum*; id est, quicquid mihi libuerit.

V. 11. VOCANS AB ORIENTE, id est a Perside, AVEM. עיט *ghaiit*, *volatum*, *volucrem*, *avem*, *alitem*, *turbam ferarum ac rapacium avium*, *quæ multitudine irruit*: volunt enim esse nomen collectivum: vide in Genes. XV. 11. & supra cap. XVIII. 6. Forsterus: *Voco ab oriente volatum*: vocat autem hoc nomine Cyrum cum suo exercitu, a velocitate & rapacitate. Tremellius, & Iunius: *Voco ab oriente*, id est Perside, *volucrem*, id est Cyrum ducem expeditissimum, qui tam leviter difficultates omnes expediturus, & superaturus est, quam si prætervolet: qui velociter in Babylonios a Perside & Media ingentes ducet exercitus, & quasi involabit. Quidam reddunt: *Vocans ab ortu avitium*; id est, exercitum Persarum ac Medorum, de terra longinqua seu remota. VIRUM VOLUNTATIS MEAE. Heb. *virum consilii mei*; id est, effectorem & executorem consilii mei. Alii: id est, quem consilio meo destinavi, & decrevi mittere. Alia Hebraica lectio habet *virum consilii sui*, id est virum consultissimum. ET LOCUTUS SUM, ET ADDUCAM ILLUD, scilicet consilium. Quidam reddunt: *pretetrea prædixi*, *& adducam illud*; vel, *simulatque locutus sum*, *ipsum adducam*. CREAVI, ET FACIAM ILLUD. Heb. *formavi etiam faciam illud*. Alii: *cogitavi*, *statui*. Nonnulli: *protinus ut finxi* animo, *hoc ipsum faciam*.

V. 12. AUDITE ME DURO CORDE, QUI LONGE ESTIS A IUSTITIA. Alii ex Heb. I. *Attendite ad me robusti corde*, *procul remoti a iustitia*. II. *Audite me*, *qui contumaces estis corde*, vel *qui præfracto*, *& pervicaci animo estis*, *alieni a iustitia*. III. *Auscultate mihi robusti animo*, *qui longinqui estis a iustitia*. Tertius doctrinæ locus, ut dictum est in vers. 3. ad impios & hypocritas: quibus denuntiat Deus, se propter nomen suum effecturum promissiones suas, & iustitiam adhibiturum ad salutem Ecclesiæ suæ, & ipsorum confusionem.

V. 13. PROPTE FECI IUSTITIAM MEAM. Alii: I. *Adduxi iustitiam meam*. II. *Accedere faciam iustitiam meam*, id est Christum, quem promisi iustificatorem, mittam. III. *Admoveo iustitiam meam*; id est, vos inviti & fugientes, experiemini tamen iustitiam meam. NON ELONGABITUR. Alii: I. *non longinqua est*. II. *neque longe aberit*. ET SALUS MEA NON MORABITUR: vel *moram faciet*. Verbum proprie significat, *& salus mea non posteriorabit*, *postergabit*, *postmanebit*, *retromanebit*, *cunctabitur*, *tardabit*. Tremellius, & Iunius exponunt: *Sed salu-*

salutem meam non retardabit. Id est, *praecise complebit suo tempore salutem meam*, *neque impedietur nequitia vestra*, *aut in supplicio de vobis sumendo ita occupabitur*, *ut gratiae salutaris opus avertat*. Sed verbum *retardabit* est femineum, nec apte referri potest ad Deum, sed ad salutem, *& salus mea non tardabit*. ET ISRAELI GLORIAM MEAM. Heb. *decorem*, *ornatum*, *honorem*, *pulchritudinem meam*: vide supra cap. XLIV. 23.

MENOCHII.

Vers. 2. BEL: Bel sive Beel, Baal, aut Belus fuit Nemrod fundator, & primus Rex Babylonis, & pater Nini, divinis postea honoribus cultus a Babyloniis. NABO. Alterum Babyloniorum idolum, ita dictum quod ederet oracula; *Nabo* enim Hebraice, & Chaldaice idem est quod *prophetia*, vel *divinatio*, ut inquit D. Hieronymus. In primariis hisce Chaldaeorum idolis a Cyro conterendis significat Isaias per Christum abolendam idololatriam. FACTA SUNT BESTIIS, &c. In Hebraeo est, *Fuerunt iumentis*, id est tradita sunt iumentis: nam cum iumenta dorso gestarent idola quae alio asportabantur, habebant ea quasi captiva in sua manu, & potestate. ONERA VESTRA, &c. idola vestra, quibus iumenta, vel vos onerati incedebatis usque ad lassitudinem.

V. 2. CONTABUERUNT, &c. confracta sunt a Persis, perierunt, consumpta sunt. NON POTUERUNT SALVARE PORTANTEM; sed iumento sub pondere cadente & ipsa contrita sunt. ANIMA EORUM IN CAPTIVITATEM IBIT: ipsa idola in captivitatem asportata sunt, simul cum adoratoribus suis.

V. 3. OMNE RESIDUUM: omnes ex captivitate superstites, & reliqui. QUI PORTAMINI A MEO UTERO, &c. quos ego misericordiae meae visceribus materno complector affectu.

V. 4. USQUE AD SENECTAM; quasi dicat: Matres paucis mensibus foetum gestant in utero, & paucis annis in ulnis infantes suos; ego vero fideles meos usque ad senectam. EGO IPSE; scilicet, portabo vos. EGO FECI: ego vos genui, ego alui, ego educavi, ego provexi. EGO FERAM: etiam deinceps, & in posterum feram usque ad senectutem vestram.

V. 5. CUI ASSIMILASTIS ME, &c. fabricando idolum quasi Deum alium mihi similem, & aequalem: vide dicta supra XL. 18.

V. 6. QUI CONFERTIS AURUM, &c. quasi dicat: Videte egregios vestros deos, quos collata materia vos ipsi formatis; & cuditis, & deinde adoratis.

V. 8. CONFUNDAMINI: pudeat vos, quod huiusmodi deum adoretis. REDITE AD COR. LXX. *agite poenitentiam qui errastis, revertimini corde*.

V. 9. RECORDAMINI PRIORIS SAECULI, scilicet quanta promiserim, praedixerim, & praestiterim patribus vestris, inde videbitis me esse Deum vestrum, quem patres vestri coluerunt.

V. 10. ANNUNTIANS AB EXORDIO NOVISSIMUM, id est praedicans ab initio id quod multo tempore post futurum est. ET AB INITIO, &c. est repetitio eiusdem sententiae.

V. 11. VOCANS AB ORIENTE AVEM: Cyrum scilicet festinantem, & quasi avem volantem. AB ORIENTE, id est Perside, quae Babyloni est ad orientem. VIRUM VOLUNTATIS MEAE: qui scilicet voluntatem meam effectam dabit. LOCUTUS SUM: futura haec praedixi, & fient. CREAVI, id est creabo, praeteritum pro futuro.

V. 12. AUDITE ME: Iudaei, qui estis Babylone. LONGE ESTIS A IUSTITIA: qui a Deo, & virtute, sanctitate, & iustitia defecistis. Vel potius, qui me accusatis violatae fidei, quasi procul sitis ab ea iustitia obtinenda, id est ab ea libertate, quam ego vobis toties promisi.

V. 13. PROPE FECI IUSTITIAM MEAM: ecce enim Cyrus quasi avis mox advolabit, qui meam iustitiam, id est fidem praestabit; usque e captivitate liberabit. IN SION: Sioni, sic IN ISRAEL, id est Israeli. GLORIAM MEAM: fuit enim haec gloriosa, & magnifica Israelis liberatio.

TIRINI.

Vers. 1. BEL, idolum Babyloniorum, de quo Genes. XI. NABO alter eorumdem deus, & forsan per abbreviationem est ipse Nabuchodonosor, qui a Babyloniis adorari voluit ut deus in aurea statua quam erexit Danielis III. Saltem ab hoc

hoc idolo *Nabo* desumptum est nomen Nabo-nazar, Nabo-chad-nazar, Nabuchodonosor: sic a Belo, seu Baal, nomen Bal-zazar. Sic etiam Iudæorum reges solebant a suo Deo *Iah*, quo est abbreviatum *Iehova*, nomina sua mutare, ut *Abias*, *Ojias*, *Ezechias*, *Iosias*, *&c.* SIMULACRA EORUM idolorum FACTA, seu tradita, SUNT BESTIIS ET IUMENTIS: nam iussu Cyri, aurum & argentum, ex quo conflata erant illa idola, per partes impositum est dorsis camelorum & asinorum, ut in Persidem transferretur: ita Forerius. Ita dii vestri facti sunt onera iumentorum, quæ prius erant ONERA VESTRA, o Babylonii, vestris humeris baiulari solita *a*, & vos suo PONDERE fatigantia, USQUE AD LASSITUDINEM. Et hac asinorum via

V. 2. ANIMA EORUM, nempe idolorum, id est ipsa idola, quæ vos fingitis animata esse, IBIT IN CAPTIVITATEM. En lapideos deos

V. 5. CUI ASSIMILASTIS ME? Quam vili rei, quam sordido metallo similem credidistis divinam excellentiam?

V. 9. RECORDAMINI PRIORIS SAECULI, quanta prædixerim & promiserim patribus vestris, & nunc vobis ex fide præstiterim. Facile inde colligetis, me longe præcellere omnibus idolis, quibus nec umbra inest divinitatis.

V. 10. EGO SUM ANNUNTIANS ac prædicens AB EXORDIO nascentis Synagogæ, immo mundi, quæ *novissima*, id est novissimis, seu posterioribus sæculis eventura sunt: v. g. Genes. III. prædixi, quod mulier per semen suum, nempe Christum, contereret caput serpentis. Abrahæ ex sterili Sara addixi posteritatem numerosam sicut stellas cæli, possessionem Chanaanitidis, &c. Quæ omnia nunc vel completa, vel certo complenda sunt. Pari ergo ratione.

V. 11. VOCO AB ORIENTE, id est e Perside, AVEM, id est Cyrum, cuius labarum est aquila aurea expansis alis, teste Xenophonte; & summa celeritate atque impetu devolabit in Babylonicam columbam, quam unguibus suis in frustra discerpet. Allegorice, hæc aquila est Christus oriens ex alto, inquit S. Hieronymus & Cyrillus.

V. 13. PROPE FECI IUSTITIAM MEAM; id est, faciam ut adventus Cyri non multum differatur, sed brevi adsit curabo, & promissa mea fidemque vobis datam exsolvat, & vos Babylone liberatos in patriam remittat. Per illum enim DABO IN SION Ierosolymitanis SALUTEM, ET toti *Israeli* GLORIAM MEAM, id est gloriosam liberationem e carcere Chaldaico: per Christum vero toti orbi dabo liberationem e carcere infernali, dabo spiritualem & absolutam iustitiam, dabo æternam salutem & gloriam: ita S. Hieronymus & alii Patres.

(a) Baruch VI. vers. 3.

GORDONI.

Vers. 1. NABO erat alter Babyloniorum Deus a divinatione sic dictus, ut ait Hieron. Solebant homines illarum gentium nomina sua a diis derivare: hinc Nabonitus rex, qui & Merodach, vel Evilmerodach vocabatur. Ceterum suos servat Deus ab utero usque ad senectutem, & ab ortu Synagogæ usque in finem.

V. 5. CUI ASSIMILASTIS ME, &c. Iterum carpit idololatras. CUI ME COMPARASTIS? Sensus apertus est: vide cap. XL. vers. 18.

V. 10. ANNUNTIAVI AB EXORDIO, &c. Prædixi, inquit, quæ sunt ventura & erunt. STABIT CONSILIUM, & (vers. 11.) AVEM, hoc est, Cyrum adducam, velociter veniet.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 1. Duo idola Babyloniorum evertenda, Bel & Nabo. Hoc secundum nomen *Nabo* Chaldaice est propheta: frangenda prædicit idola hæc, & bestiis tradenda, nempe ut disportentur: onera gravia vocat.

Vers. 4. Deus suos servabit usque ad senectutem: fidelis erit protector & constans.

CA-



C A P U T XLVII.

Babylonis humiliatio ac contritio prædicitur, propter ipſius ſuperbiam, arrogantiam, & crudelitatem in Judæos ſuos captivos: & quia in maleficis, auguribus, atque incantatoribus ſpem poſuit.

1. DEſcende, ſede in pulvere virgo filia Babylon, ſede in terra: non eſt ſolium filiæ Chaldæorum, quia ultra non
vocaberis mollis & tenera. 2. Tolle molam, & mole farinam: denuda turpitudinem tuam, diſcooperi humerum,
revela crura, tranſi flumina. 3. (*a*) Revelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum: ultionem capiam,
& non reſiſtet mihi homo. 4. Redemptor noſter, Dominus
exercituum nomen illius, ſanctus Iſrael. 5. Sede tacens, &
intra in tenebras filia Chaldæorum: quia non vocaberis ultra domina regnorum. 6. Iratus ſum ſuper populum meum, contaminavi hereditatem meam, &
dedi eos in manu tua: non poſuiſti eis miſericordias: ſuper ſenem aggravaſti
iugum tuum valde. 7. Et dixiſti: In ſempiternum ero domina: non poſuiſti
hæc ſuper cor tuum, neque recordata es noviſſimi tui. 8. Et nunc audi hæc
delicata, & habitans confidenter, quæ dicis in corde tuo: (*b*) Ego ſum, &
non eſt præter me amplius: non ſedebo vidua, & ignorabo ſterilitatem. 9.
(*c*) Venient tibi duo hæc ſubito in die una, ſterilitas & viduitas: univerſa venerunt ſuper te, propter multitudinem maleficiorum tuorum, & propter duritiam incantatorum tuorum vehementem. 10. Et fiduciam habuiſti in malitia
tua, & dixiſti: Non eſt qui videat me: ſapientia tua & ſcientia tua hæc decepit te. Et dixiſti in corde tuo: Ego ſum, & præter me non eſt altera. 11.
Veniet ſuper te malum, & neſcies ortum eius: & irruet ſuper te calamitas,
quam non poteris expiare: veniet ſuper te repente miſeria, quam neſcies. 12.
Sta cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorum tuorum, in
quibus laboraſti ab adoleſcentia tua, ſi forte quid proſit tibi, aut ſi poſſis fieri fortior. 13. Defeciſti in multitudine conſiliorum tuorum: ſtent, & ſalvent
te augures cæli, qui contemplabantur ſidera, & ſupputabant menſes, ut ex eis
annuntiarent ventura tibi. 14. Ecce facti ſunt quaſi ſtipula, ignis combuſſit
eos: non liberabunt animam ſuam de manu flammæ: non ſunt prunæ, quibus calefiant; nec focus, ut ſedeant ad eum. 15. Sic facta ſunt tibi in quibuſcumque laboraveras: negotiatores tui ab adoleſcentia tua, unuſquiſque in via
ſua erraverunt: non eſt qui ſalvet te.

(a) Nah. III. 5. (b) Apoc. XVIII. 7. (c) Infr. LI. 19.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. DESCENDE. Imperativa pro futuris, deſcendens; id eſt, deiicieris, deturbaberis de ſolio regio, in quo nunc ſedes, & ſedebis IN PULVERE, VIRGO FILIA BABYLONIS; id eſt, o civitas Babylonis, quæ nunc caput regni Chaldæorum es, uſque ad terram deiicieris. Sæpe diximus Hebræos civitates filias & virgines appellare. NON EST, pro, non erit, SOLIUM FILIAE CHALDAEORUM, id eſt Babyloni, non erit ultra ſedes regni Babylon. Poſſumus Hebraica ſic vertere, *Sede in terra abſque ſolio, filia Chaldæorum*. QUIA ULTRA NON VOCABERIS MOLLIS, id eſt non eris domina, ſed ſerva. Interpres noſter non reddidit verba, ſed ſenſum.

V. 2. TOLLE MOLAM, ET MOLE FARINAM; id eſt, præpara te ad molendam farinam, ſicut molere ſolent ſervæ, quia & ipſa ſerva eris. Solebant apud Iudæos & AEgyptios ſervæ molere farinam, ſicut nunc equi & muli in Africa, & multis locis Hiſpaniæ propter aquarum inopiam. Exod. XI. 5. *A primogenito Pharaonis ad primogenitum ancillæ quæ eſt ad molam*: & Matth. XXIV. 41. *Duæ molentes in mola, una aſſumetur, & altera relinquetur*. DENUDA TURPITUDINEM TUAM, id eſt genua, aut femora tua: צמתך, alii, *cæſariem tuam*, alii, *cincinnos tuos*, quod videtur eſſe abs re, quia ſtatim addit, TRANSI FLUMINA: ad tranſeunda autem flumina non erat opus, ut cæſariem nudaret, ſed femora. DISCOOPERI HUMERUM: שבל, quod alii ſecuti R. Moſen vertunt *capillum in maxillas defluentem*. R. Selomoh, *coxam* aut *genua*, ut ſit repetitio, aut explicatio præcedentis; idque magis loco congruit, cum agat de flumine traiiciendo. REVELA CRURA. Repetitio eſt, *Tranſi flumina*; quaſi dicat: Accinge te ad tranſeunda vado flumina, quia cito captiva duceris, eruntque tibi in itinere multa flumina tranſvadanda.

V. 3. ULTIONEM CAPIAM: de te (potenter) ita ut nemo mihi poſſit reſiſtere. לא אפגע אדם, ad verbum, *non occurram homini*; id eſt, non habebo rationem ullius hominis mihi occurrentis, quod noſter Interpres dixit, NON RESISTET MIHI HOMO. Alii ſubintelligunt particulam ſimilitudinis כ, *ſicut*, & vertunt, *Non occurram* (tibi) *ſicut homo*, (ſed ſicut leo) id eſt, non miſericorditer, ſed ſervere & irracunde. Alii, *non viribus humanis, ſed divinis occurram tibi*, id eſt puniam te. Septuag. οὐκ ἔτι μὴ παραδῶ ἀνθρώποις, quaſi legerint, אפגע in Hiphil, *non occurreſaciam* (te) *homini*; id eſt, non faciam te amplius in manus hominis incidere, ſed in manus meas. Chaldæus: *Et mutabo iudicium tuum a filiis hominum*; id eſt, non iudicabo te more hominum, qui rationem perſonarum habere ſolent, ſed more meo.

V. 4. REDEMPTOR NOSTER. Verba ſunt Prophetæ, quibus confirmat ſuperiora verba Dei: ita nimirum Deum punire poſſe, ut nemo illi reſiſtat, quia DOMINUS eſt EXERCITUUM, id eſt potentiſſimus, atque ita cognominatur.

V. 5. SEDE TACENS, id eſt verecunda: ET INTRA IN TENEBRAS; id eſt, abde tete præ pudore in obſcurum aliquem locum. Imperativa pro futuris, ut ſup. verſ. 1. QUIA NON VOCABERIS ULTRA; id eſt, non eris ultra caput omnium regnorum, ut hactenus fuiſti. Vocari idem ſignificare apud Hebræos aliquando, atque eſſe, ſæpe diximus, ut ſup. verſ. 1. & Lucæ I. 32. & Rom. IV. 17.

V. 6. IRATUS SUM. Reddit cauſam cur populum ſuum in Babyloniorum ſervitutem tradiderit, nempe quia propter eius peccata iratus illi fuerat; non quod cum Babylonii ſua virtute ſubiugaverint. CONTAMINAVI; id eſt, tamquam profanam tractavi, non tamquam ſanctam, tradens illam in captivitatem; vel, tradidi in poteſtatem profanorum hominum, ut apud eos contaminaretur: paſſus ſum contaminari HEREDITATEM MEAM, id eſt populum meum. NON POSUISTI EIS MISERICORDIAS; id eſt, non es uſa ulla erga eos miſericordia, ſed duriter eos tractaſti. SUPER SENEM AGGRAVASTI. Sign. pro plur. id eſt, ipſos etiam ſenes nimio labore oppreſſiſti.

V. 7. ET DIXISTI; id eſt, cogitaſti apud te fore ut ſemper dominarere. NON POSUI-

SUI-

SUISTI HAEC SUPER COR TUUM; id est, non cogitasti, non considerasti hæc quæ nunc tibi eventura pronuntio. NEQUE RECORDATA ES NOVISSIMI TUI, id est quod tibi novissimis temporibus e venturum erat: non servasti præceptum Ecclesiastici cap. VII. 40. *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis*: & XI. 27. *In die bonorum ne immemor sis malorum*: & XVIII. 25. *Memento paupertatis in tempore abundantiæ*. Reddit tacite duas causas, quare Babylonem in servitutem traditurus sit: altera est, quod victoriam, qua sibi Iudæos subiugaverat, non Deo, sed sibi tribuerat; altera, quod nimis crudeliter Iudæos in captivitate tractavisset.

V. 8. ET NUNC AUDI. Postquam culpam Babylonis ostendit, sententiam contra illam pronuntiat, ad quam audiendam eam excitat. AUDI HAEC: זאת, *hoc*. DELICATA, quæ nunc est delicata, id est deliciis dedita. ET HABITANS: יושבת, *quæ sedes*, id est regnas confidenter, quæ putas te perpetuo regnaturam. QUAE DICIS IN CORDE TUO, id est quæ cogitas apud te. EGO SUM (sola regina) ET NON EST PRAETER ME (alia civitas quæ mecum comparari possit.) NON SEDEBO VIDUA; id est, numquam iacebo sine rege, quasi sine marito, semper ero civitas regia. ET IGNORABO STERILITATEM, id est non experiar: per sterilitatem autem intelligit inopiam rerum; quasi dicat: Cum sim regia civitas, nihil mihi deerit.

V. 9. VENIENT TIBI HAEC DUO, VIDUITAS ET STERILITAS UNIVERSA, id est cuncta simul mala. Hebr. כתומם, *secundum perfectionem eorum*, id est cumulate venerunt, pro, venient super te. PROPTER MULTITUDINEM MALEFICIORUM TUORUM, vel, maleficorum tuorum; id est, quia confidisti in multitudine maleficorum, & in obstinatione, id est in obstinatis & constantibus prædictionibus incantatorum tuorum; quasi dicat, Qua de causa putabas te tutam esse, ea de causa mala tibi cuncta evenient, nempe ob multitudinem divinatorum tuorum, qui tibi persuadebant nihil tibi mali impendere.

V. 10. ET FIDUCIAM HABUISTI IN MALITIA TUA, id est in fraude, in violentia tua. ET DIXISTI, id est existimasti neminem esse, qui videret te, quasi Deus non videret res humanas, ut Psalm. LXIII. 6. *Narraverunt, ut absconderent laqueos, dixerunt, Quis videbit eos?* & Psal. XCIII. 6. *Viduam & advenam interfecerunt, & pupillos occiderunt, & dixerunt, Non videbit Dominus, neque intelliget Deus Iacob*. SAPIENTIA TUA ET SCIENTIA TUA. Loquitur ex eius opinione, id est magia, quam tu summam esse sapientiam existimabas. DECEPIT TE; id est, cum tibi prospera pollicerentur, adversa tibi evenerunt. ET DIXISTI: vide supra vers. 8.

V. 11. VENIET SUPER TE MALUM, ET NESCIES ORTUM EIUS. Hebr. שחרה, ad verbum, *auroram eius*; id est, quo die venturum sit, cum profitearis Mathematicas, & omnium rerum futurarum ephemeridas notatas habere videare; vel, nescies auroram eius, id est, ortum, originem, nescies per tuam astrologiam qua ex causa proficiscatur; non enim ex causis naturalibus, sed ex divino consilio proficiscetur: quia *Neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus, sed quoniam Dominus iudex est*: Psal. lxxiv. 7. ET IRRUET SUPER TE CALAMITAS, QUAM NON POTERIS EXPIARE, id est removere abs te, aut durando minuere.

V. 12. STA CUM INCANTATORIBUS TUIS: vel, *cum incantationibus tuis*, בחבריך: ET CUM MULTITUDINE MALEFICORUM, vel, maleficiorum tuorum. Utrumque enim nomen כשף significare potest. Est autem concessio; quasi dicat: Arma te incantationibus, & maleficiis tuis solitis. IN QUIBUS LABORASTI, id est quibus semper operam dedisti.

V. 13. DEFECISTI. Præteritum pro Imperativo; id est, labora usque ad lassitudinem in conquirendis consiliis ab incantatoribus tuis. Persequitur concessionem. STENT, id est existant, ostendant sese, ET SALVENT TE AUGURES CAELI, חברי שמים, *incantatores cœli*, id est Astronomi, qui cælum observant; quasi dicat, Non potuerunt salvare te.

V. 14. ECCE FACTI SUNT QUASI STIPULA. Præter. pro fut. id est, erunt similes stipulæ, quæ ab igne facile consumitur. IGNIS COMBUSSIT, pro, comburet eos. NON LIBERABUNT ANIMAM SUAM, id est seipsos DE MANU FLAMMAE. Hebr. pro, *a flamma*. NON SUNT PRUNAE; pro, non erunt prunæ, id est penitus consumentur igni, ita ut nullum eorum vestigium

stigium remaneat : sicut cum stipulæ aut paleæ comburuntur, nullæ remanent prunæ, nec cineres pene ulli. QUIBUS CALEFIANT. Tertia persona numeri pluralis pro verbo impersonali, more Hebræorum; id est, nec manebunt prunæ, quibus calefiat, nec focus, ad quem sedeatur. Ignem autem hoc loco vocat non ignem verum, sed calamitatem.

V. 15. SIC FACTA SUNT TIBI; id est, ita peribunt tibi omnia maleficia, in quibus multum operæ & studii posuisti. Vel genere masculino, *Sic facti sunt*; pro, fient tibi (incantatores tui) quibus operam dedisti. NEGOTIATORES TUI, id est malefici, qui quæstum faciebant divinando. UNUSQUISQUE IN VIA SUA, id est in propria causa errabit, nesciens quid sibi eventurum sit; ac si dicat: Si illi, quibus confidis non poterunt se ipsos liberare, sed igne consumentur; quo modo poterunt liberare te.

S A.

Verf. 1. DESCENDE, &c. imperativa pro futuris. VIRGO, &c. Chald. *regnum congregationis Babyloniæ*, scilicet Regna custodiuntur, ut solent virgines. TENERA. Chald. *delicata*.

V. 2. TOLLE MOLAM; quasi dicat, Servies in pistrino: olim servi molam vertebant, ut fit apud Mauros. TURPITUDINEM TUAM. LXX. *operimentum tuum*. HUMERUM. Hebr. *plantam*. TRANSI, &c. quasi dicat, Ut possis ducta in captivitatem flumina transire.

V. 3. IGNOMINIA, id est turpitudo, scilicet pudenda. OPPROBRIUM, id est quod videri probrosum est. CAPIAM, scilicet de te.

V. 4. REDEMPTOR, scilicet olim ex AEgypto, & deinde ex Babylone.

V. 6. CONTAMINAVI, id est veluti sordidam tractavi, expellens e sedibus suis. Chald. *profanavi*, scilicet mittens in profanam Babyloniam.

V. 7. HAEC, scilicet tibi eventura, quæ nunc prædico. NOVISSIMI TUI, id est eorum, quæ te tandem manebant.

V. 8. AMPLIUS. LXX. *alia*. STERILITATEM, id est orbitatem: sic infra proxime.

V. 9. VENERUNT; pro, venient. DURITIAM. Chald. & LXX. *fortitudinem*, scilicet obstinationem.

V. 11. ORTUM, id est unde, seu quando veniat. EXPIARE, id est effugere. Chald. *auferre*.

V. 12. STA, &c. ironice.

V. 14. FACTI SUNT. Præterita pro futuris. NON SUNT, &c. quasi dicat: Ille ignis non erit, ut solet prunarum ad calefaciendum, sed flammæ ad comburendum.

V. 15. FACTA SUNT; pro, fient. ERRAVERUNT, scilicet huc illuc fugientes.

E S T I I.

Verf. 1. DESCENDE, SEDE IN PULVERE VIRGO FILIA BABYLON. Mirum, quam Ioannes Apocal. XVII. meretricem vocat, Propheta virginem nominat. Sed respicit Propheta hic ad cultum, & ornatum & pulchritudinem, & quasi ætatis florem in illa civitate, & in illo regno Babylonico; ob quæ merito poterat cum virgine quapiam pulcherrima, & cultissima comparari; Ioannes autem de spirituali Babylone loquitur, quæ est mater fornicationum, & abominationum terræ, ut dicitur Apoc. XVII.

M A R I A N AE.

Verf. 1. DESCENDE, de tua magnitudine, o Babylon. Imperativa pro futuris. SEDE IN PULVERE: lugentium in morem. VIRGO. Sic eam vocat, quod nondum esset expugnata & subdita. Aut sic urbes vocat ob custodiam, ut superius est dictum. FILIA BABYLON: congregatio Babylonis. NON EST SOLIUM; non est ubi sedeas, sublatis omnibus præsidiis & ornamentis. NON VOCABERIS MOLLIS ET TENERA. Nimirum acta in captivitatem, & in servitutem data. Babylonis excidium explicat.

V. 2. TOLLE MOLAM. Accipe molam, servæ adinstar. Ante inventas molas fluminum, servæ triticum molebant. Porro inferior mola כשב *chefeb*, superior רכב *recheb* vocatur. Heb. utraque רחים *rehaim*, qua voce hic utitur. Latinis *meta* vocatur inferior mola, superior *catillus*. DENUDA TURPITUDINEM TUAM. Hebr. *comam tuam*, qua feminæ maxime gloriantur.

tur. Et in subiectionis signum, sic Chald. *suscipe subiectionem*. Hieronymus eam denudationem comæ *turpitudinem* vocavit. Discooperi humerum. Hebr. *pedem*. Revela crura. Sic solent quæ vestes lavant. Ita quod sequitur, Transi flumina; pro, transi ad flumina, ut ibi servarum instar vestes abluas.

V. 3. Revelabitur ignominia tua, seu *verenda tua*, id est te subigent homines nequam. Et non resistet mihi homo. Hebr. *& non suscipiam hominem*, id est preces pro te non accipiam. Hic פגע *pahag* non significat *occurrere*, ut solet, sed *suscipere*.

V. 4. Redemptor noster, scilicet hæc faciet, ait Isaias: certissima sunt, Deus auctor est.

V. 5. Et intra in tenebras, scilicet carceris: non amplius Regina, sed serva.

V. 6. Iratus sum. Ultionis causa, quod populum meum male & crudeliter habuisti.

V. 7. In sempiternum ero domina. Id dixisti. Non es verita rerum mutationem. Neque recordata es novissimi tui. Hebr. *finis eius*; pro, *finis eorum*, ut posuit Chald. id est, quem finem hæc omnia essent habitura, non es recordata.

V. 8. Et non est praeter me amplius, id est me melior nulla civitas est. Sterilitatem, orbitatem ignorabo, filiis non privabor.

V. 9. Universa venerunt super te. Hebr. *secundum perfectionem suam*; id est, plene venerunt super te viduitas & orbitas. Et propter duritiam. Hebr. *propter robur*, id est multitudinem incantatorum. Vehementem. Hebr. *valde*, id est multitudinem nimiam. Illi te deceperunt.

V. 10. Decepit te, aut te rebellare fecerunt. Non est altera. Hebr. *non est ultra*, id est me potior alia urbs non est. Id Babylon dicebat.

V. 11. Ortum eius. Hebr. *auroram eius*; sed *aurora* pro *ortu* aut die: nescies diem eius, id est quo die sit venturum malum. Calamitas, seu *contritio*. Non poteris expiare, id est removere eam. Miseria. Hebr. *desolatio*, vastatio veniet repente.

V. 12. Sta cum incantatoribus tuis. Ironice: pete ab incantatoribus opem. In quibus laborasti; id est, negotium habuisti a prima ætate, a principio, quibus operam dedisti. Si possis fieri fortior: si roboreris, scilicet ut malis resistas, illa avertas.

V. 13. Defecisti. Hebr. *laborasti*. Defatigata es, varia consilia captando. Inter alios, Astrologos consuluisti: illi te malis eripient. Supputabant menses. Hebr. *indicabant menses*, scilicet quid in quoque mense futurum esset ex lunæ inspectione. Ut ex eis annuntiarent ventura tibi. Sententiam Hieronymus expressit: alioqui Hebr. *ex* (iis) *quæ ventura essent super te*, scilicet prædicebant.

V. 14. Ecce facti sunt. Astrologi & incantatores perierunt omnes quasi stipula igne combusta. Animam suam, vitam suam non liberabunt. Non sunt prunae. Combusta stipula nullas relinquit prunas, ut alia ligna; sic ex horum interitu nulla utilitas existet. Quibus calefiant, alii scilicet homines. Hebr. *ad calefaciendum*, scilicet se, aut alios.

V. 15. Sic facta sunt tibi in quibuscumque laboraveras; id est, omnia præsidia, quæ magno labore comparasti, inutilia evaserunt, non profuerunt. Negotiatores tui (qui tecum fuerunt) ab adolescentia tua. Homines pecuniosi solent in rebus arctis Reipubl. opitulari. Unusquisque in via sua erraverunt, id est in negotiatione sua. Hebr. *in transitu suo*, id est commutatione mercium, illi etiam erraverunt, non solum incantatores & Astrologi. Ideo ad inopiam redacti non possunt opem ferre. Quidam pro, *in transitu suo*, vertunt, *in latere suo;* sed sententia multum implicatur.

MALVENDAE.

Vers. 1. Descende, sede in pulvere, &c. Altera pars narrationis prophetiæ contra Babylonios idololatras, ut diximus supra cap. xlvi. 1. hoc toto capite continetur. Sunt itaque huius, ut ibidem diximus, partes duæ: una, qua iudicia Dei gravissima in Babylonios exponuntur, versibus quinque; altera, qua cum Babyloniis Deus contestatur de suorum iudiciorum causis, reliquo capite. Virgo filia Babylon, vel *Babylonis;* id est, Baby-

Babylonia tota, five Chaldæa, cuius, inquiunt, monarchia corpori virginis comparatur, quia videbatur fibi indomita, & erat in fummo luxu delitiifque perdita; virgines enim nondum fubactæ aut fubiectæ viris funt, & maxime gaudent ornamentis, mundo, luxu, delitiifque. Sic Babylonia nondum expugnata, omnibufque divitiis & opulentia diffluens. SEDE IN TERRA, NON EST SOLIUM FILIAE CHALDAEORUM. Alii ex Hebr. I. *fede in terra, non in folio, filia Chaldæorum*. II. *fedebis in terra, nullum enim erit ultra folium tibi, o filia Chaldæorum*. III. *fede humi nullo folio*, vel *defecta folio filia Chaldæorum*. IV. *fede in terra abfque throno, filia*, &c. QUIA ULTRA NON VOCABERIS MOLLIS ET TENERA. Alii ex Hebr. I. *quia non amplius vocabunt te teneram & delicatam*. II. *nam non perges vocari tenera & delicata*, fed mancipium eris abiectiffimum, duobus verfibus fequentibus. De delitiis, luxu, fœdifque moribus Babyloniorum, multa tibi fuppeditabunt Herodotus Lib. I. Num. 195. & fequentibus Strabo Lib. XVI. pag. 745. Q. Curtius Lib. V. Rerum Alexandri, cap. 1.

V. 2. TOLLE MOLAM, ET MOLE FARINAM. Hebr. *Accipe molas, & mole farinam;* id eft, abi in piftrinum, & mole, ut mancipium turpiffimum & abiectiffimum: vide Exod. XI. 5. DENUDA TURPITUDINEM TUAM. Alii ex Hebr. I. *reteges, denudabis, comam tuam*, more fcilicet lugentium II. *diffolve cincinnos tuos*. III. *retege crines tuos*; id eft, luge capillis paffis: fynecdoche. IV. *explica fafciam tuam*, feu *conftrictorium tuum*, quo comæ & cincinni conftringuntur ne diffluant: de voce צמה *tzammah*, vel צמת *tzammath*, abunde differuimus in Canticor. IV. 1. Ego hic pro *verendo* feu *pudendo muliebri* acceperim, cum noftro & doctiffimo Hieronymo, quem hic vide: vel pro fafcia feu velo, quo teguntur partes illæ. DISCOOPERI HUMERUM. שובל *fchobel*, plerique hic *plantam* reddunt, feu *veftigium*. Alii, *tibiam*, feu *totum pedem*, unde a coxa ufque ad plantam excurrit. Tremellius, & Iunius: *denuda veftigium*; id eft, omiffis foccis & mollibus calceamentis, ad triftiffimum iter te compara: quo etiam fpectant verba fequentia: vide fupra cap. XX. 2. Buxtorfius pro *femita* accepit, ut שביל *fchebil*, Pfalm. LXXVI. 20. unde vertit: *denuda* pedes *ad femitam*. Forerius: *denuda coxam*, id eft partem illam, quæ a coxendice ufque ad talos excurrit. Alludit autem ad eos, quibus aquæ pertranfeundæ funt, qui eam partem corporis denudant, quam aquæ madefacere poffunt. Babylonii vero in Perfidem captivi abducendi, Tygrim, & multa alia flumina, quibus regio Babylonica abundat, tranfituri erant, ut mox fubditur.

V. 3. IGNOMINIA TUA. Hebr. *nuditas*, feu *turpitudo tua*; id eft, pudenda, feu verenda tua. Vide in Genef. IX. 22. Quidam: *retegetur nuditas tua*; id eft, pro eo quod molliffime & latiffime induifti te, in miferiam tantam detruderis, atque paupertatem, ut ne pudenda quidem de tuo poffis contegere. ULTIONEM CAPIAM, ET NON RESISTET MIHI HOMO. Alii ex Hebr. I. *ultionem capiam, & non occurram* tibi ficut *homo*, fed ficut Leo, qui te funditus difcerpat. II. *& non occurram* tibi in mifericordia *ficut homini*. II. *& non irruam*, vel *non impingam* in te more *hominis*, id eft viribus humanis, fed divinis, quibus refiftere non poffis. IV. *& non fufcipiam preces hominum*. V. *& non obviam habebo hominem*; id eft, non finam me interpellari aut exorari ab homine. VI. *ultionem fumam*, vel *fupplicium fumam, nec occurram homini:* hypallage, pro eo quod eft, *nec occurret mihi homo;* vel *neque feram obftare quemquam mihi*. Notant verbum פגע *phagagh*, quando habet adiunctum *Beth*, effe *orare*: fine *Beth* vero, ut hic, *exorari, placari, preces admittere*.

V. 4. REDEMPTOR NOSTER, &c. Hunc verfum fic alii concipiunt: *Inquit vindex nofter Iehova exercituum nomine fuo, Sanctus Ifraelis*. Eclipfis verbi *ait*, vel *inquit*, ut I. Reg. XX. 24. & fupra cap. V. 9.

V. 5. SEDE TACENS. דומם *dumam*, plerique Pahul faciunt: *Sede filentiata, filens, in filentium redacta*, vel *excifa*. Alii nomen: *fede* in *filentio*, ut Pfalm. XCIII. 17. ET INTRA IN TENEBRAS FILIA CHALDAEORUM; id eft, ingredere in fummas anguftias, ignominiamque maximam, cuius nomine defideratura es ipfa in tenebris delitefcere. QUIA NON VOCABERIS ULTRA DOMINA REGNORUM. Heb. *quia non addes, vocabunt tibi*, vel *ut vocent te dominam*

nam

nam regnorum. Eadem loquendi forma, quæ supra verſ. 1. id eſt, *non amplius vocaberis domina*, גברת *gheberet*, *prævalida*, *ſuperior*, *hera*, *herois*, *heroina*, *domina*, *regnorum*. Vide ſupra cap. XIII. 19. Sic infra verſ. 7.

V. 6. Iratus sum. Hebr. *Subito efferbui*, *ebullivi ira*, *ſpumavi*. Quidam: *efferbueram*. Altera pars capitis, ut dictum eſt in verſ. 1. conteſtatio, qua Propheta ſuorum iudiciorum cauſas evincit fuiſſe in Babyloniis ipſis, primum propter arrogantiſſimam inhumanitatem ipſorum, uſque ad verſum 10. deinde propter blaſphemam præſidentiam ſuæ magiæ & incantationum, inde ad verſum 15. poſtremo propter intolerabilem faſtum animo conceptum ex infinitis opibus, verſu ultimo; quibus ſingulis peccatis ſuæ minæ, iudiciaque attexuntur. Super, vel *contra* populum meum. Idem argumentum vide Zachar. I. 15. Contaminavi hereditatem meam. Hebr. *violavi*, *profanavi*, *pollui*, *perfodi*, transferendo ſcilicet in regionem veſtram, o Babylonii, ubi inter idololatras incircumciſos & pollutos homines verſaretur. Non posuisti eis misericordias. Alii: *non præſtitiſti*, *exhibuiſti*, *eis miſericordias*.

V. 7. Non posuisti haec super cor tuum. Quidam: *umquam non repoſuiſti hæc in animo tuo*. Alii: *hucuſque non repoſuiſti illa in cor tuum*. Neque recordata es novissimi tui. Hebr. *non recordata es finem illius*, nimirum poſſeſſionis meæ; de qua verſ. 6. quaſi dicat: Non obſervaſti quem finem calamitatum Deus præſtare ſoleat & præſtiturus ſit Eccleſiæ ſuæ, ut Deuteron. VIII. 17. Alii: *nec meminiſti poſtremi illius*, id eſt Eccleſiæ meæ; quaſi dicat: Non perpendiſti quid tandem facere velim cum Eccleſia mea, quod ſim eam liberaturus, & te perditurus.

V. 8. Delicata. עדינה *ghadinah*, *voluptuaria*, *voluptuoſa*, *delicioſa*, *delicata*, quæ deliciis & voluptatibus es dedita: ut verſ. 1. Et habitans confidenter. Alii: *deſidens ſecure*; vel, quæ ſedes ſecura. Ego sum, et non est praeter me amplius. Alii: *Ego ſum*, *& nulla præter me amplius*; quaſi dicat, Cetera præter me nihil ſunt. Sic infra verſ. 10. Non sedebo vidua, et ignorabo sterilitatem. Hebr. *non ſedebo vidua*, *neque cognoſcam*, ſive *experiar orbitatem*, id eſt, regem & regnum florentiſſimum perpetuo habitura ſum. *Vidua*, rege tamquam marito: *orbitatem* a civibus & popularibus, aut ſubiectis regno, veluti filiis.

V. 9. Venient tibi duo haec subito in die una. Alii: I. *Attamen duo iſta evenient tibi repente in uno die*. II. *Immo evenient tibi duo iſta momento*, *eodem die*. Prænuntiatio iudicii, de quo Danielis V. 30. Universa venerunt super te. Hebr. *ſecundum integrare*, *perficere*, *ea venerunt ſuper te*. Alii: I. *cum perfecta fuerint ipſa*, videlicet hæc duo mala, *venerunt ſuper te*. II. *cum perfecta eſſent*, id eſt, *in perfectione & plenitudine ſua*. III. *ſecundum integritatem ſuam*, id eſt ſecundum omnes vires ſuas, *venient ſuper te*: ſic ſumi volunt I. Regum XXII. 34. & II. Paralipom. XVIII. 33. IV. *ſecundum integritatem ſuam*, id eſt, plane, & plene *ſupervenient tibi*. Hiſpanicus Interpres: *en toda ſu perfection vendran ſobre ti*, id eſt, *quan grandes pueden ſer*. Propter multitudinem maleficiorum tuorum. Alii: *divinationum tuarum*. Plerique: *cum multitudine præſtigiarum tuarum*. Vide in Exod. VII. 11. Sic infra verſ. 12. Propter duritiam incantatorum tuorum vehementem: Forſterus: *in corroboratione coniuratorum tuorum valida*, vel *propter denſitatem coniuratorum*, vel *adiuratorum tuorum nimiam*. Alii: *in multo robore incantatorum tuorum*. Nonnulli: *cum fortitudine incantationum tuarum maxima*; id eſt, neque te defendent iſta: tranſitio ad ſecundam cauſam iudiciorum Dei in Babylonios, de qua diximus in verſ. 5. De voce חברים *chabarim*, quam *Incantatores*, ſeu *Incantationes* reddunt, hic & infra verſ. 12. vide in Deuteron. XVIII. 11. & in Pſalm. LVII. 6. Porro Chaldæos infames fuiſſe magia, divinatione, aſtrologia iudiciaria, incantatione, & aliis nefariis artibus, vel ipſum eorum nomen perſpicue demonſtrat: vide Daniel. II. 2.

V. 10. Et fiduciam habuisti in malitia tua, &c. Alii: *Quia confiſa es malitiæ tuæ*, &c. Secunda cauſa, ut diximus in verſ. 6. nimirum blaſphema & contumelioſa in Deum perſuaſio de magicis incantationibus, & ſcientia tota Babylonio-

lon'orum: cuius crimen hoc versu, pœna versu sequente exponitur: deinde amplificatur utrumque sarcasmo elegantissimo, tribus postremis versibus. NON EST QUI VIDEAT ME. Quidam: *Nullus videt me*; quasi dicat, Ne Deus quidem videt rationes meas. SAPIENTIA TUA ET SCIENTIA TUA IPSA DECEPIT TE. Proprie, *revertere fecit te*, *avertit*, *abduxit*, *seduxit*, *pervertit te*; ea nimirum, quæ exagitatur vers. 12.

V. 11. ET NESCIES ORTUM EIUS. Heb. *non cognosces auroram eius*. Quidam, id est ortum, originem. Alii: *lucem*, *diem eius*: sic ludificatur astrologos iudiciarios. ET IRRUET SUPER TE CALAMITAS. הוות *hovah*, *fientia*, *eventus*. Et semper in malam partem sumi notant, pro fientia mala, seu eventu & accidente adverso, quod fiet, aut futurum est, & tamen non definitur quid & quale sit: *ærumnam*, *calamitatem*, *contritionem*, *infortunium*, *casum adversum*, seu *pravitatem*, vertere solent. Quidam: *hoiam*, *heu*, *va*, *dolorem*. QUAM NON POTERIS EXPIARE; id est, avertere incantationibus tuis: sic ludificatur magos. Alii: *quam non poteris placare*, vel *amovere*.

V. 12. STA CUM INCANTATORIBUS TUIS. Heb. *Sta iam*, vel *nunc*, seu *quæso* (Sarcasmus gravis in Babylonios, ut diximus in vers. 10.) *cum incantationibus tuis*: vide Psal. LVII. 6. SI FORTE QUID PROSIT TIBI. Heb. *si forte possis proficere*, vel *sublevare* tuam calamitatem, aut *levamen*, seu *sublevamen* accipere; vel *si forte usui*, aut *emolumento*, seu *utilitati tibi esse poterit*. Hispanicus Interpres: *quizapodras meiorarte*. AUT SI POSSIS FIERI FORTIOR. Heb. *si forte prævalidabis*, *prævalesces*, *roborabis te*, *præbebis te fortem*.

V. 13. DEFECISTI IN MULTITUDINE CONSILIORUM TUORUM, &c. Quidam: *Defetisceris multitudine consiliorum tuorum*, &c. Ironica oratio; quasi dicat: Frustra laboras, ut te ipsum confirmes tua industria, nisi sapientissimos quosque doctorum tuorum adhibueris, ut consulant tibi: agedum, experiantur illi. Heb. *Defatigata es*, *delassata*, *defessa*, *consumpta es in multitudine*, &c. AUGURES CAELI. הוברים *hoberim*, cum *He*, nullibi alibi occurrit: reddunt, *observatores*, *contemplatores*, *speculatores*, *scrutatores*, *cælorum astrologos*. Nonnulli Hebræorum exponunt: *Peritos signorum cælestium*; vox peregrina videtur, unde Kimchi ex Arabico deducit. Forsterus putat vitio scribentium positum *He* pro *Cheth*, & scribendum חוברים *choberim*, quasi dicas, *Consociatores*, *coniunctores cælorum*, qui numquam cessant stellas coniungere, combinare, &c. ac coniunctiones astrorum, oppositiones, & constellationes observare. Hi sunt astrologi: vide supra v. 9. Hispanicus Interpres: *y defiendante los ligadores delos cielos*, id est, *los encantadores*, *que se iactan de poder detener los cielos*, *abaxar de ellos la luna*, *&c.* QUI CONTEMPLABANTUR SIDERA. Heb. *contemplantes*, *prævidentes in stellis*. Alii: *inspectores stellarum*. Nonnulli: *qui attenti oculos præfigunt in stellas*. Hac arte plurimum valuisse Chaldæos, & Babylonios, nimis est pervagatum: vide in Daniel. II. 2. ET SUPPUTABANT MENSES. Heb. *cognoscere facientes innovationibus*, seu *ad innovationes*, sive *menses*. Alii: I. *quique indicant* quæ eventura sunt *per singulos menses*. II. *quique nova prædicunt*. Forte intelligit eos, qui nova luna inspecta futura prædicebant. III. *qui notas faciunt in menses prædictiones suas*; id est, singulis mensibus emittunt prædictiones suas de his, quæ illo mense eventura sunt. UT EX EIS ANNUNTIARENT VENTURA TIBI. Heb. *de quibus venient super te*. Alii: I. *quæ ab iis ventura sunt tibi*, id est ab his stellis, vel mensibus. II. *undenam super te hæc veniant*, III. *ex quo venient super te*, vel *quænam venient super te*. IV. Verbum *salvent*, vel *servent*, positum superius, huc traducunt: *& servent te ab his*, *quæ superventura sunt tibi*. Emplocen verborum, quæ in contextu Hebraico implicata sunt, ita transtulerunt ad evidentiam. Hispan. Interp. *los que ensennan los cursos de la luna*, *de loque vendra sobre ti*. ECCE FACTI SUNT QUASI STIPULA, vel *quisquilia*, *palea*, &c. Emphatica, inquiunt, demonstratio vanitatis, quæ est in omnibus Chaldæis, & mathematicis, quibus eventurum Propheta ostendit, ut ab igne ipso, quem pro Deo habebant, consumentur. NON LIBERABUNT ANIMAM SUAM DE MANU FLAMMAE. Alii: I. *non eruent vitam suam de vi flammæ*, seu *incendii*. II. *non eripiunt se ipsos e flamma*. NON SUNT

PRU.

PRUNAE, QUIBUS CALEFIANT, &c. Alii: I. *nec supererit pruna ad calefaciendum, nec ignis ut quispiam ad eum sedeat*; quasi dicat: In Babylonis incendio comburentur ita tui astrologi, ut nullas prunas relinquant, quibus homines calescere possint, nullum ignem, ad quem assidere queant. Ligna usta utilia sunt, nam relinquunt prunas, quæ usui sint hominibus: at astrologi tui nihil prunarum, nihil ignis sunt relicturi. II. *nullus superest carbo ad calefcendum, nedum ignis ad sedendum ex adverso eius*; id est, plane absumuntur ipsi, & deus ipsorum ignis cum ipsis extinguitur.

V. 15. SIC FACTA SUNT TIBI IN QUIBUSCUMQUE LABORAVERAS, &c. Hunc versum nostra Translatio verbatim ex Heb. expressit: (*Sic fuerunt tibi, quæ laboravistis circumgyrantes tui de excussuris tuis: vir transitui suo erraverunt: non salvans tuus:*) Alii I. *Tales erunt tibi cum quibus te fatigasti*, vel *ii, quibus insudasti*; *quin & negotiatores tui, qui tecum fuerunt a pueritia tua, quisque ad transitum suum errant*, vel *in latus faciei suæ errando abibunt: nemo est, qui te servet*; quasi dicat: Negotiatores tui, qui in te versati sunt ab eo tempore, quo primum imperium tibi vindicasti, fugient alii in orientem, alii in occidentem, aut in aliam partem, & nulla ratione te iuvabunt. II. *Sic erunt tibi ea in quibus laborasti*; id est, in quibus congregandis & parandis plurimum laboris insumpsisti: *negotiatores tui ab adolescentia tua, quisque ante se errabunt*, vel *ad latus suum, ad transitum suum, ad plagam suam*: alludit ad plagas cæli quas astrologi dividunt ac metiuntur, ut ex his prognostica sua deducant: *non erit qui servet te*. Quidam reddunt: *quisque* vel *singuli ad transitum suum erraverunt*. Apte Interpres Hispanicus: *cada uno hechara porsu camino*, vel *a su parte*. Nonnulli putant esse allegoriam, ut infortunati negotiatores in quovis transitu, seu commercio, aut transactione vel transvectione mercium, iacturam patiuntur: sic isti astrologi & mathematici vanissimarum mercium nundinatores, passim errant, falluntur, ac fallunt in quovis transitu, supputatione, applicatione, combinatione, influxu, traiectione stellarum, &c. *ita sunt tibi quibuscum laborasti: negotiatores tui a pueritia tua singuli in transitum suum*; id est, quocumque permeare possunt, ut vitæ suæ consulant, vel *in partes suas, aberrant; nemo servat te*. Tertia causa, ut diximus in vers. 6. ad quam transitur eiusdem pœnæ accommodatione ad summas opes Babyloniorum, & luxum profusissimum.

MENOCHII.

Vers. I. DESCENDE: de regio throno tuo: alloquitur enim Babylonem evertendam, quasi reginam solio deiectam, & ad ancillæ statum redactam. SEDE IN PULVERE: more mancipiorum, & lugentium. VIRGO FILIA BABYLON, id est o Babylon tenera, & delicata instar filiæ virginis. FILIAE CHALDAEORUM. Babylon dicitur filia Chaldæorum, vel quia ab ipsis condita, aut restaurata est. Vel est Hebraismus, idemque est, *Filia Chaldæorum*, quod *filia Chaldæa*. Filia quia delicata ut proxime dictum est; Chaldæa quia sita erat in Chaldæa. NON VOCABERIS MOLLIS, &c. quia scilicet in posterum durum servitutis iugum ferendum erit.

V. 2. TOLLE MOLAM, &c. munus servorum, & ancillarum erat versare molas in pistrinis. DENUDA TURPITUDINEM TUAM. Corpus tuum discooperi veste ad cubitum revocata, & alte succincta, ita ut appareant brachia, & crura, sinu etiam & humeris apertis ut expeditius molam versare possis, & alios ancillares labores sustinere; vel etiam dicitur discooperi humerum, ut plagas, & verbera Persarum nudo humero & dorso excipias. REVELA CRURA, TRANSI FLUMINA; quasi dicat, Ut possis ducta in captivitatem flumina transire.

V. 3. REVELABITUR IGNOMINIA TUA, id est nuditas tua. OPPROBRIUM TUUM, id est quod videri probrosum est.

V. 4. REDEMPTOR NOSTER; id est, Deus qui nos olim ex AEgypto, & deinde ex Babylone liberabit, hoc faciet.

V. 5. SEDE TACENS: ut mœsti solent, & lugentes. INTRA IN TENEBRAS, captivitatis, & carceris.

V. 6. IRATUS SUPER POPULUM MEUM; id est, cum ego iratus populo meo Israel modice punire volui, tu modum excessisti, crudeliter in eum sæviens. CONTAMINA-

MINAVI HEREDITATEM MEAM: populum meum, quasi rem contaminatam abicci, & regionem eius vastari permisi. NON POSUISTI EIS MISERICORDIAS: immisericorditer eos tractasti. SUPER SENEM, &c. senio, & canitiei non pepercisti.

V. 7. IN SEMPITERNUM ERO DOMINA: alterum Babylonis crimen, fastus, & arrogantia. NON POSUISTI HAEC SUPER COR TUUM: quod scilicet Israel populus meus esset, qui puniendus tibi tradebatur, non immaniter vexandus. NOVISSIMI TUI: quid scilicet tibi olim evenire posset, immo eventurum esset.

V. 8. HABITANS CONFIDENTER: omni scilicet metu soluta. NON EST PRAETER ME AMPLIUS; id est, nulla alia in orbe civitas est me felicior, aut opulentior. NON SEDEBO VIDUA: populo, & divitiis viduata. IGNORABO STERILITATEM: semper ex me multitudo magna populi subinde nascentis prodibit.

V. 9. PROPTER MULTITUDINEM MALEFICIORUM TUORUM: testium Babylonis peccatum, quia scilicet maleficiis, incantationibus, & divinationi dedita fuerit, ita ut Chaldaei artis potius quam gentis nomen videatur. DURITIAM INCANTATORUM TUORUM: qua incantatores suis falsis oraculis obdurabant Babylonios.

V. 10. FIDUCIAM HABUISTI IN MALITIA TUA; id est, fidenter mala perpetrasti, Deum, & eius vindictam non timens. NON EST QUI VIDEAT ME: aut Deus peccata mea non videt, aut non curat. SAPIENTIA TUA, &c. id est, tua astrologia iudiciaria, tua divinatio decepit te; promittebas enim tibi felicitatem, & tamen in gravissimas aerumnas incides. EGO SUM, &c. Vide dicta proxime num. 8. NESCIES ORTUM EIUS, id est unde, seu quando veniat. Videtur alludere ad Chaldaeorum disciplinam, quae nativitates, & ortus rerum observat. EXPIARE: effuge, expiationibus evertere.

V. 12. STA CUM INCANTATORIBUS, &c. Est sarcasmus, sive hostilis irrisio; quasi dicat: Salvent te incantatores tui; quibus adhaesisti, & quorum disciplinam longo tempore, & labore didicisti. AUGURES CAELI: divinatores, astrologi.

V. 14. FACTI SUNT QUASI STIPULA, &c. quasi dicat: In Babylonis incendio ita comburentur omnia, & cum illis astrologi tui, ut ne prunae quidem remaneant, quibus se quis possit calefacere, sed cuncta in favillam, & cinerem redigentur.

V. 15. FACTA SUNT TIBI, &c. id est, hunc exitum sortientur ea, in quibus laborasti, urbs nimirum & ornamenta eius, augures etiam, & auguria. NEGOTIATORES TUI, &c. astrologi tui, qui ex arte sua quaestum faciunt. IN VIA SUA ERRAVERUNT: methodum suae disciplinae secuti erraverunt. NON EST QUI SALVET TE: suis illis fallacibus artibus tibi opem ferre non possunt.

T I R I N I.

Vers. 1. VIRGO FILIA *a* BABYLON; id est, o urbs Babylon tenera, delicata, florida instar filiae virginis, DESCENDE de throno tuo monarchali, *&* SEDE IN PULVERE, IN TERRA, instar vilis mancipii. Ita Iudaea subacta a Vespasiano & Tito, desculpta in nummo visitur quasi ancilla humi in terra sedens. NON EST amplius ullum SOLIUM regium FILIAE CHALDAEORUM, id est regioni Chaldaeae: sed solium & sceptrum a Chaldaeis translatum est ad Persas.

V. 2. TOLLE MOLAM, ET MOLE FARINAM, ad pistrinum relegata, inquit S. Cyrillus. DENUDA TURPITUDINEM capitis & comae tuae, praescindendo capillitium, ut appareat *turpitudo*, id est calvitium tuum: ita Legionensis *b* & Sanchez. DISCOOPERI HUMERUM, ut expeditior sis ad molendum, & ad flagra Persarum, ut fit in triremibus; nudo dorso excipienda. REVELA CRURA, sub curta ancillarum veste, & sic TRANSI FLUMINA nudis tibiis, ut alio captiva demigres. Sublata vero veste

V. 3. REVELABITUR IGNOMINIA TUA ET OPPROBRIUM, id est detegentur occulta vitia & tortuosa membra vel maculae, quae prius splendida & nobili veste tegebantur: ita de te statuit

V. 4. REDEMPTOR NOSTER: nempe ut nos hac via ex unguibus tuis eruamur.

V. 5. INTRA IN TENEBRAS, id est in carcerem obscurum: ibi SEDE TACENS *c*: in illis sordibus delitiare & conquiesce.

V. 6. IRATUS sui populo meo Israelitico mihi hereditario, idcirco CONTAMINAVI eum, id est profanavi; & ut rem profanam quae suam sanctitatem amisit, factaque est publi-

publica, communis & immunda, DEDI *eum* IN profana MANU TUA, & tibi castigandam commisi. Tu vero barbara & crudelis non castigasti filios meos more parentis, virga vel scutica, sed nec more heroum seu dominorum, fuste vel baculo: sed more tyrannorum, ferro & igne, non parcens senibus, (quorum tamen canities misericordiam etiam ab infenso hoste extorquere solet) nec pueris, nec virginibus, nec ulli statui, ætati, sexui.

V. 9. VENIENT TIBI IN DIE UNA, id est simul, STERILITAS ET VIDUITAS; quasi dicat: Privaberis filiis, id est civibus tuis, simul & marito, nempe rege, & regia dignitate: nam rex reip. ut tutor & protector, ita etiam sponsus ac maritus est, inquit S. Cyrillus, Vatablus & Forerius. PROPTER DURITIAM INCANTATORUM TUORUM: nempe activam, qua te falsis oraculis suis in malo tuo obdurabant, ut nec Deum timeres, nec homines, sed summa arrogantia & præsumptione quidvis auderes, & quosvis præ te contemneres. Unde &

V. 10. FIDUCIAM HABUISTI IN MALITIA TUA, id est fidenter, sine ullo metu, mala quævis perpetrasti, dicens, tibique persuadens, NON EST, seu in cælo, seu in terra, QUI VIDEAT ME, id est qui ut iudex aut vindex, inspiciat, examinet, damnet, puniat opera mea. Hæc enim omnia significat *τὸ videat*, per metalepsin, inquit Haymo. Sed, ah misera! SAPIENTIA ET SCIENTIA TUA, qua putabas te tibi optime prospexisse, maxime vero Astrologia iudiciaria, qua toto orbe Chaldæa celebris eras, *hæc decepit te*: cum enim non videres ex astris (unde credebas vitam humanam fortesque reip. in solidum pendere) malum aliquod tibi imminere, præfidens & secura nihil timebas: ita Forerius.

V. 14. IGNIS COMBUSSIT omnes astrologos & augures & ariolos tuos. Porro ignis iste & flammæ quæ ipsos involverunt; NON SUNT PRUNAE, foculi *quibus* frigidi CALEFIANT, NEC FOCUS in camino, UT se calefacturi SEDEANT AD EUM, & membra torpentia grato calore foveant: sed erit ignis & flammæ ipsis exitiales, quibus instar stipulæ in cineres redigantur. Innuit arsisse vivis flammis urbem Babylonem cum incolis suis. Quod iussu Cyri factum testatur Xenophon.

V. 15. SIC FACTA SUNT TIBI, nempe in cineres redacta, omnia IN QUIBUSCUMQUE LABORAVERAS, idola, templa, palatia, incolæ, astrologi, augures, principes, milites, NEGOTIATORES TUI, qui licet AB ADOLESCENTIA TUA, cum primum condita florere cœpisti, tibi ornandæ, firmandæ, tutandæ studuerint viis omnibus sibi possibilibus; hac tamen vice te salvare nequiverunt, sed UNUSQUISQUE IN VIA SUA, id est in arte & conatu suo, turpiter elusi ERRAVERUNT; quasi dicat: Nulla arte, nullo augurio, nulla prece, nullo pretio potuisti ab excidio liberari.

(a) In Prol. de Idiotismis Heb. n. 40.
(b) Luisius Legion. in Cant. iv. 1.
(c) Apoc. xviii. 7.

Ex Gordoni Auctario.

Vers. 2. Multa hic congerit opprobria, quæ habebunt Babylonii, edocti ad omnia abiecta, & vilia opera. Transitus fluminum designat exilium.

Vers. 6. Taxat Chaldæos ut homines crudeles etiam in senes.

Vers. 8. Notatur vana spes mortalium, cum prospera illis sunt omnia.

CA-

CAPUT XLVIII.

Increpat Dominus hypocrisim, ingratitudinem ac duritiam Iudæorum; se, & non idola annuntiasse futura & illa complevisse ostendens: propter nomen suum tamen parcet ipsis; & ita benigne eos ad se revocat, probans se solum verum Deum, omnium conscium, suique populi redemptorem ac gubernatorem: conquerens quoque de mandatorum suorum prævaricatione, quibus observatis felices fuissent.

1. AUdite hæc domus Iacob, qui vocamini nomine Israel, &
de aquis Iuda exiftis, qui iuratis in nomine Domini, &
Dei Israel recordàmini non in veritate, neque in iustitia. 2.
De civitate enim sancta vocati sunr, & super Deum Israel
constabiliti sunt: Dominus exercituum nomen eius.
3. Priora ex tunc annuntiavi, & ex ore meo exierunt,
& audita feci ea: repente operatus sum, & venerunt. 4.
Scivi enim quia durus es tu, & nervus ferreus cervix tua,
& frons tua ærea. 5. Prædixi tibi ex tunc: antequam venirent indicavi tibi,
ne forte diceres: Idola mea fecerunt hæc, & sculptilia mea & conflatilia mandaverunt
ista. 6. Quæ audisti, vide omnia: vos autem num annuntiastis? Audita
feci tibi nova ex tunc, & conservata sunt quæ nescis: 7. nunc creata sunt,
& non ex tunc: & ante diem, & non audisti ea, ne forte dicas: Ecce ego
cognovi ea. 8. Neque audisti, neque cognovisti, neque ex tunc aperta est auris
tua: scio enim quia prævaricans prævaricaberis, & transgressorem ex utero vocavi
te. 9. Propter nomen meum longe faciam furorem meum: & laude mea
infrænabo te, ne intereas. 10. Ecce excoxi te, sed non quasi argentum, elegi
te in camino paupertatis. 11. Propter me, propter me faciam, ut non blasphemer:
(a) & gloriam meam alteri non dabo. 12. Audi me Iacob, & Israel
quem ego voco: (b) ego ipse, ego primus, & ego novissimus. 13. Manus
quoque mea fundavit terram, & dextera mea mensa est cælos: ego vocabo
eos, & stabunt simul. 14. Congregamini omnes vos, & audite: quis de eis
annuntiavit hæc? Dominus dilexit eum, faciet voluntatem suam in Babylone,
& brachium suum in Chaldæis. 15. Ego, ego locutus sum, & vocavi eum: adduxi
eum, & directa est via eius. 16. Accedite ad me, & audite hoc: non a
principio in abscondito locutus sum: ex tempore antequam fieret, ibi eram:
& nunc Dominus Deus misit me, & spiritus eius. 17. Hæc dicit Dominus redemptor
tuus sanctus Israel: Ego Dominus Deus tuus docens te utilia, gubernans
te in via, qua ambulas. 18. Utinam attendisses mandata mea: facta fuisset
sicut flumen pax tua, & iustitia tua sicut gurgites maris: 19. & fuisset quasi
arena semen tuum, & stirps uteri tui ut lapilli eius: non interisset, & non
fuisset attritum nomen eius a facie mea. 20. (c) Egredimini de Babylone, fugite
a Chaldæis, in voce exultationis annuntiate: auditum facite hoc, & efferte
illud usque ad extrema terræ. Dicite: (d) Redemit Dominus servum suum
Iacob. 21. Non sitierunt in deserto, cum educeret eos: (e) aquam de petra
pro-

produxit eis, & ſcidit petram, & fluxerunt aquæ. 22. (*f*) Non eſt pax impiis, dicit Dominus.

(a) Sup. xlii. 8. (b) Sup. xli. 4. & xliv. 6. (c) Ierem. xxxii. 6. (d) Exod. xvii. 6. (e) Num. xx. 11. (f) Inf. lvii. 21.

C O M M E N T A R I A

MALDONATI.

Verſ. 1. QUI VOCAMINI NOMINE ISRAEL; id eſt, quia iactatis vos nomine Iſraelis, qui gloriamini nomine Iſraelis. ET DE AQUIS IUDA EXISTIS: יצאו, *exierunt*, mutatio perſonæ. Intelligitur autem relativum: *qui de aquis Iudæ exierunt*; id eſt, ab Iuda originem ducunt, ſicut fluvii ab aquis fontis. QUI IURATIS IN NOMINE DOMINI. Heb. *per nomen Domini*; id eſt, qui ſolo iureiurando Deum colitis: quales ſunt nunc nimis multi Chriſtiani, quos non alia ratione Chriſtianos eſſe cognoſces, niſi quia per Chriſtum iurant. ET DEI ISRAEL RECORDAMINI: יזכרו, *recordantur*, id eſt mentionem Dei faciunt, nomen Dei uſurpant. NON IN VERITATE, NEQUE IN IUSTITIA; id eſt, ut quod falſum & iniquum eſt iurent.

V. 2. DE CIVITATE ENIM SANCTA VOCATI SUNT; id eſt, ab Ieruſalem nomen accipiunt, ut Ieroſolymitani cognominentur. ET SUPER DEUM ISRAEL CONSTABILITI SUNT: נסמכו, *confiſi ſunt*, id eſt fingunt ſe confidere. DOMINUS EXERCITUUM NOMEN EIUS; id eſt, cuius nomen eſt, Dominus exercituum. Hebraiſmus. Declarat Iudæorum hypocriſin.

V. 3. PRIORA, id eſt quæ iam facta ſunt. EX TUNC ANNUNTIAVI, iam olim antequam fierent; ET AUDITA FECI, id eſt declaravi vobis. REPENTE OPERATUS SUM, id eſt vobis nec opinantibus. Ex eventu rerum præteritarum probat etiam quæ futura prædixit, eventura eſſe, ut explicat verſ. 6.

V. 4. SCIVI ENIM QUIA DURUS ES TU. Reddit cauſam, cur res futuras ante quam evenirent, illi prædixerit, ut eius duritiem & incredulitatem perfringeret, & cum viderent omnia ita prorſus accidere, ut Deus ante nuntiaverat, illi deinceps crederent. ET NERVUS FERREUS CERVIX TUA; id eſt, duræ & inflexibilis cervicis es, quaſi nervis ferreis conſtaret, nervis enim cervix movetur: cervice autem ſuperbia notatur. ET FRONS TUA AEREA, id eſt dura ut æs. Per cervicem duram intelligit ſuperbiam; per frontem duram, impudentiam, ſicut dicimus os durum.

V. 5. NE FORTE DICERES: ne eorum eventum idolis attribueres, ut intelligeres non ex tuis ſculptilibus, ſed ex meo conſilio proficiſci, cum videres a me eſſe prænuntiata.

V. 6. QUAE AUDISTI, VIDE OMNIA; id eſt, quidquid tibi a me prædictum eſt, experiri tibi ac videre licet. Prædixeram enim captivitatem & cetera mala, quæ nunc pateris. Alii, *audiſti, & vide*; id eſt, conſidera diligenter quæ ex me audiviſti. Sed prior ſenſus melior eſt. VOS AUTEM NON ANNUNTIASTIS. Heb. ואתם הלא תגידו, *vos autem nonne annuntiabitis?* quaſi dicat, Non: comparat ſe cum idolis, ſicut ſæpe ſupra cap. XXI. 4. ut ſi diceret: Ego iam experientia ipſa oſtendi me eſſe Deum; an idola veſtra idem poterunt oſtendere? AUDITA FECI TIBI, id eſt annuntiavi tibi NOVA EX TUNC: מעתה, *ex nunc*. ET CONSERVATA SUNT QUAE NESCIS; id eſt, quæ tibi reſervata ſunt a me mala, quæ te manent calamitates in futurum, neſcis; quaſi dicat, Quæ olim tibi prædixeram eventura, iam experiris: quæ nunc prædico, nondum experiris, experieris autem aliquando. Aut, *conſervata ſunt quæ neſcis*; id eſt, multa alia apud me tibi reſervantur, quæ nolo ſcias, ne forte dicas, ecce cognovi ea.

V. 7. MODO CREATA SUNT. Præt. pro fut. id eſt, ſubito fient, cum ante tibi nuntiata non eſſent, & ante eum diem quo tibi evenient, non audiveris, NE FORTE DICAS, ECCE COGNOVI EA. Significat Deus ſe quædam futura prædicere, ut homines ſuam providentiam cognoſcant; alia non præ-

prædicere, ne si homines sciant, nimis secure vivant, & dum futurum eventum expectant, maiore licentia peccent, ut indicat versu sequenti, SCIO ENIM, QUIA PRAEVARICANS PRAEVARICABERIS.

V. 8. NEQUE AUDIVISTI, &c. NEQUE EX TUNC, id est prius, APERTA EST AURIS TUA, id est nuntiatum tibi: frequens Hebraismus: aperire, vel, revelare aurem, pronuntiare, vel dicere: I. Reg. XX. 13. II. Reg. VII. 27. Iob XXXIII. 16. & XXXVI. 10. 15. SCIO ENIM QUIA PRAEVARICANS PRAEVARICABERIS. Reddit caussam cur non omnia velit illi prædicere, ne liberius peccet. TRANSGRESSOREM EX UTERO VOCAVI TE; id est, antequam nascereris novi te futurum transgressorem; vel, novi te ex quo natus es, usque ad finem vitæ futurum transgressorem. Vocare, ut sæpe diximus, aliquando significat apud Hebræos, idem quod perfecte exploratèque cognoscere: ut Psal. CXLVI. 4. *Qui novit multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat*, id est perspecte eas cognoscit: & Rom. IV. 17. *Qui vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt.*

V. 9. PROPTER NOMEN MEUM LONGE FACIAM; id est, differam furorem meum, non continuo animadvertam in te. ET LAUDE MEA. Ablativus caussæ, id est propter laudem meam, ut laudem meam parcendo potius ostendam, quam puniendo. INFRAENABO TE, id est sustinebo te, ut vertit Chaldæus Paraphrastes, sicut dicimus Latine, Sustinere equum; quasi dicat: Iam diu tuis flagitiis in interitum ruisses, nisi te quasi fræno quodam tenuissem, ut ostenderem in te misericordiam meam parcendo, aut potentiam iustitiamque puniendo. Simile est illud Rom. IX. 22. *Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum*. Quod enim illic dicit Paulus sustinere, hic dicit Isaias infrænare. Alii interpretantur, אחטום לך, *prolongabo tibi* (iram meam) ut R. David in Lib. radicum.

V. 10. ECCE EXCOXI TE, SED NON QUASI ARGENTUM, id est non igne, sed servitute & captivitate: excoxi, pro, excoquam, sicut statim exponit. ELEGI TE IN CAMINO PAUPERTATIS, vel, afflictionis: עני, id est non in camino ignis, ut argentum eligi solet, id est purgari, ut quod bonum est eligatur. Alii interpretantur, *Excoxi te non quasi argentum*; id est, non omnino, non ita ut perderem, sed ita ut servaverim, sicut dixerat vers. præced. *Laude mea infrænabo te, ne intereas*.

V. 11. PROPTER ME, PROPTER ME FACIAM; id est, propter nomen meum faciam quod dixi, ut ita te excoquam ut non intereas. UT NON BLASPHEMETUR: איך יחל, *quomodo polluetur* (nomen meum) id est, quomodo enim patiar, ut nomen meum male audiat apud gentes, dicantque: *Ubi est Deus eorum?* ut Psal. LXXVIII. 9. 10. *Propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum, ne forte dicant in gentibus, Ubi est Deus eorum?* & Psal. CXIII. 1. 2. *Non nobis Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam. Nequando dicant gentes, Ubi est Deus eorum?* ET GLORIAM MEAM ALTERI NON DABO; id est, non feram, ut alius præter me Deus appelletur.

V. 12. ET ISRAEL QUEM EGO VOCO: מקראי, *vocatus a me*; id est qui ex me nomen habes. Dicitur enim Israel, *prævalens contra Deum*, Gen. XXXII. 28. Aut, *qui a me vocatus es*, id est electus. Aut aliis punctis, *qui vocat me, qui profiteris te cultorem esse mei*, ut per nominis invocationem totum Dei cultum designet, ut sup. vers. 1. *Qui iuratis in nomine Domini*. EGO IPSE; id est ego sum (Deus.) EGO PRIMUS, ET EGO NOVISSIMUS; id est, ego solus sum Deus, neque fuit, neque erit alius Deus præter me: ut sup. cap. XLI. 4. & XLIV. 6.

V. 13. MANUS QUOQUE MEAE: אף caussalis videtur esse hoc loco, *manus enim mea*, ut reddat caussam, quo probet se esse Deum. ET DEXTERA MEA MENSA EST CAELOS: טפחה, *palmo cælos mensa est*, ut sup. cap. XL. 12. id est, cælos extendit & fabricata est quasi metiens eos, & adamussim dirigens. EGO VOCABO EOS, ET STABUNT SIMUL; id est, solo verbo sistam eos, sicut solo verbo feci, iussuque meo moventur. Exemplum est Iosue X. 13. Alii interpretantur de prima conditione, per præteritum: *Ego vocavi & steterunt*, vel, *ego dixi & facti sunt*: Psal. CXLVIII.

V. 14. CONGREGAMINI OMNES VOS (qui idola colitis) ET AUDITE (quod sequitur.) QUIS DE EIS (de falsis diis, quod idolum; vel, quis ex iis qui colunt idola) ANNUN-

TIAVIT

TIAVIT HAEC. Quæ ego annuntiavi de liberatione per Cyrum futura, aut aliquid simile, tam multo tempore ante quam eveniret: probat idola non esse deos sibi similes, quia non possunt, ut ipse, futura nuntiare: ut supra cap. XLI. 22. 23. & XLIII. 9. & XLIV. 7. DOMINUS DILEXIT EUM (Cyrum) cuius causa hanc omnem texuit historiam. FACIET (Cyrus) VOLUNTATEM SUAM, id est Dei, exequetur voluntatem Dei in capienda Babylone. ET BRACHIUM SUUM, id est potentiam Dei inter Chaldæos.

V. 15. EGO, EGO LOCUTUS SUM, id est, ego ipse, qui hæc prædixi, vocabo postea eum, & adducam Babylonem: præt. pro fut. ET DIRECTA EST VIA EIUS, pro, dirigetur a me via eius, הצליח דרכו *prosperabitur via eius*.

V. 16. ACCEDITE AD ME. Hæc verba alii putant esse Prophetæ, alii Dei, quibus potius assentior, & quia versu præcedenti Deus loquebatur, *Ego, ego locutus sum:* & quia sup. cap. XLV. 19. eadem phrasi Deus de se loquens usus est, & quia Prophetæ nullo modo videntur hæc verba posse convenire. NON A PRINCIPIO IN ABSCONDITO LOCUTUS SUM; id est, non potestis meam divinitatem ignorare: vide cap. XLV. 19. & Ioan. XVIII. 20. EX TEMPORE, id est longo tempore, ANTEQUAM FIERET (hoc quod prædixi) IBI ERAM, id est habebam præsens: *Omnia enim nuda sunt & aperta oculis eius*: Heb. IV. 13. Alii, quia היותה est feminini generis, verterunt, *antequam fieret hæc prophetia*: prorsus male, quis enim ignorat femininum genus Hebraice pro neutro servire? ET NUNC DOMINUS DEUS MISIT ME. Quæri solet quomodo dicat se a Deo missum esse, si Deus ipse est, qui loquitur. Responderi potest Christum esse qui loquitur, ut veteres auctores docuerunt, qui se a patre missum esse dicit: aut Isaiam loqui persona Dei, ideo alia dicere, quæ non sibi, sed Deo, ut a principio esse, alia quæ non Deo, sed sibi conveniant, ut missum esse.

V. 17. DOCENS TE UTILIA: להועיל, *ut prosim*, id est utilitatis tuæ causa. GUBERNANS: מדריכך, *dirigens te*.

V. 18. FACTA FUISSET SICUT FLUMEN PAX TUA; id est, omnia tibi prospere & ad tuam voluntatem fluerent: pacis enim nomine res omnes prosperas intelligit. ET IUSTITIA TUA, id est prosperi successus tamquam iustitiæ tuæ fructus, ut dixit cap. I. 19. *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis*.

V. 19. ET FUISSET QUASI ARENA SEMEN TUUM, id est copiosum & innumerabile, ut Deus Abrahamo patri tuo promiserat: Genes. XXII. 17. ET STIRPS UTERI TUI. Heb. וצאצאי מעיך, *& germina viscerum tuorum*, id est posteri tui. Est autem elegans Hebraice paranomasia inter מעיך, *viscera tua*, & מעתיו, *lapillos eius*.

V. 20. EGREDIMINI DE BABYLONE. Imperativum pro futuro, egrediemini de Babylone, & fugietis a Chaldæis. Consolatur populum ob futuram calamitatem. IN VOCE EXULTATIONIS ANNUNTIATE; id est, exultantes clara voce annuntiabitis, & per omnes terræ oras prædicabitis, quomodo a Deo e servitute Chaldæorum fueritis liberati.

V. 22. NON SITIERUNT. Præt. pro fut. non sitient in deserto cum Babylone Ierosolymam redierint; id est, nihil illis deerit etiam in media solitudine, ubi summa sterilitas est: per aquam enim synecdochicè omnium rerum ad vitam necessariarum abundantia significatur. Neque intelligendum est ruptam fuisse petram & fluxisse aquas, cum populus Babylone rediret; sed quia id acciderat in reditu ex AEgypto: alludit ad eam historiam, indicatque nihil populo defuturum, sicut olim cum petra a Moyse scissa est: Exod. XVII. 6.

V. 22. NON EST PAX IMPIIS. Hoc epiphonema eo pertinet, ut doceat Propheta huius beneficii liberationis, quam pacem vocat, non esse futuros participes eos, qui in sua impietate permanserint.

S A.

Vers. 1. NOMINE ISRAEL, id est Israelitæ. AQUIS, id est semine; quasi dicat, de fonte. Chald. *cognatione*. IN NOMINE, id est per nomen. IN, id est cum.

V. 2. DE CIVITATE, &c. scilicet Ierusalem cives. CONSTABILITI SUNT. Chald. *confidunt*.

V. 4. DURUS, &c. quasi dicat, obstinatus, superbus, & impudens.

V. 5. EX TUNC, id est multo ante.

V. 6. OMNIA, scilicet impleta. ANNUN-

NUNTIASTIS, id est divulgastis, scilicet ad gloriam meam; vel quasi dicat: Ego prædixi, non vos. LXX. *cognovistis*; quasi dicat, Non cogitastis. CONSERVATA, scilicet apud me; quasi dicat, Ignota, seu occulta sunt multa.

V. 7. CREATA SUNT, scilicet quædam. EX TUNC. LXX. *olim*, scilicet tibi prædicta. ANTE DIEM. LXX. *prioribus diebus*.

*V.*8. AUDISTI, scilicet ea, vel præcepta mea, ut faceres. EX TUNC. LXX. *a principio*. SCIO; pro, sciebam. EX UTERO, id est iam inde a nativitate.

V. 9. LAUDE, &c. Chald. *Propter laudem meam sustentabo te*. INFRAENABO, id est retinebo, ut solet equus, ne præcipitet.

V. 10. NON QUASI ARGENTUM; quasi dicat, Leviter afflixi; pro, affligam. ELEGI. Chald. *probavi*.

V. 11. BLASPHEMER, scilicet quasi impotens, aut non verax. ALTERI, scilicet idolis; quasi dicat: Non patiar coli pro diis.

V. 12. VOCO; quasi dicat: Cui nomen indidi Israelis. NOVISSIMUS. LXX. *in sempiternum*.

V. 13. VOCABO; pro, vocavi. STABUNT; pro, steterunt, id est adfuerunt. *Dixit, & facta sunt*.

V. 14. DE EIS, scilicet diis Gentium. HAEC, scilicet quæ ego; quasi dicat: Quis eorum potest dicere talia, qualia ego? EUM, scilicet Israelem, vel Cyrum. SUAM, scilicet liberando Iudæos. BRACHIUM, id est fortitudinem, scilicet ostendet.

V. 15. DIRECTA. LXX. *prosperata*.

V. 16. ACCEDITE. Verba Christi, vel Isaiæ. ABSCONDITO; scilicet palam locutus est Christus in mundo, & Deus Legem dedit in monte Sinai. EX TEMPORE, &c. quasi dicat: Antequam quidquam in tempore fieret, cum Deo eram cuncta componens, scilicet cum Patre Filius. MISIT, scilicet secundum humanitatem.

V. 19. EIUS, scilicet Israelis.

V. 20. EFFERTE, id est divulgate.

V. 21. SITIERUNT, scilicet diu.

V. 22. PAX. LXX. *gaudere*.

ESTII.

Vers. 18. UTINAM ATTENDISSES MANDATA MEA, FACTA FUISSET SICUT FLUMEN PAX TUA. Subinde talem sermonem Scriptura Deo tribuit, quo videatur optare aliquid ut fiat; quod tamen videatur impetrare non posse. Ita Deut. v. dicit: *Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me*, &c.

V. 22. NON EST PAX IMPIIS, DICIT DOMINUS. Sententiam hanc infra quoque repetit capite LVII. Sensus est: Ubicumque fuerint impii, & quidquid illis contigerit; evadant opulenti, potentes, magni in sæculo; sint fortes & sani; quidquid eis contingit, pax eis vera non contingit. Est enim pax quædam huius sæculi, pax mundana; quam mundus dare potest, & de qua I. ad Thess. v. *Cum dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus*. Et hanc quidem pacem impii habent, immo magis impii frequenter, quam pii huius terrenæ pacis sunt participes: sed est alia pax vera, de qua Christus Ioan. XIV. *Pacem meam do vobis, Pacem meam relinquo vobis*. Hæc pax est consensio hominis secum, & cum Deo quæ in hac quidem vita inchoatur, sed in futura perficitur. De hac re etiam ethnicus homo Cicero in Paradox. Improbo bene esse non potest. Et Lib. II. de finibus. Animi conscientia improbi semper cruciantur.

MARIANAE.

Vers. 1. AUDITE HAEC DOMUS IACOB. Redit ad increpandum filios Israel. QUI VOCAMINI NOMINE ISRAEL, id est Israelitæ. ET DE AQUIS IUDA EXISTIS, id est de semine, quod *aquas* vocat. ET DEI ISRAEL RECORDAMINI. Heb. *recordari facitis*; id est, præ vobis fertis esse Dei populum.

V. 2. DE CIVITATE ENIM SANCTA VOCATI SUNT; pro, vocati estis cives Ierosolymitani: mutat personas linguæ more. CONSTABILITI SUNT, seu *innixi sunt*, innituntur. In ipso Deo confidere se aiunt, ipsum habere patronum.

V. 3. PRIORA, id est antiqua. EX TUNC, id est olim indicavi, iam te admonui.

V. 4. SCIVI, vel *scio*. QUIA DURUS ES TU; quasi dicat: Argumento iam dicto ostendi me esse Deum, propter duritiam & incredulitatem, ne idolis ea tribueres.

V. 6. QUAE AUDISTI, VIDE OMNIA, scilicet opere impleta. VOS AUTEM NUM ANNUNTIASTIS? ea ex responsis, scilicet idolo-

idolorum. AUDITA FECI TIBI NOVA EX TUNC. Quæ nesciebas, olim nuntiavi. Heb. *ex nunc*. Olim prædixi quæ iam sunt impleta, nunc alia nova dico. CONSERVATA SUNT QUAE NESCIS; id est, quæ suo tempore venient, ea quæ non vides modo, neque nosti.

V. 7. NUNC CREATA SUNT; pro, creabuntur, iam venient. ET NON EX TUNC, id est non olim. ET ANTE DIEM: ibi duo puncta. Significat autem, neque ex tunc, neque ante diem, id est olim non esse facta. ET NON AUDISTI EA; nempe, conservata & occulta.

V. 8. NEQUE AUDISTI; quasi dicat: Propter scelera tua nolui tibi arcana mea retegere. TRANSGRESSOREM EX UTERO VOCAVI TE. Heb. *vocatus es tibi*, id est ab initio merito prævaricator vocaris.

V. 9. PROPTER NOMEN MEUM; quasi dicat: Tu quidem mala mereris, ego tamen LONGE FACIAM, elongabo, differam iram & supplicia. ET LAUDE MEA: *& propter laudem meam:* sic Hieronymus in Comment. ut *propter* repetatur. IMFRAENABO TE, scilicet ut me sequaris quasi iumentum. Alii vertunt *infrænabo*, scilicet furorem, iram meam, *tibi*, id est tua causa. Ergo non ob merita tua, sed propter nomen & laudem meam, id est propter me continebo me, ne paria meritis rependam.

V. 10. ECCE EXCOXI TE. Heb. *purgavi te*. SED NON QUASI ARGENTUM, id est levi afflictione, non gravi. Heb. *non in argento*: sic Chald. Septuag. *non propter argentum*, scilicet quod ex te lucrum caperem. Hieronymus *in* sumpsit pro *quasi*. Aut pro *Beth* legit *Caph*, quod magis puto; quia eæ litteræ sunt simillimæ. IN CAMINO PAUPERTATIS. Heb. *afflictionis*, id est postquam te purgavi captivitate, elegi te, ut te liberarem.

V. 11. UT NON BLASPHEMER. Heb. *quomodo enim polluetur*, scilicet nomen meum, si Gentes credent non posse liberare te. Quomodo id feram? nullo modo. ET GLORIAM MEAM (quod te liberaverim) ALTERI NON DABO: eam laudem mihi servo.

V. 12. QUEM EGO VOCO, scilicet nomine Israelis, & populum Dei, audi me. EGO IPSE; pro, ego sum primus & novissimus, scilicet æternus, numquam mutor.

V. 13. DEXTERA MEA MENSA EST CAELOS: adde, *palmo*. Id significat טפחה *tipehah*, a *tapah*, quod est *palmus minor* quatuor digitorum. EGO VOCABO EOS (cælos) ET STABUNT, scilicet ut servis præcipiam illis: præsto erunt, ut iussis meis obediant.

V. 14. QUIS DE EIS; pro, de vobis, aut de Gentibus potuit prædicere excidium Babylonicum? DOMINUS DILEXIT EUM. Quem? Cyrum. Relativum sine antecedenti. FACIET VOLUNTATEM SUAM; aut *eius*, scilicet Domini faciet Cyrus. BRACHIUM SUUM; aut *eius*, scilicet Dei. IN CHALDAEIS, supple, faciet iudicium. Chald. *& fortitudinem brachii sui revelabit in Chaldæos*.

V. 15. ET DIRECTA EST VIA EIUS. Heb. *prosperabitur via eius*, scilicet Cyri.

V. 16. ACCEDITE AD ME. Verba sunt Prophetæ. NON A PRINCIPIO, id est initio, non abscondite, sed palam sum locutus. EX TEMPORE ANTEQUAM FIERET. Heb. *a tempore esse hoc*, id est antequam hæc contingerent. IBI ERAM. Heb. *ibi ego*, scilicet annuntiavi hæc. ET NUNC DOMINUS: scilicet Deus me iterum misit, ut eadem nuntiem. ET SPIRITUS EIUS: & voluntas eius.

V. 18. PAX TUA, id est felicitas tua esset copiosa instar fluminis. IUSTITIA TUA, probitas. SICUT GURGITES MARIS. Heb. *sicut fluctus maris*, id est ut aquæ maris copiosæ, si me audisses.

V. 19. ET STIRPS UTERI TUI; fuisset ut arena. Heb. *germina viscerum tuorum*, id est filii. Filiorum numerus in magnis beneficiis ponitur. UT LAPILLI EIUS, scilicet arenæ, ut grana eius esset multitudo filiorum. NON INTERISSET, &c. Heb. *Non succisum esset, neque deletum nomen eius*. Semper eum populum Iudæorum apud me retinuissem, semper illi favissem: non esset captivus quasi amisso nomine. Aut *nomen* pro gloria & honore sumatur.

V. 20. FUGITE, id est velociter discedite e Babylone.

V. 21. NON SITIERUNT; pro, non sitietis. De petra aquam excutiet, ut factum est olim, cum populus exiit de AEgypto. Denique faciam ut iter prosperum sit. Eo pertinent omnia quæ hic dicit.

V. 22. NON EST PAX IMPIIS; quasi di-

dicat: Hæc beneficia piis dabuntur, non impiis.

MALVENDAE.

Verf. 1. AUDITE HAEC DOMUS IACOB, &c. Heb. *Audite hoc, domus Iahakobi*, &c. Hoc capite, quemadmodum diximus supra cap. XLV. 1. continentur tria: Primum est, expositio alterius membri, quod in narratione positum est, supra cap. XLV. 4. de causa istorum iudiciorum Dei usque ad versum 12. Secundum est, confirmatio narrationis a vers. 12. ad 16. Tertium, conclusio, ad finem usque, ut supra diximus cap. XLIV. 6. Summa autem causa iudiciorum Dei per contestationem explicatur, qua Deus populum evincens improbitatis, duobus primis versibus, per comparationem exemplorum antecedentium, usque ad vers. 6. ostendit se nulla dignitate populi, vers. 7. & 8. sed sua unius gloria adductum esse, ut populum affligat, & ex afflictione liberet iustitia sua, vers. 9. 10. & 11. QUI VOCAMINI NOMINE ISRAEL. Alii: *qui vocant se de nomine Israelis*. Idem argumentum ad exprobrationem populi, vide copiose tractatum Hoseæ XII. & XIII. ET DE AQUIS IUDA EXISTIS. Alii: *& ex aquis Iehudæ prodierunt*. Enallage personæ ex secunda, *audite*, in tertiam, *prodierunt*; id est, qui ex Iahakobo tamquam ex fonte promanarunt: ut Deuteronom. XXXIII. 28. & Psal. LXVII. 27. QUI IURATIS IN NOMINE DOMINI. Heb. *Iurati in nomine Iehovah*. Alii: *qui iurant per nomen Iehovæ*. ET DEI ISRAEL RECORDAMINI NON IN VERITATE, NEQUE IN IUSTITIA. Alii ex Heb. I. *Et memoriam faciunt in Deo Israelis, at non ex fide neque ex iustitia*. Mutatio etiam personæ. II. *& Dei Israelis mentionem faciunt, non fideliter neque iuste*; id est, qui non estis integri erga Deum vestrum: sic Ierem. V. 2. Notat Forsterus hoc verbum in Hiphil significare, *annuntiare, concionari, prædicare, celebrare: & Deum Israelis commemorabunt*, id est celebrabunt.

V. 2. DE CIVITATE ENIM SANCTA, &c. Alii hunc versum ex Heb. convertunt: I. *Quamvis a civitate sancta se vocent, & Deo Iisraelis innitantur*; id est, se niti iactent ac glorientur: *cuius nomen est, Iehova exercituum*. II. *Notum est, quod de urbe sancta vocati sunt*, vel *se nominant, & Deo Israelis nituntur, cuius nomen est*, &c. quasi dicat: Profitentur quidem verbis se esse cives urbis sanctæ Ierusalam, nempe cives sanctorum & domesticos Dei, ac religionem cultumque Dei specie quadam iactant, voluntque videri ac si Deo niterentur; sed omnia sunt hypocrisis, & fucus, cum cor eorum alienum sit a me.

V. 3. PRIORA EX TUNC ANNUNTIAVI, &c. Quidam hunc versum ita reddunt: *Priora inde ab eo tempore indicaveram, & ex ore meo prodeuntia pronuntiaveram: ea repente effeci, atque evenerunt*. Comparatio rerum antegestarum prædictarumque, qua Deus utitur his quatuor versibus, tota eo spectat, ut demonstret sibi fuisse quidem perspectam improbitatem populi; sed gratis propter gloriam suam immeritis etiam & aversantibus beneficia sua prædixisse, & suo tempore contulisse: deinde vero sequitur accommodatio, qua confirmat Deus se nunc eamdem rationem sequi ob eamdem causam. *Inde ab eo tempore*, ex quo domus est Iahakobi, & vocas te de nomine Iisraelis, *ea repente effeci*; id est, simul atque visum est, etiam nullis præcedentibus meritis, aut adversantibus. II. *Prima, quæ evenerunt, iam olim antea prædixi, & ex ore meo egressa sunt*, subaudi prædictiones, *& indicavi illas* prophetias: *subito decrevi me ea facturum, & evenerunt*. III. *An non priora, quæ a primordio annuntiavi, cum de ore meo exirent, & vobis exponerem, protinus ea feci, usuque venerunt?* Hispanicus Interpres: *Loque passo, y a dias ha quelo dixa, y demi boca salio, publiquelo; hizelo presto, y a vino*.

V. 4. SCIVI ENIM QUIA DURUS ES TU, &c. Quidam hunc versum ita exponunt: *Ex præscientia mea erat, te durum esse, & nervum ferreum esse cervicem tuam, frontemque tuam chalybeam*: ut testatur Exod. XXXII. 9. & Deuteronom. XXXI. 27. & toto cap. XXXII. SCIVI ENIM. Heb. *Ex scientia mea expertus novi*. Quidam: *Ex scientia mea est*, vel *scientiæ meæ est*; quasi dicat: Iam novi quod &c. Aliqui reddunt: *Etiamsi nossem quod pertinax esses*, &c. Alii: *Quamvis non ignorarem*, &c. QUIA DURUS ES TU. קשה *kascheh*, *intricatus, perplexus, durus, rigidus, pertinax, difficilis, intractabilis*.

V. 5.

V. 5. Praedixi tibi ex tunc, &c. Hunc versum alii ex Heb. ita explanant: I. *Attamen iam olim priusquam venirent, nuntiavi & exposui tibi; ne forte diceres: Idolum meum, aut sculptile, aut conflatile meum præcepit ea*; id est, iussit ut evenirent. II. *Quapropter indicavi tibi ex eo tempore, cum nondum eveniret, pronuntiavi tibi, ne diceres: Terriculum meum fecit ista, & sculptile meum, aut fusilo meum præcepit*; id est, ne res iam prædictas, & suo tempore præstitas attribueres diis novis, qui e propinquo adveniunt, & recens sunt facti, ut Deuteron. XXXII. 17. III. *Annuntiavi, inquam, tibi iam olim*, id est ante multa tempora, *antequam eveniret, audita feci ea*, id est prædixi, vel *& prædicavi ea: ne forte diceres, Idolum meum fecit hæc*, &c.

V. 6. Quae audisti, vide omnia, &c. Hunc versum alii ex Heb. explicant: *Audiveras, respice totum hoc*; id est, animadverte ut re ipsa effecta sunt quæcumque audiveras ex me, & nihil prædictorum meorum exciderit, ut Iosue XXI. 43. & I. Samuel. III. 19. *& vos an non indicabitis?* Id est, an dissimulabitis ea omnia, quæ in vos fuerunt collata? neque certa fide amplectemini prædictiones meas, quibus vos testimonium oportuit perhibere ab anteacta experientia: ut supra cap. XLIII. 10. *pronuntio tibi nova ex hoc tempore, recondita, quæ ignorasti*. Transitio ad accommodationem exemplorum, de qua dictum est in vers. 3.

V. 7. Nunc creata sunt, et non ex tunc, &c. Alii hunc versum ex Heb. ita concipiunt: *Quæ nunc creantur, non autem ab eo tempore*; nimirum, nova hæc, quæ nunc fient de captivitate tua per Babylonios, excidio Babyloniorum, & liberatione tua per Cyrum: *etiam ante diem non audivisti, ut non dicas: Ecce noveram ea*; id est, nunc primum in lucem eduntur, patefiuntque admirabiliter numquam hactenus tibi audita & nota, ut exponunt verba sequentia. Hispanicus Interpres: *Ahora fueron criadas, no en dias passados, ni antes de este dia las aulas oydo; porque no digas: He aqui que yo lo sabia*.

V. 8. Neque audisti, neque cognovisti. Quidam: *Neque audivisti quidquam, neque novisti*, a divinis & astrologis tuis. Neque ex tunc aperta est auris tua. Verbum פתחה *phittechah*, est ex Pihel femineum: notantque legi in quibusdam locis neutraliter & intransitive, ut hic: *etiam ex tunc non aperuit se, non fuit aperta, auris tua*. Alii active malunt: *neque ab illo tempore aperuit aurem tuam*, videlicet Spiritus sanctus. Scio enim quia praevaricans, &c. Ex Heb. alii: I. *sciebam enim quod omnino prævaricator esses, & quod ab utero transgressor vocatus sis* II. *novi enim quod vim inferendo vim inferes, & transgressorem ab utero vocavi te*. III. *nam novi te perfide agendo perfide acturum, seu omnino acturum esse perfide, & defectorem ex utero vocari te*.

V. 9. Propter comen meum longe faciam furorem meum, &c. Ex Heb. alii: *Propter nomen meum differam iram meam*, vel *prolongabo iram meam*, seu *longanimis ero*. Prophetiæ summam incipit Ieschahia superiore & hoc versu ab occupatione; quasi dicat: Non est quod metuas ut non præstem ea, quæ ante dicta sunt, propter duritiem tuam: nam propter me effecturus sum. Et laude mea infraenabo te, ne intereas. Verbum prius חטם *chatam*, alibi in Scriptura non legitur; ob id varie exponunt: I. *& propter laudem meam prolongabo nares*, id est iram meam, *tibi*, id est in gratiam tui, *ad non succindendum te*, sive *ut non succidam te*. II. *& propter laudem meam obturabo nares*; id est, continebo furorem meum, *tibi*, id est, ne eum in te effundam. Verbum dicitur Hebræis a naribus, quod est continere flatum narium, seu iram, quam flatus narium indicat, ut de equis scribit Virgilius III. Georgicorum:

Collectumque premens volvit sub naribus ignem.

Vel *nares meas obstruam*, vel *obturabo tibi*, ne scilicet egrediatur fumus iræ meæ. III. *& laudem meam ponam in nasum tibi*, vel *causa tui, ut non corrumpam te*. Hebraismus elegantissimus; id est, opponam laudem meam iræ meæ in gratiam tui, ne perdam te. IV. *in laudem meam moderabor mihi erga te, ut ne succidam*. V. *& erit laus mea si longanimis ero tibi, & non succidero te*. VI. *& laus mea erit, si cohibebo, retinebo, tibi*, id est tui causa, tibi in bonum. VII. *& propter laudem meam frenum iniiciam mibi tui causa, ne te omnino exscindam*. VIII. *& propter laudem*

dem meam condar tibi, seu *recondar tibi*, *in bonum*, seu abscondar, & cohibebor, *ne exscindam te*. IX. *& laudem meam obsignabo tibi*, vel *obsignatam observabo tibi; ut non exscindam te*; id est, quasi sigillo munitam reservabo tibi laudem & gloriam meam, ad non exscindendum te; quasi dicat, Tibi parcam propter gloriam meam: vel *obsignabo*, id est concludam, neque exeram iram meam propter laudem meam; quasi idem sit quod *Chatham*, vel imprimo & indo tibi sigillum seu signum laudis meæ, indo tibi tamquam signum laudem meam, ut illud videns, non exscindam te.

V. 10. ECCE EXCOXI TE. Heb. *ussi*, *conflavi*, *purgavi*, *examinavi*, *purificavi*, *probavi te*. SED NON QUASI ARGENTUM. Non dubium est, quin *Caph* legerit pro *Beth* simillima littera: nam hodie exemplaria constanter habent *Beth*: *& non in argento*. Quidam subaudiunt e sequente membro: *& non in argenti catino*, seu *fornace*; quasi dicat: Ussi te non in fornace argenti, sed in fornace afflictionis. Aliqui hunc versum ex Heb. reddunt: I. *Ecce conflavi te, at non pro pecunia; elegi te probatum in fornace afflictionis*. II. *Ecce conflabo te, non autem argento, selectum efficiam te catino afflictionis*; id est, non agam ullo pretio, sed gratis curabo, & magnificabo te. עני *ghoni*, *afflictionis*, *passionis*, *oppressionis*, *humiliationis*, *paupertatis*, *inopiæ*, *abiectionis*.

V. 11. UT NON BLASPHEMER. Hebr. *quia quomodo violabitur*? Alii: I. *quomodo enim pollueretur*, nomen meum? Id est, quomodo fieri possit, ut patiar nomen meum denigrari? quod fieret ab his, qui mendacii me arguerent, si promissa mea non præstarem II. *nam quomodo profanaretur illud*? nomen meum, de quo vers. 9. ET GLORIAM MEAM ALTERI NON DABO; id est, neque concedam ut id faciant idola, nam materiam gloriæ meæ idolis non permittam. Alii: non sinam eripi mihi, aut alio a me transferri.

V. 12. AUDI ME IACOB, ET ISRAEL QUEM EGO VOCO. Alii: *Ausculta mihi Iahakob, & Iisrael vocate a me*. Tertia concionis pars, ut diximus cap. XLIV. 6. confirmatio, qua primum Deus a personæ suæ operumque amplitudine prophetiam obsignat, quatuor versibus: deinde Propheta fidem suam in sua vocatione & administratione testatam facit, vers. 16. QUEM EGO VOCO. Heb. *vocatus meus*, vel *vocate a me*; id est, vocatus & appellatus a me, qui nomen habes a me, & nomen meum præfers, qui vocaris populus meus, ut supra vers. 1. & 2. Alii, id est, domesticus & familiaris meus, quos sæpe vocare solemus.

V. 13. MENSA EST CAELOS. Heb. *palmavit cælos*; hoc est, palma palmavit, explanavit, palma explicavit, & distendit ac æquavit cælos, ut essent instar veli expansi & explicati. Alii: *palmo*, *mensura quatuor digitorum*, *mensa est cælos*. Nonnulli: *& dextera mea palmus expendit cælos*, ut supra cap. XL. 12. EGO VOCABO EOS, ET STABUNT SIMUL. Alii: I. *ego cum ea vocare, protinus constiterunt simul*, vel *præsto fuerunt*, vel servi scilicet facturi imperata. II. *me vocante ea, consistunt pariter*; id est, se sistunt ad exequenda iussa mea, ut Psalm. CXVIII. 91. III. *vocavi illa, & steterunt*; id est, dixit, & facta sunt.

V. 14. QUIS DE EIS ANNUNTIAVIT HAEC? Alii: *quis ex illis indicat ista*? diis videlicet, de quibus vers. 5. vel ex istis hariolis, magis, Chaldæis, de quibus cap. XLVII. 9. & 13. DOMINUS DILEXIT EUM, &c. Alii ex Heb. *Iehova diligens hunc facturus est delectationem suam in Babyloniam, & brachium eius in Chaldæos*. Hunc Cyrum intelligunt, qui executurus est quod statuit Deus in Babyloniam, & vires roburque exercituum eius in Babylonios irruent.

V. 15. ET VOCAVI EUM: videlicet Cyrum, de quo cap. XLIV. 28. & cap. XLV. 1. ET DIRECTA EST VIA EIUS. Alii: I. *qui prosperabitur in profectione sua*. II. *& secundabit viam suam*. III. *& profectum faciet via eius*. IV. *& fortunabit viam eius*. V. *& perrumpet via eius*; id est, prospere omnia illi succedent, sublatis omnibus impedimentis.

V. 16. ACCEDITE AD ME, ET AUDITE HOC, &c. Prophetæ verba confirmantis fidem suam, quam adhibuerat ad enuntiandum verbum Dei, & diligentiam ad audiendum ex Deo, prout vocatus fuerat. NON A PRINCIPIO IN ABSCONDITO, seu *in occulto* LOCUTUS SUM; id est, ex quo fuit verbum Dei ad me, non dissimulavi, sed

ſed palam locutus ſum, ſeu concionatus ſum. Hanc ſententiam imitatus videtur Chriſtus Ioann. XVIII. 20. EX TEMPORE ANTEQUAM FIERET, IBI ERAM. Quidam: *ex quo tempore fuit hoc, ibi ſum*, nimirum in ea tamquam ſpecula, ubi me collocavit Deus, ut verbum ab ipſo audiam, & ad vos referam, ut ſupra cap. XXI. 8. & 10. ET NUNC DOMINUS DEUS MISIT ME, ET SPIRITUS EIUS. Heb. *& nunc Adonai Iehueh miſit me, & ſpiritus eius*. Alii: *nunc Dominus Iehovi mittit me, & ſpiritus eius*. Dominus *Adonai*, Pater *Iehovi*, Filius, & Spiritus eius, Dei Patris & Filii, cum Patre & Filio unus æternus Deus, quo uno acti olim homines ſancti locuti ſunt II. Petri I. 11. Quod hic nomen ſacrum Quadrilitterum coniungitur cum *Adonai*, plerique non *Iehova*, ſed *Ichovi* legunt: vide ſupra cap. XL. 10. Perſpicuum hic myſterium ſacræ Triadis.

V. 17. HAEC DICIT DOMINUS, &c. Alii hunc verſum ex Heb. efferunt: I. *Sic dicit Dominus, redemptor tuus, ſanctus Iſraelis, docens te quæ profutura ſunt*, ſeu *ut proficias*, vel *ut proſim, dirigens te in via, qua tibi eſt eundum*. II. *Sic ait Iehova, vindex tuus ſanctus Iiſraelis: Ego Iehova Deus tuus doceo te proficere, deduco te via, qua ambules*; quaſi dicat, Præſto quod mearum eſt partium. Ultima concionis parte, ut diximus in verſ. I. id eſt concluſione, Deus primum officia ſua univerſe in Iſraelitas commemorans, hoc verſu, per hypotheſin ſummas benedictiones exponit eventuras Iudæis ſi paruiſſent ipſi, verſ. 18. & 19. deinde ſummatim repetit res ante promiſſas propter nomen ſuum, de beneficentia erga ſuos & hoſtium ſtatu miſerrimo, tribus verſibus ultimis. DOCENS TE UTILIA. Heb. *docens te ad prodeſſe*; id eſt, ut proficias, ut ſublevamen, emolumentum, utilitatem accipias.

V. 18. UTINAM ATTENDISSES MANDATA MEA, &c. Alii I. *o ſi ad præcepta mea animum advertiſſes*. II. *o ſi attendiſſes ad præcepta mea*. Simile vide Deuteronom. XXXII. 29. FACTA FUISSET SICUT FLUMEN PAX TUA. Alii: I. *redundaret inſtar fluminis pax tua*. II. *ita fuiſſet tamquam flumen pax tua*; id eſt, numquam deſiiſſent fluere, ſed omnia bona ſe ultro dediſſent tibi. *Pax* more Hebraico, pro proſperitate, & cornucopiæ bonorum. ET IUSTITIA TUA SICUT GURGITES MARIS. Heb. *ſicut volutiones, fluctus, procellæ maris*, quæ quaſi acervi in orbem volutantur; quaſi dicat: Continenter perrexiſſet, ut fluctus excipiunt alii alios, vel eſſet ut acervi & cumuli aquarum abundantiſſima.

V. 19. ET FUISSET QUASI ARENA SEMEN TUUM. Vide in Geneſ. XXII. 17. ET STIRPS UTERI TUI. Heb. *& egreſſiones, genimina, germina, progenies, propagines*; vide ſupra cap. XXII. 24. *viſcerum tuorum*. Quidam: *& prognati e viſceribus tuis*. Alii: *& fœtus inteſtinorum tuorum*; id eſt, filii ventris tui. UT LAPILLI EIUS. Vocem מעות *meghoth*, quæ in hac forma alibi non legitur, varie elucidant: I. *ſicut viſcera, inteſtina, interanea eius*, id eſt maris; hoc eſt, ſicut piſces, qui ſunt velut viſcera & interanea maris. Similis locutio eſt Geneſ. XLVIII. 16. II. *ſicut acervi eius* arenæ. NON INTERISSET, ET NON FUISSET ATTRITUM NOMEN EIUS A FACIE MEA. Alii ex Heb. *non tamen exſcindetur, neque perdetur nomen eius e conſpectu meo*. Tranſitio ad ſummam promiſſionum, ſimili argumento atque uſus eſt ſupra verſ. 8. & 9.

V. 20. EGREDIMINI DE BABYLONE. Alii: *Exite a Babylonia*. Prophetica hortatio, quaſi in rem præſentem Iudæos adducens, & præmovens de liberatione ventura. FUGITE A CHALDAEIS: ne communi cum Babyloniis iudicio pereatis, & circumveniamini ira Dei, quæ denuntiatur illis, verſu ultimo; ut Ierem. LI. 6. & 45. ſimilis cauſa adducitur Geneſ. XIX. 15. IN VOCE EXULTATIONIS ANNUNTIATE: AUDITUM FACITE HOC, ET AFFERTE ILLUD USQUE AD EXTREMA TERRAE. Varie alii ex Hebr. I. *cum voce iubili, ovationis, præconii, prædicate & divulgate hoc, efferte illud uſque ad fines terræ*. II. *voce cantus*, ſeu *voce canora indicate, pronuntiate hoc, proferte hoc uſque ad extremitatem terræ*; quaſi dicat: Fruimini beneficio Dei, & fruentes animo grato prædicate.

V. 21. NON SITIERUNT IN DESERTO, &c. Hunc verſum ex Hebr. alii ita reddunt: I. *Et non ſitierunt, cum per ſolitudines duceret eos; aquam enim eis de petra promanare fecit: ſcidit petram, ut latices effluerent*. II. *Neque ſitiunt cum per vaſtitates deducit eos; aquas e rupe profundit eis:*

eis: quasi fidisset rupem ut fluant aquæ; id est, æque admirabiliter de viatico illis prospicit, atque olim prospexit maioribus ex AEgypto exeuntibus. Vide Hezræ I.

V. 22. NON EST PAX IMPIIS, DICIT DOMINUS. Alii: *Nulla est pax, inquit Iehova, improbis*; ac proinde ne copulemini cum illis, aut consortium habetote; sed fugite, ut supra vers. 20. vide infra cap. LVII. 21.

MENOCHII.

Vers. 1. QUI VOCAMINI, NOMINE ISRAEL: qui gloriamini Iacob parente, eum tamen ab eius moribus, & sanctitate longe abstitis. DE AQUIS IUDA EXISTIS, id est femine: quasi dicat, de fonte. Chald. *Qui de stirpe Iuda existis*. IURATIS, &c. Vide dicta supra XLV. 24. DEI ISRAEL RECORDAMINI: frequenti sermone usurpatis, commemoratis, celebratis, & prædicatis. NON IN VERITATE, NEQUE IN IUSTITIA: vel falso iurantes; vel hanc quasi larvam religionis veri Dei multis, & gravibus sceleribus prætendentes. Hoc est quod dicebat Christus Matth. XV. 8. *Populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autem eius longe est a me*: vide supra cap. XXIX. 13.

V. 2. DE CIVITATE ENIM SANCTA VOCATI SUNT; id est, audite vos qui omnia tuta vobis pollicemini, quod in sancta civitate Salem habitetis, cui Dominus magnopere favit; quasi dicat: Hæc gloriatio, & fiducia vana est, si absit vera religio, iustitia, & virtus. *Grande est Christianum esse, non dici*, ait S. Hieronymus. DOMINUS EXERCITUUM NOMEN EIUS. Hoc nomine Iudæi valde gloriabantur: recte, si in cultu eius fideles perstitissent.

V. 3. PRIORA EX TUNC ANNUNCIAVI; id est, quæ iam pridem evenerunt, olim prædixi, identidem repetit, & urget suam de futuris prædictionem impletam esse, quasi infallibile argumentum divinitatis, & providentiæ suæ. REPENTE: inopinato, & rebus desperatis auxilium tuli, & id quod pollicitus fueram, opere adimplevi.

V. 4. SCIVI ENIM. In Hebræo, ut vertunt Pagninus, & Vatablus est, *Iam novi quia durus es*; quasi dicat: Toties hæc repeto, quia duritiam cordis tui, obstinationem, & impudentiam tuam novi.

V. 5. MANDAVERUNT: ut fierent.

V. 6. QUAE AUDISTI, VIDE OMNIA; id est, videtis impleta omnia, quæ ex me, & Prophetis meis audistis esse ventura. VOS AUTEM ANNUNCIASTIS? an non vos ipsi quotidie ea annuntiatis, & commemoratis, dum celebratis festa in eorum memoriam instituta? verbi gratia Pascha in memoriam liberationis ex AEgypto, &c. AUDITA FECI TIBI NOVA; id est, non adduco vetera ut fidem astruam, sed nova quæ contra Babylonios facturus sum annuntio. EX TUNC. In Hebræo, Chaldæo, & LXX. est, *ex nunc*, ut cum Forerio, Pagnino, & aliis legendum putat Corn. a Lapide. CONSERVATA SUNT: reservata, recondita sunt apud me.

V. 7. NUNC CREATA SUNT; id est nunc a me decreta sunt; quasi dicat: Nunc a me lata est sententia de Babylonis excidio, nunc cum illud per Isaiam edico, & prædico. ET NON EX TUNC, &c. Lucem accipit hic versiculus ex versione LXX. qui sic habent: *Nunc fiunt, & non olim, & non prioribus diebus audisti ea*. Itaque *ex tunc* idem est quod *olim*, ut etiam supra n. 3. ET ANTE DIEM, id est *ante diem hunc non audisti ea*, ut vertit Pagninus, scilicet neque ab idolis, nec aliunde.

V. 8. NEQUE EX TUNC APERTA EST AURIS TUA: est eiusdem sententiæ repetitio; sensus est: Hæc numquam audisti, ne quidem *ex tunc*, id est ab olim. SCIO ENIM, &c. quasi dicat: Hæc signa divinitatis meæ toties tibi inculco, quia scio te prævaricaturum, & defecturum ad idola. EX UTERO: iam inde a nativitate, & a principio, cum te in populum meum elegi.

V. 9. PROPTER NOMEN MEUM: licet futurus sis prævaricator, & transgressor, liberabo nihilominus te a captivitate *propter nomen meum*, ne scilicet gentes illud blasphement, si videant me populum meum in captivitate derelinquere. LONGE FACIAM: auferam, amovebo. FUROREM MEUM: quo te puniam tempore captivitatis. LAUDE MEA INFRAENABO TE, NE INTEREAS. Magnis, & eximiis beneficiis te afficiam, quibus quasi fræno contineo te, ne ruas in interitum. Beneficia vocan-

cantur *laus*, quia Principes nihil æque commendat, & laudabiles facit, ac beneficentia, quæ subditos frænat, & cogit eos amare, laudare, & eis obsequi. Porro tunc beneficentiam in suos ostendit Dominus, non solum cum eos liberavit, sed etiam cum in captivitatem abduci passus est; nam vexatio illa luxum, & lasciviam cohibuit, & tamquam frænum indomitis Iudæorum cupiditatibus iniecit.

V. 10. SED NON QUASI ARGENTUM: quod ardenti fornace excoquitur, ut a scoria separetur, ego vero non excoxi te gravissimis ærumnis, sed levioribus quibusdam, qualis est paupertas, & servitus Babylonica. ELEGI TE: sicut in fornace, separata scoria, ab argentario seligitur, & colligitur purum argentum.

V. 11. PROPTER ME, &c. Vide dicta num. 9. UT NON BLASPHEMER: a Gentibus, quæ fortasse dicere possent Deum Hebræorum esse impotentem, vel infidelem, aut crudelem, qui suos adeo vexari sineret. GLORIAM MEAM ALTERI NON DABO: non patiar ut idola me potentiora videantur.

V. 12. QUEM EGO VOCO: quem ego Israelem voco, cui ego nomen Israelis indidi. PRIMUS ET NOVISSIMUS: præter quem alius Deus non est.

V. 13. EGO VOCABO EOS: si eos vocem, si quid circa illos iubeam, statim parebunt; sic Iosue x. 13. Sol, Luna, Cælique steterunt.

V. 14. OMNES VOS: Israelitæ. DE EIS: diis scilicet gentium, vel astrologis, quos superiori cap. num. 12. confutavit. ANNUNTIAVIT HAEC: quæ ego prædico de Cyro & Babylonis excidio, de vestra captivitate, & liberatione. DOMINUS DILEXIT EUM: scilicet Cyrum, quem victorem Chaldæorum fecit, & elegit vindictæ suæ administrum. FACIET VOLUNTATEM SUAM IN BABYLONE; id est, Deus per Cyrum faciet voluntatem, & vindictam suam in Babylone. BRACHIUM SUUM: validam plagam: est repetitio.

V. 15. LOCUTUS SUM: ego ita fieri iussi, & tanto ante vobis quæ futura sunt prænuntiavi. DIRECTA EST VIA EIUS: prospere successit. NON IN ABSCONDITO LOCUTUS SUM; quasi dicat: Ex quo cœpi prophetare de excidio Babylonis non in angulis ambigue, & perplexe, sed publice, clare, & aperte de eo locutus sum. EX TEMPORE ANTEQUAM FIERET, &c. antequam scilicet Babylon everteretur, ego Isaias ibi eram spiritu præsens, videbamque & contemplabar rei gerendæ seriem, modum & ordinem. DEUS MISIT ME, &c. a Deo, & Spiritu sancto eius missus sum, ut hæc prænuntiarem.

V. 17. DOCENS TE UTILIA, id est id quod tibi expedit.

V. 18. SICUT FLUMEN: abundans scilicet, & perennis. PAX TUA: quies, prosperitas, & rerum omnium affluentia; hoc enim *pacis* nomine significatur ab Hebræis. IUSTITIA: pacis comes, & effectrix: vel, intelligit iniustitiæ præmium. SICUT GURGITES MARIS: ampla, & plena, quam ampli & pleni sunt gurgites maris.

V. 19. QUASI ARENA: ut promissum fuerat Abrahamo Genes. XXII. 17. NON FUISSET ATTRITUM: non excidisset nomen, fama, gloria nominis tui.

V. 20. EGREDIMINI DE BABYLONE: lætum e Babylone reditum describit, & ad eum captivos excitat. IN VOCE EXULTATIONIS ANNUNTIATE: cum lætitia nuntiate reditum in Iudæam, & ad patriam repetendam cives vestros invitate. REDEMIT: eripuit, liberavit.

V. 21. NON SITIERUNT IN DESERTO CUM EDUCERET EOS. Vide hist. Exod. XVII. 6. & Num. XX. 11. sensus est: Nihil vobis deerit in reditu: nam Deus aderit, sicut adsuit maioribus vestris, quibus in arida eremo largos aquarum latices suppeditavit.

V. 22. NON EST PAX IMPIIS DICIT DOMINUS. Respicit versiculum 20. quasi dicat: Egredimini, relinquite Babylonem, quia non est pax impiis, sed illis mala impendent, ut etiam iis qui illorum societate, & consuetudine delectantur.

TIRINI.

Vers. 1. DE AQUIS IUDA EXISTIS. Metaphora desumpta a fontibus & rivis: Iacob enim fuit quasi fons, ex quo 12. rivi, id est 12. Patriarchæ & tribus. Sed Iudæi ex nobilissimo rivo, puta ex Iuda, profluerunt, inquit S. Hieronymus, Sanchez & a Lapide. QUI IURATIS quidem IN NOMINE, seu per nomen, DOMINI, ET sæpe RECORDAMINI; Hebrai-

braice *commemoratis*, seu mentionem facitis, DEI ISRAEL, sed NON IN VERITATE, NEQUE IN IUSTITIA: quia plerumque iuratis quod falsum est, vel iniustum, vel Deo iniurium, pulchra religionis larva tegentes vestras usuras, rapinas, aliasque fraudes & dolos: ita Forerius.

V. 2. DE CIVITATE SANCTA VOCATI SUNT; id est, ab urbe sancta Ierusalem nomen acceperunt civium civitatis Dei, & dicti sunt cives sancti, qui a potenti Deo Israelis sustentantur & stabiliuntur, quasi cives & domestici eius. Unde putant, nil sibi metuendum ab ullo hoste, vel excidio, vel alia calamitate. Et recte quidem, si in cultu tam potentis & benevoli Dei fideles perstitissent: absque eo enim omnia haec nomina cassa sunt & inania.

V. 3. PRIORA praeteritorum saeculorum EX TUNC diu antequam fierent, ANNUNTIAVI per Prophetas & praedixi futura: eademque ut praedixeram, OPERATUS SUM REPENTE; id est, produxi & perfeci inopinato, praeter omnium opinionem & exspectationem, praeter rerum & naturae consuetum cursum: v. g. diluvium, ortum Isaac & Iacob, egressum Hebraeorum ex AEgypto, possessionem terrae Chanaan, &c. ita S. Hieronymus.

V. 6. VOS AUTEM NUM (Hebraice, *nonne*) ANNUNTIASTIS, iam pridem haec omnia completa esse ut praedixeram? & adhuc quotidie annuntiatis, Scripturas quae illa commemorant, lectitantes; psalmos qui illa inculcant, decantantes; festa in illorum beneficiorum memoriam celebrantes? ita Forerius, Sasbout, Vatablus & Sanchez. Pari modo, pari certitudine AUDITA FECI TIBI NOVA EX TUNC. In Hebraeo. LXX. & Chaldaeo, *ex nunc*: sed utrumque est verum: nam & olim Deuter. XXX. & alibi minatus est Deus delinquentibus severas poenas, & nominatim oppressionem ab hostibus, & deductionem in alienas terras; poenitentibus vero reductionem ad propria: & nunc in specie designat, abducendos a Chaldaeis in Babylonem, sed paucis post annis in patriam reducendos. Quae hactenus *nescisti*, & apud me CONSERVATA SUNT, & in sinu recondita:

V. 7. ET NUNC demum CREATA SUNT, id est a me prolata in lucem, idque ANTE DIEM, seu tempus illi rei destinatum: ET NON AUDISTI quidquam hactenus ea de re, seu ex idolis, seu ex ariolis & divinis tuis.

V. 8. NEQUE EX TUNC APERTA EST AURIS TUA; id est, ante hac nulla eius rei fama vel notitia devenit ad aures tuas: nihil tibi super ea re indicatum vel revelatum fuit. Et vero quid iuvat praedixisse tibi talia? SCIO ENIM QUIA, non obstante tali praedictione, PRAEVARICANS *a* PRAEVARICABERIS, id est certo certius deficies a lege mea, apostatabis a cultu & obsequio meo, & transfugies ad idola: nam TRANSGRESSOREM novi; & VOCAVI TE non ab heri vel nudiustertius, sed iam inde EX UTERO, id est ab ipso tui ortu & conceptu: nempe cum in Sinai (ubi te formabam & parturiebam novam Ecclesiam) vitulum aureum conflasti & adorasti. Et quidem perpetua hac tua praevaricatione merebaris exscindi stirpitus de terra: & ita facerem si furori meo iustissimo obsequi vellem; sed

V. 9. PROPTER NOMEN MEUM, meamque clementiam, & in te, licet immerentem, affectum, LONGE FACIAM FUROREM MEUM A TE, NE INTEREAS. Ne tamen pergas insolescere, INFRAENABO TE apto tibi & commodo fraeno, mihique glorioso & laudabili, nempe brevi servitute & captivitate Babylonica: ita S. Hieronymus, Haymo, Sasbout, Dionysius & Sanchez. Sic obiter in fornace Babylonica.

V. 10. EXCOXI TE, SED NON QUASI ARGENTUM; ut nempe stannum omne & plumbum & alia scoria plane semoveantur, maneatque purum argentum: si enim sic excoxissem, utique consumpsissem te, cum non sis nisi mera peccatorum scoria (*argentum enim tuum versum est in scoriam*, ut dixi Isa. cap. I. 22.) sed leniori CAMINO & purgatione purificavi te, nempe *paupertate*, servitute & similibus aerumnis in Babylone: ita S. Cyrillus & Procopius.

V. 12. EGO PRIMUS ET NOVISSIMUS: ut dixi cap. XLI. 4. EGO V. 13. VOCABO caelos & terram, ET mox ad vocem & iussum meum STABUNT SIMUL, id est sistent se, ut famuli ad nutum heri sui. Id patuit tempore Iosue *b*, & Ezechiae *c*.

V. 14. QUIS, seu magorum, seu idolorum, DE EIS, seu ex eis, puta caelis, astris,

astris, influentiis, ANNUNTIAVIT, vel prænuntiare vobis potuit, HAEC quæ ego per Isaiam prænuntio? Primum, de Nabuchodonosore vos in carcerem abrepturo; secundo, de Cyro, vos e carcere in patriam remissuro. DOMINUS DILEXIT EUM, nempe Cyrum, dilectione naturali, seligendo illum ad iam nobile, iam grande ministerium. Per ipsum FACIET omnem VOLUNTATEM SUAM IN BABYLONE evertenda, ET BRACHIUM, id est potentiam, SUUM IN CHALDAEIS exscindendis.

V. 16. PRINCIPIO, seu ex quo cœpi prophetare, NON SUM LOCUTUS IN ABSCONDITO, non in angulis, non ambigue, non perplexe, sed palam, clare & aperte: & quidem diu ANTEQUAM FIERET transmigratio vestra in Babylonem, & remigratio in Iudæam, ego IBI ERAM spiritu meo præsens, videbamque totius rei gerendæ seriem, ordinem & modum. ET NUNC MISIT ME DEUS, ET SPIRITUS EIUS *sanctus*, ut quæ mihi revelavit, vobis edicam, & certo sic obventura denuntiem: ita Chaldæus, S. Hieronymus, Vatablus, Forerius, & Sanchez. Allegor. SS. Patres dicunt, his verbis innui Christum qua homo est, missum a Patre simul & Spiritu sancto ad redemptionem generis humani.

V. 17. EGO DOMINUS DOCENS TE UTILIA: non curiosa, non vana, non fastuosa, non plausum captantia, sed quæ curandæ saluti tuæ & præsenti & æternæ conveniant.

V. 18. Atque UTINAM ATTENDISSES MANDATA MEA! iam pridem PAX TUA & prosperitas & rerum affluentia, FACTA FUISSET SICUT FLUMEN, novas continuo felicitatis aquas vobis advehens, & obvia quæque obstacula sternens: ET IUSTITIA TUA, tum proprie sumpta, tum metonymice, id est præmium *d* iustitiæ, tibi obvenisset SICUT GURGITES MARIS, nempe summa copia, perenni affluxu, & cui nemo resistere, nemo præpedire possit: ita fere Cyrillus & Procopius.

V. 19. NON FUISSET ATTRITUM NOMEN Israelis A FACIE MEA; id est, non permisissem famam sublimem & nobilem populi mei, apud gentes viles & ignobiles tam fœde proculcari; ut nunc proculcabitur a Chaldæis, & adhuc magis a Romanis. Sed quid hoc monstri? laxata per Cyrum captivitate, & facta Iudæis copia in patriam remigrandi, nolunt viles animæ e Chaldæa, ubi tanto sunt probro, in proprias terras remigrare. Malunt sordida maucipia, spe nescio cuius lucelli manere inter hostes suos, & ignominiosam istic servire servitutem, quam dominari in propria patria: ita multos egisse constat ex I. Esdræ 1. & 2.

V. 20. EGREDIMINI, si sapitis, DE BABYLONE *e*, dum licet. Allegorice, e carcere & servitute diaboli, inquit S. Cyrillus.

V. 21. NON SITIERUNT olim patres vestri IN DESERTO *f*, sub Moyse. Nec iam permittam, aliquid deesse vobis in patriam, e Babylone redeuntibus: curabo per Cyrum *g*, per Darium, per alios, omnia necessaria subministrari per viam, donec salvi in patriam appellatis. Ibi solidam pacem, quietem, felicitatem habebitis, non vero in Chaldæa: nam

V. 22. NON EST PAX IMPIIS, idololatris, superstitiosis, & in omnia vitia profusis, tum Chaldæis, tum Chaldæorum servis ultroneis, (pro pudor!) Iudæis: sed erit perpetua istic ipsis calamitas *h*, afflictio & miseria.

(a) Prolegom. de Idiotism. Hebr. n. xlix.
(b) Iosue x. 13.
(c) Isaiæ xxxviii. 8.
(d) Genes. xxx. 33.
(e) II. Cor. vi. 17.
(f) Exod. xvii. 6.
(g) I. Esdr. 1. & vi.
(h) Rom. ii. 9. & Apoc. xviii. 4.

GORDONI.

Vers. 1. AUDITE HAEC DOMUS IACOB, &c. Exordium hic est, Iudæos qui exierunt de aquis, & fonte Israelis, non re, sed nomine tantum esse Israelitas, ac esse degeneres, gloriantes de nomine Dei, & civitatis Sanctæ.

V. 3. Prædixi & evenerunt, quæ olim dixi (inquit Deus) de Abraham, de servitute in AEgypto, de terra Chanaan, & similibus. Credite ergo similiter eventurum, quod nunc annuntio de Babylone.

V. 6. & 7. QUAE AUDISTI, &c. Omnia quæ vidisti impleta sunt, immo & annuntiata a vobis, ac celebrata in festis vestris, quæ commemorant præterita beneficia: nunc

audis nova de Babylone, conſervata apud me, ignota tibi. τό' EX TUNC, multi putant legendum *nunc*, ex Sept. νῦν. Hebraice מעתה *mibhatta*, *ex nunc*, & ſic videtur ſentire Hieron. in ſenſu huius verſiculi. Sequitur ex verſ. 7. hæc eſſe creata, hoc eſt decreta.

V. 8. TRANSGRESSOREM EX UTERO VOCAVI TE; hoc eſt, vidi te tranſgreſſorem eſſe ex utero; & ab initio vocationis tuæ, quando in Sina formaſti vitulum.

V. 9. & 10. PROPTER NOMEN MEUM, &c. itaque ſi parco tibi, eſt non quia mereris, ſed propter nomen meum; tamen infrænabo ne omnino pereas; at hoc fiet per captivitatem & miracula.

V. 12. AUDI ME IACOB, &c. Invitat, ad verum Dei cultum; ac ut obediat vocationi: obediunt cæli, aſtra & omnia; idem facite, &c.

V. 16. ET NUNC DOMINUS DEUS MISIT ME ET SPIRITUS EIUS. Aliqui Iſaiam loqui hic volunt: alii Chriſtum cum Pinto. Non eſt tamen ſenſus ſecundam perſonam mitti a tertia. Video quidem plures aſſerentes ſenſum hic litteralem eſſe de Iſaia loquente, & allegorice tantum de Chriſto, ſub perſona Iſaiæ, ut typo & allegoria Chriſti. Sane loqui ſic Iſaiam opinantur Hieronymus, Vatabl. Sanches, & Cornelius, unde ſequi videtur tantum myſtice agi de Chriſto. Senſum tamen eſſe de Chriſto, & ipſum loqui, ſentiunt Galatinus, Pintus, & alii, quibus favere videntur verba verſ. 13. & contextus ſermonis annexi. Ceterum hinc ſignificari Trinitatem (ſaltem myſtice) multi docent; nempe filium qua homo eſt, miſſum a Patre & Spiritu ſancto: nam qua Deus eſt, tantum a Patre procedit, nec hoc modo mittitur a Spiritu ſancto, ut dixi in opere Theolog. Lib. IX. quæſt. ult. ita Patres, Hieronymus, Procop. Anaſta. Cyril. Baſil. S. Thomas hic, & recentiores. Denique Paſchaſius Lib. de Spiritu ſancto, cap. VII. probat ex hoc loco Spiritum ſanctum ſubſiſtere, & in Trinitate habere ſuam ſubſiſtentiam.

V. 17. HAEC DICIT DOMINUS REDEMPTOR TUUS, &c. Deus redemptor, & gubernator eſt Iſraelis, ſed male auditus; tamen verſ. 20. promittit reditum e Babylone. Reponit mox præterita beneficia ſub Moſe, ut credant futura, & ſciant non eſſe pacem impiis.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Verſ. 1. QUI DE AQUA, de ſtirpe & ſemine Iuda exiiſtis: qui in gravibus peccatis iuratis.

Verſ. 7. NUNC CREATA SUNT: iam decreta a me, & lata ſententia in Chaldæos.

Verſ. 9. INFRAENABO NE PEREAS; hoc eſt, donis liberalitatis & beneficiis Deus ſuos refrænat & continet, ne pereant.

V. 10. EXCOXI, non graviſſima afflictione, quaſi per ignem, ſed leviore, & paupertate.

Verſ. 12. QUAEM voco, cui nomen Iſraelis impono.

Verſ. 14. DE EIS: de diis gentium.

Verſ. 16. EX TEMPORE. Antequam Babylon auferretur, hæc prædicta, & definita ſunt.

Verſ. 21. Vide Exod. XVII. & Num. XX. II.

CA-



C A P U T XLIX.

Constituitur Christus dux Gentium ac Iudæorum salvandorum, daturque in fœdus populi ex omni orbis parte vocandi: & ostensa magna felicitate credentium in Christum, hortatur eos ad gratiarum actionem: benigne etiam consolatur Sion quæ se a Deo desertam conquerebatur, promittens eam toto orbe fore gloriosam, omnibus ad ipsam confluentibus, eiusque contritis inimicis.

1. AUdite insulæ, & attendite populi de longe: Dominus ab
utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est
nominis mei. 2. (*a*) Et posuit os meum quasi gladium
acutum: in umbra manus suæ protexit me, & posuit me
sicut sagittam electam: in pharetra sua abscondit me. 3.
Et dixit mihi: Servus meus es tu Israel, quia in te glo-
riabor. 4. Et ego dixi: In vacuum laboravi, sine causa,
& vane fortitudinem meam consumpsi: ergo iudicium
meum cum Domino, & opus meum cum Deo meo. 5. Et nunc dicit Domi-
nus, formans me ex utero servum sibi, ut reducam Iacob ad eum, & Israel
non congregabitur: & glorificatus sum in oculis Domini, & Deus meus fa-
ctus est fortitudo mea. 6. Et dixit: Parum est ut sis mihi servus ad suscitan-
das tribus Iacob, & fæces Israel convertendas. (*b*) Ecce dedi te in lucem
Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. 7. Hæc dicit Dominus
redemptor Israel, sanctus eius, ad contemptibilem animam, ad abominatam
gentem, ad servum dominorum: Reges videbunt, & consurgent principes, &
adorabunt propter Dominum, quia fidelis est, & sanctum Israel qui elegit te.
8. (*c*) Hæc dicit Dominus: In tempore placito exaudivi te, & in die salutis
auxiliatus sum tui: & servavi te, & dedi te in fœdus populi, ut suscitares
terram, & possideres hereditates dissipatas: 9. ut diceres his, qui vincti sunt:
Exite; & his, qui in tenebris: Revelamini. Super vias pascentur, & in omni-
bus planis pascua eorum. 10. (*d*) Non esurient, neque sitient, & non percutiet
eos æstus & sol: quia miserator eorum reget eos, † & ad fontes aquarum po-
tabit eos. 11. Et ponam omnes montes meos in viam, & semitæ meæ exal-
tabuntur. 12. Ecce isti de longe venient, & ecce illi ab Aquilone & mari,
& isti de terra Australi. 13. Laudate cæli, & exultet terra, iubilate montes
laudem: quia consolatus est Dominus populum suum, & pauperum suorum
miserebitur. 14. Et dixit Sion: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus
est mei. 15. Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non miserea-
tur filio uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. 16.
Ecce in manibus meis descripsi te: muri tui coram oculis meis semper. 17.
Venerunt structores tui: destruentes te & dissipantes, a te exibunt. 18. (*e*) Le-
va in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi:
vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris, &
circumdabis tibi eos quasi sponsa. 19. Quia deserta tua, & solitudines tuæ,
& terra ruinæ tuæ, nunc angusta erunt præ habitatoribus, & longe fugabun-

tur

tur qui absorbebant te. 20. † Adhuc dicent in auribus tuis filiis sterilitatis tuæ: Angustus est mihi locus, fac spatium mihi ut habitem. 21. Et dices in corde tuo: Quis genuit mihi istos? ego sterilis, & non pariens, transmigrata, & captiva: & istos quis enutrivit? * ego destituta & sola: & isti ubi erant? 22. Hæc dicit Dominus Deus: Ecce levabo ad Gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum. Et afferent filios tuos in ulnis, & filias tuas super humeros portabunt. 23. Et erunt reges nutritii tui, & reginæ nutrices tuæ: * vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent. Et scies quia ego Dominus, super quo non confundentur qui expectant eum. 24. Numquid tolletur a forti præda? aut quod captum fuerit a robusto, salvum esse poterit? 25. Quia hæc dicit Dominus: Equidem, & captivitas a forti tolletur: & quod ablatum fuerit a robusto, salvabitur. Eos vero, qui iudicaverunt te, ego iudicabo, & filios tuos ego salvabo. 26. Et cibabo hostes tuos carnibus suis: & quasi musto, sanguine suo inebriabuntur: & sciet omnis caro, quia ego Dominus salvans te, & redemptor tuus fortis Iacob.

(a) Iac. II. 22. (b) Sup. xlix. 6. Act. xiii. 47. (c) II. Cor. vi. 2. (d) Apoc. vii. 16. (e) Infr. lx. 4.

B R U G E N S I S.

Romanae Correctiones.

Vers. 21. *Ego destituta & sola: & isti ubi erant?* Minime interiiciendum est adverbium *hic* inter *ubi* & *erant*.

Vers. 23. *Vultu in terram demisso adorabunt te.* Non mutes accusativum *terram* cum ablativo *terra*.

Lectionum Varietas.

Vers. 10. *Et ad fontes aquarum potabit.* Plura vetera manuscripta, etiam Missale Romanum Sabbato post dominicam quartam Quadr. loco *potabit* quod est, potum dabit, scribunt, *portabit*, quod est, feret, ducet, non sine similitudine veri, quod docent Notationes nostræ.

Vers. 20. *Adhuc dicent in auribus tuis filiis sterilitatis tuæ.* Vix dubito quin sit hic error typographicus in editione Romana, quo dativus *filiis*, positus sit loco nominativi *filii*.

Notatio.

Vers. 10. ET *ad fontes aquarum potabit* (*potabis* o.) *eos*. Frequentior codicum scriptura est *potabit*, quam sequuntur Glossematici Lyra, Caro, & Richel. Porro quidam codices *portabit* habent, duo Parisiensium, S. Germani parvus, & Complutensis; tres nostri, Hunnæi M, Plantini angustus, atque is quem cœnobii S. Iacobi Leodii Abbas commodavit, ex quo erasa quidem est littera *r* (ut sunt pleraque omnia in eo, ceteroqui integerrimo, recentiori depravatoris manu immutata) sed satis etiamnum apparet. In Card. Bessarionis libro addita est *r* littera, notatumque in margine: „ recte „ est *portabit*. " Hebraice est יְנַהֲלֵם, id quod LXXII. senes reddidere ἄξει αὐτοὺς, S. Ioannes Apocalypseos VII. capite, vers. 17. ὁδηγήσει αὐτοὺς; similiter plerique hodie Interpretes, *ducet*, vel *deducet eos*; Chaldæus paraphrastes יְשָׁרֵינּוּן *habitare faciet*, vel *collocabit eos*; quæ omnia *portabit* adstruunt. Adhæc Interpres noster vocem illam portare convertit, Exodi xv. 13. & Isaiæ xl. capite 11. Videri igitur possit, & hoc loco ad eum modum convertisse: quibusdam tamen locis *sustentare* atque *enutrire* interpretatus est. Commentarius *potabit* habet: verum ita ut non liqueat an ab eo scriptum, an vero ex *portabit* mutatum sit. „ Et deducet, ait, ad „ fontes aquarum, sive potabit illos ad fon„ tes, de quibus scriptum est: Benedicite „ Domino de fontibus Israel: & in alio lo„ co, haurite aquas de fontibus salvatoris. „ Hi fontes in veteri testamento & novo „ sunt. " Haymo qui eius fere commentarium sequitur, *portabit* legit: *Et cum per se nihil possint, & ad fontes aquarum portabit eos*.

ent. Ad illos utique fontes, de quibus canitur, haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris: quibus aut sacra Scriptura, aut Spiritus sancti gratia intelligitur.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. Audite insulae, (אלי) et attendite populi de longe. Qui longe estis; id est, audiant extremæ oræ orbis terræ quæ dicturus sum, ad omnes enim pertinent. Dominus ab utero vocavit me, id est destinavit, designavit me, ut essem redemptor generis humani: sicut D. Paulus ad Gal. I. 15. dicit se ab utero matris suæ segregatum, & vocatum per gratiam Dei, id est destinatum ad officium Apostoli, & Rom. I. 1. & I. Cor. I. 1. appellat se vocatum Apostolum. Et loquens de hac ipsa Christi vocatione ad Heb. V. 4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret: sed qui locutus est ad ipsum: Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Hoc idem fortasse significat illud Psal. CIX. 3. *Ex utero ante Luciferum genui te*. De ventre matris meae. Repetitio est: idem enim significat, Recordatus est nominis mei, & Vocavit me. Utitur autem iisdem verbis, quibus de Cyro loquens usus est supra.

V. 2. Et posuit os meum quasi gladium acutum. Declarat officium ad quod se a Deo vocatum fuisse dixerat, nempe ut doceat homines. Doctoris autem officio, officium etiam redemptoris comprehendit, duasque proprietates duabus metaphoris declarat. Una proprietas est vis & efficacitas doctrinæ, quæ per gladium acutum, & sagittam electam significatur: *Vivus est enim sermo Dei, & penetrabilior omni gladio ancipite*: Heb. IV. 11. *Gladius autem est verbum Dei*: Ephs. VI. 17. quod idem per sagittam electam, aut ברר, *mundam*, id est exacutam declaratur. Sicut econtrario lingua & verba maledicorum, quia penetrant, sagittæ vocari solent, ut Psal. LVI. 5. *Dentes eorum arma & sagittæ*: & Prov. XXV. 18. *Iaculum & gladius, & sagitta acuta homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium*. Altera proprietas est, ut lædi frangique non possit: quod significat cum dicit, In umbra manus suae protexit me: & cum dicit, In pharetra sua abscondit me: quibus verbis docet doctrinam suam ab omnibus iniuriis a Deo defendi. Rursus quia gladio cominus, sagitta vero eminus ferimus; illud etiam hac duplici metaphora notatur, Christum alios per se ipsum, alios per Apostolos & eorum successores docuisse, *Creasse fructum labiorum pacem, pacem ei qui longe est & qui prope*, ut dicit infra cap. LVII. 19. & Paulus ad Ephes. II. 17.

V. 3. Et dixit mihi, servus meus es tu Israel. Aliqui putant transferri sermonem a Christo ad eius populum, id est Ecclesiam, quasi a capite ad corpus. Solet enim inter Christum & Ecclesiam propter summam coniunctionem communicatio idiomatum fieri, sicut multi veteres auctores interpretati sunt de Ecclesia, quod de Christo dicit D. Paulus I. Cor. XV. 28. eum patri esse subiiciendum: & ad Col. I. 24. ait, *Adimpleo ea, quæ desunt passionum eius in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia*. Magis probo quod alii dicunt, ut ipsum Christum vocet Israelem, & quia secundum carnem Israelita erat, quia merito nomen corporis capiti tribuitur: sicut Gallum solemus Regem Galliæ, Turcam Turcarum Imperatorem appellare. Servus meus es tu, secundum humanam naturam servum vocat ut sup. cap. XLII. 1. *Ecce servus meus suscipiam eum, electus meus, complacuit sibi in eo anima mea:* eadem enim utriusque loci sententia est: vide quæ illic adnotavimus.

V. 4. Et ego dixi, in vacuum laboravi. Conqueritur Christus se frustra laborasse, id est frustra quodam modo mortuum esse, quia maior pars hominum noluit ex eius morte fructum ullum percipere, & ut ait Ioannes I. 10. 11. *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt; in propria venit, & sui eum non receperunt*. Et vane fortitudinen meam consumpsi, pugnando pro hominibus contra Diabolum & mortem. Ergo, אכן,

pro-

propterea IUDICIUM MEUM CUM DOMINO; id est, apud Dominum causa mea iusta erit, cum homines incredulitatis accusabo, feci quod debui. *Iustificata est sapientia a filiis suis*: Matth. XI. 19. *Et cum venerit ille arguet mundum de peccato, & de iustitia & de iudicio*: Ioan. XVI. 8. Vocat Christus Deum & Dominum suum loquens ut homo, ut Ioan. XX. 17.

V. 5. FORMANS ME EX UTERO, id est qui me incarnari fecit. UT REDUCAM IACOB. *Missus enim est ad oves quæ perierunt domus Israel*: Matth. XV. 24. ET ISRAEL NON CONGREGABITUR. Hic locus aliter legitur & exponitur ab aliis. Heb. est וישראל אל יאסף, *& Israel non congregabitur*, ut noster vertit Interpres. Alii vero negationem sustulerunt quod videatur sensum evertere, ut Septuag. ϗ Ισραὴλ συναχθήσομαι. Alii præposuerunt ה particulam interrogativam, *An Israel non congregabitur?* quasi dicat, Congregabitur, ut Hebræi interpretantur, gratia gentis suæ. Alii legunt לו mutantes א in ו, ut sæpe fit, ut sit sensus: *Et Israel illi*, id est Deo, *congregabitur*, ut Chaldæus interpretatur. Alii interpretantur ו, pro, *quamvis Israel non congregabitur, tamen ego glorificabor*. Sed lectio Interpretis nostri germana est, sensusque est facilis. Idem enim est Iacob & Israel, & nihil aliud significat, quam se missum quidem esse ut congregaret Israel, fore autem ut Israel nolit congregari, ut idem Christus dicit, Matth. XIII. 37. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti*. ET GLORIFICATUS SUM IN OCULIS DOMINI; id est, placuit Domino glorificare me & corroborare ad pugnandum cum morte, sicut a patre petivit, paulo ante quam moreretur: Ioan. XVII. I. *Pater, venit hora, clarifica filium tuum*: idem enim est clarificare & glorificare, quia gloria, claritas, & splendor quidem est.

V. 6. ET DIXIT. Superior versiculus suspensus fuerat, nondum enim exposuerat Propheta quid Deus dixisset, nunc autem exponit. PARUM EST: נקל, *leve est*. Hebræi, ne videantur vocationem gentium confiteri, interrogative legunt, præponentes ה. *An parum est?* quasi dicat, Non. Sed sensus est planus: dicit enim Deus se non tantum missurum filium suum ut Israel ad se traducat, ut ante mittebat, sed ut omnes etiam gentes ad se convertat, ut docet D. Ioannes XII. 52. Christum mortuum esse pro gente, & non tantum pro gente, sed etiam ut filios qui erant dispersi congregaret, id est gentes. Quomodo ergo dicit se non esse missum, nisi *ad oves quæ perierunt domus Israel*: Matth. XV. 24. id intelligitur, primum non esse missum nisi ad illos, quia illis promissiones factæ fuerant, ut Paulus & Barnabas dicunt, Act. XIII. 46. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes*. ET FAECES ISRAEL: נצורי, *eversiones, ruinas Israel*, id est peccatores. Chaldæus גלות, *captivitatem*. Septuag. τὴν διασποράν Ισραὴλ.

V. 7. HAEC DICIT DOMINUS, &c. AD CONTEMPTIBILEM ANIMAM, id est ad populum afflicti & abiecti animi. ET AD ABOMINABILEM GENTEM, id est, ad Israelitas, qui servitute oppressi apud omnes nationes in opprobrio sunt. AD SERVUM DOMINORUM, id est ad Iacob, ad populum Israel, qui captivus diversis dominis servire cogitur. REGES VIDEBUNT. Hæc est consolatio populi, cuius miseriam describit. Reges (quibus nunc servitis) *videbunt* (liberationem vestram, & admirabuntur, adorabuntque Deum.) ET CONSURGENT PRINCIPES, ET ADORABUNT (Deum) PROPTER DOMINUM, QUIA FIDELIS EST; id est, adorabunt Deum propter eius fidelitatem, videntes fecisse quæ populo suo promiserat. ET (propter) SANCTUM ISRAEL, id est propter Deum Israelis, QUI ELEGIT TE. Sæpe diximus, Sancti nomen absolute positum Deum plerumque significare.

V. 8. IN TEMPORE PLACITI EXAUDIVI TE. De Christo hic locus intelligitur, qui ab initio huius capitis loquitur; quamquam D. Paulus propter communicationem idiomatum, quæ, ut supra diximus, inter Christum & Ecclesiam sæpe fit, aliquando de ipso Christo interpretari videatur, ut Heb. V. 7. *Qui in diebus carnis suæ, preces, supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens exauditus est pro sua reverentia*: aliquando de Ecclesia, ut II. Cor. VI. I. *Adiuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis: ait enim, Tempore accepto exaudivi te, &*

in

in die salutis adiuvi te. AUXILIATUS SUM TUI, pro, auxiliator fui tui. ET DEDI TE IN FOEDUS. Hoc non potest nisi de Christo intelligi, in quo fœdus absolutum fuit, & in quo omnes promissiones fuerunt *Amen Deo*: II. Cor. I. 20. UT SUSCITARES TERRAM, id est mundum a peccatis in quibus iacebat, relevares. ET POSSIDERES HEREDITATES DISSIPATAS, id est ut quæreres, & salvum faceres quod perierat: Luc. XIX. 10.

V. 9. UT DICERES HIS QUI VINCTI SUNT, EXITE; id est, qui solo verbo eos qui peccatorum vinculis obstricti tenebantur, liberares: ut Matth. IX. 2. *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua*: & Mar. II. 5. & Luc. V. 20. Potest etiam intelligi de liberatione eorum qui in limbo erant: ut illud Zachar. IX. 11. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos e lacu, in quo non est aqua*. ET QUI IN TENEBRIS ILLUMINAMINI; id est, ut illuminares *omnem hominem venientem in hunc mundum*: Ioan. I. 9. Ut illumines *iis, qui in tenebris, & umbra mortis sedent*, & dirigas *pedes eorum in viam pacis*: Luc. I. 79. Duo Christi officia hic indicantur, redemptoris & doctoris. SUPER VIAS PASCENTUR, ET IN OMNIBUS PLANIS, id est in omni plano loco. Vel, שפים, *in fastigiis montium*. Neque in viis, quia pedibus teruntur, neque in verticibus montium, quia aridi sunt, pascua esse solent. Significat ergo etiam in locis aridissimis pascua illis futura esse, qui per Christum liberabuntur. Quæ non ad verbum, sed mystice sunt intelligenda, nempe divinam gratiam, qua homines a Christo pastore bono pascuntur, in rebus maxime duris & adversis non defuturam.

V. 10. NON ESURIENT NEQUE SITIENT, id est nihil illis deerit, persequitur eamdem sententiam. NON PERCUTIET EOS AESTUS; id est, sicut olim interposita nube fecit Deus, ut filii Israel a Pharaone liberati soli non urerentur: Exod. XIII. 21. ita faciet, ut qui a Diaboli potestate liberati fuerint, a tentationibus non urantur aut superentur. QUIA MISERATOR EORUM REGET EOS: hypallage, pro, qui regit eos, miserebitur eorum. ET AD FONTES AQUARUM POTABIT: ינהלם, *deducet eos*. *Qui enim credit in eum, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ*: Ioan. VII. 38. *Et qui biberit ex aqua, quam ille dabit, non sitiet in æternum*: Ioan. VI. 13. Simile est illud Psal. XXII. 1. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit. Super aquam refectionis educavit me*.

V. 11. ET PONAM OMNES MONTES MEOS IN VIAM; id est, montes quos ego feci, explanabo, ut omnes gentes ad Ecclesiam planissima via venire possint; tollam omnia impedimenta, explicabo omnia illa mysteria, quæ ante intelligere non poterant. ET SEMITAE MEAE EXALTABUNTUR; id est, exaggerabuntur, ut ab omnibus conspici possint, neque quisquam aberret, sicut a via quæ lapidibus strata est, nemo deerrare potest.

V. 12. ECCE ISTI DE LONGE. Utitur distributione, quia declarat gentes ab omnibus terræ partibus ad Ecclesiam venturas, quod similibus verbis Christus dicit Matth. VIII. 11. *Multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cælorum*. DE TERRA AUSTRALI. Heb. מארץ סינים, *de terra Sinim*, vel, ut alii legunt, *de terra*, סינים, *Sinis*, quam interpretantur Syenem urbem AEgypti. Chaldæus vertit, *de terra Australi*, sicut noster Interpres. Septuag. vero ἐκ γῆς Περσῶν.

V. 13. EXULTATE: pro, exultabitis; sicut, CONSOLATUS EST, pro, consolabitur. Utitur prosopopœia, ut rem ante oculos ponat, magisque confirmet.

V. 14. ET DIXIT SION; id est, cum ego liberationem illi promittam, illa econtrario dicit se a me derelictam, meque oblitum sui.

V. 15. ETSI ILLAE: אלה, *hæ matres*, mutato numero. Singularem providentiam erga suos declarat hoc exemplo.

V. 16. ECCE IN MANIBUS MEIS. Probat se non posse oblivisci, quia in manibus suis descriptam gerit: solemus enim quod semper recordari volumus, in manibus scribere, ut Deut. VI. 8. *Et ligabis ea, quasi signum in manu tua*. ET MURI TUI CORAM OCULIS MEIS: נגדי, *coram me*; id est, semper recordor murorum tuorum. Mystice, per Sion intelligit Ecclesiam, per muros, leges quibus conservatur & regitur, *ne portæ inferi prævaleant adversus eam*: Matth. XVI. 18.

V. 17. VENERUNT STRUCTORES TUI; id

id est, venient qui te ædificent Apostoli. Heb. מהרו, *festinabunt*. DESTRUENTES ET DISSIPANTES; id est, qui te prius destruebant Pharisæi & hæretici a te discedent.

V. 18. LEVA IN CIRCUITU OCULOS TUOS. Hac phrasi solet attentio & expectatio excitari, sicut de Abrahamo, qui Ecclesiæ figura erat: Genes. XV. 5. *Suspice cælum, & numera stellas, si potes, sic erit semen tuum:* & Iacob Genes. XXXI. 12. *Leva oculos tuos, & vide omnes masculos ascendentes super feminas, varios, maculosos atque respersos:* & rursus Abrahamo Genes. XIII. 14. *Leva oculos tuos, & vide a loco in quo nunc es, ad Aquilonem, & Meridiem, ad orientem, & occidentem, omnem terram, quam conspicis, tibi dabo:* & Luc. XXI. 28. *Respicite, & levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* OMNES ISTI CONGREGATI SUNT. Præt. pro fut. id est, omnes gentes, quas ubique terrarum vides, ad te confluent, id est ad Ecclesiam, *Ut sit unum ovile, & unus pastor:* Ioan. XX. 16. OMNIBUS HIS VELUT ORNAMENTO VESTIERIS. Vocat gentes Ecclesiæ ornamenta, quæ Iudæorum populo quasi corpori accesserunt. ET CIRCUMDABIS EOS: חקשרים, *sicut torquem circumdabis eos tibi.*

V. 19. DESERTA TUA, id est loca quæ habitatoribus vacua erant. ET TERRA RUINAE TUAE; id est, terra tua vastata ac destructa, NUNC ANGUSTA ERUNT PRAE HABITATORIBUS, id est præ multitudine Christianorum. ET LONGE FUGABUNTUR tyranni, qui te affligebant.

V. 20. ADHUC, id est etiam postquam Ecclesia dilatata fuerit. DICENT IN AURIBUS TUIS, id est te audiente. FILII STERILITATIS TUAE, id est quos peperisti, cum prius sterilis esses. *Quoniam multi filii deserta magis, quam eius quæ habebat virum:* ut ait inf. cap. LIV. 1. *Et sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata est:* I. Reg. II. 5.

V. 21. ET DICES IN CORDE TUO. Significat fore ut Ecclesia Iudæorum miretur, unde illi tanta filiorum, id est gentilium multitudo nata fuerit, cum ipsa eos non pepererit. Quæstio autem hæc sic explicatur a D. Paulo Rom. IX. 8. *Non qui filii carnis, hi filii Dei: sed qui filii sunt promissionis æstimantur in semine.* Non genuit ergo Ecclesia Iudæorum gentiles carne, sed genuit ex aqua & Spiritu sancto.

V. 22. LEVABO AD GENTES MANUM MEAM. Levare manum aliquando significat iurare, aliquando minari, aliquando percutere, aliquando dare signum ad vocandum, ut hoc loco, ubi de vocatione gentium agi manifestum est, & quod dicit, *Levabo manum*, statim explicat, EXALTABO SIGNUM; id est, tollam signum aut vexillum meum, ut ab omnibus conspiciatur. Signum autem est Evangelii prædicatio quæ ubique auditur, *Virtus enim Dei est in salutem omni credenti:* Rom. I. 16. virtus autem per manum significatur. ET AFFERENT FILIOS TUOS IN ULNIS; id est, afferent infantes suos, futuros filios tuos per baptismum, ut abs te baptizentur: prædicitur quod postea, ut Aug. ait, in Ecclesia factitatum fuisse videmus, ut matres cum infantibus ad Ecclesiam currerent.

V. 23. ET ERUNT REGES NUTRITII TUI; id est, reges qui prius carnifices tui erant occidentes eos qui Christiani fiebant, suscepto Evangelio fient nutritii tui; id est, fovebunt ac defendent Christianos filios tuos, quod in Constantino, Theodosio, aliisque Christianis regibus factum videmus. Potest etiam sic intelligi, *Erunt nutritii tui*, nutrient te suis facultatibus, quod omnes reges, Galliæ vero maxime fecerunt, quos nunc Ecclesia αἰ'τεπιλαρχεῖ ἢ αἰ'τ'γυρ τρεφεῖ. ET REGINAE. Heb. שרותיהם, *reginæ eorum*, id est, uxores eorum erunt nutrices tuæ. VULTU IN TERRAM DEMISSO. Hoc proprie de pœnitentia intelligitur, quam reges ipsi ad pedes sacerdotum prostrati petunt ab Ecclesia. SUPER QUO NON CONFUNDENTUR; id est, non fallentur sua spe qui confidunt in eo. Hebraismus sic esset Latine resolvendus: Ego Dominus in quo qui confidunt, non pudefient.

V. 24. NUMQUID TOLLETUR A FORTI PRAEDA? Significat neminem sibi erepturum prædam, id est eos quos prædestinavit, & a Diabolo tamquam prædam abstulit, quia fortis & robustus est, ut Christus ait Ioan. X. 27. 28. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non cripiet eas quisquam de manu mea.* Itaque non vocat fortem Diabolum, ut multi putant,

sed

fed generaliter omnem fortem, neque prædam quam ab eo Diabolus ceperit. Sed alio loco dicitur captivam duxisse captivitatem: Psal. LXVII. 19. & Ephes. IV. 8. Sed vocat prædam quidquid a quovis captum sit. Argumentatur enim tacite ad hunc modum: Nemo tollere potest a forti prædam; ego sum fortis, nemo igitur meam prædam a me tollet. Addit confirmationem versu sequenti. Esto, a forti aliquis tollat, tamen a me, qui omnium fortissimus sum, nemo tollet. Sicut de muliere supra dixit, vers. 15. *Numquid potest oblivisci mulier infantem suum:* etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar. AUT QUOD CAPTUM EST A ROBUSTO. Nunc Hebræi legunt, מצריק, *a iusto*, quod vix sensum habere potest. Credo ego hunc locum sicut multos alios, corruptum esse apud Hebræos, legendumque esse, מעריץ, *a robusto*. Primum quia sensus magis cohæret: est enim repetitio verborum præcedentium. Itaque quem prius fortem vocaverat, nunc robustum appellat. Deind quia versu sequenti, ubi eadem sententia repetitur; non legitur, עריק, *iustus*, sed, עריץ, *robustus*. Præterea quia manifestum ex eius versione, nostrum Interpretem ita legisse, quamquam non ignoro & Septuag. & Chaldæum Paraphrastem, & D. Hieronymum legisse aliter. Denique quatuor litterarum similitudo facile potuit errorem inducere.

V. 25. ET CAPTIVITAS A FORTI TOLLETUR. Oratio absoluta vim habens conditionalis, quod apud Hebræos usitatum est; quasi dicat: Etiamsi captivitas a forti, id est quod fortis ceperat, tollatur, & quod ablatum fuerat a robusto, salvetur, tamen inimicos tuos nemo de meis manibus eripiet, aut impediet quominus eos iudicem. *Neque* FILIOS TUOS, id est prædestinatos quisquam mihi tollet, quominus salvem eos.

V. 26. ET CIBABO HOSTES TUOS CARNIBUS SUIS; id est, ita affligam obsidione, ut humanis carnibus vesci, & humanum sanguinem potare cogantur: quod in obsidione Ierosolymitana sub Vespasiano factum legimus: vel mystice, efficiam ut hostes tui ipsi sese inter se conficiant, quod quotidie accidit hæreticis: bellum enim hæreticorum, ut Aug. dixit, pax est Ecclesiæ.

SA.

Vers. 1. AUDITE. Chald. *obedite*. VOCAVIT, scilicet nomine IESU.

V. 2. OS MEUM. Chald. *verba in ore meo*. GLADIUM, scilicet verbum Dei penetrabilius omni gladio. SAGITTAM. Gladio vicini cæduntur, sagitta remoti, scilicet prædicatum est Iudæis & Gentibus. ABSCONDIT, scilicet quoad mitteret in mundum, continuit in sinu Filium Pater. Chrysost. In corporis pharetra abscondita Divinitas.

V. 3. SERVUS, scilicet propter formam servi. ISRAEL, & Christus Israelita.

V. 4. IN VACUUM, scilicet pauci Christo obediunt, paucique salvantur. CONSUMPSI, scilicet moriendo. IUDICIUM, id est iustitia, seu meritum. CUM DOMINO. LXX. *apud Dominum*. Chald. *manifestum coram Domino*. OPUS. Chald. *merces operum meorum*. LXX. *labor*. CUM DEO. Chald. & LXX. *coram Deo*.

V. 5. NON, Hebræi legunt *ei*, etsi Heb. est *non*: dicunt enim esse לא pro לו, ut interdum solet, & alibi notavimus.

V. 6. DIXIT, scilicet Deus. SUSCITANDAS, scilicet ad vitam gratiæ. FAECES. Chald. *captivitatem*. LXX. *dispersionem*.

V. 7. SANCTUS, id est sancte colendus, & sanctitatis auctor. CONTEMPTIBILEM ANIMAM, scilicet mundi iudicio. LXX. *despicientem animam suam*. ABOMINATAM GENTEM. LXX. *qui abominationi habetur a gentibus*. DOMINORUM. LXX. *principum*. VIDEBUNT, scilicet tuam dignitatem. CONSURGENT, id est assurgent, scilicet honoris causa. ADORABUNT, scilicet te venerabuntur: vel Christi Divinitas intelligitur, ad quem hæc quidam referunt.

V. 8. PLACITO, id est beneplaciti, seu quo mihi placuit. LXX. *opportuno*. Paulus II. Corinth. VI. vertit *accepto*. EXAUDIVI; pro, exaudiam. *Exauditus est pro sua reverentia*. FOEDUS, id est fœderis prædicationem, seu confirmationem, aut renovationem. SUSCITARES. LXX. *constitueres*, scilicet bono statu. TERRAM, id est homines in terra habitantes. Chald. *iustos, qui iacent in pulvere*. DISSIPATAS. Chald. *desolatas*. LXX. *desertas*.

V. 9. REVELAMINI, id est in lucem prodite,

dite, seu apparete. SUPER, id est iuxta, scilicet conspicue. PLANIS; quasi dicat, Locis commodis.

V. 11. IN VIAM; quasi dicat, Reddam planos, iuxta illud: *Et asperas in vias planas*. SEMITAE, scilicet depressæ. EXALTABUNTUR, scilicet, ad commoditatem viatorum; quasi dicat: Tollam impedimenta ad me veniendi.

V. 12. LONGE, id est Oriente. MARI, id est Occidente. AUSTRALI, scilicet Meridie.

V. 13. CONSOLATUS, scilicet misso Filio, vel adveniens Filius.

V. 14. DIXIT, scilicet ante Christi adventum, videns differri tamdiu. SION, id est fidelium congregatio, vel Iudæi.

V. 16. IN MANIBUS; pro, velut in manibus ne possim oblivisci. MURI, id est civitas, scilicet quam statui defendere, nempe Ecclesia.

V. 17. STRUCTORES, id est qui te ædificent, scilicet Apostoli. EXIBUNT, scilicet eiecti.

V. 18. VIDE, scilicet conversam gentilitatem.

V. 19. ABSORBEBANT, id est perdebant.

V. 20. STERILITATIS. Chald. *transmigrationis*.

V. 22. SIGNUM, id est vexillum, scilicet prædicationis Evangelicæ. PORTABUNT. Fit hoc Reliquiis Sanctorum.

V. 23. PULVEREM PEDUM, &c. quasi dicat, Seque ad pedes tuos deiicient. Fit hoc, cum Pontificis pedes fideles osculantur. Vide inf. cap. LX.

V. 24. NUMQUID, &c. quasi dicat: Faciet Deus quod videtur impossibile, scilicet ut tollatur a diabolo præda.

V. 26. CARNIBUS SUIS; quasi dicat: Edent carnes proprias præ fame. CARO, id est homo.

ESTII.

Vers 1 *& 2.* AUDITE INSULAE, ET ATTENDITE POPULI DE LONGE. DOMINUS AB UTERO VOCAVIT ME, DE VENTRE MATRIS MEAE RECORDATUS EST NOMINIS MEI, &c. Ecclesia quidem hanc sententiam cum verbis aliquot sequentibus accommodat B. Ioanni Baptistæ, in officio Missæ festi eius; & possunt hæc verba de eo aliquo modo intelligi: nam ab utero vocatus est, immo in utero matris sanctificatus, *& de ventre matris eius Deus recordatus est nominis eius*, quia nomen ei imponi iussit, antequam nasceretur, immo antequam conciperetur, *Et posuit os eius quasi gladium acutum*, quia liberrime increpavit vitia hominum etiam Pharisæorum dicens: *Genimina viperarum*. Sed tamen ad litteram, & proprie, hæc de Christo ipso intelligenda sunt; & de eo valde manifestam prophetiam continent; ut ex sequentibus patet, maxime ex eo quod paulo post vers. 6. ait sibi dictum esse: *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ*: quod Paulus quoque de Christo aperte interpretatur Act. XIII. Accommodando ergo hæc omnia Christo, quod dicitur, *Dominus de utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei*, ex Evangelio Lucæ I. satis intelligitur, ubi per angelum Gabrielem, nomen Salvatoris nostri, etiam ante conceptum intimatur, his verbis: *Et vocabis nomen eius Iesum*. Quod autem sequitur ET POSUIT OS MEUM QUASI GLADIUM ACUTUM, declarat nobis vehementiam, & energiam prædicationis Chisti, quæ non obstante quacumque animorum duritia, efficax fuit in convertendis iis, qui ad vitam erant prædestinati, ut patuit in primis in Saulo. Idem significatur per id, quod sequitur: ET POSUIT ME QUASI SAGITTAM ELECTAM; quasi dicat, præstantissimam, quæ maxime penetret. Unde & Psal. XLIV. de Christo dicitur: *Sagittæ tuæ acutæ in corda inimicorum regis*, id est tuorum, phrasi Hebraica. Et de Apostolis Psal. CXXVI. *Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum*. In manu potentis, id est in manu viri robusti & validi.

V. 4. ET EGO DIXI: IN VACUUM LABORAVI, SINE CAUSA ET VANE FORTITUDINEM MEAM CONSUMPSI. Et vers. seq. UT REDUCAM IACOB AD EUM, ET ISRAEL NON CONGREGABITUR. Fictio rhetorica est, qua introducit Propheta Christum filium quasi conquerentem & expostulantem cum Patre, & Patrem respondentem; consolantem, & pacantem filium promissione conversionis gentium. Proprie autem dici non potest, quod Christus frustra laborarit, ne quidem respectu Iudæorum; tum quia Christus omnium conversionem vere non intendit,

dit, sed tantum eorum quos efficaciter convertere voluit, qui principaliter sunt electi. Nam & Paulus ait II. Tim. II. *Omnia sustineo propter electos, ut salvi fiant;* tum quia opus prædicationis Christi apud eos, qui non erant convertendi, usum suum tamen habuit; vel quia erat futurum hoc illis in testimonium in die iudicii; vel quia ad consolationem nostram id fecit; ut videlicet prædicatores Evangelii non nimium dolerent, & animum abiicerent, si semen ab illis proiectum aliquando viderent in animis audientium non fructificare. Qua ratione & Iudam furem in familia sua tolerare voluit, tum sciens, quid per eum boni esset facturus; tum ut nos doceret & moneret, tales quoque interdum tolerare.

MARIANAE.

Vers. I. AUDITE INSULAE. Hoc caput de Christo intelligi, testimonia ex eo allata in Act. II. ad Corinth. & Apoc. ostendunt; sed & de liberatione e captivitate Babylonica pleraque dicuntur. DOMINUS AB UTERO, scilicet Virginis, Christum, aut Isaiam a conceptu. RECORDATUS EST NOMINIS MEI. Heb. *memoravit nomen meum*; id est, mihi nomen imposuit, me nomine meo nominavit.

V. 2. ET POSUIT OS MEUM QUASI GLADIUM. Sermo Dei est penetrabilior omni gladio ancipiti. IN UMBRA MANUS SUAE, id est potentia, quam manus *umbram* vocat: sumpta ab iis metaphora, quæ contra solem manu velum prætendunt. SAGITTAM ELECTAM. Heb. *tersam & acutam*. Gladio comminus pugnatur, sagittis eminus. IN PHARETRA SUA ABSCONDIT ME; pro, reposuit in pharetra, ut suo tempore meis verbis hostes feriat.

V. 3. SERVUS MEUS ES TU ISRAEL: Christus sic vocatur, quod ex ea gente esset: Isaias etiam. QUIA; pro, certe. IN TE GLORIABOR. Heri gloria sunt servi boni.

V. 4. IN VACUUM LABORAVI. Inutiles fuerunt labores mei. Id Christus aut Isaias dicit, pauci mihi crediderunt. ERGO IUDICIUM MEUM CUM DOMINO, id est mercedem operis mei & laboris a Deo expectabo. Deo me & mea committo. ERGO. Heb. *vere*.

V. 5. ET ISRAEL NON CONGREGABITUR, id est non obedivit verbis meis. Pro לא, id est *non*, quod est in textu, quod Hieronymus est secutus, in margine ponitur לו, id est *ipsi*, hac sententia: *Israel ipsi*, scilicet Deo *congregabitur*, quod non esse Iudæorum commentum, Septuag. & Chald. indicant, affirmative locum vertentes, & sine negatione. ET GLORIFICATUS, sive *honoratus* sum. IN OCULIS DOMINI, coram Domino. Honor in eo est, quod me ad tantum opus elegit, populum convertendi.

V. 6. ET FAECES ISRAEL CONVERTENDAS. Parum est ut id facias. Septuag. *dispersionem*. Chald. *captivitatem Israel*, id est captivos. Heb. *servatos* seu *residuos Israel convertendos*. Eos, quia pauci & abiecti erant, Hieronymus vocat *faces*. ECCE DEDI TE IN LUCEM GENTIUM, UT SIS SALUS MEA, id est salutem a me datam omnibus conferas. USQUE AD EXTREMUM TERRAE. Hoc non fecit Isaias, sed Christus, & de Christo Isaiæ verba ubique sunt suscepta.

V. 7. AD SERVUM DOMINORUM, id est ad populum Israel, qui nunc servit in captivitate, quem contemptibilem animam vocat, quod contemptui esset inter gentes: hæc Dominus dicit. ET CONSURGENT PRINCIPES. Sic solemus coram maioribus. ET ADORABUNT te, quem contemnebant. Hoc etiam per Christum est factum, cum eum & Apostolos, qui erant ex Iudæorum gente, Reges susceperunt, & venerati sunt.

V. 8. IN TEMPORE PLACITO, id est quod mihi placuit, quod designavi & definivi. EXAUDIVI TE; pro, exaudiam preces, scilicet tuas pro populo effusas. IN DIE SALUTIS, scilicet quo dare illi salutem constitui. ET DEDI TE IN FOEDUS POPULI; id est, te arbitro fœdus cum populo iungam. UT SUSCITARES TERRAM: ut suscites, instaures, quæ nunc est vastata. ET POSSIDERES HEREDITATES DISSIPATAS, desolatas, scilicet ab hostibus nudatas incolis.

V. 9. UT DICERES, ut dicas vinctis, id est qui captivi tenentur, exite, sitis liberi. ET HIS, QUI IN TENEBRIS, id est in carcere. REVELAMINI, manifestate vos, prodite in publicum. SUPER VIAS PASCENTUR: in viis; ubique pascua erunt. ET IN OMNIBUS PLANIS. Heb. *in verticibus*, ubi non solent esse herbæ ob locorum ariditatem,

tem, ibi pascentur, rebus mutatis. De populo ut de grege loquitur, quem in patriam restituet sublatis viæ difficultatibus.

V. 10. REGET EOS. Heb. *deducet eos*. POTABIT EOS. Heb. & Septuag. *ducet*. Regia, *portabit*, scilicet Deus.

V. 11. OMNES MONTES MEOS IN VIAM, id est complanabo eos. ET SEMITAE MEAE, id est valles exaltabuntur, implebuntur, ut via plana maneat. Omnis vallis implebitur.

V. 12. ECCE ISTI DE LONGE, id est ab Ortu: quæ regiones longissime distant. ET MARI, id est ab Occasu. DE TERRA AUSTRALI. Heb. *de Sinæis*: sed mons Sina, & gens ab eo dicta ad Austrum erat. Ergo significat ab omnibus terræ plagis venturos sive Iudæos, sive in commune fideles.

V. 14. DIXIT SION, scilicet ante in afflictione posita, dereliquit me Dominus.

V. 16. IN MANIBUS MEIS DESCRIPSI TE. In annulo tuum nomen incisum gero. Quod amantium est. Si dicas, quomodo ergo urbs destructa iacet? Respondet: MURI TUI CORAM OCULIS MEIS, scilicet ut eos instaurem semper cogito.

V. 17. VENERUNT; pro, venient. STRUCTORES TUI, qui muros ædificent tuos, præsto erunt. DESTRUENTES TE.... EXIBUNT; id est, procul recedent Babylonii, qui eos muros everterunt.

V. 18. OMNES ISTI CONGREGATI SUNT; id est, gentes variæ se adiunxerunt Iudæis, cum redierunt e captivitate; vel omnes gentes Christo. VENERUNT TIBI, id est ad te. ORNAMENTO VESTIERIS. Vestis præclaræ instar erunt tibi illæ gentes, quæ ad te confluent. ET CIRCUMDABIS TIBI EOS. Hebr. *ligabis*, scilicet ut monile sponsæ. Tibi decori erunt.

V. 19. DESERTA TUA. Tanta erit confluentium multitudo, ut deserta tua & solitudines oppidaque eversa impleant, & angusta omnia videbuntur, nec poterunt tam multos capere. QUI ABSORBEBANT TE, id est hostes tui procul absistent.

V. 20. FILII STERILITATIS TUAE, id est adoptivi. Gentes, quæ adiungent se, filios vocat sterilitatis, quoniam ob sterilitatem solent filii adoptari. FAC SPATIUM MIHI. Sic Chald. Sept. *fac locum mihi*. Hebr. *accede mihi*, id est cede mihi, scilicet locum, ubi habitem. Id gentes dicent adventitiæ.

V. 21. DICES IN CORDE TUO, oppressa quamvis & gravata tanta multitudine, ore non audebis repugnare, tantum in corde tuo apud te *Dices*, id est cogitabis, unde mihi tam multi filii? NON PARIENS. Hebr. *solitaria*, scilicet effœta propter ætatem. EGO DESTITUTA ET SOLA. Hebr. *captiva & remota*, scilicet a patria exul. ISTI UBI ERANT? Hebr. *isti unde ipsi*; pro, sunt? se captivam & exulem vocat, quod filii essent captivi & exules. Propterea addit:

V. 22. ECCE LEVABO AD GENTES MANUM; ut scilicet vocem eas. SIGNUM MEUM, vexillum erigam, ad quod populi vocati concurrant. FILIOS TUOS e captivitate & exilio portabunt. IN ULNIS, sive *in sinu*, sive *in brachio*, pro, in brachiis: id vox *hozem* significat. ET FILIAS TUAS SUPER HUMEROS PORTABUNT, seu portabuntur filiæ super humerum, id est in lecticis, quoniam teneriores sunt, & ob honestatem.

V. 23. ET REGINAE NUTRICES TUAE. Hebr. *lactatrices*. ET PULVEREM PEDUM TUORUM LINGENT, pedes deosculabuntur. NON CONFUNDENTUR: non pudefient expectantes me, opere implebo quæ promisi omnia.

V. 24. QUOD CAPTUM FUERIT A ROBUSTO. Hebr. *etsi captivitas iusti liberabitur*, id est quod in bello iusto capitur? quasi dicat: Hoc inter homines non fit, ego faciam tamen.

V. 25. SALVABITUR, liberabitur. EOS VERO, QUI IUDICAVERUNT TE, EGO IUDICABO. Hebr. *litem tuam ego litigabo*.

V. 26. CIBABO HOSTES TUOS. Hebr. *spoliantes, opprimentes te*. CARNIBUS SUIS, id est ad summam inopiam redigam & famem: vel faciam, ut inter eos maxima sit laniena. Occident homines, aut ipsimet, aut hostes magno numero. Id est devorare carnes suas, & sanguine suo inebriari.

MALVENDAE.

Vers. 1. AUDITE INSULAE, &c. Alii ex Heb. *Auscultate, insulæ, ad me*. Cum Propheta, inquiunt, inde a cap. XL. duos consolationis locos explicandos sibi proposuerit, unum de reversione Iudæorum ex captivitate Babylonica; alterum

rum de instauratione Ecclesiæ per Christum; nunc demum incipit speciatim hunc secundum locum exponere, & in eo argumento pergit ad finem usque prophetiæ. Hoc autem caput quædam est veluti præfatio, ac potius summum argumentum eorum, quæ sequuntur, omnium: nam primum Christus per Prophetam omnes nationes vocans, sibi conciliat auctoritatem a narratione vocationis suæ, sex prioribus versibus; deinde promissiones sibi & Ecclesiæ factas, ad finem usque capitis: in quibus argumentis duobus tota prophetia reliqua consumitur usque ad finem libri. At in vocatione quidem explicatur vocatio Christi a Deo Patre ad sanctam illam functionem mediatoris inter Deum, & Ecclesiam ipsius, duobus versibus: deinde ostenditur ex quibus Ecclesia sit vocanda per Christum, versibus quatuor. ET ATTENDITE POPULI DE LONGE. Quidam: *& attendite nationes e longinquo*; id est, quamvis longe absitis usque ad extremas oras terræ; quasi dicat, Remotissimæ quæque nationes. DOMINUS AB UTERO VOCAVIT ME. Alii: *Iehova inde ab utero vocaverat me*; id est, vocavit ab æterno, ac proinde iam vocaverat cum in utero matris conciperet. Est enim Christus semen illud benedictum, in quo salus ab æterno constitit Ecclesiæ, & promissiones salutis factæ sunt, Galat. III. 16. idque ex vocatione Dei Patris, Hebræor. V. 4. & 5. DE VENTRE MATRIS MEAE RECORDATUS EST NOMINIS MEI. Heb. *& de visceribus, interraneis, matris meæ recordari fecit nomen meum*. Alii: I. *& memoravit*, seu *memorare fecit nomen meum*, vel *commemoravit nomen meum*. II. *memoriam constituerat nominis mei*. Quidam exponunt: *In visceribus matris meæ memoravit meum nomen*; id est, indidit mihi nomen, Matthæi I. 21. Alii: antequam ex utero matris in hanc lucem prodirem; commendavit honorifice, prædicavit, celebre & gloriosum effecit nomen meum, ut supra cap. XLVIII. I.

V. 2. ET POSUIT OS MEUM QUASI GLADIUM ACUTUM, &c. Alii: *Et disposuit os meum veluti gladium acutum*, &c. id est, armavit me verbo suo efficacissimo & penetrantissimo, quod cum gladio & sagitta acutissima comparatur, adiunctis promissionibus de defensione mei, & ministerii; vide Ephesior. VI. 17. Hebræor. IV. 12. & Apocalyps. I. 16. ET POSUIT ME SICUT SAGITTAM ELECTAM. Alii: *& disposuit me in sagittam expurgatam, extersam, nitidam, limpidam, purificatam, clarificatam*: ut Psalm. XLIV. 6. Gladio vicinos ferimus, & remotos: sic Christus & Iudæos proximos, & gentes remotas verbo Dei perculsit.

V. 3. ET DIXIT MIHI: SERVUS MEUS ES TU. Alii: *Dixerat mihi: Servus meus es*; ut supra XLII. I. ISRAEL QUIA IN TE GLORIFICABOR, vel *gloriabor*. Accentus *Athnach* perspicue dispescit vocem *Israel* a superioribus, sequentibus annectit. Quidam Hebræa reddunt: *Israel, qui in te glorificabor*; vel *Israel, certe in te glorificabor*. Heb. ex verbo habent: *Israel, quod*, vel *quod in te, decorabor, ornabor, glorificabor*. Aliqui exponunt: *Israel est, de quo per te gloriaturus sum*; id est, iubeo te primum Iisraëli proponere verbum gloriosum meum, & in Iudæis primum gloriam meam explicare; ut Matth. X. 6. 24. Actor. XIII. 46. & XXVIII. 25. & sequentibus.

V. 4. IN VACUUM LABORAVI, SINE CAUSA ET VANE FORTITUDINEM MEAM CONSUMPSI. Alii ex Heb. I. *Frustra laboravi, inutiliter ac temere virtutem meam consumpsi*. II. *Frustra labero, ad inanitatem & vanitatem*, seu *inaniter & vane vires meas consumo*; id est, non audit, neque accipit verbum Iisrael: paucissimi ex Israelitis credunt. ERGO IUDICIUM MEUM CUM DOMINO, ET OPUS MEUM CUM DEO MEO. Exponunt: Certe vellem cum Deo iudicio contendere, & opus meæ prædicationis illi approbare: per me non stetisse, quin omnem operam & studium meæ administrationi adhibuerim, ut Iudæos ad fidem adducerem, quod tamen ipsi renuerunt. I. *verumtamen iudicium meum cum Iehova*: vel *ius meum*, id est præmium, *& opus meum*, vel merces operis mei, *cum Deo meo*, sive apud Deum meum; quasi dicat: Quamvis pauci sint crediturí mihi, tamen officio meo fungar, & laboris mei præmium a te expectabo, Pater. II. Forsterus, & Forerius, *certe conditio mea*, seu *status meus, a Iehova, & opus meum a Deo meo*; quasi dicat: Non est quod quisquam existimet, idcirco me frustra laborasse, quod non missus venerim, aut secus quam oportet rem tractarim, in aliquove deliquerim; certe conditio mea, status,

ſtatus, ſtudia, actiones omnes a Patre meo diſpoſita, & ordinata fuere, ut nec latum unguem umquam aberraverim. III. Tremellius, & Iunius: *verumtamen officium meum penes Iehovam eſt, & opus meum penes Deum meum*. Amplificatio indignitatis a teſtimonio conſcientiæ, & Dei ipſius in conſcientia: Ego, inquit Chriſtus, totas vires conſumpſi in Iehudæis informandis; Deus Pater teſtis eſt, & teſtificatur conſcientiæ meæ, qui ſolus officium meum, & opus optime cognovit. Nec deſunt qui *iudicium* hic Evangelium interpretentur, ut ſupra cap. XLII. 1. & 4. ut etiam, *opus*.

V. 5. ET NUNC DICIT DOMINUS. Alii: *Nunc autem dicit Iehova*. Videlicet, cum omnibus meis viribus apud Iudæos conſumptis, expertus eſt illorum contumaciam Deus. FORMANS ME EX UTERO SERVUM SIBI. Alii: *qui formaverat me inde ab utero ut ſerviam ipſi*; id eſt, æterno decreto ſuo comparaverat, ut ſupra verſ. 1. ET ISRAEL NON CONGREGABITUR. Hebræi quia id cedere videbatur in contumeliam ipſorum, quaſi numquam reducendi ſint ex exiliis, quibus diſperſi per mundum feruntur, annotant hunc locum eſſe unum de quindecim, in quibus לא *lo* cum *Aleph*, id eſt *non*, accipiendum ſit pro לו *lo* cum *Vau*: *& Iſrael ipſi congregabitur*, vel *& Iſrael ei congregabit ſeſe*. Sed proculdubio lectio negativa præferenda eſt. Quidam reddunt: *atque ut Iſrael non colligatur, tamen glorificabor in oculis Iehovæ*. Alii per parentheſim (*at Iſrael non congregabit ſeſe* ad ipſum) vel *etiam ſi Iſrael non colligatur* ad Dominum, *tamen glorioſus ero*, &c. Tremellius, & Iunius: *cum Iiſrael non reciperet ſe*, ad Deum vocantem Iudæos per Evangelium Chriſti. ET GLORIFICATUS SUM IN OCULIS DOMINI, &c. Alii: *quia glorioſus ſum in oculis Iehovæ, & Deus meus eſt robur meum*, id eſt, quia Pater amat Filium, & omnia tradidit in manus illius: non autem eum contemnit, quod perverſi Iudæi faciunt, at proinde non vult ferre ut miniſterium Filii ſui inutile ſit atque inglorium: ſicut parabola oſtenditur Matth. XXII.

V. 6. ET DIXIT: PARUM EST UT SIS MIHI SERVUS, &c. Hebr. *Et dixit, Levifactus tu de exiſtere tu mihi ſervus*, &c. Alii: I. *Leve eſt ut ſis mihi ſervus*. II. *Indecorum fuit*, id eſt inhoneſtum, ignominioſum reputatum eſt, *non eſſe te mihi ſervum*: ſic enim propoſitio *Mem* præfixa infinitivo, ſumi ſolet pro *non*, ut Samuel. XV. 26. & alibi paſſim. Sed hunc ſenſum ego minime probo, nam apte inſtituto non convenit. III. *Dixit, inquam, Levior videris quam ut ſis mihi ſervus*, Iudæis videlicet, ut explicat ſequens verſus. IV. *Dixit inquam, Leve ſit quod ſervus meus ſis*, &c. Et hic ſenſus præſtat, qui eſt Noſtri; quaſi dicat: Non adeo magnum eſt te eſſe prophetam Iudæorum, ad ampliora te deſtinavi, &c. Iudæi ut ſuæ ignominiæ velamen obtendant, interrogative legunt: *Num leve eſt, ut ſis mihi ſervus*, &c. AD SUSCITANDAS TRIBUS IACOB. Hebr. *ad erigendum, ſtatuendum, conſtituendum, ſuſcitandum, ſtabiliendum, confirmandum, ratificandum tribus Iahakobi*. ET FAECES ISRAELIS CONVERTENDAS. Docte, nam Hebr. *ad reſervata, repoſita*, id eſt fæces, quæ in fundo vaſis reſervantur & deſident. Alii: I. *& ad reducendas deſolationes* ſeu *vaſtitates Iſraelis*. II. *& ad reducendum*, ſeu *reſtituendum conſervatos, reſervatos, aſſervatos Iſraelis*. III. *& cuſtoditos Iiſraelis*, ſeu Iiſraelitas *reducendum*; id eſt, quos ego ſingulari ſtudio cuſtodiveram hactenus, veluti peculium præ omnibus aliis populis, & tamquam pupillam oculi: Deut. XXXII. 10. ECCE DEDI TE IN LUCEM GENTIUM. Alii: I. *Niſi dedero te ut lux ſis gentium*. II. *Ergo conſtituo te in lucem gentium*. Id eſt, ut perfundas omnes gentes illuſtratione tui Evangelii, ut ſupra cap. XLII. 6. Vide Actor. XIII. 46.

V. 7. HAEC DICIT DOMINUS. Alii: *Sic ait Iehova*, &c. Altera pars capitis, propoſitio nimirum evangelicarum promiſſionum, primum erga Chriſtum, uſque ad verſ. 14. deinde erga Eccleſiam in Chriſto, inde ad finem uſque: quæ duo membra proleptice hoc verſu continentur. REDEMPTOR ISRAELI: ſeu *vindex Iiſraelis*, id eſt electorum Dei. AD CONTEMPTIBILEM ANIMAM, AD ABOMINATAM GENTEM, AD SERVUM DOMINORUM. Alii ex Hebr. I. *ad eum, qui contemptus eſt anima, & qui abominandus eſt gentibus, & dominantium eſt ſervus*. De Chriſto, eiuſque apoſtolis accipiunt. II. *ei, quem contemnit anima, ſeu quiſque, quem abominatur gens, ſervo dominantium*, id eſt Chri-

ſto,

ſto, quem quiſque ex Iudæorum gente ſpernit, abominatur, ac veluti in duriſſimam ſervitutem cogit. Illud *ſervo dominantium*, exponunt, Iudæorum, videlicet qui ſibi dominatum confingebant, etiam in ſervitute graviſſima, & libertatem ſibi aſſerebant, ut Ioann. VIII. 33. AD CONTEMPTIBILEM. בזה *bezoh*, poteſt eſſe infinitum, *ad contemnere animam*, vel *animæ*; id eſt, ei, qui idoneus eſt ut eum ſpernat quævis anima, vel ut eum ſpernat omnis anima; quaſi dicat, Omnium contemptui expoſitus: vel *ad contemnere animam*, per enallagem, id eſt ad eum, quem contemnit anima cuiuſque, id eſt quiſque: vel poteſt eſſe *Toar*, vice *Pahul*: *ad contemptum animæ*; vel *animo*, ſeu *anima*; id eſt, qui eſt contemptui cuique. AD ABOMINATAM GENTEM. למתעב *limthagheb*, participium Pihel cum præfixo *Lamed* nota dativi; quod quidam ſic reſolvunt: *ad abominabilem gentis*; id eſt, quem omnis gens abominatur. Alii: *ad eum, quem abominatur gens*. Et hoc eſt rectius. Avenarius reddit: *contemnenti animam, & abominanti gentem*. REGES VIDEBUNT, ET CONSURGENT PRINCIPES, &c. Alii ex Hebr. *Reges videntes* miracula & gloriam Chriſti, *aſſurgent* honoris cauſa tibi, *principeſque honorem habentes incurvabunt ſeſe; propter Iehovam, qui fidelis eſt*, id eſt verax & conſtans in promiſſis præſtandis, ut I. Corinth. I. 9. *ſanctum Iiſraelis, qui elegit te*.

V. 8. HAEC DICIT DOMINUS. Alii: *Sic ait Iehova*. Explicatio prioris promiſſi in Chriſtum, nimirum fore ut in Chriſto habeatur reconciliatio ex fœdere, hoc verſu; remiſſio peccatorum & liberatio, verſu ſequente; omnis benedictio depellens mala, & bona conferens, verſ. 10. & 11. mirifica electorum ad ipſum concurſatio verſ. 12. denique rerum creatarum omnium gratulatio verſ. 13. IN TEMPORE PLACITO. רצון *ratzon*, *beneplaciti, gratiæ, propenſionis animi, acceptationis, bonæ voluntatis, benevolentiæ, favoris*. Quidam: *Tempore accepto exaudivi te*; id eſt, in tempore, quo benevolentia & ſalus Dei promulgata eſt per Evangelium, II. Corinth. VI. 2. ET SERVAVI TE, ET DEDI TE IN FOEDUS POPULI. Alii: *& cuſtodiens te, diſponam te in fœdus populi*; id eſt, ut ſis reconciliationi ex fœdere: ſic Daniel. IX. 27. UT SUSCITARES TERRAM. Alii: I. *ut inſtaures terram*. II. *ad confirmandum terram*, id eſt Eccleſiam, & illius habitationem, ſynecdochice. Hebr. *ad erigendum, ſtabiliendum, conſtituendum, firmandum terram*. ET POSSIDERES HEREDITATES DISSIPATAS. Alii: I. *& ut poſſideas hereditates deſolatas*; id eſt, animas alienas a me, & doctrina mea deſtitutas. II. *ad efficiendum ut poſſideat*, videlicet Eccleſia, *poſſeſſiones deſolatas*.

V. 9. UT DICERES IIS, QUI VINCTI SUNT. Alii: *dicendo vinctis*, ut ſupra cap. XLII. 7. PER VIAS PASCENTUR. Alii: *ſuper vias paſcentur*; id eſt, ubique occurrent ipſis benedictiones Dei, hic & duobus verſibus ſequentibus: quæ benedictiones allegorice figurantur ſumptis ſimilitudinibus a tempore liberationis Ægyptiacæ. ET IN OMNIBUS PLANIS PASCUA EORUM. Alii: I. *& in omnibus verticibus eminentioribus erunt paſcua eorum*. II. *& in omnibus clivis paſcuum eorum erit*. III. *& in omnibus præcipitantiis paſcuum eorum*, id eſt in locis alioqui abruptis & aſperis. IV. *& in omnibus locis editis, excelſis, paſtus, paſcuum, paſtura, eorum*. Vide de voce שפיים *ſephaiim*, ſupra cap. XLI. 18. ET PONAM OMNES MONTES MEOS IN VIAM. Alii: *Et diſponam omnes montes meos ut ſint pervii*; vel, *& omnes montes meos reddam pervios*. ET SEMITAE MEAE EXALTABUNTUR. Hebr. eſt diſcordia generum, nam *ſemitæ* eſt femineum, & *exaltabuntur* maſculeum; proinde quidam reddunt: *& in aggeribus meis emineant*, nimirum, quos Chriſtus e vinculis ſatanæ & poteſtate tenebrarum extraxerit. Poſſis reddere: *& vias regias meas elevabunt*; ſcilicet homines, imperſonaliter more Hebraico, pro *ſtratæ, aggeſtæ viæ meæ elevabuntur*. Quidam: *& ſtratæ viæ meæ altæ erunt*; id eſt, ſternam & muniam.

V. 12. ET ISTI DE TERRA AUSTRALI. Hebr. *de terra Sinim*. Quidam: *denique iſti a terra Sinæorum*, id eſt meridiem verſus, quam in partem Sinæi terminum Iudææ conſtituebant, Geneſ. X. 17. deſertumque Sinis, & mons Sinai ſpectabant, Exodi XVI. 2. niſi forte intelligantur Sinæ populi Indiæ, quæ extra Gangem eſt, contermini: hoc enim videtur eſſe emphaticoteron. Vide Noſtrum Antichriſtum, Lib. IV. cap. XVII. extremo.

V. 13. Laudate caeli, &c. Alii: *Cantate, ovate, praeconizate, iubilate caeli*, &c. id est, vos res omnes creatae gratulamini Christo, & filiis Dei vindicatis in libertatem gloriae, Roman. viii. 9. & sequentibus. Iubilate montes laudem. Alii ex Hebr. I. *personate montes ovationem*, seu *praeconium*. II. *edite montes clamorem*; id est, erumpite in voces laetas. III. *in iubilum prorumpite montes*. IV. *conclamate montes praeconio*. V. *& fragorem edite montes cantu*: vide similem locum supra cap. xliv. 23.

V. 14. Et dixit Sion, &c. Quidam: *Quod si dicat Tzion*, &c. Transitio ad alterum promissionum Evangelicarum caput, quae sunt de studio Dei erga Ecclesiam, usque ad vers. 17. & de propagatione & multiplicatione illius, inde usque ad finem. Transitur autem per occupationem.

V. 15. Numquid oblivisci potest mulier infantem suum? Alii: I. *Num oblivioni tradit mulier lactantem suum?* II. *An oblivisci potest mulier foetus sui*, &c. Responsio ad praecedentem occupationem a comparatione minoris. Et si illa oblita fuerit, &c. Hebr. pluraliter maiori emphasi: *etiam hae oblivisci possint*; id est, etiamsi omnes obliviscantur, & crudeles sint in filios, quod fieri non posse videtur, ut ne una aut altera inveniatur misericors; *tamen ego non obliviscar tui*. Hypothesis ad amplificandum studium Dei in Ecclesiam. Quidam reddunt: *Sed esto obliviscantur illae, ego tamen tui non obliviscar*.

V. 16. Ecce in manibus meis descripsi te. Alii: I. *En in manibus istis ambabus insculpsi te*, quod Cappaim sit duale. II. *En in manibus insculpsi te*; id est, semper obversaris mihi, & numquam desino curare te; ut Psal. cx. 4. humanitus dictum, ut Exod. xiii. 9. & 19. & passim in lege. III. *En super utramque palmam constitui te*, vel *ecce super manus duas constitui te*, id est imaginem tuam. Ex verbo proprie reddes: *En super utramque volam characterizavi te*; id est, insculpsi, expressi formam, imaginem, characterem tuum. Muri tui coram oculis meis semper. Alii: I. *muri tui perpetuo sunt coram me*. II. *muri tui e regione mei versantur iugiter*.

V. 17. Venerunt structores tui. דניך *danaich*, quidam volunt positum pro בניך *bonaich*, *Festinant, accelerant aedificantes te*, vel *aedificatores tui*; id est, praesto adsunt qui te instaurent, aedificent, construant, reparent. Alii: *Festinabunt filii tui*; id est, qui tibi gignentur in Christo per semen incorruptum Verbi: iam enim hoc versu transitur ad multiplicationem Ecclesiae, quae illustratur per hypotyposin, sequente versu; deinde exornatur tribus sequentibus. Destruentes te. Hebr. *diruentes, dissipantes, demolientes, devastantes te*. Et dissipantes te. Hebr. *& exsiccantes, devastantes, desolantes te*, seu *devastatores tui*.

V. 18. Leva in circuitu, &c. Hunc versum evidentius ex Hebr. transfunduut: I. *Attolle circumquaque oculos tuos, & vide, isti omnes congregantes se accedunt tibi: Ut vivo ego, dictum Iehovae, istis omnibus tamquam ornamento vestieris, & circumligabis eos tibi tamquam sponsa*. II. *Attolle circumquaque oculos tuos, & vide omnes isti electi*, seu filii Dei, *congregati venerunt ad te: Vivo ego, ait Iehova, quoniam eis omnibus amicieris tamquam ornamento, & ut sponsa eos circumligabis*, tamquam torques, id est, ornaberis fidelibus, ut sponsa torquibus & aliis monilibus ornari solet.

V. 19. Quia deserta tua, et solitudines tuae, &c. Hunc versum varie ex Hebr. convertunt: I. *Quia in desertis tuis & desolationibus tuis, & terra destructionis tuae, seu in terra tua destructa: quia, inquam, nunc arcta eris*, vel *brevi arctaberis prae habitatore*, seu *ab incola; & elongabunt se absorbentes te*. II. *Quia siccitates tuae & desolationes tuae, & terra ruinae tuae: quia iam angusta eris prae habitatore; & longe abibunt, qui absorbebant te*. III. *Siquidem desolationes tuae, devastationes tuae, & terra tua eversa, iam iam*, vel *propediem angustior erit, quam ut habitatores capere possit: & qui te devorant, longe aberunt*. IV. *Cum vastitates erunt tuae, & desolationes tuae, & terra destructa tua; quia iam angustaberis prae habitatoribus*; id est, quando terram totam, quae nunc vastata est, & desolata, atque destructa, occupabis, tamen tanta futura est multitudo filiorum Dei, ut vix possit capere omnes terra; hyperbole: *procul profectis eis, qui absorbebant te*, id est Vastatoribus tuis,

ut

ut supra vers. 17. vide Psalm. CXXIII. 3.

V. 20. ADHUC DICENT AURIBUS TUIS, &c. Alii hunc versum ex Heb. I. *Adhuc dicent in auribus tuis filii orbitatum tuarum*; id est, quibus nunc orbaris: *Angustus est mihi locus, secede alio propter me, ut habitem*. II. *Adhuc dicent in aures tuas filii, qui tibi sterili nati sunt: Angustus est mihi locus, adiice mihi aliquid ut sedeam*. III. *Adhuc dicent te audiente filii orbitatis tuae*, id est gentiles, qui tibi agnoscentur, cum Iudaeis orbata fueris: *Angustus est mihi hic locus, retrocede mihi ut habitare possim*. Laxius, ac liberius. Forsterus: *Verbum* נגש *nagasch, est accedere: legitur tamen semel, ubi* alio accedere *significat, pro quo Latinus sermo utitur verbo* cedo, *quia non aliter fert, Isaiae* XLIX. *Est angustus mihi locus, cede mihi ut habitare queam*.

V. 21. ET DICES IN CORDE TUO. Alii: *Adeo ut dicas cum animo tuo*. EGO STERILIS. Alii: *cum fuerim orba*. ET NON PARIENS. Alii: *& solitaria*. Alii: *sterilis*, seu *gignens molam*. De voce גלמוד *ghalmud*, quae hic forma feminea scribitur גלמודה *ghalmudah*, vide Iob III. 7. TRANSMIGRATA. גולה *gholah, devolvens, migrans, transmigrans, huc illuc migrans, alio demigrans, exul, relegata*. ET CAPTIVA. סורה *surah*, Pahul, si sic loqui liceat, *discessa, abducta, vaga, discedens, recedens, fugitiva*.

V. 22. HAEC DICIT DOMINUS DEUS. Alii ex Hebr. *Sic ait Dominus Iehovi*. Hypophora, sive subiectio, qua Deus respondet praecedenti admirationi Ecclesiae, & docet se ex quavis gente illi conciliaturum liberos, alumnos, & cetera. De pronuntiationis nominis *Iehovi* cum iungitur nomini *Adonai*, vide supra cap. XLVIII. 16. Sic infra cap. L. 4. 5. & VII. & 9 ECCE LEVABO AD GENTES MANUM MEAM, &c. Alii: *Ecce sustollam ad gentes manum meam, & ad populos efferam vexillum meum*. Exponunt: *Manum meam*, cum vexillo Evangelii, quod est potentia Dei ad salutem cuivis credenti, Romanor. I. 16. haec autem omnia allegorice dicuntur de amplificatione regni spiritualis Christi, ut prophetae solent. Quiddam reddunt: *& ad populos signum meum erigam*, vel *vexillum*, id est, promulgabo illis Evangelium meum. ET AFFERENT FILIOS TUOS IN ULNIS, ET FILIAS TUAS SUPER HUMEROS PORTABUNT. Alii: I. *ut afferant filios tuos lacerto, & filiae tuae super humerum portentur* II. *afferent ad te filios tuos in gremio, & filiae tuae in humeris portabuntur*. IN ULNIS. חוצן *chotzen*, exponunt: *in gremio, in sinu, brachio, lacerto*; vel *in ora, ala vestium*. Hispanice, *en la falda*. Vide in Nehem. V. 13. Alii: *in axilla*, ut plerumque deferri solent infantes.

V. 23. ET REGINAE NUTRICES TUAE. Heb. *& feminae principes eorum*; id est, reginae uxores eorum, *surgere facientes*, seu *lactantes tuae*. VULTU IN TERRAM DEMISSO ADORABUNT TE. Alii: *Vultu in terram demisso incurvabunt se habentes honorem tibi*; id est, honorem habebunt Christo in te habitanti, veluti capiti tuo, ut Psalm. LXXII. & in te Christum honorabunt, Psalm. LXXI. 9. & II. ET PULVEREM PEDUM TUORUM LINGENT. Vide Psalm. LXXI. 9. ET SCIES QUIA EGO DOMINUS, &c. Alii: *ut experiaris me esse Iehovam, non erubescere eos qui expectant me*.

V. 24. NUMQUID TOLLETUR A FORTI PRAEDA. Alii I. *Num vero auferetur heroi*, seu *potenti duci*, aut *militi praeda*? II. *An auferetur a robusto captura*? &c. inquient gentes & praedones omnes explicantes Ecclesiam: quorum sermonem anticipat Deus; quasi dicat: Ludificantur hostes Ecclesiae promissiones meas, duobus argumentis, cum quod sibi numeris omnibus videntur valentiores esse; tum quod iusto bello Ecclesiam sibi subiectam & mancipatam putant, ut supra cap. XLV. 9. & sequentibus: sed ad haec argumenta respondetur versibus sequentibus. Forsterus annotat, vocem גבור *ghibbor*, quae hoc & sequente versu a Nostro redditur *fortis*, etiam Matth. XII. 29. Marc. III. 27. & Lucae. XI. 21. redditam eodem modo *fortis*. AUT QUOD CAPTUM FUERIT A ROBUSTO, SALVUM ESSE POTERIT? Alii: I. *& poteritne iusto captivitas eripi*? Vel *iusta captivitas eripi*? id est, captivi iusto bello capti. Verba synagogae fidelis rogantis, qua ratione fieri possit, ut electi, qui sunt in potestate gentium, sive in manu diaboli, auferantur. II. *an etiam captiva-turba, iusti eriperetur*? id est captiva multitudo mancipis & possessoris: nam etsi Deus populum suum & filios suos vocat; tamen hoc sibi semper arrogant ad-

versarii, ut iusti sint illorum domini: sic duobus argumentis utuntur, potentiæ suæ, & iuris.

V. 25. QUIA HAEC DICIT DOMINUS. Alii: *Quin sic ait Iehova*. Deus æternus, ac proinde infinite omnes superans potentia sua: sic respondetur priori obiectionis argumento. EQUIDEM ET CAPTIVITAS A FORTI TOLLETUR, ET QUOD ABLATUM FUERIT A ROBUSTO, SALVABITUR. Alii I. *Et captivitas heroi eripietur, & præda violenti eripietur*. II. *Et turba captiva robusti auferetur, & captura violenti eripietur*. Violenti inquit, ac propterea non iusti domini, quod hostes de se prædicant: responsio ad posterius argumentum. Hæc autem responsionis membra exornantur hoc & sequente versu. עריץ *gharitz*, quod Noster hic *robustum* vertit, est proprie, *prævalidus, valentior, violentus, terrificus, formidabilis, tyrannus*. Vide supra cap. XXIX. 20. Forsterus: *& rapina prævalidi eripietur*. *Hinc*, inquit, *non modo argumentum Christus sumpsit contra aperte blasphemos Pharisæos, sed etiam ipsis Isaiæ verbis usus est, quæ Lucas Evangelista cap.* XI. *postea in Græcam linguam transtulit*: Si fortior, *inquiens*, eos superveniens vicerit eum, universa arma eius aufert in quibus confidebat, & spolia eius distribuit, &c.

V. 26. ET CIBABO HOSTES TUOS CARNIBUS SUIS, ET QUASI MUSTO SANGUINE SUO INEBRIABUNTUR. Alii I. *spoliatores tuos pascam suis carnibus, & sanguine suo ceu musto inebriabuntur*. II. *Efficiamque ut comedant oppressores tui suam ipsorum carnem, & veluti musto sanguine suo inebrientur*; id est, committam ipsos inter se ut talionis pœnas inferam ipsis, & quemadmodum carnem & sanguinem tuum exhauserunt, sic etiam alii ab aliis consumantur. HOSTES TUOS. Heb. *deprædatores, spoliatores, oppressores, depopulatores, molestatores tuos*. Vide in Exod. XXII. 21. *Musto* עסיס *ghasis, succo expresso, & calcato*. Vide in Canticor. VIII. 2. ET SCIET OMNIS CARO, QUIA EGO, &c. Alii: *ut agnoscat omnis caro, me Iehovam esse servatorem tuum, & vindicem tuum robustum Deum Iahakobi*; id est, ut sciant omnes homines etiam impii & adversarii, me Iehovam esse, &c. FORTIS IACOB: id est, *fortis*, quem Iahakob colit. אביר *abir, Potentissimus, Robustissimus, Penniger, Alatus, Penatus, Iakakobi*; id est, cuius vires & potentiam, alasque seu protectionem sæpe expertus est Iahakob: vide in Genes. XLIX. 24.

MENOCHII.

Vers. 1. INSULAE: vide dicta supra XLI. XLII. 4. DOMINUS AB UTERO VOCAVIT ME: loquitur de Christo, quem Iesum vocavit per Gabrielem Archangelum, Matt. I. 21. RECORDATUS EST NOMINIS MEI. In Hebræo est, *memorare fecit nomen meum*, scilicet per Angelum: est eiusdem sententiæ repetitio.

V. 2. OS MEUM: *verba mea*, ut vertit Chaldæus. QUASI GLADIUM ACUTUM: ad penetranda audientium corda, & errores exscindendos, & vitia. IN UMBRA MANUS SUAE: protectione manus suæ omnipotentis. SICUT SAGITTAM ELECTAM: non solum similem gladio fecit ad vicinos salutariter feriendos, sed etiam sagittæ, ut ad remotas gentes per me salus perveniret. IN PHARETRA SUA ABSCONDIT ME: scilicet sub integumento humanæ carnis.

V. 3. SERVUS MEUS: Christus vocatur servus Dei, quia cum in forma Dei esset, formam servi accepit: vide supra cap. XLII. I. ISRAEL. Christus vocatur Israel, quia natus de eius semine, quia missus primario ad oves quæ perierunt domus Israel, & quia Israel sive Iacob typus eius fuit. IN TE GLORIABOR: quia in te ostendi mundo abyssum meæ bonitatis, potentiæ & sapientiæ.

V. 4. ET EGO DIXI: sunt verba Christi qui loquens inducitur. IN VACUUM LABORAVI, &c. nam prædicationis, & passionis fructus angustus est, paucis Iudæis conversis. ERGO IUDICIUM MEUM CUM DOMINO; quasi dicat: Feci quod mei muneris erat. Iudicium ergo huius causæ tibi Pater committo; tu iudica vitio cuius factum sit, ut tam pauci ex iis mea opera sint conversi, & salvati. OPUS MEUM CUM DEO MEO. LXX. habent, & *labor meus coram Deo meo*; quasi dicat, Ipse iudicet.

V. 5. DICIT DOMINUS: inducitur Deus Christi querelæ respondens. ET ISRAEL NON CONGREGABITUR; quasi dicat: Missus sum ad colligendas oves Israel, & cogendas in Ecclesiæ caulas, sed illæ noluerunt, itaque non congregabuntur. In Hebræo

bræo eſt: *Iſrael non congregabit ſe*. GLORIFICATUS SUM: ſignis, & miraculis editis, & admirabili doctrina Evangelii. IN OCULIS DOMINI: *coram Domino*, ut habent LXX. ET DEUS MEUS FACTUS EST FORTITUDO MEA: cui omne bonum adſcribo, & a quo vim hæc patrandi accepi.

V. 6. ET DIXIT: verba ſunt Dei. UT SIS MIHI SERVUS AD SUSCITANDAS TRIBUS IACOB; quaſi dicat: Nollo tuam prædicationem exiguis finibus Iſraelis circumſcribi. FAECES ISRAEL: eos intelligit, qui tot populi cladibus ſuperfuerant, exiguæ, & viles reliquiæ. DEDI TE IN LUCEM GENTIUM: ut ſis quaſi ſol ſpiritualis, & divinus mundi totius; *lumen ad revelationem gentium*, ut canit Simeon Luc. II. 32. UT SIS SALUS MEA: ut tua opera ſalus a me profecta mundo communicetur. LXX. *ut ſis in ſalutem*.

V. 7. REDEMPTOR ISRAEL: qui Iſraelitas ex captivitate, & malis eripit. AD CONTEMPTIBILEM ANIMAM: ad Chriſtum quaſi contemptibilem habitum, tamquam vermem, opprobrium hominum, & abiectionem plebis. ABOMINATAM GENTEM: gentem Chriſtianorum, quam Ethnici, & Iudæi abominabantur. SERVUM DOMINORUM: Chriſtum cum ſuis intelligit; ille enim quaſi vile mancipium flagellis cæſus eſt, in crucem actus, conſputus, &c. REGES VIDEBUNT, ET CONSURGENT; id eſt, aſſurgent, & venerabundi ſupplicabunt tibi, o Chriſte, & Eccleſiæ ſe ſubmittent. PROPTER DOMINUM: qui eorum corda molliet efficacitate gratiæ ſuæ. Vel ſenſus eſt, detuliſſe Principes hunc honorem Eccleſiæ miniſtris propter Dominum. QUIA FIDELIS EST: & quod verbo promiſit, opere præſtat.

V. 8. IN TEMPORE PLACITO. Tempus placiti ſive benevolentiæ (hanc enim ſignificat Hebraicum רצון *ratſon*) divinæ erga Chriſtum & Eccleſiam, eſt tempus placabile, quo Deus placatus, & reconciliatus eſt per Chriſtum generi humano, hoc eſt, tempus gratiæ, & Evangelii. EXAUDIVI TE; id eſt, exaudiam te, cum incarnatus, & natus fueris pro membris tuis, & in membris tuis, Apoſtolis ſcilicet, & Chriſtianis deprecantem, opemque, gratiam, & ſalutem toti mundo poſtulantem. Hæc enim ob preces tuas illi conferam, & præſtabo. IN DIE SALUTIS: in tempore ſalutis, cum ſcilicet tu mundo per mortem, & promulgationem legis gratiæ, ſalutem afferes mundo. SERVAVI TE: ne moriens interires, ſed mox glorioſe reſurgeres. DEDI TE IN FOEDUS POPULI: ut fœdus pacis inter me, & populos ſancires ſanguine tuo. SUSCITARES TERRAM: terræ incolas in peccatum lapſos, & in ſempiternum exitium ruentes erigeres, & ad vitam, & ſalutem revocares. POSSIDERES HEREDITATES DISSIPATAS. *Dabo tibi Gentes hereditatem tuam*, ut eſt in II. Pſalmo. Appellantur autem Gentes hereditas diſſipata, quia longe recedebant a fide, Deo, gratia, & ſalute, & quia hanc hereditatem vaſtaverant, diſſipaverant, & peſſumdederant monſtra errorum & vitiorum.

V. 9. HIS QUI VINCTI SUNT: peccatorum, & errorum laqueis, & vinculis implicatis. IN TENEBRIS: idololatriæ, & gentiliſmi. REVELAMINI; id eſt, in lucem prodite, ſeu apparete; eſt repetitio ſuperioris hemiſtichii. SUPER VIAS PASCENTUR, &c. Hiſce, & ſequentibus metaphoris ſignificat Propheta tempore Chriſti non Ieroſolymis tantum, ut olim, ſed ubique terrarum fore copiam pabuli, & potus ſpiritualis.

V. 10. AESTUS ET SOL: tribulationum, & tentationum. MISERATOR EORUM: Chriſtus bonus paſtor, qui miſericordia tangitur propter ſuorum calamitates, præſertim ſpirituales. POTABIT EOS: aqua ſalutaris doctrinæ, & fluentis gratiarum.

V. 11. PONAM OMNES MONTES, &c. Hoc quod ſupra dictum eſt cap. XL. 4. *Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons, & collis humiliabitur*, &c. PONAM IN VIAM: faciam eos pervios, & planos. SEMITAE: vallium.

V. 12. ECCE ISTI, &c. quaſi dicat: Ecce ex omni plaga, & regione ad Eccleſiam confluent. ET MARI, id eſt ab occidente; nam Palæſtinæ mare eſt ad occidentem. DE TERRA AUSTRALI. In Hebræo eſt, *de terra* סינים *ſinim*, quare Oſorius, Arias Montanus, & alii putant eſſe prophetiam de converſione regni Sinarum.

V. 13. CONSOLATUS EST POPULUM SUUM: fideles ſuos gaudentes acceſſione tam inſignium populorum, Eccleſiæ Chriſti ſe ſubdentium.

V. 14.

V. 14. Et dixit Sion, id est Iudæi ad Christum conversi. Dereliquit me Dominus: qui multos ex Gentibus, ex Hebræis paucos convertit ad Christum.

V. 15. Numquid oblivisci potest, &c. est Dei responsio querelæ respondentis, & se oblitum non esse populi sui asseverantis.

V. 16. In manibus meis descripsi te: pro, velut in manibus, ne possem oblivisci. Vel alludit ad annullos memoriales. Vel certe, quod verius videtur, loquitur de vulneribus, & cicatricibus manuum, quæ memoriale sunt Christo, eorum, quæ, & pro quibus passus est. Muri tui, &c. quasi dicat: Semper memor sum sanctæ istius Civitatis Ierusalem, præcipue tamen spiritualis, & verorum filiorum Abrahami, qui sunt fideles in Christum credentes.

V. 17. Venerunt structores tui. In Heb. est *Festinabunt filii tui*; qui scilicet te reædificent: alludit enim ad reædificationem Ierusalem post captivitatem Babylonis. Per hosce structores commode intelliguntur Apostoli, & viri Apostolici. Destruentes et dissipantes. Alludit ad Sanaballat, qui Nehemiam a reædificatione Ierusalem impedire conatus est: Nehem. xli. A te exibunt: a te recedent, removebo eos, ne te impediant.

V. 18. Venerunt tibi: omnis hæc multitudo veniet ad te. Velut ornamento vestiens: multitudine & varietate fidelium, quasi eleganti amictu ornatur Ecclesia, de qua dicitur Psal. xliv. 10. *Adstitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.*

V. 19. Deserta tua: deserta, & solitudines vocat regiones Gentilium, quæ non fuerant cultæ doctrina veræ religionis. Terra ruinae: sunt Hebræi, apud quos verus Dei cultus obsoleverat, & quorum Synagoga propter errores & vitia quasi fatiscens, prona erat in ruinam. Qui absorbebant te: qui te absorbere cogitabant, & parabant, immo iam absorbere incipiebant, hoc est, hostes tui.

V. 20. Dicent in auribus tuis, id est dicent tibi. Filii sterilitatis tuae: filii tui, quæ te sterilem, & quasi desolatam quereris. Angustus est mihi locus: præ multitudine eorum qui convertentur. Alludit ad reditum Iudæorum ex Babylonica captivitate.

V. 21. Et istos quis enutrivit? unde hi prodierunt? quis hosce genuit in Christo, quis educavit, &c.

V. 22. Levabo ad gentes manum meam: ut signo edito eas evocem. Signum meum: crucis vexillum. Afferent filios tuos in ulnis: tamquam boni pastores oviculas hinc inde collectas ad caulas Ecclesiæ deferent.

V. 23. Erunt reges nutritii tui: Reges enim aluerunt Ecclesiam, & bonis ditarunt. Alludit ad Persarum reges, qui in Iudæos qui reversi fuerant ex captivitate, beneficos se exhibuerunt. Vultu in terram demisso: nam Reges Ecclesiæ præsules, & Pontifices demisse venerantur. Pulverem pedum tuorum lingent: est hyperbole significans summam demissionem, sic Psal. lxxi. 9. dicitur: *Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent.* Super quo non confundentur, &c. cui qui fidunt, in eo locantes spes suas, non confunduntur, quia illi bene cuncta cedunt.

V. 24. Numquid tolletur a forti, &c. quasi dicat: Quis poterit hoc evincere ut captivi liberentur, & e manibus potentium, qui eos habent in potestate eripiantur. Respicit captivitatem Babylonicam typum captivitatis generis humani, suo dæmonis, & peccati iugo. Aut quod captum, &c. repetitio eiusdem sententiæ.

V. 25. Eos qui iudicaverunt te: qui vexarunt te in captivitate, & quasi damnatum addixerunt servilibus ministeriis, &c.

V. 26. Cibabo carnibus suis: ut mutuo se conficiant; vel certe dolore furentes, carnes suas, manus, & brachia dentibus lacerent.

TIRINI.

Vers. 1. Audite insulae, & insulani *a* omnes etiam remotissimi. Dominus ab utero, immo antequam essem in utero matris, immo ab æterno, vocavit me; nempe Iesum, id est salvatorem, Matth. 1. 21. quasi dicat: Destinavit me ut essem vindex ac redemptor totius generis humani. Nam Dei vocare *b*, efficere est, inquit S. Hieronymus, Cyrillus & Ambrosius *c*.

V. 2.

V. 2. Posuit os meum, id est verba oris mei (ut vertit Chaldæus) quasi gladium *d* acutum, quo rescecem & iugulem, primo, scelera quæ toto orbe grassantur; secundo, omnem falsam & vanam doctrinam; tertio, dæmones, mundi hucusque principes. Umbra *e* manus suae; id est, manu & potentia sua divina mihi contra æstum hostilem obiecta, protexit me.

V. 3. Et dixit mihi: Servus meus es tu. Vide dicta cap. xlii. vers. 1. *Et* Israel, id est antitypus Iacobi, qui vocatus est *Israel f*, id est dominans Deo, cum luctatus mecum mihi prævaluisset: nam potiori iure tu tua lucta & morte mihi irato prævalebis & dominaberis. Potest etiam dici Christus *servus Israel*, quia ex Israele natus, & quia primario *missus ad oves quæ perierunt domus Israel g*. In te glorificabor, Chaldæus, *laudabor;* Christus enim omnibus suis laboribus nihil aliud quæsivit quam *h glorificare* Patrem suum. Est insuper Christus omnis gloria, decus & delitiæ Patris, inquit Forerius. Sed audi querelas Christi:

V. 4. In vacuum laboravi, docendo, patiendo, tot miracula, tot virtutes operando; atque ita sine causa quia frustratus fine & tuo & meo, nempe conversione Iudæorum *i*, quæ causa fuit tam multa operandi & patiendi, inquit S. Hieronymus. Ergo iudicium meum cum Domino; id est, causam hanc meam tibi, o Pater, diiudicandam committo: et opus meum; LXX. *labor*; Chaldæus, *merces operum meorum;* quasi dicat: Iniquum esset, frustrari debita mercede & præmio tot labores, tot sudores, tot dolores meos. Cum ergo

V. 5. Israel, id est Iudæi, ad quos in ovile reducendos me misisti, nolint in id *congregari*; an nullum alium fructum, nullum aliud præmium nanciscar? Absit hoc a tua tam illustri, immo infinita bonitate & iustitia. Et ecce uno loco unius exiguæ gentis Iudaicæ tradidit mihi Pater omnes nationes universi; atque ita longe maiore gloria glorificatus sum in oculis Domini, totiusque cæli, & terræ.

V. 7. Haec dicit Dominus, ad contemptibilem animam, id est ad Christum adeo contemptum a Iudæis, ab Herode, a Pilato, *vermem & non hominem* k, *opprobrium hominum & abiectionem plebis:* dicit item ad abominatam gentem, id est ad Christum eiusque sequaces Christianos, LXX. *qui abominatur a Gentibus*; & est *servus* quorumlibet dominorum, & quasi vilissimus servus a dominis Gentilibus & Iudæis principibus irrisus est, consputus, flagellatus, spinis coronatus, denique in crucem actus. Sors hæc, ut putatur miserrima, brevi in felicissimam commutabitur: nam reges et principes potentissimi ex Gentibus, ut primum audierint viderintque miranda stupendaque opera, quæ in te & per te toto orbe patrabo, admirabundi & venerabundi suspicient te, o Christe, o Ecclesia Christi, & tibi assurgent, & ad te amplexandum consurgent, *& vultu in terram l, demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent*: ita S. Hieronymus & Cyrillus & alii SS. Patres.

V. 8. Tempore placito; Hebraice, *ratzon*, id est benevolentiæ & favoris; LXX. *tempore opportuno;* S. Paulus *m* legit, *tempore accepto & acceptabili;* quasi dicat: Eo tempore quo decreveram favere & benefacere tibi, & propter te toti orbi, exaudivi te cum orares me, Psalmo lxviii. *Tempus beneplaciti* o *Deus* advenit: *exaudi me, in veritate salutis tuæ*. Moxque *exaudivi te*, et servavi te integrum, illæsum & intactum ab unguibus satanæ, inferni & mortis, saltem ne te captivaret, ne detineret. Insuper dedi te in foedus populi, ut & passive victima sis fœderalis qua reconcilier generi humano: & active fœderator sis, novo fœdere rursus me populo obstringens, ut olim antiquo fœdere Moyses me illi obstrinxit: ita Forerius. Idque ut terram, id est terræ incolas morti æternæ omnes obnoxios, & ex nunc per peccatum mortuos, erigeres & ad vitam *resuscitares* et hereditates *n*, id est Gentes tibi pro hereditaria portione concessas, sed per peccatum profugas, *dissipatas*, perditas, ad fidem, ad obedientiam, ad salutem reduceres, & reductas pacifice *possideres*: ita S. Hieron. Cyrillus & alii Patres.

V. 9. Ut diceres his qui scelerum suorum reatu & compedibus vincti sunt, seu in limbo *o* & Purgatorio (ut S. Anselmus *p* exponit) seu in terra (ut alii) Exite liberi a vinculis, a carcere: et his qui in tenebris iacent infidelitatis & ignorantiæ, vel etiam lumbi infernalis, diceres, Revelamini, id est illustremini, luce cælesti perfundamini & recreemini. Porro *lu-*

cis

tis nomine designantur omnia læta, secunda & prospera, ut *q* alibi dixi. Neque hæc avara vel parca manu, nec uno solo loco (ut olim Iudæis in solo templo Ierosolymitano) vobis erogabuntur; sed ubique gentium, & passim, etiam PER VIAS ET IN OMNIBUS PLANIS, PASCUA *r* verbi Dei, sacrificii & Sacramentorum, omniumque gratiarum & spiritualium donorum vobis aperientur & perpetuo patebunt: ita Origenes *f*, S. Hieronymus & Cyrillus. Ut, sicut olim sub Moyse nullus Hebræorum in deserto esurivit, sitivit, aut æstu solis afflictus fuit, ita & Christiani in lege Evangelica.

V. 10. NON ESURIENT, NEQUE SITIENT, &c. quia longe nobiliori manna pascentur, multo suavioribus aquis recreabuntur, multo spissiore nube protegentur, multo clariore columna ignis illustrabuntur, inquit Forerius. Quæ omnia in SS. Eucharistiam *t* verissime quadrant. Sed Anagogice, de plena saturitate Sanctorum in cælo exponit S. Ioannes Apoc. VII. 16. Obstacula quoque viarum omnia tollam, ut sustuli tendentibus ex AEgypto in Chananitidem.

V. 11. OMNES MONTES MEOS etiam altissimos PONAM IN VIAM, id est faciam pervios, ut plana & commoda via per eos pateat, & *semitæ* si quæ nimis depressæ fuerint, EXALTABUNTUR, *u* implebuntur & attollentur. Sic via parata.

V. 12. ECCE ISTI Orientes populi (inquit S. Hieronymus, Forerius & Sanchez) DE LONGE VENIENT ad Ecclesiam Christi: & illi *de* MARI, id est ab Occidente: respectu enim Iudææ mare est ad Occidentem. ET ILLI AB AQUILONE, ET ISTI DE TERRA AUSTRALI: ergo a quatuor plagis mundi. Pro *Australi* vertunt LXX. *de terra Persarum*. Sed Hebraice est, *de terra Sinim*, id est Sinæorum, seu incolarum & accolarum deserti *Sin* & montis Sinai, inquit S. Hieronymus, Forerius, Vatablus, Sanchez & Alvarez. Sed incolæ & accolæ *Sinai* pauci sunt, nec umquam in Scripturis solent nomine *Sinim* appellari. Quare malim cum Osorio, Aria Montano & a Lapide intelligere amplissimum *Sinarum* regnum, S. Hieronymo quidem incognitum, sed Deo & Isaiæ notissimum; nec potuisset aliis litteris Hebraicis certius nitidiusque describi. Sinis vero præ aliis omnibus nominatim expressos voluit Propheta, ut doceat, gentes etiam remotissimas, ac potentissimas, & exteris inaccessas, Christo eiusque Ecclesiæ sese ultro subiecturas aliquando, ut ab eodem Evangelii gratiam & salutem adipiscantur. Ubi e contrario

V. 14. SION, id est Synagoga Iudaica, Deo ante carissima & familiarissima, iam pro maiore sui parte ob spretum Deum & Christum eius, spreta vicissim ab ipso & reiecta, amarissime deflet miseriam suam, dicens: DERELIQUIT ME DOMINUS, ET OBLITUS EST MEI. Sed id negat diserte Deus.

V. 15. NON OBLIVISCAR TUI, o Synagoga, nempe quæ & quatenus mihi fidelis adhærere volueris: nam licet plerique tuorum Iudæorum rebelles Christo & in perfidia sua obstinati, reiecti sint a me, & refecti a corpore Ecclesiæ meæ; tamen reliqui de Synagoga (& quidem sanior pars) Christo meo adhærentes, numquam a me reiicientur, sed erunt mihi quam maxime cordi & curæ. Et pro perfidis Iudæis, qui tibi exciderunt, substituam & incorporabo tibi vastissimam multitudinem Gentilium, ut sequitur versu 18. & S. Paulus fuse docet Rom. XI. Et sic fiet ex omnibus una nobilior Synagoga, & Ecclesia: ita S. Hieronymus, Haymo, Forerius & alii complures. Pro pignore vero tantæ meæ erga te benevolentiæ, olim certissimo præstandæ, do tibi nunc instaurationem materialis *Sion*, seu Ierosolymæ, per Nabuchodonosorem eversæ, exustæ, & humano iudicio prorsus desperatæ.

V. 16. ECCE enim MURI TUI CORAM OCULIS MEIS SEMPER; id est, assiduo memini mœnium tuorum, ut illa restaurari curem. Et iam completis 70. annis captivitati tuæ præfixis,

V. 17. VENERUNT, & ecce adsunt STRUCTORES TUI, Esdras & Nehemias. DESTRUENTES vero TE Chaldæi, ET opera tua DISSIPANTES Samaritani, II. Esdræ IV. EXIBUNT A TE, sinentque promovere fabricam & perficere. Nempe sic olim fugabo procul a te perfidos Scribas, Pharisæos, pontifices, tyrannos, aliosque hostes tuos, ne spiritualem Sionis, id est Ecclesiæ fabricam, per Christum eiusque discipulos inchoandam turbare vel præpedire possint quo minus perficiatur; quasi dicat:

Non

Non est cur angaris, tam multos tibi excidere & a me divelli; hostes sunt tibi, non filii: destruere te illi & dissipare volunt, non ornare vel roborare: sed ego faciam illos *exire a te*, fugere & procul facessere, ne impediant structuram tuam.

V. 19. DESERTA TUA loca a profugis Iudæis, ET RUINAE TUAE, id est loca & stationes e quibus illi proruerunt, ANGUSTA ERUNT nimis PRAE novis INHABITATORIBUS, quos e gentilitate deducam ad te, tuoque trunco inseram.

V. 20. Tunc DICENT FILII STERILITATIS TUAE, nempe Apostoli & discipuli Christi, & pauci alii ex Iudæis Deo & Christo adhærentes, qui soli ex stirpe & trunco Israelitico reliqui sunt, orbæ & sterili matri suæ: hi advolantibus certatim ad se tam multis e gentilitate, dicent, ANGUSTUS EST MIHI LOCUS Iudææ & Palæstinæ; FAC MIHI per reliquum orbem universum nova *spatia* quæ *inhabitem*: ita fere S. Hieronymus & Forerius.

V. 22. MANUM MEAM auxiliatricem & deductricem LEVABO AD GENTES, ET SIGNUM MEUM, id est vexillum militare, de quo alibi *x* (quod S. Hieronymus, Cyrillus, Haymo & alii passim de vexillo crucis Christi exponunt) EXALTABO AD omnes POPULOS; & sola illius ostentatione traham ad te mundum universum.

V. 23. ET ERUNT REGES NUTRITII TUI, id est alent te, & bonis suis ditabunt te, ut solent parentes fovere & ditare filios suos. An non ita fecerunt Constantinus, Theodosius, Carolus, Ludovicus, Helena, Pulcheria, Cunegundis, Mathildis, & tot alii tum antiqui, tum moderni principes, reges, Imperatores? VULTU IN TERRAM DEMISSO, & toto corpore humi prostrato (more Chaldæorum & *y* Persarum) ADORABUNT TE tamquam dominam & reginam suam. Nempe eodem honore quo ipsi a suis subditis honorantur, honorabunt ipsi Prælatos Ecclesiæ. ET PULVEREM PEDUM TUORUM LINGENT *z*; id est, terram quam pedibus tuis calcas, ipsi supplices osculabuntur, seque suaque sceptra tibi submittent. Hic ritus etiamnum viget apud Sinas, Iapones, & plures alios Indos, ut principem veneraturi, fronte humum feriant.

V. 24. Sed NUMQUID TOLLETUR A FORTI PRAEDA? id est, an a forti illo gigante vel leone diabolo tolli poterit gentilitas, quam ipse quasi prædam hucusque captam & validissimis vinculis constrictam tenet? *Equidem aa tolletur*, nempe per Christum, longe fortiorem diabolo. Reliquos vero

V. 26. HOSTES TUOS, tyrannos, hæreticos, perfidos Iudæos, CIBABO CARNIBUS SUIS, ET SANGUINE SUO INEBRIABUNTUR. Est catachresis, pro, mutua cæde se conficient, & fraterno sanguine madebunt. Quæ enim fratris tui sunt, tua censentur. Sic cap. IX. dicitur, *Unusquisque carnem brachii sui vorabit*. Alludit ad Madianitas, Iudic. VII. & Moabitas, II. Paralip. XX. qui mutuis vulneribus se confecerunt.

(a) Isaiæ XLI. 1.
(b) Isaiæ XLVIII. 1.
(c) Ambros. in Psal. XXXV.
(d) Matt. X. 11, & ad Heb. IV. 12. & Apoc. I. 16. Psal. XLIV. 4.
(e) Thren. IV. 20.
(f) Genes. XXXII. 28.
(g) Matth. XV. vers. 24.
(h) Ioan. VIII. 29. & XVII. 4.
(i) Hic vers. seq.
(k) Psal. XXI. 7. Item Isaiæ LIII. 3. & 4.
(l) Hic vers. 23.
(m) II. Cor. VI. 2.
(n) Isaiæ XLVII. 6.
(o) Oseæ XIII. 14.
(p) Anselm. in Elucidario.
(q) Psal. IV. 7.
(r) Ioan. X. 9.
(s) Orig. Lib. I. contra Celsum.
(t) Psal. XXII. & I. Cor. IV. 8.
(u) Isaiæ XL. vers. 4.
(x) Isaiæ XI. 10.
(y) Xenophon Lib. VIII. & Plutarch. in Alcibiade.
(z) Psal. LXXI. 9.
(aa) Matt. XII. 29.

GORDONI.

Vers. 1. AUDITE INSULAE, &c. Hoc loco sensus litteralis est de Christo, ut ex verbis constat: & Acto. XIII. 47. *posui te in lucem gentium*. Eum Deus vocavit ab utero, Math. I. 21.

V. 4. & 5. ET EGO DIXI, IN VACUUM LABORAVI. Conqueritur Christus de tot suis laboribus inutiliter susceptis apud Iudæos. Sed IUDICIUM MEUM CUM DOMINO, inquit Christus; hoc est opus & meritum meum ipse retribuet. Respondet vers. 5. & 6. Christus formatus est & missus, & hoc ut congregaret Israel. At noluerunt: unde tandem datus est Christus in lucem gentium.

V. 7. HAEC DICIT DOMINUS REDEMPTOR,

TTOR, &c. Missus est Christus ad gentem contemptibilem, sive Iudæos intelligas sub Herode & Romanis; sive intelligas Apostolos, & Christianos sub tyrannis Imperatoribus: tandem tamen futurum est, ut principes & reges adorent, idque propter Deum (Sanctum in Israel) qui hæc faciet, & te elegit.

V. 8. HAEC DICIT DOMINUS IN TEMPORE PLACITO, &c. Fient quæ prædicta sunt de Christo, contemptu, cruce, & similibus. Exaudietur oratio eius, & erit in fœdus populi; & mira evenient in conversione populorum: crebra metaphora est.

V. 15. & 17. VENIENT STRUCTORES TUI, &c. Structores Ecclesiæ sunt Apostoli & successores, & dum instant operi, venient etiam destructores. At parum efficient, fere ut sub Esdra in extruendo templo: crescet Ecclesia, ut (vers. 20.) angustus locus futurus sit in tot incrementis Ecclesiæ.

V. 22. & 23. ECCE LEVABO SIGNUM, &c. Hoc signum est vexillum crucis, ad quod convocabuntur gentes, & ad castra Ecclesiæ. Prolixi sunt Patres in crucis virtute mirabili prædicanda: & vers. 23. ERUNT REGES NUTRITII TUI. Reges alent, & bonis ditabunt Ecclesiam: ADORABUNT, PULVEREM LINGENT, hanc hyperbolem, si ad Pastores referas, magnam designat venerationem, ut vides in Petro, Paulo, & aliis Apostolis.

V. 24. NUMQUID A FORTI TOLLETUR PRAEDA, &c. Non potest a forti auferri præda; faciet tamen Deus quod impossibile videtur, auferet prædam a diabolo, & clavam Herculi illi eripiet: prolixum esset dicere, quot & quam graviter persecutores Ecclesiæ a Deo sint puniti.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 2. OS MEUM; verba mea ex Chald. nempe ad corda penetranda, & movenda in bonum.

Vers. 14. ET DIXIT: ECCE DICIT SION. . Ecce dicent Iudæi ad Christum.

Vers. 26. Promittit hostium ruinam, adeo ut ipsi se mutuo conficiant.

CA-



CAPUT L.

Non ex Dei impotentia, sed propter suas iniquitates manet Synagoga repudiata, Christum nolens recipere, qui nihil prætermisit quod agendum fuerat ut ab ea reciperetur; immo illius amore seipsum in ignominiosas tradens afflictiones; ideoque Synagogam doloribus interituram denuntiat.

1. HAEc dicit Dominus: Quis est hic liber repudii matris vestræ, quo dimisi eam? aut quis est creditor meus, cui vendidi vos? ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram.
2. Quia veni, & non erat vir: vocavi, & non erit qui audiret: (*a*) numquid abbreviata & parvula facta est manus mea, ut non possim redimere? aut non est in me virtus ad liberandum? Ecce in increpatione mea desertum faciam mare, ponam flumina in siccum: computrescent pisces sine aqua, & morientur in siti.
3. Induam cælos tenebris, & saccum ponam operimentum eorum.
4. Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lassus est verbo: erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum.
5. Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico: * retrorsum non abii.
6. (*b*) Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, * & conspuentibus in me.
7. Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus: ideo posui faciem meam ut petram durissimam, & scio quoniam non confundar.
8. (*c*) Iuxta est qui iustificat me, quis contradicet mihi? stemus simul, quis est adversarius meus? accedat ad me.
9. Ecce Dominus Deus auxiliator meus: quis est qui condemnet me? Ecce omnes quasi vestimentum conterentur, tinea comedet eos.
10. Quis ex vobis timens Dominum: audiens vocem servi sui? qui ambulavit in tenebris, & non est lumen ei, speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum.
11. Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis: de manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis.

(a) Inf. lix. 1. (b) Matth. xxvi. 67. (c) Rom. viii. 33.

BRUGENSIS.

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 5. *Retrorsum non abii*. Subest hic mendum in autographo Romano, ubi excusum est tertia persona *abiit* pro prima *abii*

Vers. 6. *Et conspuentibus in me*. Non iudicarunt Patres omittendum *τὸ in me*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verf. 1. QUIS EST HIC LIBER. Heb. אי זה, *ubi est libellus repudii;* quasi dicat: Soletis conqueri vos a me sine causa sola mea austeritate repudiatos; ostendite ergo libellum repudii, quo id probetis; reperietis vos a me non morositate mea, sed sceleribus vestris repudiatos: matrem autem eorum vocat Synagogam. AUT QUIS EST CREDITOR; quasi dicat, Nullus est, non enim ego vos vendidi, sed ipsi vos peccatis vestris vendidistis. ECCE ENIM. Reddit causam, eius quod subintelligitur, scilicet nullum esse. IN INIQUITATIBUS: ב. *propter iniquitates vestras, & propter scelera vestra.*

V. 2. QUIA VENI, ET NON ERAT VIR; id est, nemo fuit qui recipere vellet meum auxilium. Potest referri ad auxilium Dei, quod sæpe Iudæis offerebat, ut inf. LXV. 2. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona:* & LXVI. 4. *Vocavi, & non erat qui responderet, locutus sum, & non audierunt, feceruntque malum in oculis meis:* & Hier. VII. 13. *Locutus sum ad vos mane consurgens & loquens, & non audistis:* & Prov. I. 24. *Quia vocavi, & renuistis,* &c. Dicitur enim Deus ad nos venire cum nobis opem fert. Vel potest referri ad adventum Christi. *In propria enim venit, & sui eum non receperunt:* Ioan. I. 11. Cum autem dicit neminem fuisse qui responderet, neminem posuit pro admodum paucis. NUMQUID ABBREVIATA. Heb. *Numquid abbreviando abbreviavit se manus mea;* quasi dicat: Non stetit per me, quasi ego impotens fuerim, quominus salvi essetis, sed per vos ipsos stetit. ECCE IN INCREPATIONE MEA; id est, prohibendo ne fluat, solo verbo, DESERTUM FACIAM MARE: אחריב, *exicabo mare.* Probat quod dixerat non esse abbreviatam manum suam, id est se non esse minus potentem, quam semper fuerit, quia sicut olim exiccavit mare: Exod. XIV. 21. ita nunc exiccare poterit, si res postulabit.

V. 3. INDUAM CAELOS TENEBRIS; id est, sicut quondam cælum tenebris operui per tres dies, Exod. X. 22. ita nunc faciam quoties opus erit. ET SACCUM PONAM, id est induam eos sacco: repetitio est eiusdem sententiæ. Est enim saccus habitus lugentium: cum autem cælum obductum est tenebris, lugere videtur.

V. 4. DOMINUS DEDIT MIHI LINGUAM ERUDITAM: למודים, *doctorum,* id est quæ docti uti solent. UT SCIAM, לדעת לעות, *ut sciam opportune* (loqui) *verbum lasso.* Sicut Christus dicebat, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* ERIGIT MANE, MANE; id est, singulis diebus mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum, כלמודים, *sicut doctorum:* vel, sicut iis qui docentur. Christus loquitur quatenus homo est: significatque se a patre audire, quæ alios doceat, ut ipse testatur, Ioan. XII. 50. *Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi pater, sic loquor.*

V. 5. DOMINUS DEUS APERUIT MIHI AUREM, EGO AUTEM NON CONTRADICO, id est Deo loquenti docilem me præbeo. *Audio quid loquatur in me Dominus, quoniam loquetur pacem in plebem suam:* Psal. LXXXIV. 9. RETRORSUM NON ABII, id est non recessi ab eius mandatis: ut Hier. VII. 24. *Non audierunt, factique sunt retrorsum, & non in ante:* & Ier. XV. 6. *Tu reliquisti me, dicit Dominus, retrorsum abiisti.*

V. 6. CORPUS MEUM DEDI PERCUTIENTIBUS. Illustrissimum est de Christo vaticinium, quod re ipsa videmus fuisse perfectum: Matth. XXVI. 67. Mar. XIV. 65. ET FACIEM MEAM NON AVERTI AB INCREPANTIBUS: מכלמות ורק, *ab ignominiis & sputo.*

V. 7. POSUI FACIEM MEAM UT PETRAM; id est, imperterritus ero, non magis vultum meum metu aut pudore mutabo, quam petra durissima.

V. 8. IUXTA EST QUI IUSTIFICAT ME; id est, *Dominus a dextris meis, ne commovear:* Psal. XV. 8. QUIS CONTRADICET MIHI; id est, *Quis arguet me de peccato:* Ioan. VIII. 46.

V. 9. ECCE DOMINUS AUXILIATOR MEUS; id est, *Si Deus pro me, quis contra me:* Rom. VIII. 31. *Deus qui iustifi-*

c. t;

cat, *quis est*, *qui condemnet?* ibidem, verſ. 33. ECCE OMNES QUASI VESTIMENTUM CONTERENTUR. Non loquitur de naturali interitu, ſed de ſpirituali & morte ſecunda, ut vocat D. Ioan. Apocal. XX. 6. XIV. & XXI. 8. ac ſi dicat: Omnes qui mecum in iudicio contenderint, damnabuntur, & ſe ipſi paulatim conſument; nam quo magis me accuſant, tanto magis augent, & produnt peccata ſua. ET TINEA COMEDET EOS; id eſt, ſua ipſorum conſcientia eos condemnabit, atque torquebit.

V. 10. QUIS EX VOBIS. Invitat Chriſtus prædeſtinatos, ut ad ſe veniant & illuminentur. QUIS AMBULAVIT IN TENEBRIS. Heb. non eſt interrogativum, ſed relativum, אשר, *qui ambulat in tenebris ac ſine lumine*. SPERET IN NOMINE DOMINI, (ſub. & illuminabitur.)

V. 11. ECCE VOS OMNES. Prius allocutus eſt prædeſtinatos, nunc alloquitur per apoſtrophem reprobos. Utitur autem antitheſi inter lumen divinum, ad quod prædeſtinatos vocavit, & lumen vel ignem peccatorum, in quem reprobos mittit; quaſi dicat: Quia vocati noluiſtis venire ad lumen & ignem caritatis & gratiæ quem ego accendo, ite in ignem æternum inferni, quem ipſi vobis peccatis veſtris accendiſtis. ECCE VOS OMNES ACCENDENTES, id eſt accenditis ignem. ACCINCTI FLAMMIS, id eſt undique circumdati eſtis flammis, pleni eſtis peccatis. AMBULATE. Imperativum pro fut. ambulabitis IN LUMINE IGNIS VESTRI, id eſt in igne æterno inferni verſabimini, quem vos accendiſtis. DE MANU MEA FACTUM EST HOC; id eſt, mea poteſtate & auctoritate ita eſt conſtitutum, ut qui noluerunt igni meo ſalvi eſſe, igni ſuo pereant. IN DOLORIBUS DORMIETIS; id eſt, moriemini, perpetuis inferni doloribus cruciabimini: תשכבון, *iacebitis*, id eſt in perpetuis cruciatibus verſabimini.

S A.

Verſ. 1. MATRIS, ſcilicet Synagogæ. IN INIQUITATIBUS VESTRIS. Chald. *propter peccata veſtra*. VENDIDI, ſcilicet diabolo; quaſi dicat: Non ego vos vendidi prior, aut dimiſi, ut a me diſcedere coacti ſitis, ſed vos ipſi ultro diſceſſiſtis a me per peccata deficientes. IN SCELERIBUS, id eſt ob ſcelera. DIMISI, id eſt abieci tandem. VIR, id eſt quiſquam, ſcilicet qui me reciperet. INCREPATIONE, id eſt præcepto, ſeu ira. DESERTUM FACIAM. Chald. *ſiccabo*; quaſi dicat, Poſſum ſiccare ſi velim.

V. 3. SACCUM; pro, velut ſaccum.

V. 4. SUSTENTARE, &c. LXX. *quando oporteat loqui verbum*. ERIGIT, id eſt excitat. MANE, id eſt mature, ſeu in vitæ principio, ſcilicet conceptione: vox Chriſti; vel *mane*, *mane*, id eſt quotidie.

V. 5. APERUIT, &c. Chald. *miſit me ad prophetandum*. ABII, ſcilicet renuens.

V. 6. PERCUTIENTIBUS. LXX. *flagellis*. VELLENTIBUS. LXX. *alapis*. INCREPANTIBUS, id eſt calumniantibus; quaſi dicat, Expoſitus ſui Iudæorum calumniis.

V. 7. CONFUSUS, id eſt pudefactus.

V. 8. IUSTIFICAT ME, ſcilicet per gratiam; vel quaſi dicat, Qui meam cauſam defendit, ut iuſtam.

V. 9. OMNES, ſcilicet me condemnantes: vox Chriſti. TINEA, id eſt conſcientiæ vermis.

V. 10. SERVI, ſcilicet Chriſti ſecundum humanitatem.

V. 11. IGNEM, ſcilicet cupiditatis, vel ſupplicii. AMBULATE; pro, ambulabitis. LUMINE, id eſt flamma; quaſi dicat: Puniemini ſupplicio quod vobis per peccata acceſſiſtis.

E S T I I.

Verſ. 1. HAEC DICIT DOMINUS: QUIS EST HIC LIBER REPUDII MATRIS VESTRAE, QUO DIMISI EAM? AUT QUIS EST CREDITOR MEUS, CUI VENDIDI VOS? Verba ſunt Domini loquentis ad populum Iudaicum, qua parte incredulus permanſit, & reprobatus eſt. Neque directe ſignificatur datum ſynagogæ repudium, ſed tantum ex conſequenti; nam ſenſus eſt: Quare accuſatis me, quaſi mea ſponte dimiſiſſem matrem veſtram dato libello repudii, ſicut ſolent moroſi ac difficiles mariti, levi occaſione repudiare uxores? *Aut quis eſt creditor meus*, *cui*, repetenti debitum, cum non haberem quod ſolverem, *vos* filios meos in ſervitutem *vendidi* & tradidi? quaſi dicat: Nihil tale eſt. Et culpa huius reiectionis veſtræ

non

non est neque in duritia mea, neque in paupertate mea, sed in vobis, & in peccatis vestris. Unde sequitur: ECCE ENIM IN INIQUITATIBUS VESTRIS VENDITI ESTIS, ET IN SCELERIBUS VESTRIS DIMISI MATREM VESTRAM; id est, Ecce & vos, & matrem vestram synagogam repudiavi, non ob aliud, quam propter iniquitates & scelera vestra.

V. 4. 5. & 6. DOMINUS DEDIT MIHI LINGUAM ERUDITAM ..... ERIGIT MANE, MANE ERIGIT MIHI AUREM, UT AUDIAM QUASI MAGISTRUM, DOMINUS DEUS APERUIT MIHI AUREM. Verba ad Christum pertinent, ut ex sequentibus manifestum est: ubi idem dicit: CORPUS MEUM DEDI PERCUTIENTIBUS, ET GENAS MEAS VELLENTIBUS, quod constat Matth. XXVI. in Christo impletum. Illud vero *mane*, *mane* repetitum, proprietate sermonis Hebraici significat idem, quod per singula mane; sicut, *homo*, *homo de domo Israel*, id est quilibet homo apud Ezechielem cap. XIV. bis. Sensus ergo est: Quotidie mane, & mature Deus aurem mihi erigit, & iubet se auscultare, tamquam magistrum; quasi dicat: Et propterea nihil mihi deesse potuit, quod ad perfectissimum concionatorem, & annunciatorem voluntatis divinæ requiritur: nam ubi Deus suggerit quod dicendum est, perfecta doctrina est. Propterea quoque omnes concionatores diligenter orare debent, ut huius divinæ instructionis fiant participes. Et hæc Christus dicit secundum hominem, scilicet mane, id est mature, diligenter, cito. Similes phrases sunt Ieremiæ XXV. XXVI. XXIX. & Psalm. CXXXVIII. & alibi.

MARIANAE.

QUIS EST HIC LIBER REPUDII? Redit ad increpandos Iudæos. QUO DIMISI EAM? Videtur Deus repudiasse Synagogam, cum in Babylonem est ducta. AUT QUIS EST CREDITOR MEUS. Hebr. *aut cui e crediteribus meis, cui vendidi vos?* Solebat debitor, cum solvendo non erat, filios creditori vendere. Deus videtur Iudæos vendidisse, cum in captivitatem tradidit. ECCE IN INIQUITATIBUS; quasi dicat: Non mea debita fuerunt causa, sed vestra scelera.

V. 2. QUIA VENI. Sic Sept. Chald. *quare venit:* ita Hebr. pro certe veni. ET NON ERAT VIR, id est quisquam qui me reciperet. QUI AUDIRET. Hebr. *qui responderet*. Per me non stetit quo minus vos liberarem. Neque modo desistam. ECCE IN INCREPATIONE MEA, id est præcepto. DESERTUM FACIAM MARE. Heb. *exsiccabo mare;* pro, exsiccavi, scilicet cum populum ex AEgypto eduxi. PONAM FLUMINA IN SICCUM. Hebr. *ponam flumina* (in) *desertum*. Quid si *in deserto* dicamus, ut sit antithesis? *Ponam*, pro, posui.

V. 3. INDUAM CAELOS TENEBRIS. Hebr. *nigredine*; sed *nigredo* pro *tenebris*. Hoc fecit in AEgypto. *Induam*, ergo pro indui. ET SACCUM PONAM. Sic nubes vocat, quo lugentium more cælum induitur. Quod si illa feci, cur modo meos liberare non potero?

V. 4. DOMINUS DEDIT MIHI LINGUAM ERUDITAM. Hoc de Christo intelligi sequentia ostendunt. Hebræi de Isaia dici putant. UT SCIAM SUSTENTARE EUM, QUI LASSUS EST VERBO. Hebr. *ut sciam opportune loqui lasso verbum*, scilicet ad illum erigendum. ERIGIT MANE, MANE. Hebr. *excitat mane, mane*; id est, omnibus diebus me excitat Deus ut vos moneam. UT AUDIAM QUASI MAGISTRUM. Hebr. *Ut audiam quasi eruditis excitat aurem*, scilicet prophetis, quos docet quæ debeant dicere.

V. 5. NON CONTRADICO. Hebr. *non rebellavi;* pro, non rebello. RETRORSUM NON ABII: facio quæ mihi præcipit Deus.

V. 6. DEDI .... GENAS MEAS VELLENTIBUS; supple, capillos, pilos barbæ. FACIEM MEAM NON AVERTI. Hebr. *abscondi*. AB INCREPANTIBUS, ET CONSPUENTIBUS. Hebr. *ab ignominiis & sputo*. Ex colloquio cum Deo eximia patientia secuta est in Isaiæ animo; seu verius ad Christum hæc omnia referantur.

V. 7. IDEO NON SUM CONFUSUS, non erubui, non sum pudore affectus. IDEO POSUI FACIEM MEAM UT PETRAM DURISSIMAM, silicem. Nullis opprobriis moveor. NON CONFUNDAR, pudefiam. Non erit irrita spes & patientia mea, neque sine fructu.

V. 8. IUXTA EST QUI IUSTIFICAT ME, qui meam iustitiam tuetur, me esse iustum osten-

ostendit. QUIS CONTRADICET MIHI? Hebr. *quis litigabit mecum?* STEMUS SIMUL, scilicet ad tribunal. QUIS EST ADVERSARIUS MEUS? Hebr. *quis* (est) *Dominus iudicii mei?* id est caput in hac lite. ACCEDAT, præsto sum.

V. 9. CONTERENTUR, scilicet adversarii mei. Hebr. *veterascent*. TINEA COMEDET EOS; id est, levis calamitas illos prosternet, tineæ ad instar.

V. 10. SERVI SUI? id est, servi vocem audiat Deus. Hic est Isaias ipse. QUI AMBULAVIT IN TENEBRIS; pro, ambulat: premitur afflictione. ET NON EST LUMEN EI. Repetitio. Per *tenebras* afflictionem intelligit. Is speret in Deo, illi opem feret, eruet a malis.

V. 11. ECCE VOS OMNES ACCENDENTES IGNEM. Dixit, non esse lumen afflictis, modo esse quidem pravum ignem, & lucem impiis. ACCINCTI FLAMMIS. Hebr. *accincti scintillis*, scilicet estis circumfusi molestiis. ET IN FLAMMAS QUAS SUCCENDISTIS. Hebr. *in scintillis*. Vestra vos peccata premunt, luitis quod fecistis. DE MANU MEA; id est, mea providentia est factum, ut peccator uratur sua pravitate. Quod est amplius, IN DOLORIBUS DORMIETIS; pro, moriemini. Dolor erit perpetuus.

MALVENDAE.

Vers. 1. HAEC DICIT DOMINUS, &c. Alii: *Sic ait Iehova*, &c. Tota hæc, inquiunt, concio, quæ duobus capitibus continetur (quemadmodum superiore capite diximus de sequentibus prophetiis omnibus) ad explicationem pertinet illius dicti, quo cap. XLIX. 4. utebatur Christus. Sunt autem partes huius concionis quatuor: prima est, contestatio, qua Christus in Iudæos utitur, usque ad vers. 10. secunda, propositio, reliquias Iudæorum vocans ad pœnitentiam, ut salvæ fiant; inde ad vers. 9. sequentis capitis: tertia, oratio reliquiarum quæ sollicite expectaverant adventum Christi, usque ad vers. 12. postrema, responsio Dei accipiens orationem Ecclesiæ, & promissa sua de integro confirmantis, inde ad finem usque capitis LI. In hac porro contestatione Christus Iudæos evincit per complexionem, hoc modo: Aut per te factum est, ut te dimitterem, aut per me: per me autem minime factum est; cum neque officium meum, neque potentiam, neque voluntatem merito desiderare possis; sequitur ergo hoc per te effectum esse propter peccata tua: quod posterius complexionis membrum, sive dilemmatis, vers. 1. & parte secundi: prius vero sequentibus exponitur. QUIS EST HIC LIBER REPUDII MATRIS VESTRAE, QUO DIMISI EAM? AUT QUIS EST CREDITOR MEUS, CUI VENDIDI VOS? Alii: *Ubi est libellus repudii matris vestræ, quo dimiserim eam? aut quis est ex creditoribus meis cui vendiderim vos?* Ut evidentior, inquiunt, sit hæc argumentatio, ita coniungenda est cum sequente versu: Miror me, ait Christus, cum ad meos venio, a meis non recepi. Quid vero causæ est, cur neque venientem admittatis me, neque respondeatis advocanti? an ego umquam dimisi, aut alienavi vos? neutrum profecto probabitis, sed quod ita discessionem facitis a me, ita plane acceptum ferendum est improbitati vestræ. Neutrum probaturos esse Iudæos confirmat Deus ex ritu usitato legis: Alienantur, inquit, ex lege liberi a patria potestate, cum aut repudiatur mater propter adulteria, cum adulterino semine, ut Hoseæ II. aut venduntur propter paupertatem liberi, ut Exod. XI. 7. horum autem neutrum factum &c. LIBER REPUDII. Heb. *liber exscissionis*, *abscissionis*, &c. Vide in Deuteron. XXIV. 1. ECCE IN INIQUITATIBUS VESTRIS VENDITI ESTIS. Quidam: *en iniquitatibus vestris venditis vos*; id est inique facitis, estisque in me & in vos ipsos iniurii; in me, quia ius meum erga vos mihi adhuc servavi integrum; in vos autem, quia ipsi vobis abiudicatis libertatem filiorum Dei: ut si quis miser filiusfamilias nulla necessitate pressus, & omnibus bonis a patre abundans, seipsum certa malitia venderet. ET IN SCELERIBUS VESTRIS DIMISI MATREM VESTRAM. Alii: *& defectionibus vestris dimittitur mater vestra*, id est Ecclesia Iehudæorum; sic enim totum corpus in Scriptura solere appellari, ostendimus Canticor. VIII. 2.

V. 2. QUIA VENI, ET NON ERAT VIR, &c. Hunc versum alii clarius ex Heb. exprimunt: I. *Cur cum ego venirem, nemo recipiebat.* (*In propria venit, & sui eum non receperunt*: Ioan. I.) *cum vocarem, nemo*

nemo respondebat. *Num sic omnino praecisa est manus mea, ut liberando non esset? aut virtus deerat mihi ad eripiendum? Ecce sola increpatione mea exsicco pelagus, flumina in deserto converto, ita ut pisces eorum aut aquae penuria putrescant, aut siti pereant*. II. *Quamobrem cum venio, nemo adest? cum voco, nemo respondet? an ullo modo brevior est manus mea, quam ut redimat, & an nullae sunt in me vires ad eripiendum?* quasi dicat: Sensistisne ullo pacto minutam esse aut potentiam meam, aut voluntatem erga vos? potentiam confirmat duobus versibus, hoc & sequente; de voluntate deinceps agit: *in increpatione mea:* confirmatio potentiae a priscis quibusdam exemplis; ad quae iterum praestanda, cum opus fuerit, tam potentem se esse confirmat Deus, quam olim fuit: *Exsicco mare*, Exod. XIV. *dispono flumina in desertum*, ut Iosue III. *foetet multitudo piscium eorum mortua siti, eo quod desit aqua*. Emplocen verborum evidentiae causa transponimus.

V. 3. INDUAM CAELOS TENEBRIS, &c. Alii: I. *Ego tristi caligine caelos vestio, & sacco operio eos*. II. *Induo caelos atrore*, ut Exod. 10. *velut cilicium pono operimentum eorum*: comparatio caeli atri, & lugubris cum atratis & lugentibus: quomodo fuit caelum AEgyptiis luctificum, cum nubes procederet inter castra AEgyptiorum & Iisraelitarum.

V. 4. DOMINUS DEDIT MIHI LINGUAM ERUDITAM. Alii: *Dominus Iehovi dedit mihi linguam eruditorum*, seu *eruditissimam*. Confirmatio alterius partis, nimirum benevolentiae Dei erga Ecclesiam Iudaeorum, ut diximus in vers. 2. Deus, inquit Christus, tantopere vos amat, ut iam mittat Filium suum instructum rebus omnibus ad salutem vestram pertinentibus: spiritu & verbo, quod Pater suppeditat Filio, & Filius ab ipso accipit, hoc versu; obsequio, sequente versu; patientia, vers. 6. & constantia fidei, qua armatus Christus audacter lacessit omnes adversarios, vers. 8. & 9. Quidam vertunt: *Linguam eruditionum*, seu *doctrinarum*. UT SCIAM SUSTENTARE EUM, QUI LASSUS EST VERBO. Alii ex Hebr. I. *ut sciam dicere*, vel *praeparare in tempore suo, lasso verbum*, vel *sitibundo*, id est cupido audiendi verbum Dei, *verbum*. II. *ut sciam tempestive agere cum lasso, verbo*. III. *ut sciam tempestive miscere cum defatigato colloquium*. IV. *ad sciendum opportune loqui lasso verbum*, vel *ut sciam tempestive loqui cum fesso*, id est, *afflicto verbum*. V. *ad sciendum informare, instruere fessum, verbo*. VI. *ut sciam tempestivare*, ita ut dicamus, vel *tempestive eloqui defesso verbum*: ut Matth. XI. 28. Hispanicus Interpres: *para saber dar en su sazon palabra al cansado*. Hispanice eleganter dicimus, *para saber temporizar con el cansado de palabra*. ERIGIT MANE, MANE ERIGIT MIHI AUREM, UT AUDIAM QUASI MAGISTRUM. Alii ex Hebr. I. *excitabit singulis matutinis, excitabit, inquam, mihi aurem ad audiendum sicut doctis*, vel *sicut docti*, aut *ut solent doctores*. Quidam: *sicut eorum, qui docentur*. II. *summo diluculo vellicavit, vellicavit, inquam, mihi aurem (ut solent doctores) ut auscultarem*, vel *ut audirem* dicenda *ut eruditis;* id est, ut prophetis illis eruditis a Deo suggerebat olim Spiritus quae dicenda erant. III. *excitat unoquoque mane, excitat mihi aurem;* id est, indesinenter me informat spiritu, non autem per tempora seu momenta, ut omnes prophetas alios: *ad audiendum, ut audiuntur eruditissimi;* id est, ad studiosissime & diligentissime audiendum.

V. 5. DOMINUS DEUS APERUIT MIHI AUREM, &c. Alii ex Hebr. I. *Adonai Iehovi aperuit mihi aurem*; id est, revelavit mihi dicenda & patienda: *rebellis non fui, nec sum retroactus;* id est, nec retuli pedem ab eius obedientia. II. *Dominus Iehovi aperit mihi aurem, & ego non rebello, retrorsum non averto me;* id est, ad obsequium informat me, ut quae audivi a Patre haec loquar vobis: Ioann. VIII. 26. & exequar voluntatem eius, qui misit me, perficiamque opus ipsius, Ioan. IV. 34. EGO AUTEM NON CONTRADICO. Verbum מרה *marah*, haec omnia complectitur: *& ego non mutavi in deterius, non mutavi mandatum*, seu *voluntatem* Patris, *non rebellavi, non defector fui*, aut *desertor, non amaricavi, non exacerbavi*, vel *exacerbatus sum*.

V. 6. CORPUS MEUM DEDI PERCUTIENTIBUS. Quidam reddunt: *Corpus meum expono percussoribus;* id est, in obsequio eius qui misit me, praesto patientissime, exinanio me, & submitto in omnia mala etiam iniquissima, factus obediens usque ad mor-

mortem crucis, Philip. II. 7. & IX. Perspicuum vaticinium Dominicæ passionis hoc versu continetur. PERCUTIENTIBUS. Vide Matth. XXVI. 67. & Ioan. XIX. I. & 2. ET GENAS MEAS VELLENTIBUS. Alii: *& genas*, seu *malas meas depilantibus*; id est, avellentibus barbam indignissime. AB INCREPANTIBUS ET CONSPUENTIBUS IN ME. Hebr. *ab ignominiis & sputo*: vide Matth. XXVI. 67. & 68. & Lucæ XXII. 63. & 64. & 65.

V. 7. IDEO NON SUM CONFUSUS. Alii: *ideo non afficior ignominia*; id est, totam, quanta quanta est, mihi facio. IDEO POSUI FACIEM MEAM UT PETRAM DURISSIMAM. Alii: *idcirco compono faciem meam tamquam saxum adamantinum*; id est, obfirmo me adversus omnes iniurias: simile est Ieremiæ I. 18. & Ezechiel. III. 8. De voce חלמיש *challamisch*, quam Noster *petram durissimam* exponit, alii, *silicem*, vel *saxum adamantinum*, vel *chalybem*, vide in Iob XXIX. 4.

V. 8. IUXTA EST QUI IUSTIFICAT ME, QUIS CONTRADICET MIHI? Alii: *Propinquus est iustificator meus*, vel *qui me iustum pronuntiat*, *quis contendat mecum?* ut Ioan. VIII. 46. Hoc autem eodem argumento Paulus ut strenuus miles & imitator Christi, utitur, & utendum docet Roman. VIII. 33. & sequentibus. STEMUS SIMUL, QUIS EST ADVERSARIUS MEUS? Hebr. *quis dominus*, *patronus*, *potiens*, *possessor*, *magister*, *iudicii*, seu *causæ meæ?* Alii: I. *stemus simul*, *quicumque velit iudicio mecum contendere*. II. *constamus simul*, *quis habet causam iudicii contra me?* III. *stemus simul*, *quis in potestate habet iudicium meum?* id est, quis audeat de me iudicium ferre? vel quis speret quod palmam ferat, & victor evadat si mecum in iudicium descenderit: quis putet se causam obtenturum, & potiturum victoria iudicii mei. IV. *quis experiatur iure contra me?*

V. 10. QUIS IN VOBIS TIMENS DOMINUM? &c. Alii: *Quis inter vos timens Iehova?* &c. Altera parte concionis, id est, propositione, ut dictum est in vers. I. Christus primum universe Ecclesiam Iudæorum vocat ad fidem in verbum suum, & pœnitentiam, hoc versu: deinde seorsim quasi distributam in duas classes Ecclesiam, cum impios compellat, versu sequente; tum resipiscentes consolatur, principio capitis sequentis. AUDIENS VOCEM SERVI SUI. Alii: *auscultans voci servi eius*, id est voci meæ, qui sum servus Patris, ut supra cap. XLII. I. QUI AMBULAVIT IN TENEBRIS, ET NON EST LUMEN EI. Quidam: *qui ambulat in tenebris*, *cui nullus est splendor*. Exponunt, *In tenebris*, cum Pharisaicæ ignorantiæ, in qua perierant oves Israelis, tum calamitatum omnium, ut supra cap. IX. 2.

V. II. ECCE VOS OMNES ACCENDENTES IGNEM, &c. Prius, inquiunt, membrum propositionis, quo Christus primum superbos illos Pharisæorum spiritus, totamque Ecclesiam Iudæorum evincit impietatis, quod in tenebris illis spiritualibus se sibi accensuros lucem putaverint, & humanas traditiones tamquam malleolos comportaverint, neglecta luce verbi Dei, & face Evangelii, quam offerebat Christus: deinde sententiam fert condemnationis, ut Ioan. IX. 41. Alii: *Ecce vos omnes ignem incendistis*; subaudi, iræ Dei in vos. ACCINCTI FLAMMIS. זיקות *zikoth*, plerique a זקה *zakah*, deducunt: *accingentes*, vel *accinctores vinculorum*, *laqueorum*, *retinaculorum*, *compedum*, seu *manicarum*; id est, qui se, aliosque vinculis errorum irretiunt & illaqueant, complicantque. Alii a *zik*: *accinctores flammarum*, *scintillarum*, *malleolorum*: vide in Proverb. XXVI. 18. id est, qui flammis alios accingitis. Quidam reddunt: *En vos omnes accendentes ignem*, *circumcingentes malleolis*: sic mox volunt esse *laqueos ignitos*. AMBULATE IN LUMINE IGNIS VESTRI, ET IN FLAMMIS QUAS SUCCENDISTIS. Alii ex Hebr. I. *incedetis in fulgore & scintillis ignis vestri*, *quem incendistis*. II. *ite in focum ignis vestri*, *& in malleolos*, *quos succendistis*; quasi dicat: Cum non acquiescatis igni sacro, pergitote in prophano vestro; sed perituri tamen, ut filii Aharonis, Levit. X. Sic obsignat Christus primum obturationem & excæcationem eorum, deinde æternam condemnationem, ut Matth. XXV. 41. DE MANU MEA FACTUM EST HOC VOBIS, &c. Alii: I. *a manu mea fuit hoc vobis*, *in dolorem cubitum ibitis*. II. *e manu mea* est *hoc vobis*, *in dolore iacebitis*; nimirum, excæcatio vestra ad graviorem condemnationem: ut Matth. XIII. 14.

MENOCHII.

Verf. 1. HAEc DICIT DOMINUS: Iudæos fibi incredulos alloquens. QUIS EST HIC LIBER REPUDII; quafi dicat: Immerito querimini repudiatam a me Synagogam veftram, nam potius ipfa me prius deferuit. AUT QUIS EST CREDITOR MEUS, &c. quafi dicat: Ego non habeo creditores, quorum nummis egeam, ut propterea oporteat me vos iis in fervos vendere. Alludit ad legem Exod. XXI. I. & 7. ubi parentibus permittitur ut in neceffitate liberos vendant. IN INIQUITATIBUS VESTRIS VENDITI ESTIS: dæmonis, & pœnæ peccati traditi eftis propter iniquitates veftras, propter quas matrem veftram Synagogam dimifi.

V. 2. VENI: in mundum, docens & prædicans. ET NON ERAT VIR: qui doctrinam meam fecundis auribus exciperet. NUMQUID ABBREVIATA, &c. quafi dicat: Quod vos dereliquerim, & a calamitatibus non eruerim, non propterea accidit, quod minor nunc fit potentia mea; fed quia fcelera veftra funt impedimento. ECCE: fi voluero. IN INCREPATIONE MEA: increpationem vocat Dei iuffum minacem, & terribilem: fic Pfal. CV. 9. habemus: *Increpuit mare rubrum, & exficcatum eft*. DESERTUM FACIAM: aquis nimirum; Chald. habet *ficcabo*.

V. 3. SACCUM; pro, velut *faccum*.

V. 4. LINGUAM ERUDITAM: *eruditorum*, ut eft in Hebr. fane ita fuit; nam ipfimet Iudæi de Chrifto dicebant: *Numquam fic locutus eft homo*; & Apoftoli: *Domine quo ibimus, verba vitæ æternæ habes*. UT SCIAM SUSTENTARE, &c. ut peccatores miferos, & languidos fub peccati, & dæmonis iugo feffos, anhelantes, & gementes, in fpem erigam, confoler, fuftentem, & recreem, & fanem omnes oppreffos a diabolo. ERIGIT MANE, &c. docet unde habeat linguam eruditam, fcilicet ex eo quod a Deo tamquam magiftro excitetur, & erudiatur; hoc enim fignificat erigere aurem: fic Poetæ dictum eft, *Cynthius aurem vellit*. MANE, MANE, id eft fingulis diebus, five quotidie fummo mane.

V. 5. RETRORSUM NON ABII: alludit ad Moyfem, qui Deo vocanti contradixit Exod. IV. 13.

V. 6. CORPUS MEUM, &c. Sic factum legimus Matth. XXVI. 67. *Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt, alii autem palmas in faciem eius dederunt*, &c.

V. 7. DOMINUS DEUS AUXILIATOR MEUS: adfuit mihi Deus animum, & robur fufficiens, ut omnia patienter, & moderate ferrem. NON SUM CONFUSUS: non puduit me illatæ ignominiæ, fciens honorificum effe hæc pati Dei voluntate, & pro falute hominum. UT PETRAM DURISSIMAM: immotus, invictus, & inconcuffus ad verbera, contumelias, & ignominiam crucis. NON CONFUNDAR: immo ex ignominia paffionis, fummæ gloriæ decus confequar.

V. 8. IUXTA EST, QUI IUSTIFICAT ME; quafi dicat: Licet obloquantur homines aut etiam propter mortem ignominia plenam fcandalizentur, tamen iniquo illorum iudicio Dei iudicium oppono, qui meam caufam iuftificat, & me innocentem toti mundo oftendit, fufcitans me a mortuis, & gloriofe in cælum fubvehens. QUIS EST ADVERSARIUS MEUS; quafi dicat, Accedat, & videat quam non bonam caufam defendat.

V. 9. ECCE OMNES, &c. Hunc locum explicat alter, qui habetur proxime fequenti cap. verf. 7. *Nolite*, inquit, *timere opprobrium hominum, & blafphemias eorum ne metuatis, ficut enim veftimentum, fic comedet eos vermis, & ficut lanam, fic devorabit eos tinea*.

V. 10. TIMENS DOMINUM: iuftus, & divinæ legis tenax. SERVI SUI: Chrifti Domini. IN TENEBRIS: tribulationum, & perfecutionum. SPERET IN NOMINE DOMINI: quem fequitur crucem ferendo.

V. 11. ACCENDENTES IGNEM: flammis iniecti, & facti pabulum ignis perfecutionum, & afflictionum. AMBULATE IN LUMINE IGNIS, &c. adeo vobis non nocebit perfecutio, ut potius vos illuftratura fit, & lumen præbitura, ita ut in veftro lumine ambulare poffitis: fic tres pueri in fornace Babylonica ambulabant in medio ignis: Daniel. III. 92. IN DOLORIBUS DORMIETIS: in doloribus, in cratibus ferreis igne fuccenfis, quafi in molli ftrato fuaviter cubabitis. Alii totum hunc verficulum de impiis

impiis explicant, qui futuri sint fomentum ignis, & ambulaturi in lumine ignis, id est versaturi se in flammis. IN DOLORIBUS DORMIETIS. In Hebræo est, *In dolore moriemini*, ut vertunt Pagninus & Vatablus.

TIRINI.

Vers. 1. QUIS EST HIC (de quo queremini) LIBER REPUDII MATRIS VESTRAE, Synagogæ Christo incredulæ & rebellis: QUO EAM desponsatam olim mihi in Sinai *a*, iam a me DIMISI? Proferatur in medium hic liber, examinetur, & iudicetur, an ego prior vos repudiarim, an e contrario vos me: ita Forerius & Vatablus. QUIS EST CREDITOR MEUS, CUI ut faciam satis, & nummos mutuo acceptos refundam, vos filios meos (quod lex *b* permittit) VENDIDI in servos, ut falso iactatis? quasi dicat: Ego tales creditores nullos habeo, nummis nullis indigeo, servitus vestra mihi nulli usui esse potest. Quod ergo venditi sitis in servos, & traditi in mancipia, tum diabolo, tum aliis hostibus vestris, nemo prudens mihi adscribet, sed vobis ipsis, ET INIQUITATIBUS VESTRIS: quibus sponte iugum hoc induistis: *qui enim facit peccatum c, servus est peccati*. Sed inter innumera Iudæorum peccata, quodnam maxime displicuit Deo?

V. 2. QUIA VENI in mundum, inquit Christus, ET NON ERAT VIR; id est, nemo erat qui me adventatem, docentem, prædicantem exciperet, audiret, obediret: sed insurgentes in me, voluerunt nunc lapidibus obruere, nunc de monte præcipitare; ac tandem in probrosissimam crucem egerunt. Hæc fuit præcipua causa repudii ac reprobationis vestræ, simulque excidii, captivitatis ac perpetuæ servitutis sub Romanis, sub aliis gentibus. Non vero causa huius est infirmitas vel impotentia, seu Dei, seu Christi, ut vos calumniamini, quasi imbecillior sim quam ut vos liberare possim. Nam *me increpante*, id est minaciter iubente, *deseretur* MARE non modo piscibus, sed & aquis suis omnibus, ut accidit flumini Nilo & mari Rubro Exodi VII. & XIV. *Cæli* quoque & astra obtenebrescent, ut accidit AEgyptiis Exodi x. 21. & in passione Christi Matth. XXVII. 45. & accidet in fine mundi, Matth. XXIV. 29. Rursum causa tanti mali quo involvimini, non est aliqua Christi insipientia, imprudentia, vel similis defectus, ut subinde arguitis:

V. 4. Nam DOMINUS DEDIT MIHI LINGUAM ERUDITAM, vobismet testibus Ioan. VII. 46. *Numquam sic locutus est homo*. Et unde mihi hæc tam erudita lingua? Ex eo quod Deus ERIGIT MIHI AUREM, id est excitat ad audiendum, & ad vocem magistri cælestis excipiendam, idque MANE, id est summo mane & quotidie, nempe a primo *d* conceptus mei instanti. Ex tunc enim

V. 5. APERUIT MIHI AUREM, id est revelavit exposuitque mihi omnia & singula quæ voluit me & scire, & pati, usque ad ultimum vitæ momentum. *Neque* EGO ulli rei mihi ab ipso propositæ *contradixi*, ut Moyses Exodi IV. sed alacer omnia acceptavi *e*. RETRORSUM numquam ABII: nulli difficultati cessi, molestias nullas fugi, dolores nullos.

V. 6. CORPUS MEUM DEDI PERCUTIENTIBUS, &c. LXX. *Dorsum meum dedi in flagella, & maxillas meas in alapas*. Ex quibus etiam luce clarius patet, causam desolationis Iudæorum non posse adscribi mollitiei alicui meæ, quasi labores aut dolores subterfugerim iis redimendis necessario subeundos: nam subivi omnes, & quidem ultro ac libenter: ita S. Hieronymus, Cyrillus & Origenes *f*. Et similia legere est apud Sibyllam, teste S. Augustino *g*.

V. 9. ECCE OMNES, qui seu in hac, seu in alia causa se Christo opponunt, CONTERENTUR QUASI VESTIMENTUM, consumentur & exedentur, immo sibi ipsis exitium & supplicium per sua scelera procudent, pariendo ex se *tineas h*, a quibus corrodantur & absumantur.

V. 10. QUIS EX VOBIS, o Iudæi TIMENS est DOMINUM, & AUDIENS VOCEM, doctrinam, instructionem SERVI *i* SUI, id est eius, puta Christi, eidemque obediens vult esse & obsequens; hunc immunem facio a dictis pœnis. Et si AMBULAVIT IN *k* TENEBRIS afflictionum, dolorum & mille miseriarum, & nullum EI LUMEN affulget lætioris fortunæ, pa-

cis vel gaudii; SPERET SOLUM IN NOMINE DOMINI, & certissimam ab illo opem & solatium accipiet. E contrario

V. 11. ECCE vos impii Iudæi, OMNES ACCENDENTES vestris sceleribus IGNEM iræ divinæ, tum temporalem per Romanos, tum æternum per dæmones immittendum; agite, sic ACCINCTI FLAMMIS, AMBULATE IN LUMINE huius IGNIS VESTRI, gaudete foco quem struxistis, volutamini IN FLAMMIS QUAS SUCCENDISTIS: bene sit vobis. DE MANU MEA, tamquam iusti iudicis & vindicis, FACTUM EST VOBIS HOC stratum: voce & sententia mea ad hos ignes damnamini: IN DOLORIBUS & cruciatibus infernalium flammarum DORMIETIS. Hebraice, *cubabitis* perpetuo. *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius l.*

(a) Exodi xix. 6.
(b) Exodi xxi. 2. & 7. Levit. xxv. 39. & 47.
(c) Ioan. viii. 34.
(d) Hebr. x. 5.
(e) Psalm. xxxix. 9. & Hebr. x. vers. 7.
(f) Origen. in Matth. xxvi.
(g) Aug. orat. contra Iudæos cap. xvi. & xvii. Tom. VI
(h) Isaiæ li. 8.
(i) Isaiæ xlii. 2.
(k) Psalm. xv. 7.
(l) Matth. xxv. 41.

GORDONI.

Vers. 1. INitium hoc est a dimissa, & quasi vendita Synagoga propter scelera commissa. Textus perspicuus est, & de Iudæis intelligendus, qui post Christi adventum credere illi noluerunt: ita Euseb. Lib. III. de demonstr. cap. xxxiv. Cyril. Procop. Ambr. Lib. VIII. in Luc. cap. 1. Immo Origen. in xxvi. Matth. ait hunc esse totius Ecclesiæ consensum ex recentioribus. Pintus & Cornelius, allusio est ad libellum repudii: Deuteron. xxiv. & Matth. xix.

V. 2. Causa accisæ Synagogæ non est Christi impotentia, aut fuga laborum in illo; sed obstinata mens Iudæorum.

V. 4. DOMINUS DEDIT MIHI LINGUAM, &c. Constanter est sermo de Christo, ut docet Hieronymus, & comprobatur ex Ioan. cap. xii. 49.

V. 6. CORPUS MEUM DEDI PERCUTIENTIBUS. Patres omnes hæc verba, ut sunt clarissima, accipiunt de Christo, ut merito dicant Isaiam videri Evangelistam. Lege August. Serm. CXIV. explicantem, quantum hinc debeat homo suo redemptori. Hinc Ierem. Thren. iii 30. *saturabitur opprobriis*. Sibyllam de hoc mysterio loquentem August. orat. contra Iudæos cap. xvi. & xvii. Tom. VI.

V. 8. IUXTA EST QUI IUSTIFICAT ME &c. Ostendit Christus innocentiam suam, malitiam Iudæorum, & pœnas subinde attingit quæ ipsos expectant.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 5. APERUIT AUREM: Proposuit agenda, & dedit intelligentiam. NON CONTRADICO: non ergo ut Moses, Exod. iv. 13.

Vers. 7. NON SUM CONFUSUS: sustinui opprobrium, nec puduit me: immo inde secuta est gloria.

Vers. 10. QUIS TIMENS, iustus. SERVI SUI, Christi. IN TENEBRIS, persecutionis.

Vers. 11. ECCE VOS: vel de bonis & iustis potest hoc intelligi, qui persecutionem patiuntur, qua illustrabuntur velut flammis nitentes: vel de malis & impiis, qui reservantur igni æterno.

CA-

C A P U T LI.

Exhortatus Sion exemplo Abrahæ, cui Deus promissa complevit, ut & ipsa certo fidat se promissam a Deo consolationem accepturam: de consolatione, salute & magna felicitate Sion, hoc est Ecclesiæ, per Christum futura, & de Lege Evangelica late disserit, ac de humiliatione hostium Ecclesiæ.

1. AUdite me qui sequimini quod iustum est, & quæritis Dominum: attendite ad petram unde excisi estis, & ad cavernam laci, de qua præcisi estis. 2. Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos: quia unum vocavi eum, & benedixi ei, & multiplicavi eum. 3. Consolabitur ergo Dominus Sion, & consolabitur omnes ruinas eius: & ponet desertum eius quasi delicias, & solitudinem eius quasi hortum Domini. Gaudium & lætitia invenietur in ea, gratiarum actio & vox laudis. 4. Attendite ad me popule meus, & tribus mea me audite: quia lex a me exiet, & iudicium meum in lucem populorum requiescet. 5. Prope est iustus meus, egressus est salvator meus, & brachia mea populos iudicabunt: me insulæ expectabunt, & brachium meum sustinebunt. 6. Levate in cælum oculos vestros, & videte sub terra deorsum: quia cæli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur, & habitatores eius sicut hæc interibunt: (*a*) Salus autem mea in sempiternum erit, & iustitia mea non deficiet. 7. Audite me qui scitis iustum, populus meus lex mea in corde eorum: nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis. 8. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis; & sicut lanam, sic devorabit eos tinea: Salus autem mea in sempiternum erit, & iustitia mea in generationes generationum.

9 Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini: consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus sæculorum. Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem?

(*b*) 10. Numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis: qui posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati?

11. Et nunc qui redempti sunt a Domino, revertentur, & venient in Sion laudantes, & lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium & lætitiam tenebunt, fugiet dolor & gemitus. 12. Ego, ego ipse consolabor vos: quis tu ut timeres ab homine mortali, & a filio hominis, qui quasi fœnum ita arescet? 13. Et oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit cælos, & fundavit terram: & formidasti iugiter tota die a facie furoris eius qui te tribulabat, & paraverat ad perdendum; ubi nunc est furor tribulantis? 14. Cito veniet gradiens ad aperiendum, & non interficiet usque ad internecionem, nec deficiet panis eius. 15. Ego autem sum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, & intumescunt fluctus eius: Dominus exercituum nomen meum. 16. (*c*) Posui verba mea in ore tuo, & in umbra manus meæ protexi

texi te, ut plantes cælos, & fundes terram: & dicas ad Sion: populus meus es tu. 17. Elevare, elevare, consurge Ierusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ eius: usque ad fundum calicis soporis bibisti, & potasti usque ad fæces. 18. Non est qui sustentet eam ex omnibus filiis, quos genuit: & non est qui apprehendat manum eius ex omnibus filiis, quos enutrivit. 19. (*d*) Duo sunt quæ occurrerunt tibi; quis contristabitur super te? vastitas, & contritio, & fames, & gladius; quis consolabitur te? 20. Filii tui proiecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum, sicut oryx illaqueatus: pleni indignatione Domini, increpatione Dei tui. 21. Idcirco audi hoc paupercula, & ebria non a vino. 22. Hæc dicit dominator tuus Dominus, & Deus tuus, qui pugnabit pro populo suo: Ecce tuli de manu tua calicem soporis, fundum calicis indignationis meæ, non adiicies ut bibas illum ultra. 23. Et ponam illum in manu eorum, qui te humiliaverunt, & dixerunt animæ tuæ: Incurvare, ut transeamus: & posuisti ut terram corpus tuum, & quasi viam transeuntibus.

(a) Psalm. xxxvi. 39. (b) Exod. xiv. 21. (c) Sup. xlix. 1. (d) Sup. xlvii. 9.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. AUDITE ME QUI SEQUIMINI צדק, *iustitiam*; ostendit se non agere, nisi cum prædestinatis. ATTENDITE AD PETRAM, id est ad Abrahamum, ex quo estis propagati. ET AD CAVERNAM LACI, id est ad Saram, ex cuius ventre quasi ex caverna omnes prodiistis.

V. 2. ATTENDITE AD ABRAHAM. Explicat quod metaphorice per petram & cavernam significaverat. QUIA UNUM VOCAVI EUM, id est solum sine liberis, cum neque haberet, neque habere posset liberos: Gen. XII. ET BENEDIXI EI; id est, quemadmodum cum ille nihil in se haberet virium ad generandum, mea benedictione eius semen multiplicatum est; sic cum nihil sint in vobis meriti, mea gratia multiplicabimini: quod reipsa factum est, cum Apostoli nullis suis meritis a Christo vocati, infinitam hominum multitudinem ad Christum adduxerunt.

V. 3. CONSOLABITUR DOMINUS SION (id est, Ecclesiam) ET CONSOLABITUR OMNES RUINAS EIUS, id est Iudæorum ruinam, & excisionem, gentilium vocatione reparabit: *Illorum* enim *delicto salus est gentibus*: Rom. XI. 11. *Et amissio eorum reconciliatio est mundi*: ibid. 15. ET PONET DESERTUM EIUS. Alludit ad paradisum, unde primi parentes exacti fuerunt; quasi dicat: Ecclesia Iudæorum quæ primum ex paradiso in desertum eiecta est; rursus ex deserto, id est ex peccato per pœnitentiam in paradisum revocabitur. ET SOLITUDINEM EIUS QUASI HORTUM DOMINI, id est sicut paradisum, quem plantavit Dominus: Genes. II. 8. vel, hortum Domini vocat, hortum amœnissimum Hebræorum phrasi, sicut montes Dei, id est altissimos; & hominem Dei, id est optimum. GAUDIUM ET LAETITIA. Describit florentem statum Ecclesiæ Catholicæ, qui in hac quidem vita inchoabitur, in altera perficietur: cum exhibebit Christus *ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi*: Ephes. V. 27.

V. 4. QUIA LEX A ME EXIET, id est Evangelium. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in cordibus eorum inscribam eam*: Ierem. XXXI. 33. ET IUDICIUM MEUM IN LUCEM POPULORUM REQUIESCET: ארגיע, *requiescere faciam*, id est dabo: statuam legem Evangelicam, qua non solum Iudæi: sed etiam gentiles illuminentur: *Quod parabit ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium*: Luc. II. 32.

V. 5. PROPE EST IUSTUS MEUS, id est Christus iustus, *Filius meus in quo mihi bene complacui*. EGRESSUS EST; pro, egredietur, SALVATOR MEUS, id est quem ego mittam

mittam ad salvandos homines. Heb. צדקי, *iustitia mea*, & ישעי *salus mea*. ET BRACHIA MEA; id est, potestate mea iudicabo populos: videtur aspicere & extremum iudicium. ME INSULAE EXPECTABUNT; id est, in me confident extremi quique habitatores terrae; quasi dicat: Omnes, ut supra XLI. 1. 5. & XLII. 4. 10. & XLIX. 1. ET BRACHIUM MEUM SUSTINEBUNT; id est, in potentia mea sperabunt, ut eos salvos faciam.

V. 6. LEVATE IN CAELUM; id est, convertite oculos vestros in omnes mundi partes, omnia quae videbitis potius peribunt, quam iustitia mea, id est veritas verborum meorum: vocat enim iustitiam hoc loco, facere quod promisit: itaque quam hic iustitiam appellat, Christus vocat verba sua, id est promissa: Matth. XXIV. 35. *Caelum & terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt*. Oratio est non absoluta, sed conditionalis, sicut & hoc loco; quasi dicat: Quamvis caelum & terra perire possent, verba mea falsa esse non possent.

V. 7. AUDITE ME QUI SCITIS IUSTUM. Qui Christum recepistis, aut qui iustam legem meam recepistis: quod enim hic vocat iustum, statim vocat legem suam. POPULUS MEUS, LEX MEA IN CORDE EORUM. Hebraismus, qui sic resolvi debet: Populus meus, cui lex mea cordi est, aut, qui diligis legem meam, aut, cuius in corde scripsi legem meam, hoc est Evangelium; ut Ierem. XXXI. 33. Alloquitur enim & consolatur novos Christianos, ut Christus Matth. x. 28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*. Opprobrium hominum appellat, quod non potest animo nocere.

V. 8. SICUT ENIM VESTIMENTUM, SIC COMEDET EOS VERMIS: עש, *tinea*, sicut statim, hoc est, facile peribunt, aut ipsi sese consument sicut vestimentum tinea sua. SALUS AUTEM MEA, וצדקתי, & *iustitia mea*, IN SEMPITERNUM ERIT, ET SALUS MEA IN GENERATIONEM GENERATIONUM; id est, quos ego salvabo, numquam peribunt.

V. 9. CONSURGE, עורי עורי, *excitare, excitare*, BRACHIUM DOMINI; id est, ostende te te potentia Domini, quae hactenus latere videbare, ut Psal. LXXIX. 3. *Excita potentiam tuam, & veni, ut salvos facias nos*. Possunt haec verba esse Prophetae, aut Dei per tertiam personam de se loquentis. SICUT IN DIEBUS ANTIQUIS, id est sicut olim, cum populum tuum deduceres ex AEgypto.

V. 10. NUMQUID NON TU PERCUSSISTI: הלא את היא, *an non tu illud* (brachium) *es, quod percussisti superbum*, id est Pharaonem, aut, רהב, ut alii interpretantur, *AEgyptum*, ut Psal. LXXXVI. 4. *Memor ero Rahab & Babylonis scientium me*. VULNERASTI (percussisti) DRACONEM, id est Pharaonem, ut apud Ezechiel. cap. XXIX. 3. *Ecce ego ad te Pharao rex AEgypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum*; quasi dicat: Num Deus infirmior est, quam olim fuit; aut abbreviata est manus eius, ut sup. L. 2. & inf. LIX. 2. & Num. XI. 23. *Numquid non tu siccasti mare*: Exod. XIV. 21.

V. 11. ET NUNC QUI REDEMPTI SUNT A DOMINO, REVERTENTUR; id est, sicut olim Hebraei qui a Deo liberati sunt, ex AEgypto in terram promissionis venerunt, ita qui a Christo a diaboli potestate rediMentur, VENIENT AD SION, id est ad Ecclesiam primum quidem militantem, deinde triumphantem, ubi perpetua laus, & laetitia erit, nullus vero dolor, nullus gemitus.

V. 12. EGO, EGO, id est Deus: opponit enim se homini mortali; quasi dicat, Ego, cui nemo potest resistere. QUIS TU. Hebraice est feminini generis, ut זרע, *brachium*. Alloquitur enim brachium suum Deus, ut vers. 10. quasi dicat: Num tu, o brachium meum, infirmum es, ut timeas ab homine mortali. ET A FILIO HOMINIS, QUI QUASI FOENUM: יתן, *ponetur*, id est secabitur, demetetur, arescet, cremabitur; vel, intelligitur Sion.

V. 13. ET OBLITUS ES DOMINI FACTORIS TUI. Opponit oblivionem timori, & Deum homini. Nam *formidare a facie tribulantis*, hoc loco non significat quocumque modo timere, sed timere colendo, aut serviendo. Sicut timere Deum, est Deum colere; quasi dicat, Magis coluisti ac reveritus es homines mortales, quam me qui te feci. *Ubi nunc est furor tribulantis*; id est, quid nocuit tibi furor hominum, qui te opprimebant.

V. 14. CITO VENIET GRADIENS. Christus cito veniet per diversos veluti gradus ex semine Davidis descendens: aut, *Veniens veniet*,

veniet, & non tardabit: Habacuc II. III. & Heb. X. 37. ET NON INTERFICIET USQUE AD INTERNECIONEM; id est, increpabit quidem homines, sed non perdet. *Arundinem quassatam non confringet:* Isai. XLII. 3. & Matth. XII. 20. NEC DEFICIET PANIS EIUS, id est consolatio, sustentatio. *Percutiet, & ipse sanabit:* Deut. XXXII. 39. Hebraice alius sensus esse potest: מהיר, *festinat* (tempus) צעה להפתח, *vinctus ut solvatur;* id est, appropinquat tempus, quo tempore vincti solventur, id est qui apud inferos vincti tenentur, per Christum educentur: ולא ימות לשחת, *& non moriatur in lacu*, id est *ne absorbeat eos tartarus*, ut loquitur Ecclesia. *Nec deficiat panis eius*, id est ne fame pereat. Famem autem vocat mystice desiderium videndi Dei, quo patres qui in limbo erant tenebantur.

V. 15. EGO AUTEM. Probat posse se facere quod dixerat, quia Deus est. Alloquitur autem Christum, de quo dixerat, *Cito veniet gradiens:* est enim apostrophe, vocatque se Deum Christi, qua parte homo est.

V. 16. POSUI VERBA MEA IN ORE TUO. Sicut Christus dicebat, *Doctrina mea non est mea, sed eius qui misit me:* Ioan. VII. 16. & rursus, *Sermonem quem audistis non est meus, sed eius qui misit me patris:* Ioan. XIV. 29. ET UMBRA MANUS MEAE, id est auxilio potentiæ meæ protexi te. UT PLANTES; quasi dicat, Ut totum mundum renoves, *Ut reconcilies quæ in cælo, & quæ in terra sunt:* ad Coloss. I. 20. *Ut facias cælum novum, & terram novam:* Apocal. XXI. I. 5. Dicitur autem Christus cælum & terram renovasse, renovatis hominum moribus, ita ut nulla sit inter mores hominum & Angelorum differentia. ET DICAS AD SION: POPULUS MEUS ES TU; id est, ut iure tuo Ecclesiam appellare possis populum tuum, id est a te regeneratum, a te redemptum.

V. 17. ELEVARE, ELEVARE: התעוררי התעוררי, *evigila, evigila*, SURGE IERUSALEM, QUAE BIBISTI DE MANU DOMINI CALICEM IRAE EIUS; id est, quæ hactenus oppressa calamitatibus a Domino immissis veluti ebria & attonita iacuisti. USQUE AD FUNDDUM CALICIS SOPORIS, id est soporiferi, BIBISTI. Soporiferum autem calicem vocat non solum qui somnum inducit, sed qui ebrietate mentem emovet; quasi dicat, *Hora est iam te de somno surgere, quia propior est tua salus:* Rom. XIII. 11.

V. 18. NON EST QUI SUSTENTET EAM: אין מנהל לה, *non est, qui ducat eam*. Alludit ad ebrietatem, de qua dixerat vers. præcedenti; non enim possunt ebrii incedere nisi manu ducantur. EX OMNIBUS FILIIS eius QUOS GENUIT; quasi dicat, Quod Theologi dicere solent, nullum purum hominem potuisse pro peccatis omnium hominum satisfacere; sed necesse fuisse, ut Deus fieret homo. ET NON EST QUI APPREHENDAT MANUM EIUS. Repetitio est; idem enim est ducere, & apprehendere manum. Vel, *Qui apprehendat manum eius*, id est qui opem ferat illi, ut eam a peccato & pœnis, quas luit, liberet.

V. 19. DUO SUNT QUAE OCCURRERUNT TIBI; id est, omnia malorum genera tibi acciderunt: non enim significat duo tantum mala illi accidisse, cum postea quatuor enumeret, sed duo malorum genera, id est omnia, quia nullum malum est quod non sit internum aut externum. In utroque autem genere proponit duo exempla; contritionem, id est mortem, aut dolorem animi, & famem, quæ interna mala sunt; & vastitatem, & gladium, quæ sunt externa. Phrasis autem Hebraica interrogatione constans, hanc habet vim: Cum omnia malorum genera tibi contigerint, nemo est etiam ex filiis tuis, non solum qui adiuvet, sed etiam qui consoletur, ac doleat.

V. 20. FILII TUI PROIECTI SUNT, id est dispersi, in exilium & captivitatem missi: עלפו, *defecerunt, iacent lassi*. DORMIERUNT: שכבו, *iacent* IN CAPITE OMNIUM VIARUM; id est in compitis urbium בראש כל חוצות, *in capite omnium platearum*; id est in mediis plateis vincti iacent venalles. SICUT ORYX ILLAQUEATUS, id est sicut bos sylvestris laqueo irretitus. Heb. כתוא מכמר R. Abraham dicit תוא esse genus avis, quod huic loco non male congruit. Significat enim Israelitas vinctis post terga manibus, sicut aves quæ laqueo captæ sunt, vendi. PLENI INDIGNATIONE DOMINI, id est ebrii, attoniti, perterriti Domini indignatione, quam sicut calicem usque ad fæces perpotarunt: sicut de ebriis dicere solemus, *Il est plein*. Alludit enim ad id quod dixerat vers. 17:

Con-

Consurge Ierusalem, quae bibisti de manu Domini calicem irae eius.

V. 21. Ebria et non a vino, id est ab ira Dei emota, non quod vinum potarit: eadem phrasis explicata est supra cap. xxix. 9.

V. 22. Qui pugnavit: יריב, *qui causam defendit populi sui*, id est tuam. Ecce tuli de manu tua calicem soporis, id est avertam iram meam a te. Praet. pro fut. Non adiicies ut bibas illum, id est non bibes illum iterum, non puniam te his in idipsum.

V. 23. Et ponam illum in manu eorum qui te humiliaverunt, id est ut illum propinem inimicis tuis, ut David petit Psal. lxxviii. 6. *Effunde iram tuam in gentes, quae te non noverunt, & in regna, quae nomen tuum non invocaverunt*: & Ierem. x. 25. *Effunde indignationem tuam super gentes quae non cognoverunt te*. Et dixerunt animae tuae, ist est tibi, Hebraismus: ut Psal. iii. 3. *Multi dicunt animae meae* (id est mihi) *non est salus ipsi in Deo eius*. Incurvare ut transeamus, id est qui te adeo abiecerunt, ut pedibus conculcarent. Et posuisti, praet. pro Imperativo, pone, ut terram corpus tuum: כתשׁיפי, *quasi viam transeuntibus*; id est, submitte te omnibus, qui te volent conculcare.

S A.

Vers. 1. Quod iustum est. Chald. *veritatem*. Petram: sic vocat Abraham ob fidei firmitatem. Cavernam laci, id est Sarae uterum.

V. 2. Attendite: explicatio praecedentis. Unum, id est cum solus esset sine prole. Chald. *solus erat in saeculo*, scilicet quem vocarim. Multiplicavi, id est ditavi, seu dedi filios.

V. 3. Delicias. Heb. *Heden*. LXX. *Paradisum*.

V. 4. Tribus, id est gens. Chald. *congregatio*. LXX. *Reges*. Lex, scilicet Evangelica. Iudicium, id est doctrina. Requiescet; pro, faciet requiescere, vel permanebit.

V. 5. Iustus, scilicet Christus. Brachia, id est vires, seu potentia. Insulae, id est gentes. Sustinebunt, id est expectabunt. LXX. *in brachium meum sperabunt*.

V. 6. Liquescent. Chald. *transibunt*. Atteretur. Chald. & LXX. *veterascet*.

V. 7. Iustum, id est iustitiam. Chald. *veritatem*. LXX. *iudicium*. Blasphemias. Chald. *superbias*. LXX. *contemptum*.

V. 8. Vermis, scilicet conscientiae. Tinea. Repetitio.

V. 9. Consurge, scilicet o Christe. LXX. *exurge Ierusalem*. Induere, &c. quasi dicat, Ostende te fortem. Brachium, id est potentiam, vel, o brachium: alloquitur enim Christum, & verbis femininis, quia *brachium* Heb. femineum. Antiquis, scilicet ostendisti potentiam tuam. Saeculorum. Chald. *quae ab initio fuerunt*. Superbum, scilicet diabolum, vel Pharaonem. Chald. *fortes*. Draconem. Chald. *Pharaonem, & exercitum eius*.

V. 10. Mare, scilicet rubrum. Liberati, scilicet Hebraei ex AEgypto.

V. 11. Domino, scilicet Christo. Revertentur, scilicet ad Deum, a quo facti & redempti. Sion, scilicet caelestem.

V. 12. Quis tu; pro, indignum ut tu.

V. 13. Eius, scilicet hostis.

V. 14. Veniet, scilicet Christus. Aperiendum, scilicet salutis ostium. Non interficiet; scilicet non venit ut perdat, sed ut salvet. Panis eius. Chald. *cibaria iustorum*.

V. 15. Ego autem, &c. verba Patris ad Christum. Tuus, scilicet quatenus homo es.

V. 16. Caelos, id est caelestes viros. Terram, id est terrae habitatores, scilicet in Ecclesia, vel terram novam. Sion, id est Ecclesiam.

V. 17. Soporis, id est stuporis, scilicet stuporem inducentis, seu soporem mortiferum. Chald. *maledictionis*. LXX. *furoris*.

V. 19. Fames, et gladius. Explicatio praecedentium.

V. 20. Oryx. Animal est caprae simile. Chald. *lagunacula confracta*. LXX. *beta semicocta*.

E S T I I.

Vers. 5. Prope est iustus meus, egressus est Salvator meus.

MEUS. Verba sunt ipsius Dei, qui Christum vocat Salvatorem suum, non a quo ipse salvetur, sed Salvatorem a se dandum, mittendum, & per quem salvet homines. Sic supra cap. XLIV. 28. Cyrum vocat Pastorem suum, non a quo pascatur, sed pastorem a se constitutum, ut pascat & regat populos. Ita & hoc tempore, qui a regibus præfici solent provinciis, Præfecti regis, & Gubernatores regis appellantur; non quod ipsos reges gubernent, aut regibus sint præfecti, sed quod reges eos præfecerint, ut subditis præsint, eosque gubernent.

MARIANAE.

Vers. 1. AUDITE ME. Alloquitur Deus pios Iudæorum, quibus pollicetur se fore propitium ob merita patrum. ATTENDITE AD PETRAM UNDE EXCISI ESTIS, id est lapicidinam. AD CAVERNAM LACI. Heb. *ad foramen putei*: sic vocat muliebria. DE QUA PRAECISI ESTIS. Heb. *eruti estis*. Hoc est, maiores vestros considerate, propter quos vobis benefacio. Attendite ergo ad Abraham, & ad Saram,

V. 2. QUAE PEPERIT VOS. Heb. *concepit vos*. QUIA UNUM VOCAVI EUM; id est, ex omnibus populis unum selegi, cui benedicerem, & quem multiplicarem. Aut unum Abrahamum elegi.

V. 3. CONSOLABITUR ERGO DOMINUS. Hebr. *quia consolabitur*; sed *quia*, pro, certe. Ob merita patrum Deus consolabitur Sion. Tristitia in gaudium vertetur. GRATIARUM ACTIO, seu *confessio*, ut Septuag. Vox *todah* utrumque significat.

V. 4. TRIBUS MEA. Heb. *gens* seu *natio mea*. QUIA LEX A ME EXIET; pro, exivit lex, id est promissio vos liberandi. ET IUDICIUM MEUM. Ea promissio implebitur cunctis videntibus. Id significat, IN LUCEM POPULORUM.

V. 5. PROPE EST IUSTUS MEUS. Heb. *iustitia mea* ad implenda promissa; sed *iustitia* sumi potest pro *iusto*. Is est Christus. SALVATOR MEUS. Heb. *salus mea*. ET BRACHIA MEA POPULOS IUDICABUNT; id est, mea potentia condemnabo, puniam populos vos opprimentes. ME INSULAE EXPECTABUNT, ut illi etiam liberentur ab oppressione eorum populorum. SUSTINEBUNT; pro, *expectabunt*, ut est Hebr. & *sustinere* Latinis *expectare* est.

V. 6. SICUT FUMUS LIQUESCENT. Heb. *peribunt*. ATTERETUR terra. Heb. *veterascet*. ET HABITATORES EIUS (terræ SICUT HAEC) INTERIBUNT. Heb. *similiter conterentur*. ET IUSTITIA MEA NON DEFICIET. Hebr. *non conteretur*. Sententia totius versus est: *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt:* Matth. XXIV. 35.

V. 7. QUI SCITIS IUSTUM. Heb. *iustitiam*, id est qui scitis me stare promissis. POPULUS MEUS. *Meus* non est Heb. LEX MEA IN CORDE EORUM, id est si promissio mea sit in corde vestro, non erit quod timeatis opprobria & convitia putantium vos a me esse derelictos. Conscientia vestra & fides vos solabitur.

V. 8. SICUT ENIM VESTIMENTUM. Repetit quod versu 6. dixerat. SIC COMEDET EOS, scilicet cælos. VERMIS. Heb. *tinea*. ET SICUT LANAM, SIC DEVORABIT EOS TINEA. Repetitio. עש *has* & סס *sas* synonyma sunt, ut Latine *sis* & *tinea*. SALUS AUTEM MEA; id est, etiamsi illi deficiant, salus & iustitia mea in æternum stabunt.

V. 9. CONSURGE, seu *excitare*. Verba Prophetæ ad Deum. BRACHIUM DOMINI, potentia. PERCUSSISTI SUPERBUM, seu *excidisti*. Vox *rahab*, *superbum* significat; sed multis locis sumitur pro AEgypto, Psal. LXXXVII. & LXXXIX. sic Pagn. vertit hoc loco, *Proscindens superbam AEgyptum*; sicut per *draconem* mox intelligunt Pharaonem, illis verbis: VULNERASTI DRACONEM? aut dolore affecisti instar parturientis. Id significat vox *meholeleth*.

V. 10. UT TRANSIRENT LIBERATI? Heb. *redempti:* ideo siccasti mare.

V. 11. ET NUNC. *Nunc* Heb. non est, sed sic: *Et redempti domini revertentur*, scilicet e captivitate. LAUDANTES. Heb. *in iubilo*. ET LAETITIA SEMPITERNA SUPER CAPITA EORUM; id est, in mente & in lingua erit lætitia.

V. 12. QUI QUASI FOENUM ITA ARESCET homo. Heb. *fœnum dabitur*, id est quasi fœnum erit. Vox *quasi* suppleri debet. Supplent Septuag. & Chald. Ne ergo hominem timeatis, sed me.

V. 13. ET OBLITUS ES DOMINI. Ea fuit causa timendi homines, Deum præ oculis non habere.

V. 14. CITO VENIET, scilicet Deus. GRADIENS AD APERIENDUM. Anhelans ad

ad aperiendum, scilicet carcerem. ET NON INTERFICIET USQUE AD INTERNECIONEM. Heb. *& non morietur in fovea*, id est in carcere populus, שחת *sahath* sæpe pro *sepulcro* sumitur, nunc pro *carcere* sumo. NEC DEFICIET PANIS EIUS, id est alimenta populi vincti. Non morietur in vinculis fame.

V. 15. QUI CONTURBO MARE; pro, conturbavi. Heb. *divido*, ut scilicet transirent filii Israel egressi de AEgypto. INTUMESCUNT FLUCTUS EIUS. Heb. *intonuerunt præ impetu* scilicet retrocedendi.

V. 16. POSUI VERBA MEA. Deus loquitur ad Prophetam, ostenditque esse impleta quæ dixit cap. XLIX. initio: *Et posuit os meum ut gladium acutum.* UT PLANTES CAELOS. Heb. *ad plantandum cælos*. Sic alii in prima persona vertunt: *ut plantem cælos*, id est *populum*, *de quo est dictum*, *quod multiplicaretur sicut stellæ cæli*: sic Chald. ET FUNDES TERRAM. Hebr. *ad fundandum terram*, id est *populum*, *de quo est dictum*, *quod multiplicaretur sicut pulvis terræ*. ET DICAS. Heb. *& ad dicendum Sioni*: *Populus meus tu*. Ex his vides referre parum, ut eos infinitivos aut gerundia per primam aut secundam personam vertas.

V. 17. USQUE AD FUNDUM CALICIS SOPORIS BIBISTI, id est venenatam potionem, quæ somnum conciliat. Heb. *Fæces calicis venenum mortiferum bibisti*, *expressisti*. Vox תרעלה *tarhalah* id *venenum mortiferum* significat. Noster dixit: POTASTI USQUE AD FAECES. Sententia una est, verba varia. Hoc contigit cum Deus eam urbem Ierusalem, scilicet hostibus tradidit.

V. 18. NON EST QUI SUSTENTET. Heb. *qui ducat eam*; id est, in ea calamitate nullus e filiis eius potuit illi auxiliari.

V. 19. QUIS CONTRISTABITUR SUPER TE? aut *quis consolabitur te*. Omnia hæc potest significare verbum ינוד *ianud*. QUIS CONSOLABITUR TE? Sic. Sept. Hebr. *quis consolabor te*, pro, *consolabitur*: prima persona pro tertia.

V. 20. FILII TUI PROIECTI SUNT. Hebr. *defecerunt*, scilicet præ fame. DORMIERUNT. Hebr. *iacuerunt occisi*. IN CAPITE OMNIUM VIARUM. Hebr. *in capite omnium platearum*, scilicet in foro, palam. SICUT ORYX ILLAQUEATUS. De *oryge* Deut. XIV. 5. Alii, *sicut bos silvestris in reti*. Goth. *sicut bestia illaqueata*. Iacet enim mœsta quæcumque bestia, cum se e reti aut laqueo non potest explicare. Id significat, PLENI INDIGNATIONE.

V. 21. ET EBRIA, scilicet angustiis & malis. Solent enim dementare homines. NON A VINO.

V. 22. QUI PUGNABIT PRO POPULO SUO. Hebr. *litigabit* (pro) *populo suo Deus*. CALICEM SOPORIS. Hebr. *veneni mortiferi*. FUNDUM. Hebr. *fæces calicis indignationis meæ non bibes amplius*; id est, te a malis, quæ pertulisti, liberabo.

V. 23. ET PONAM ILLUM. Faciam, ut hostes tui bibant illum calicem. QUI TE HUMILIAVERUNT. Hebr. *contristaverunt*. ET DIXERUNT ANIMAE TUAE, id est tibi. INCURVARE, UT TRANSEAMUS. Vox hostium. ET POSUISTI UT TERRAM, te incurvasti, & abiecisti ad terram. ET QUASI VIAM, seu *plateam* pedibus transeuntium calcandam præbuisti. Itaque abiecta & humiliata magnopere es, nunc vices mutantur.

MALVENDAE.

Vers. 1. AUDITE ME QUI SEQUIMINI QUOD IUSTUM EST. Quidam: *Auscultate mihi sectatores iustitiæ*, &c. Posterius membrum propositionis, ut dictum est cap. L. 10. quo Christus resipiscentes Iudæorum reliquias consolatur, & confirmat, propositis argumentis, primum spei, fideique certæ in gratiam Dei, usque ad versum 7. deinde patientiæ, vers. 7. & 8. Ad spem autem & fidem comparat partim recordatione Abrahami & Saræ, ac proinde promissionum fœderis ad ipsos natura pertinentium, tribus versibus; partim exemplo gentium, quo Iudæos provocat Deus, ut percipiant efficaciam Evangelii, usque ad vers. 6. partim a præstantia beneficiorum suorum vers. 6. ATTENDITE AD PETRAM UNDE EXCISI ESTIS, ET AD CAVERNAM LACI, DE QUA PRAECISI ESTIS. Alii: *respicite*, seu *intuemini in rupem unde excisi estis*, *& in cavum foveæ unde effossi estis*. Alii: *& ad perforationem cisternæ unde eruti estis*, vel *& ad caveam cisternæ*, *unde effossi estis*. Plerique passim in petra Abrahamum iam siccum & sterilem intelligunt, & Saram cavernam iam veterem & exsiccatam, unde tamen sint

hausti Iehudæi, id est orti. Tremellius, & Iunius exponunt: Id est, Abrahamum & Saram, ut sequente versu exegesis ostendit. Est autem hoc dictum allegorice, sumptum a latumia, sive lapicidina, & unde effodiuntur & exuuntur lapides, quemadmodum Propheta allegoriam fontis adhibuit, supra cap. XLVIII. 1. Hæc autem allegoria hic propterea ponitur, quod magis cum argumento convenit: nam sic argumentatur Christus: Promitto me consolaturum & instauraturum Ecclesiam, utcumque vastata sit ac pene nulla, vers. 5. hoc autem ut facilius credatis, cogitate vos ex iis parentibus ortos esse, qui numquam genuissent liberos, nisi Deus potente verbo, tamquam malleo e rupe lapides excidisset, ac proinde vos, qui in eodem fœdere estis, eamdem virtutem Dei eiusdem experturos. ET AD CAVERNAM LACI. מַקֶּבֶת *makebet*, proprie, *excavatio*, *perforatio*, *cavea*, *fovea*. Nonnulli Hebræorum allusum putant ad vulvam, seu uterum mulieris: ex qua etiam radice dicta est *femina* נְקֵבָה *nekebah*, quasi *excavata*, & *perforata* propter sexum.

V. 3. CONSOLABITUR ERGO DOMINUS SION. Alii. *Nam consolabitur Iehova Tziionem*, &c. AEtiologia, cur debeant pii respicere ad promissiones factas Abrahamo, & ad historiam eius: Nam, inquit, si eo respicietis eamdem salutem consequimini: quæ allegorice figuratur in hoc versu. OMNES RUINAS EIUS. Hebr. *omnes exsiccationes*, *siccitates*, *devastationes*, *desolationes*, *vastitates eius*: metonymice, quod siccitatem sequi soleant. ET PONET DESERTUM EIUS QUASI DELICIAS. Alii: & *disponet desertum eius tamquam Hedenem*. Hic pro nomine proprio horti deliciarum accipiunt, de quo vide in Genes. II. 8. GRATIARUM ACTIO, ET VOX LAUDIIS. Alii: I. *confessio*, & *vox cantici*. II. *laudatio*, & *vox psalterii*. III. *celebratio*, & *vox psalmodiæ*, seu *psalmodica*.

V. 4. ATTENDITE AD ME POPULE MEUS, ET TRIBUS MEA ME AUDITE. Alii ex Hebr. I. *Ad me igitur attendite*, *o populus meus*, & *aurem præbete mihi*, *o plebs mea*. II. *Attendite ad me*, *popule mi*, & *natio mea ad me aurem advertite*. Secundum argumentum, quo Christus Iudæorum Ecclesiam ad fidem hortatur, æmulatione & exemplo gentium, ut Deuteronom. XXXII. 21. QUIA LEX A ME EXIET, &c. Alii: I. *quia lex a me egredietur*, id est Evangelium, ut apud Paulum, lex spiritus vitæ: & *iudicium meum*, id est doctrinam meam, *ad lucem populorum proferam*; id est, promulgabo eam ut gentes illustret. II. *nam doctrina a me prodibit*; & *ius meum in lucem populorum faciam ut quiescat*, seu *collocabo*. ET IUDICIUM MEUM IN LUCEM POPULORUM REQUIESCET. Varie alii ex Hebr. I. & *iudicium meum in lucem populorum requiescere faciam*; id est, interea dum iudicia mea exercebo in gentes, in oculis omnium populorum, scilicet ut omnes illa videant, quiescere faciam vos, & pacatos ac securos vos reddam ab ira mea, vel a bello: requiem vobis præstabo. Sed hic sensus durus est. II. & *iudicium meum in lucem populorum momentabo*, ut sic loqui liceat; id est, momento ostendam, patefaciam, vel perficiam; quasi dicat: Derepente, sine mora, vel singulis momentis iudicio meo populos illuminabo, hoc est Evangelio. III. & *iudicium meum in lucem populorum concitabo*; id est, faciam ut momento appareat. IV. *rigere faciam*, vel *rigide proferam*, id est in oculis omnium populorum, publice, spectante mundo severa iudicia in gentes Evangelio infestas exercebo: vel iudicium meum integrum & solidum haud flexibile faciam, vel vigere faciam, nempe Evangelium. Potest enim hoc hemistychium & in malum, & in bonum accipi. De notione verbi רָגַע *ragahagh*, vide in Deuter. XXVIII. 65. & supra cap. XXXIV. 14.

V. 5. PROPE EST IUSTUS MEUS, EGRESSUS EST SALVATOR MEUS, &c. Alii: *Propinqua est iustitia mea*, *prodibit salus mea*, &c. id est, iam prope est, cum institia mea salutarem doctrinam meam, id est Evangelium, communicabo cum gentibus, & illæ acceptaræ sunt. Alii, iustitiam & salutem concrete sumunt, pro Christo salvatore, & iustificatore, qui auctor est totius salutis & iustitiæ. ET BRACHIA MEA; id est, robur, fortitudo, vires meæ, metonymice, POPULOS IUDICABUNT: vel regent, gubernabunt; dominabuntur populis: synecdochice; vel vindicabunt, asserent, defendent. INSULAE, id est remotissimæ quæque nationes, ut passim in Scriptura usurpantur, ME EXPECTABUNT.

BUNT. Heb. *ad me insulæ intendent*, *collineabunt*, *collimabunt*, *lineatim & circumscripte tendent*, *affectabunt*: vide in Genes. I. 9. ET BRACHIUM MEUM: id est, Evangelium, quod virtus Dei est, in salutem omni credenti, Romanor. I. 16.

V. 6. LEVATE IN CAELUM OCULOS VESTROS, &c. Alii: *Attollite in cælum oculos vestros, & intuemini terram deorsum*, &c. Tertium argumentum ad conciliandam fidem, a qua beneficia amplificantur comparatione rerum creatarum omnium. QUIA CAELI SICUT FUMUS LIQUESCENT. נמלח *nimlach*, verbum ductum a *sale*, id est, *tamquam sal colliquefient*, *dissolventur*; vel per antiphrasim, quod sal arceat, *corrumpentur*, *consumentur*, *deficient*. Hotant hunc locum imitatum Petrum II. Epist. III. 10. ita reddidisse: *Veniet dies Domini sicut fur in nocte, quo cæli procellæ in morem transibunt, elementa vero æstuantia solventur*, &c. Quiddam reddunt: *cælos velut fumum evanituros esse, & terram ut pannum æteraturam*; id est, vetustate perituram. SICUT HAEC INTERIBUNT. Forsterus: *velut sic morientur*, nimirum facto talitro aut crepitu digitis, vel demonstrata digito re aliqua levi, & nullius momenti; quasi Hispanice diceremus, *Come una castanneta*. Vide de hac locutione supra cap. XVI. 6. NON DEFICIET. Heb. *non consternabitur*, *postrabitur*, *frangetur*, *atteretur*.

V. 7. AUDITE ME QUI SCITIS IUSTUM, &c. Alii: *Auscultate mihi qui cognoscitis iustitiam*, &c. Secundum documentum ut dictum est in vers. I. ad patientiam adversus momentaneas afflictiones, & scandalum Evangelii Christi, ne Iudæi boni & timentes Dei propterea animum abiicerent.

V. 8. DEVORABIT EOS TINEA. סס *sas*, alibi non legitur; *tineam*, seu *blattam* omnes interpretantur: nec dubium esse eam, quæ Matth. VI. 19. σὴς dicitur.

V. 9. CONSURGE, CONSURGE, &c. Alii: I. *Suscita te, indue te fortitudinem, o brachium Iehovæ, suscita te, inquam, quemadmodum retro temporibus per omnia sæcula*. II. *Evigila, evigila, indue robur, brachium Iehovæ: evigila ut diebus priscis*. Tertia pars concionis, ut dictum est cap. L. I. oratio nimirum reliquiarum Ecclesiæ exoptantium adventum Christi, & declarationem Evangelii ad salutem suam: quod optatum Ecclesia ab exemplis antegressis beneficentiæ Dei, hoc, & sequente versu confirmat. PERCUSSISTI SUPERBUM. Heb. *excidens*, *succidens Rahabum*. Fere omnes intelligunt AEgyptum: vide supra cap. XXX. 7. Psalm. LXXXVI. 4. vide huiusce rei historiam Exod. VII. & sequentibus. VULNERASTI DRACONEM? Heb. *violans*, *profanans*, *afficiens dolore & cruciatu draconem?* Quidam: *quod dolore affecit balænam?* Vide in Psalm. LXXIII. 13. & 14. ubi habetur idem orationis genus.

V. 10. NUMQUID NON TU SICCASTI MARE, &c. Alii hunc versum dilucidius ex Heb. efferunt: I. *An non tu ipsum es, quod exsiccabat mare*, rubrum, Exod. XIV. & *aquas abyssi immensæ; quodque pelagi profunda pervia fecit, ut transirent redempti*, scilicet illi, quos tu de AEgypto eduxeras. II. *An non tu illud es, quod exsiccavit mare, aquas abyssi magnæ: quod disposuit profunditates maris ut essent via, qua transirent vindicati*.

V. 11. ET NUNC QUI REDEMPTI SUNT A DOMINO, &c. Alii hunc versum ex Hebr. reddunt: I. *Sic redempti a Iehova revertentur, & venient;* id est, Excitare brachium Iehovæ, ut redempti a Iehova veniant, & intrent *in Tziionem cum iubilo, & gaudium perpetuum erit super caput eorum; gaudium & lætitia se se contingent, fugiet dolor & mæror*. II. *Ita redempti Iehovæ revertantur, & ingrediantur Tziionem cum cantu, lætitiaque perpetua super caput suum: gaudium & lætitiam assequantur, fugiant mæror & gemitus*. Finis petitionis, Ecclesiæ salus, quæ eisdem verbis fuerat promissa supra cap. XXXV. 10.

V. 12. EGO EGO IPSE CONSOLABOR VOS. Alii ex Heb. *Ego ego ipse sum consolator vester*. Ultima pars concionis, ut dictum est cap. L. I. nimirum Dei responsio ad querimonias sanctarum reliquiarum Israelis adventum Messiæ expectantium; qua Deus eas consolatur, primum confirmando a presente metu, per comparationem imbecillitatis hostium cum Ecclesiæ dignitate, & omnipotentia sua, hoc & sequente versu; deinde a promissionibus restitutionis, vers. 14. quibus postremo subiicitur sua exornatio, usque ad finem capitis. QUIS TU UT TIMERES AB HOMINE MORTALI, &c. Alii ex Hebr. *quæ es tu, quæ*

timeas

timeas a mortali morituro, & a filio hominis, qui ut fœnum reddetur? Obiurgatio lenis, qua Ecclesiam quasi labantem in tenebris revocat, cum ad agnitionem dignitatis, ad quam electa & vocata fuerat a Deo, hoc versu; tum ad recordationem maiestatis Dei, versu sequente; quorum neutrum ostendit Deus ab adversariis labefactari posse; quasi dicat: Quid times? quin potius cogitas conditionem tuam, hostiumque tuorum, & recordatione Dei consolaris te?

V. 13. ET OBLITUS ES DOMINI FACTORIS TUI, &c. Alii hunc versum ex Hebr. transferunt: I. *Oblivisceris autem Iehovæ factoris tui, qui cælos extendit, & terræ fundamenta iecit? Hinc est ut iugiter omni tempore metuas a furore affligentis, qui te vastare parat: ubi vero est furor illius afflictoris?* II. *Quod oblivisćaris Iehovæ opificis tui, qui extendit cælos, & fundavit terram; paveasque iugiter quotidie propter excandescentiam eius, qui angustia afficit, quasi comparet se ad perdendum;* id est, quasi iam gladium strictum momentis singulis vibraturus esset in cervices tuas: *& ubi est excandescentia eius, qui afficit angustia?* id est etsi gladius strictus est in manibus eius, quando percepisti adversarium agere omnia pro furore suo, neque potentia mea cohiberi; tunc momento omnis impetus eius difflatur & evanescit. EIUS QUI TE TRIBULABAT, מְצִיק *metzik*, *Opprimentis, coarctantis, pressuram facientis, angustia afficientis, compellentis, extorquentis, angentis, coangustantis*: sic in fine versus.

V. 14. CITO VENIET GRADIENS, &c. Diversimode hunc versum ex Hebr. convertunt: I. *Festinat ligatus*, vel *accelerat incarceratus*, sive *captivus, ut solvatur, & non moriatur in fovea, nec deficiat panis eius*. II. *Festinavit exulans, errans*, seu *divagans, demigrans, ut solveretur* a vinculis suis, &c. III. *Quin festinabit discurrens, ut aperiatur, & non moriatur*, vinctus *in fovea, neque deficiat eum commeatus*. IV. *Festinabat volutans se in terra*, vel *volutata, ut aperiretur*, &c. V. *Festinavit, qui volutabat, ad aperiendum & non moriatur, ad foveam, & non defecit panis eius*; id est, Iam ille, qui ante premebat, amplius non premet, immo mutabitur in amicum, & festinabit volutator, qui te, tuaque omnia volutabat & prosternebat, festinabit, inquam, ad aperiendum seu solvendum; id est, ut quem detinebat captivum, solvat, & ille non moriatur; ad foveam, inquam, festinabit in qua detinebatur captivus, & ei cibum ministrabit largiter. VI. *Festinabit educere*, vel *festinanter educet*, ut I. Reg. XXII. 9. *peregre vinctum, qui solvendus est: non morietur in ista fovea, neque deficietur pane suo*. Promissio restitutionis Ecclesiæ per Christum, quam a periculis & malis liberat, & bonis instruit.

V. 15. EGO AUTEM SUM DOMINUS DEUS TUUS, &c. Alii: *Atqui ego sum Iehova Deus tuus*. Exornatio superioris reprehensionis, qua Deus eadem confirmationis argumenta amplificans a potentia sua, & dignitate Ecclesiæ ex fœdere, & promissionibus, hoc versu, & sequente, excitat Ecclesiam ad spem præsentissimam liberationis suæ, & ultionis de adversariis, vers. 17. & sequentibus. QUI CONTURBO MARE. Alii: I. *concitans, commovens*. II. *scindens, findens*. III. *disrumpens mare*; id est, nihil non possum ad liberandum Ecclesiam, & profligandos hostes: alludit ad liberationes AEgypti. Nos diximus: *rigere faciens mare*, ut illud poetæ:

—— *astringit glaciali frigore pontum*.

Et notum est Norvegiæ, Groenlandiæ, & Novæ Zemblæ maria gelu concrescere. Sed præstat: *scindens mare*. Sed scissio maris est eius commotio & conturbatio: etsi aliter accipi queat pro scissione tantum, seu divisione, quæ Israelitis facta est Exod. XIV.

V. 16. POSUI VERBA MEA IN ORE TUO, ET IN UMBRA MANUS MEAE PROTEXI TE. Alii: *Qui indidi verba mea ori tuo, umbra manus meæ tegens te*; id est, qui te constitui prophetam & magnum ministrum Evangelii, præsentissimam semper tui curam habens. UT PLANTES CAELOS. Alii: *ut plantem cælos, & fundem terram, ut dicam Tzioni*; vel *me plantaturum cælos, & fundaturum terram, & dicturum Tzioni: Populus meus es*; id est, me instauraturum esse omnia per Christum pro Ecclesia mea, ut copiosius promittitur infra cap. LXV. 17. & LXVI. 22.

V. 17. ELEVARE, ELEVARE, CONSURGE IERUSALEM, &c. Alii: *Expergiscere, expergiscere, surge, urbs Ierusćhalaimorum*, &c. Hypotyposis promissionum Dei de salute

lute Ecclesiæ, & hostium internecione, amplificata per antithesin præcedentium Ecclesiæ calamitatum. QUAE BIBISTI DE MANU DOMINI CALICEM IRAE EIUS. Alii: *quæ bibisti a manu Iehovæ poculum excandescentiæ eius;* id est, afflictiones gravissimas perpessa es: allegoria, ut Psalm. LXXIV. 9. & LXXIX. 6. & alibi passim. USQUE AD FUNDUM CALICIS SOPORIS BIBISTI, ET POTASTI USQUE AD FAECES. Ex Hebr. alii: I. *quæ bibisti, & exuxisti cum fæce calicem soporiferum*. II. *crassamentum, poculum horrificentissimum bibisti, exuxisti*. Vocem Hebræam קבעת *kubbaghath*, *crassamentum* interpretantur, quia ipsa notatio vocis id tantum significari ostendit, quod crassum & fæculentum est, atque ex liquidis potionibus excerni solet, colari, aut alio modo auferri: *crapulam* etiam appellat Plinius Lib. XIII. cap. I. III. *fæcem calicis tremoris bibisti, & expressisti*, subaudi, sugendo, scilicet guttas remanentes: sic infra vers. 22. SOPORIS. תרעלה *targhelah*, *tremoris, angoris, anxietatis, mæroris*. Alii: *toxici, veneni mortiferi*: vide in Psalm. XIX. 5. sic infra vers. 22.

V. 18. NON EST QUI SUSTENTET EAM, &c. Alii hunc versum exponunt: *Nemo deducebat eam ex omnibus filiis, quos pepererat: & nemo prehendat manum eius ex omnibus filiis, quos educaverat*; id est, ab omnibus deserta erat cum ebria esset calamitoso poculo.

V. 19. DUO SUNT QUAE OCCURRERUNT TIBI: QUIS CONTRISTABITUR SUPER TE? Alii ex Hebr. I. *Duo ista obvenerunt tibi*, nimirum vastatio ex gladio, & contritio ex fame, quæ duo per hysterosin inter se componuntur, ut mox hoc versu subditur: *quis condoleret tibi?* nimirum hominum præterquam ego? ait Christus, quandoquidem ab exteris afflicta, a tuis deserta es. Hebr. ex verbo: *Duo ista occurrentia tibi, quis divagabit tibi?* id est, quis amovebit, vel effugabit tibi, seu a te? Possis vertere: *Duo ista accidentia tua*, seu *duos istos eventus tuos quis emigrare faciet*, vel *dimovebit a te?* nisi ego, ait Christus: QUIS CONSOLABITUR TE? Hebr. in prima persona, *quis consolabor te*; vel *quo*, seu *in quo, qua te consolabor te?* Aliqui: *per quem consolarer te?* alium præter me: respicit enim ad illud, quod ante dixerat, *Ego ego ipse sum consolator vester*, vers. 12.

V. 20. FILII TUI PROIECTI SUNT. Alii ex Hebr. I. *Filii tui defecerunt animo*, vel *passi sunt animi deliquium*. II. *defatigati sunt*. III. *obscurati, tecti, absconditi, obducti, obvelati, involuti sunt*, vel *perturbati sunt*. Avenarius reddit: *pullati sunt*. SICUT ORYX ILLAQUEATUS. תוא *tho*, idem omnino esse aiunt, quo transpositum תאו *theo*, de quo vide in Deuteron. XIV. 5. Hic varie reddunt; *urum, bovem silvestrem, ibicem, bubalum*. Ego voce non abludente facile crediderim esse *Thoem*, de quo Plinius Lib. VIII. cap. XXXIV *Nam thoes luporum id genus est, procerius longitudine, brevitate crurum dissimile, velox saltu, venatu vivens, innocuum homini, habitum, non colorem mutant, per hiemes hirti, æstate nudi*. Vide Cælium Rhodiginum Lib. XXIII. Lectionum Antiquarum, cap. XXVII. & Scaligerum Exercitatione 210. in Cardanum, & in Commentariis ad Lib. II. Aristotelis de Historia Animalium, cap. XIX. Textu CL. & ad Lib. VI. cap. XXXV. Textu CCCCXXVI. Quiddam reddunt; *ut bubalus irretitus*, ac proinde omnino impos fui. Alii: *sicut ibex reti implexus*.

V. 21. IDCIRCO AUDI HOC, &c. Alii: *Idcirco audi iam hoc, o afflicta, & ebria, non autem ex vino*. Alterum membrum antithefeos, cuius meminimus in vers. 17.

V. 22. QUI PUGNABIT PRO POPULO SUO. Hebr. *litigabit, contendet, populo suo*. Alii: I. *qui causam aget populi sui*, vel *causam acturus populi sui*. II. *qui vindicat populum suum*. III. *qui tueri solet causam populi sui*. IV. *qui obiurgaverat populum suum*: non tam recte.

V. 23. EORUM, QUI TE HUMILIAVERUNT. Alii ex Hebr. *affligentium te*, vel *depopulantium te*. ET DIXERUNT ANIMAE TUAE: INCURVARE, &c. Alii: I. *qui dixerunt animæ tuæ, Sternere*, vel *prosterne te, ut transeamus*, per te: *Pone corpus tuum tamquam terram*; vel *æqua terræ corpus tuum, ut sis vice plateæ transeuntibus*. II. *qui dicebant animæ tuæ: Abiice te ut transeamus: quibus exponebas tamquam humum corpus tuum, & tamquam plateam*, id est publicum locum, *transeuntibus*; quasi dicat: Qui insolenter & thrasonice conculcabunt te.

ME-

MENOCHII.

Verſ. 1. Audite me. Alloquitur Iudæos Chriſto credentes, de quibus egit cap. xlix. & cap. præcedenti num. 10. Qui sequimini quod iustum est: qui timetis Deum, ut dixerat num. 10. capitis præcedentis, & colitis iuſtitiam. Ad petram unde excisi estis, id eſt ad Abraham, ex cuius ſemine formati eſtis, ducta eſt ſimilitudo a ſtatuis, quæ ex rupe aliqua exciſæ formantur a ſculptoribus in figuram hominis. Et ad cavernam laci de qua praecisi estis. Eſt repetitio eiuſdem ſententiæ; cavernam laci, vocat cavitatem illam & aream, quæ in latomiis relinquitur; poſt exciſos, & exportatos lapides.

V. 2. Attendite ad Abraham, &c. Planius explicat quid metaphora petræ, & cavernæ laci ſignificaverit. Quia unum vocavi eum, id eſt cum ſolus eſſet, & ſine prole.

V. 3. Consolabitur Dominus Sion: numeroſam illi prolem ſpiritualem tribuendo. Consolabitur ruina eius: quæ diruta ſunt inſtaurando. Quasi delitias: *quaſi Edem*, ut eſt in Hebræo. LXX. habent, *ſicut paradiſum*, ſenſu eodem, nam terreſtris paradiſus erat in regione Edem, Gen. ii. 8. Quasi hortum Domini; Paradiſum terreſtrem; eſt enim repetitio. In ea: in Gentium ſolitudine ad Chriſtum converſa.

V. 4. Tribus mea: gens mea. Lex a me exiet: lex evangelica, hoc eſt, quod dixit cap. ii. 3. *De Sion exibit lex: & verbum Domini de Ieruſalem*. Iudicium: idem eſt quod lex; nam iuxta legem iudicandum. In lucem populorum requiescet; id eſt, non obiter tranſibit, ſed requieſcet in gentibus, quaſi in ſede & loco ſuo, firmiter, & longo tempore.

V. 5. Iustus meus: Chriſtus Salvator. Egressus est, id eſt brevi egredietur. Salvator meus: per quem orbem ſalvabo: ſunt verba Dei Patris. Brachia mea populos iudicabunt. Per brachia intelligit vires, & potentiam quam Deus per Chriſtum, & per Chriſti crucem exercuit, dum per prædicationem Apoſtolorum ei omnes gentes ſubiecit. Crux enim fuit Dei virtus, ut ait Apoſtolus. Alludit ad Chriſti brachia in cruce extenſa. Iudicabunt: gubernabunt, dominabuntur. Insulae: inſularum habitatores; gentes remotæ. Expectabunt: magno deſiderio, ut excipiant legem Chriſti. Et brachium meum sustinebunt. Eſt præcedentis ſententiæ repetitio, nam *ſuſtinebunt* idem eſt quod, *expectabunt*. Brachium vero ſignificat efficacitatem divinæ potentiæ, eruentis a dæmonis & peccati captivitate eos, qui in Chriſtum credunt.

V. 6. Videte sub terra deorsum. In Hebræo, *videte terram deorſum*; quaſi dicat: Quæcumque videtis deficient; non autem ſalus quam vobis dare paro. Sicut fumus liquescent, &c. quaſi dicat: Salus, & iuſtitia quam per Chriſtum me daturum promiſi, firmior erit, & diuturnior cælo, & terra, &c. ſimilis eſt locutio illa Chriſti, Luc. xxi. 33. *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt*.

V. 7. Audite me. Loquitur Chriſtus ad ſuos primos fideles, & Apoſtolos. Qui scitis iustum: qui iuſtitiam colitis. Lex mea in corde eorum, id eſt in quorum corde eſt lex, & doctrina mea. Opprobrium hominum: Scribarum, Phariſæorum, Tyrannorum, aliorumque infidelium, qui vobis maledicunt, & doctrinam veſtram damnant, & vos perſequuntur. Blasphemias eorum: maledicta, convicia, irriſiones, contumelias, &c.

V. 8. Sicut enim vestimentum, &c. quaſi dicat: Mortales omnes morti debentur, & cito interibunt, & gloria eorum peribit, ideoque eorum iudicia & voces contemnendæ ſunt. Vide ſuperiori cap. Similitudo vermis, & tineæ ex ipſa lana, aut veſtimento naſcentis indicat homines in ſe ipſis ſuæ mortalitatis cauſas habere.

V. 9. Consurge: excitare, quaſi a ſomno quietis, lenitatis, & patientiæ: ſunt verba Iſaiæ, vel populi expectantis, & anhelantis ad Chriſti adventum. Induere fortitudinem, &c. id eſt, o brachium Domini, indue te fortitudine, para ad prælium, &c. ſic Pſalm. xcii. 1. *Indutus eſt Dominus fortitudinem & præcinxit ſe*. In generationibus saeculorum: ſic appellat antiqua tempora, inter quæ, & præſens multa fluxerunt ſæcula, Dra-

DRACONEM: Pharaonem intelligit, ut patet ex sequenti.

V. 10. SICCASTI MARE: mare rubrum Exod. XIV. 21. ABYSSI: maris rubri, quod abyssum appellat ob profunditatem. VEHEMENTIS: ob æstus, & fluctuum vehementiam.

V. 11. ET NUNC, &c. Sententia est: Quemadmodum liberasti Hebræos subverso Pharaone, & usque in terram promissam deduxisti, ita per Christum e tyrannide, & captivitate diaboli redimes veros Israelitas; & in Sion, hoc est, in Ecclesiam induces gaudentes & lætantes. LAETITIA SEMPITERNA SUPER CAPITA EORUM. Quod dicitur *super capita eorum*, vel idem est quod super eos, vel alluditur ad coronas, quibus olim utebantur antiqui, in nuptiarum, aut victoriæ lætitia, & aliis huiusmodi. QUIS TU, UT TIMERES; quasi dicat, Indignum est te timere. AB HOMINE MORTALI: quales sunt tyranni, persecutores, detractores, irrisores.

V. 13. ET OBLITUS ES; quasi dicat: Ideo times, quia Dei oblitus es, & eius magnitudinis, & potentiæ. UBI NUNC EST FUROR TRIBULANTIS; quasi dicat: Ut furor Pharaonis absorptus est a mari, ita furor persequentium absorbebitur & evanescet.

V. 14. CITO VENIET, Christus. AD APERIENDUM: ostium salutis. NON INTERFICIET USQUE AD INTERNECIONEM: non permittet nos funditus perire. NEC DEFICIET PANIS: curabit ut annona corporalis, & spiritualis non deficiat.

V. 15. QUI CONTURBO MARE: qui omnipotens sum, & cum lubet elementis impero, & mare concito, &c.

V. 16. POSUI VERBA MEA IN ORE TUO: sunt verba Dei Patris ad Christum filium. IN UMBRA, &c. vide sup. cap. XLIX. 2. UT PLANTES CAELOS, ET FUNDES TERRAM: ut scilicet crees, & fundes novum orbem spiritalem, scilicet Ecclesiam. ET DICAS: tu, o Christe. AD SION: ad Ecclesiam. POPULUS MEUS ES TU: omnes enim fideles sunt populus Christi, quare etiam Christiani appellati sunt.

V. 17. CONSURGE IERUSALEM. Alloquitur Cives Ierusalem captivos in Babylone, eisque reditum, & libertatem promittit, simul tamen respicit spiritualem libertatem a iugo dæmonis, & peccati per Christum partam. CALICEM IRAE: mensuram pœnæ, vel vindictæ a Deo irato propinatæ urbi Ierusalem, ob eius peccata. USQUE AD FUNDUM CALICIS SOPORIS: soporem, & stuporem lethiferum inducentis. POTASTI USQUE AD FAECES: totum exhauriens dolium significatur ingens, & extrema vindicta, clades, & calamitas Ierusalem, quæ fuit tum in captivitate Babylonica, tum magis in Romana.

V. 18. NON EST QUI SUSTINET: solent enim filii in parentes suos pii, eos sustentare cum surgunt, aut ambulant, &c.

V. 19. DUO SUNT QUAE OCCURRERUNT TIBI, &c. Quomodo duo, cum quatuor enumerentur, vastitas, contritio, fames, gladius? Sunt duo, quia alterum fuit urbis flagellum, vastitas scilicet, & contritio; alterum civium, scilicet fames, & gladius. QUIS CONTRISTABITUR SUPER TE? quasi dicat: Tanta est afflictio tua, ut & tu, & videntes te stupeant, & præ stupore nec illi te possint consolari, nec tu ab eis consolationem accipere.

V. 20. PROIECTI SUNT: strati iacent in plateis, & compitis, aut gladiis confossi; aut præ furore agentes animam. SICUT ORYX. Oryx est animal capræ simile: vide Arist. Lib. II. de hist. anim. cap. 1. & Lib. III. de part. animal. cap. 11. sententia est, Ierusalem, & eius cives sunt sicut oryx laqueo constrictus, quem canes lacerant, venatoresque venabulis confodiunt. PLENI INDIGNATIONE DOMINI; id est, suppliciis, & cruciatibus ex Dei indignatione provenientibus. INCREPATIONE: castigatione. EBRIA NON A VINO: sed calice furoris Domini, de quo num. 17.

V. 22. TULI: abstuli. FUNDUM: fæces, de quibus num. 17.

V. 23 ANIMAE TUAE, id est tibi. INCURVARE: solent enim victi a victoribus calcari: ad hunc morem allusit Psaltes Psalm. CIX. 1. *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. Vide dicta Iosue X. 24.

TIRINI.

Vers. 1. UNUM & solum & effœtum Abrahamum VOCAVI, & effeci ut pater fieret tam multarum, tam numerosarum gentium. Multo facilius erit mihi,

mihi, Ecclesiam e paucis Iudæis Christo fidelibus conflatam, novarum prolium accessione multiplicare. Nolite ergo timere pusillus grex: faciam vobiscum quod cum Abrahamo: ita S. Hieronymus & Cyrillus.

V. 3. RUINAS SIONIS, quibus maior illius pars corruit, dilapsa fide, a Christo, a Deo, CONSOLABITUR supplemento novæ fabricæ ex Gentili populo: cuius accessione quod DESERTUM *ac solitudo* iam videbatur, *hortus* fiet amœnissimus & paradisus *delitiarum*.

V. 4. LEX non prisca Moysis, sed nova Christi & Evangelica, EXIET A ME, meoque iussu prædicabitur per universum orbem. Et erit hæc lex IUDICIUM *a* MEUM, quo iudico & decerno quid cuique agendum vel omittendum, quid cuique tribuendum, quid ferendum, quid credendum. Et erit IN LUCEM POPULORUM; id est, illuminabit omnes populos terræ, non obiter instar fulguris, sed constanter & perseveranter instar luminis solaris: REQUIESCET enim in eis quasi in propria sede, in domestico palatio.

V. 5. PROPE EST IUSTUS MEUS; id est, brevi aderit in mundo Messias, omni ex parte iustus & vos iustificaturus mihique reconciliaturus. EGRESSUS EST divino iam decreto, & reipsa brevi egredietur SALVATOR MEUS: per quem ego orbem salvabo, & perditum mihi rursus vindicabo. BRACHIA MEA; id est, robur ac potentia, maxime quam per crucem Christi (ad cuius brachia seu *cornua b* hic alludit) exeram in universum orbem, & per eam omnes POPULOS *iudicabo c*, id est, vindicabo a tyrannide & iugo diaboli, & iustus omnibus iudex, dominus ac princeps ero.

V. 6. VIDETE SUB TERRA DEORSUM; Hebraice, Græce, Chaldaice, *respicite in terram deorsum*. QUIA SICUT VESTIMENTUM *d* ATTERETUR: CAELI quoque SICUT FUMUS LIQUESCENT, ut alibi *e* dixi. SALUS AUTEM MEA ET IUSTITIA, quam vobis per Christum impertiam, *numquam concidet*, sed æternum durabit: ita S. Hieronymus.

V. 7. AUDITE ME & credite mihi, o vos Christo fideles, QUI SCITIS IUSTUM. Hebraice, *iustitiam*; id est, qui prope nostis quid iustum, quid æquum sit, utpote quorum in corde viget lex & doctrina mea cælestis, ut vertit Vatablus. Respondent illi, Audimus o Domine, & obedimus tibi per omnia.

V. 9. CONSURGE ergo a somno lenitatis & patientiæ, ad debellandos hostes & tuos & nostros: INDUERE FORTITUDINEM O BRABHIUM *f* DOMINI accingere, armare ad prælium. NUMQUID NON TU PERCUSSISTI SUPERBUM Pharaonem; & lethaliter VULNERASTI DRACONEM *g* illum marinum, balænam; vel, si mavis, draconem fluvialem, crocodilum, regem AEgypti? ita S. Hieronymus, Cyrillus & alii. Mystice *draco* est satanas, inquit Rupertus. Porro sicut olim Hebræi ex AEgypto, ita

V. 11. ET NUNC quotquot per Christum a diaboli captivitate ac tyrannide REDEMPTI SUNT, VENIENT IN SION, id est in Ecclesiam, primo militantem, deinde & triumphantem, extreme lætantes, & Deum ob tanta beneficia LAUDANTES.

V. 12. QUIS ergo TU UT *timeas*? Hebraice genus est femininum; quasi dicat: QUID tu, o femina times? Increpat tepidos & timidos Christianos, metu perfidorum Iudæorum vel tyrannorum trepidantes. Et vis nosse causam vani timoris?

V. 13. OBLITUS ES DOMINI FACTORIS TUI, utique & protectoris & consolatoris tui. Quo tutore quid timeas? UBI NUNC EST FUROR TRIBULANTIS? nempe Pharaonis, & cuiusvis alterius hostis affligentis populum Dei: ac novissime Nabuchodonosoris Chaldæi tyranni, & Balthasaris filii eius, qui vos captivos tenet in Babylone.

V. 14. CITO VENIET mittendus a me Cyrus, GRADIENS & accurrens AD APERIENDUM carcerem vestrum, & captivitatem solvendam: ita S. Thomas & Hugo. Hanc enim liberationem per Cyrum obiter hic pro pignore vel arrha Iudæis obiicit tutelæ divinæ, & liberationis per Christum certissimo ipsis olim obventuræ. Igitur me vos protegente ac tutante, licet affligat vos & torqueat Chaldæus tyrannus; tamen NON INTERFICIET USQUE AD INTERNECIONEM, NEQUE umquam DEFICIET PANIS EIUS; id est, sufficiens annona per ipsum vobis continuo subministrabitur. Hoc sit vobis pro pignore, quod olim Christi sequacibus adero perpetua mea providentia ac tutela etiam in medio æstu tribulationum & afflictionum. Porro hæc

V. 16.

V. 16. VERBA & promissa MEA POSUI, o Christe (ad hunc enim loqui Deum Patrem censent S. Hieron. Forerius, Adamus & plerique alii:) IN ORE TUO, & per te in ore omnium filiorum tuorum, ut audacter & libere omnibus denunties, quod UMBRA MANUS MEAE perpetuo *protegam* TE & tuos omnes: UT tali umbra protectus, sine metu, sine remora, sine mora, PLANTES in terris novos CAELOS, ET in cælis FUNDES novam TERRAM, id est novos incolas: nempe Ecclesiam novi testamenti exsuscitabis, quæ cælestem vitam aget in terris, & replendis cælis copiosos incolas subministrabit. Cui Ecclesiæ fidenter DICAS, & addicas meo quoque nomine: POPULUS MEUS ES TU, filii mei omnes vos: *quod si filii, & heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* Quos amabo, fovebo, protegam perpetuo.

V. 17. ELEVARE, CONSURGE IERUSALEM: exulta iam & excisa per Chaldæos, iterum instaurare per Cyrum, Darium, Esdram, Nehemiam: ita S. Thomas, Hugo & Sanchez. Sed sub hoc typo intellige antitypum eius spiritualem Ierosolymam, nempe Ecclesiam Christi longe feliciore modo instaurandam, inquit S. Hieronymus, Cyrillus, Dionysius, Haymo, Forerius & alii.

V. 20. FILII TUI PROIECTI SUNT a Chaldæis, gladio confossi, vulneribus vel inedia confecti iacent strati in compitis & plateis: & sani etiam ac valentes, expulsi domibus partim exustis, partim ab hoste occupatis, *dormire* coguntur sub dio in viis & plateis, omnibus ostentui, omnibus ludibrio, SICUT ORYX ILLAQUEATUS, seu laqueis irretitus & captus. Sicut enim animali isti AEgyptio admodum truculento & sævo, bibulcis ungulis, & cornibus omni silice & ferro durioribus (teste Aristotele, Plinio, Oppiano & Martiali) si quando capi, & captivum per plateas pro spectaculo trahi contigerit, ab omnibus illuditur, opprobriis afficitur, denique millenis iniuriis coagitatur: ita vobis in Chaldæa continget, *plenis* INDIGNATIONE & INCREPATIONE DOMINI, id est pœnis, tormentis, cruciatibus ex Dei indignatione manantibus & in vos depluentibus. Sed iam

V. 21. AUDI PAUPERCULA Ierusalem, EBRIA calice meo, quem plenum NON VINO, sed ira & indignatione hucusque haustli.

V. 22. Hunc CALICEM SOPORIS; LXX. *ruinæ;* Symmachus & Theodotion, *commotionis*, alii, *titubationis*; quasi dicat: Calicem tam noxio misto plenum, ut bibentem faciat trepidare, titubare, soporari & corruere, *tollam* DE MANU TUA, & hostibus tuis Chaldæis epotandum dabo.

(a) Proleg. de Mostsm. Hebr. n. 14.
(b) Habac. III.
(c) Isaiæ XL. 10.
(d) cap. I. 9.
(e) cap. XXXIV. 4.
(f) Hic vers. 5. & Psal. XCII. 1.
(g) Ezech. XXIX. 3.

GORDONI.

Vers. 1. AUDITE ME, &c. Sermo est iterum ad Iudæos, qui cum aliis fidelibus Christo nomen dederunt, quos solatur, & iubet ne ob paucitatem frangatur cuipiam animus: intueantur Abraham & Saram: potens est Deus, ex lapidibus multiplicare gentem.

V. 5. & 6. PROPE EST IUSTUS. Promittitur a Patre Salvator, per quem subiicietur orbis Deo, & verum est, *cælum transibit*, non tamen verbum hoc. Transibunt cæli, forte non in substantia, sed certe in accidente & innovatione aliqua.

V. 7. AUDITE ME QUI SCITIS IUSTUM, &c. Monet fideles ut perseverent constanter; peribunt persecutores, non sic iustus. Draco hic vers. 9. est Pharao ad mare rubrum.

V. 14. CITO VENIET, &c. Sermo est de auxilio Christi, qui adversarios strenue conculcabit, non interficiet; hoc est, non permittet interfici; seu non venit ut interficiat, sed ut salvet.

V. 16. POSUI VERBA MEA IN ORE TUO, &c. Recte Hieronymus, & alii plures docent esse verba Dei patris ad Christum; & sub Christo ad Apostolos ac successores a Deo missos: Hinc Matth. X. 19. *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, &c.*

V. 17. & 20. ELEVARE, ELEVARE, CONSURGE IERUSALEM, &c. Commodior sensus est per Ierusalem intelligi primitivam Ecclesiam, quod satis suadent dicta ab initio capitis; & ita sentiunt Cyril. Hieronymus, & alii multi: & sane graviter afflicta fuit in suis initiis vastitate & contritione: angustiati sunt fideles, quibus, ut ait.

ait Paulus, *dignus non erat mundus*: nec videtur a vero alienum etiam perstringi hic Iudæos Ierosolymis contritos sub Tito: nam tam illi, quam fideles passi sunt acerba; sed ad fideles est tota promissio & consolatio quæ hic permiscetur, vers. 20. oryx, unicorne & bisulcum animal sicut captum iacet laniatum; ita contigit Iudæis occisis: de hoc animali Aristot. hist ani. Lib. II. cap. 1.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 2. Est explicatio prioris metaphoræ: sicut enim homines Israelitæ, posteri Abrahæ, velut excisi lapides e cavernis ad ædificia; sic Deus suos multiplicabit & consolabitur.

Vers. 19. DUO SUNT. At dum dicit duo, enumerat quatuor, vastitatem, contentionem, famem, & gladium. Recte tamen duo vocantur: unum urbis (vastitas & contentio) alterum hominum, seu civium (fames & gladius.)



CAPUT LII.

Excitat Sion, hoc est, Christi ecclesiam ad consolationem ob gratuitam sui redemptionem: meminit descensus Israel in AEgyptum, & liberationis ab Assur: prædicatores autem Evangelicæ pacis commendat, excitans omnes ad laudem propter Christum paratum omnibus salvatorem; & de ipsius exaltatione ac humiliatione, & fide Gentium in ipsum.

1. COnsurge, consurge, induere fortitudine tua Sion, induere
vestimentis gloriæ tuæ Ierusalem, civitas sancti: quia non
adiiciet ultra ut pertranseat per te incircumcisus & immun-
dus. 2. Excutere de pulvere, consurge, sede Ierusalem: sol-
ve vincula colli tui captiva filia Sion. 3. Quia hæc dicit
Dominus: Gratis venumdati estis, & sine argento redime-
mini. 4. Quia hæc dicit Dominus Deus: (*a*) In AEgy-
ptum descendit populus meus in principio, ut colonus es-
set ibi: & Assur absque ulla causa calumniatus est eum. 5. Et numquid mihi
est hic, dicit Dominus, quoniam ablatus est populus meus gratis? Domina-
tores eius inique agunt, dicit Dominus, (*b*) & iugiter tota die nomen meum
blasphematur. 6. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa:
quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. (*c*) 7. Quam pulchri super montes
pedes annuntiantis & prædicantis pacem; annuntiantis bonum, prædicantis salu-
tem, † dicentis Sion: Regnabit Deus tuus! 8. Vox speculatorum tuorum: le-
vaverunt vocem, simul laudabunt: quia oculo ad oculum videbunt cum con-
verterit Dominus Sion. 9. Gaudete, & laudate simul deserta Ierusalem: quia
consolatus est Dominus populum suum, redemit Ierusalem. 10. Paravit Domi-
nus brachium sanctum suum in oculis omnium Gentium: (*d*) & videbunt o-
mnes fines terræ salutare Dei nostri. 11. Recedite, exite inde, (*e*) pollutum
nolite tangere: exite de medio eius, mundamini qui fertis vasa Domini. 12.
Quoniam non in tumultu exibitis, nec in fuga properabitis: præcedet enim vos
Dominus, & congregabit vos Deus Israel. 13. Ecce intelliget servus meus, e-
xal-

xaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valde. 14. Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus eius, & forma eius inter filios hominum. 15. Iste asperget gentes multas, super ipsum continebunt reges os suum: (f) quia quibus non est narratum de eo, viderunt, & qui non audierunt, contemplati sunt.

(a) Gen. IV. VI. 6. (b) Rom. II. 24. Iez. XXXVI. 20. (c) Rom. X. 15. Nah. I. 15. (d) Psal. XLVII. 3. (e) II. Cor. VI. 17. (f) Rom. XV. 21.

BRUGENSIS.

LECTIONUM VARIETAS.

Vers. 7. *Dicentis Sion, Regnabit Deus tuus.* Alii libri scribunt pro futuro praeteritum *regnavit*, consentanee Hebraeo, quamquam futurum sit Graece.

COMMENTARIA.

MALDONATI.

Vers. I. CONSURGE, CONSURGE: עורי עורי, *evigila, evigila*; id est, excitare a somno & ebrietate, quam contraxisti bibens calicem irae Dei, ut dixit supra cap. LI. 17. Et mystice, *Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus:* Ephes. V. 14. INDUERE FORTITUDINE; resume animum, & vires pristinas. INDUERE VESTIMENTIS GLORIAE TUAE; id est, vestimentis libertatis, quibus utebaris, cum esses in gloria tua, antequam captiva esses: nunc enim uteris servili habitu, quia captiva es. Loquitur de futuro tempore Babylonicae captivitatis, tamquam de re praesenti, more Prophetarum. IERUSALEM CIVITAS SANCTI, id est Dei, qui absolute, ut saepe diximus, sanctus & iustus dicitur. Aut, *Civitas*, הקדש, *sancta*. QUIA NON ADIICIET ULTRA UT PERTRANSEAT PER TE INCIRCUMCISUS; id est, non expugnabunt, non occupabunt, non conculcabunt te amplius profani homines, ut Assyrii. Et mystice de Ecclesia, non grassabuntur in te daemones, sicut ante Christi adventum grassabantur.

V. 2. EXCUTERE DE PULVERE, id est evade ex illa misera servitute, in qua veluti in pulvere iaces: ut dixit cap. LI. 23. SEDE, id est regna, sicut olim in solio tuo. SOLVE VINCULA COLLI TUI; id est, relinque servitutem istam, qua premeris. Solent enim captivi vinculis collo religari: Psal. II. 3. *Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus a nobis iugum ipsorum.*

V. 3. GRATIS VENUMDATI ESTIS; id est, quemadmodum nulla accepta pecunia tradidi vos in Chaldaeorum potestatem, ut scelerum vestrorum poenas lueretis; ita poenis persolutis, nulla data pecunia ab eorum vos potestate liberabo. Mystice, sicut vos sponte vestra in diaboli vos servitutem tradidistis, ita ego sponte mea nullo argento, sed sanguine meo a diaboli vos servitute liberabo: I. Pet. I. 18. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati.*

V. 4. IN AEGYPTUM DESCENDIT POPULUS MEUS. Sensus: Si AEgyptios tam graviter punivi, quod populum meum asperius tractassent, cum ipse se illis sponte sua subiecisset; quid faciam Assyriis, qui populum meum primum de suis sedibus in captivitatem abduxerunt; deinde miserabiliter afflixerunt. ET ASSUR, id est Rex Chaldaeorum. ABSQUE ULLA CAUSA CALUMNIATUS EST EUM: עשקו, *vexavit eum*; quasi dicat: AEgyptii aliquid causae habere videbantur ut Iudaeos opprimerent, quia ipsi se illis subiecerant: at Chaldaei nihil causae habuerunt.

V. 5. ET NUNC QUID MIHI EST HIC. Quid causae est, ut cessem, ut me contineam, neque liberem populum meum a Chaldaeis? quasi dicat, Nihil. QUONIAM ABLATUS EST. Reddit causam, cur populum

lum liberare debeat, quia vi a Chaldæis abductus fuerat. GRATIS, id est cum nullam illis occasionem præbuisset. DOMINATORES EIUS, id est Chaldæi, qui populo meo dominantur. INIQUE AGUNT, id est duriter eum tractant: vel, יהלילו, *ululare faciunt*, id est miserabiliter gemere præ dolore. Hæc est altera causa cur liberare eum debeat: tertia sequitur: ET IUGITER TOTA DIE; id est, singulis diebus nomen meum blasphematur a Chaldæis dicentibus: *Ubi est Deus eorum?* cum videant me non eos liberare.

V. 6. PROPTER HOC, id est his tribus de causis, quas exposui, SCIET POPULUS MEUS NOMEN MEUM; id est, re ipsa experietur me non solum vocari, sed esse verum Deum, merito me Deum dici. QUIA EGO IPSE QUI LOQUEBAR, id est cum viderit me illi opem ferre, quemadmodum prædixeram: aut, cum viderit fieri ea, quæ a me prædicta fuerant: ex eventu enim vaticiniorum intelligitur eorum auctorem verum esse Deum, ut probavit supra cap. XLI. 22. 23. & XLII. 9. & XLIII. 9. & XLIV. 7. Intelligitur autem hic locus, primum de præsentia Dei populum a Chaldæorum servitute vindicantis: deinde de Christi ad nos adventu, ut videtur D. Paulus explicare ad Heb. I. 1. *Multifariam multisque modis Deus locutus est patribus nostris in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in filio.*

V 7. QUAM PULCHRI SUPER MONTES PEDES; quasi dicat: Quam gratus erit adventus Apostolorum Evangelium annuntiantium. Quam pulchrum erit videre eos super montes adventantes, id est cælitus a Deo missos, & per montes ad nos quodammodo e cælo descendentes, ut tacite videtur D. Paulus interpretari Rom. X. 15. *Quomodo vero prædicabunt nisi mittantur, sicut scriptum est: Quam speciosi pedes evangelizantium.* Potest etiam significare procul, quia eos qui super montes veniunt, procul videmus; quasi dicat Propheta animo prospiciens Apostolos venientes ad prædicandum Evangelium: Quam pulchrum est videre pedes, id est adventum evangelizantium. Per BONUM, pacem, salutem, Evangelium circumscribit. REGNABIT DEUS TUUS, id est Christus: מלך, *regnavit*, pro, regnat, regnare incipit.

V. 8. VOX SPECULATORUM TUORUM, id est Prophetarum, Apostolorum, & qui Apostolis successerunt, Episcoporum; hi enim officio suo speculatores sunt, ut infra LVI. 10. & Ezech. III. 17. & XXXIII. 2. 6. 7. *Vox* (inquam, sub audietur.) LEVAVERUNT, pro, levabunt, VOCEM, id est, clara voce annuntiabunt Evangelium. SIMUL LAUDABUNT, ירננו, *lætitia exultabunt*, aut, clamabunt. QUIA OCULO AD OCULUM, id est suis oculis, VIDEBUNT, restaurationem Sionis, id est, Ecclesiæ, ut Apostoli dicunt Act. IV. 20. *Non possumus quæ vidimus & audivimus non loqui.* Et I. Ioan. I. 1. *Quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ annuntiamus vobis.*

V. 9. GAUDETE ET LAUDATE; id est, gratias agite simul deserta Ierusalem, loca quæ nunc deserta estis atque vastata, quia restaurabimini. Intelligitur hoc historice quidem de ruinis urbis Ierosolymitanæ. Mystice vero de peccatis, quæ per Christum tollenda erant.

V. 10. PARAVIT DOMINUS (חשף, *nudavit*) BRACHIUM SANCTUM SUUM; id est, ostendit potentiam & sanctitatem suam. Solebant milites pugnaturi dextrum brachium nudare, quod & Arabes hodie faciunt. Inde metaphora ad Deum translata est. ET VIDEBUNT OMNES FINES TERRAE; id est, omnes gentes SALUTARE DEI NOSTRI, id est salutem, quam Christus nobis afferet.

V. 11. RECEDITE, RECEDITE. Convertit orationem ad populum, hortaturque ut quemadmodum Deus paratus est ad afferendam, ita ipsi ad recipiendam salutem, & libertatem parati sint. EXITE INDE, id est ex Babylone, ut sup. XLVIII. 20. *Egredimini de Babylone, fugite a Chaldæis:* & Ierem. L. 8. *Recedite de medio Babylonis, & de terra Chaldæorum egredimini.* Mystice, recedite de mundo, & consugite ad Christum. POLLUTUM NOLITE TANGERE; id est, nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum: & I. Timot. V. 22. *Neque communicaveris peccatis alienis.* MUNDAMINI QUI FERTIS VASA DOMINI, id est Sacerdotes. Omnes vult mundos esse ab operibus Babylonis, id est huius mundi, Sacerdotes vero maxime.

V. 12. QUONIAM. Reddit causam cur parati esse debeant, quia non sicut olim cum exirent ex Ægypto, repente ac tumul-

tumultuario fugient; sed quiete & tuto nullo persequente hoste, sed Deo potius duce, ipsisque Babyloniis deducentibus. NON IN TUMULTU, id est non festinanter more fugientium, בחפזון, *in festinatione*, ut Exod. XII. 11. & Deut. XVI. 3.

V. 13. ECCE INTELLIGET SERVUS MEUS, id est sapienter rem totam administrabit. Alii, ישכיל, vertunt, *prospere aget*, ut Chald. Paraph. *Servus meus*, id est Christus, ut etiam Chaldæus interpretatur, qui propter humanam naturam servus appellatur. EXALTABITUR. Aliqui hanc exaltationem ad crucem referunt, ut Ioan. III. 14. & 8. XXVIII. & 12. XXXII. Christus ipse mortem suam exaltationem vocat. Alii referunt ad eius gloriam, quod magis probo, ut D. Paulus loquitur Philip. II. 9. *Propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen*.

V. 14. SICUT OBSTUPUERUNT SUPER TE: עליך, Chald. legit עליו, *super eum*, sicut statim sequitur vers. 15. *Super ipsum continebunt reges os suum*. SIC INGLORIUS ERIT INTER VIROS, משחת, *corruptus, deformis;* id est, quemadmodum antequam pateretur, omnes super eum mirabantur, quia *Speciosus* erat *forma præ filiis hominum*: Psal. XLIV. 3. Sic in passione eius aspectus erit deformatus, ut ait cap. sequenti 2. *Vidimus eum, & non erat aspectus*. Alii putant comparationem hoc versu non compleri, nec dictionem כן *sic*, respondere præcedenti dictioni, *sicut:* sed *sic*, accipi pro, *usque adeo:* & comparationem compleri versu sequenti; quasi dicat: Sicut multi super eum obstupuerunt, quod adeo deformis esset (in passione) eius aspectus, sic

V. 15. ISTE ASPERGET GENTES MULTAS. Sanguine suo, aut doctrina sua inter omnes gentes disseminata. Alii, *Asperget gentes multas*, id est sanguinem multarum gentium, ut ait R. Abraham in comment. Alii, יזה, *stillare faciet gentes multas*, id est de se loqui. SUPER IPSUM CONTINEBUNT, יקפצו *claudent* REGES OS SUUM; id est, admirabuntur, & obstupescent sic, ut loqui non possint. QUIA QUIBUS NON EST NARRATUM DE EO; id est, ii, qui nihil ante de venturo Christo ex Prophetis audiverant, ipsum recipient, obstupescentque reges, quod Christus regnet ubique gentium.

S A.

Vers. 1. FORTITUDINE TUA, scilicet a Deo tibi data. *Induimini Dominum nostrum Iesum Christum*. VESTIMENTIS, scilicet virtutibus ad Christum excipiendum. GLORIAE TUAE, id est quæ te gloriosam reddunt, seu ornant. SANCTI, scilicet Dei, vel templi. Chald. & LXX. *sancta*. INCIRCUMCISUS, scilicet corde; quasi dicat, Infidelis, vel peccator. Aug. Lib. cont. Donat. post collat. id intelligit de futura vita. Alii referunt ad liberationem a persecutione infidelium.

V. 2. SEDE, scilicet loco honesto, quæ antea in pulvere, id est statu peccati. VINCULA, scilicet peccatorum.

V. 3. GRATIS, id est sine pecunia; vel quasi dicat, Ultro vos dedidistis peccatis. REDIMEMINI, scilicet e Babylone, vel ex peccato.

V. 4. ASSUR, scilicet postea: vel potius pro AEgyptiis accipitur, qui ex Assyriis oriundi. Vide Ezech. XXXI. & quidem, quid hic attinebat ad Assyrios transire? Plane siquis utrumque locum diligenter legat, videbit Assur pro AEgypti Rege accipi, quamquam cur ita vocetur non satis scio. CALUMNIATUS EST. Chald. *oppressit*.

V. 5. NUMQUID MIHI, &c. quasi dicat, Quin libero, scilicet a peccato, ut olim ab AEgypto? GRATIS. Vide sup. DOMINATORES, scilicet principes. ET IUGITER, &c. LXX. *Propter vos nomen meum blasphematur in gentibus semper*.

V. 6. NOMEN MEUM; quasi dicat, Me agnoscet. LOQUEBAR, scilicet per Prophetas. ADSUM, scilicet factus homo.

V. 7. SUPER MONTES. Et Christus in montibus aliquando docuit. SION, id est o Sion, scilicet Ecclesia, vel potius Sioni, ut Heb. indicatur. REGNABIT. Chald. *revelatum est Regnum Dei tui*.

V. 8. SPECULATORUM. Chald. *gubernatorum*. LXX. *custodum*. LEVAVERUNT VOCEM. LXX. *exaltata est*. OCULO AD OCULUM. Chald. *oculis suis*. VIDEBUNT. Chal. *videbunt magnalia Dei*.

V. 9. DESERTA, scilicet aridæ antea animæ.

V. 10. PARAVIT. Chald *revelavit*; pro, revelabit. LXX. *revelabit*. BRACHIUM, id est

est potentiam, vel filium. OMNES FINES; quasi dicat, Totus orbis.

V. 11. RECEDE, scilicet a peccatis, vel servitute diaboli, vel commercio infidelium. Vide II. Cor. VI. EIUS, scilicet Babylonis, id est mundi. MUNDAMINI. Chald. *electi estote*. LXX. *separamini*. VASA, scilicet quibus in templo ministratur Deo.

V. 12. IN TUMULTU, &c. quasi dicat, Quieta erit per Christum liberatio. FUGA, scilicet ut olim ex AEgypto.

V. 13. INTELLIGET, id est prudenter aget. SERVUS MEUS. Chald. *servus meus Christus*.

V. 14. OBSTUPUERUNT, scilicet visis miraculis. INGLORIUS, id est contemptus, scilicet in passione. EIUS. Mutatio personæ, pro, tuus.

V. 15. ASPERGET, scilicet aqua Baptismi, vel sanguine, scilicet redemptione. Chald. *disperget*, scilicet dilatans Ecclesiam. CONTINEBUNT, scilicet non male loquentes de eo, ut antea. NARRATUM, scilicet antea. VIDERUNT. LXX. *videbunt*, scilicet Christi miracula. CONTEMPLATI SUNT. LXX. *intelligent:* scilicet gentes ad salutem pertinentia.

ESTII.

Vers. 1. CONSURGE, CONSURGE SION CIVITAS SANCTI, QUIA NON ADIICIET ULTRA UT PERTRANSEAT PER TE INCIRCUMCISUS, ET IMMUNDUS. Hæc si intelligamus deterrena Ierusalem, humilis & abiectus erit sensus; immo, ut apparet, falsus; quia post tempora captivitatis Babylonicæ sæpe adhuc incircumcisi civitatem & templum contaminaverunt, ut tempore Antiochi Epiphanis, ut narratur in Lib. Machabæorum; maxime vero sub Tito & Vespasiano; quando templum eversum est, & civitas incircumcisis tradita ad habitandum, & Iudæi in omnes terras ducti captivi. Rectius ergo de ecclesia Christi hæc intelliguntur. Sed quæstio est, quomodo etiam de ea versum sit: *Non adiiciet ultra, ut pertranseat per te incircumcisus & immundus?* cum in Ecclesia multi sint immundi, & incircumcisi corde, & moribus? Resp. talem transitum improborum non esse, nec fore in Ecclesia, qualis fuit in synagoga illa, & templo Iudaico. Scilicet per Ierusalem, qui typus fuit Ecclesiæ, talis fuit transitus incircumcisorum, & immundorum, ut tandem prævalerent; & universum populum illum abducerent captivum, maxime sub Romanis. Sed numquam hoc futurum est Ecclesiæ Christi, (cuius Ierusalem typus fuit) ut sic per eam pertranseant immundi, ut eam, quoad fidem, vel mores, penitus subvertant; quia iuxta promissionem Christi Matth. XVI. numquam futurum est, ut *portæ inferi prævaleant adversus eam*.

V. 3. GRATIS VENUMDATI ESTIS, ET SINE ARGENTO REDIMEMINI. Si de populo Iudaico intelligitur, quæritur, quomodo gratis venumdati, cum abducti sint in Chaldæam merito peccatorum suorum? Respond. Gratis, quia rex ille aut populus Chaldæorum nullo suo iure meruit, neque ullo modo ei debebatur, ut populo Iudaico prævaleret, cumque in servitutem abduceret. Et similiter quoque dicitur: *& sine argento redimemini*; scilicet, quia idem populus gratis, & sine suo merito liberatus est e captivitate Babylonica, Deo, animum Cyri, ut id liberaliter faceret, excitante. Ac similiter si de generis humani redemptione per Christum agatur, similis quæstio est, Quomodo gratis homo venumdatus sit diabolo? cum peccati sui merito in diaboli venerit potestatem? Sed similis quoque est responsio: nam licet homo id merito passus sit, non tamen id diabolo absolute debebatur, ut eius potestati homo subiugaretur; nam erat creatura Dei, & quidem apud eum reus læsæ maiestatis. Eodem quoque modo homo gratis redemptus dicitur, si merita hominis spectentur, quæ nulla sunt ante redemptionem; sed iterum non gratis, si consideretur inæstimabile pretium sanguinis Christi, quo redemptus fuit, de quo Apostolus I. Cor. VI. *Empti enim estis pretio magno*. Et canit Ecclesia: famulis tuis subveni, quos sanguine mercatus es. Sed in primis, ut manifestum est, redemptus est omnino sine argento.

MARIANAE.

Vers. 1. INDUERE FORTITUDINE, id est sume arma. VESTIMENTIS GLORIAE TUAE, id est vestimentis festivis. CIVITAS SANCTI. Heb. *sanctitatis*, pro, sancta. NON ADIICIET ULTRA UT PERTRANSEAT. Heb.

ut

ut veniat in te incircumcisus; id est, gentes tui non dominabuntur, ut hactenus fecerunt. Quod de Ecclesia magis est verum quam de Ierusalem.

V. 2. EXCUTERE DE PULVERE. Dixerat cap. XXVI. vers. 5. *Detrahet eam usque ad pulverem*. Nunc contra, *excutere de pulvere*, id est excute pulverem. SEDE IERUSALEM. Dixerat de Babylone cap. XLVII. vers. 1. *Non est solium tibi, ideo sede in pulvere*, in terra, ut solent qui non habent, ubi sedeant. Nunc ait, de Israel: Sede, solium habes ubi sedeas. Surge de terra, luctum pone. SOLVE VINCULA. Exi e captivitate, qua teneris.

V. 3. GRATIS VENUMDATI ESTIS, id est sine pretio. ET SINE ARGENTO, sine pretio, sine pecunia. *Argenti* nomine in Heb. lingua intelligitur pecunia. Ergo sine labore, sine causa, id est gratis capti estis, ita sine causa liberamini, vel nullis datis donis.

V. 4. UT COLONUS ESSET IBI, descendit populus in AEgyptum. Heb. *ut peregrinaretur ibi*. Adde, & tamen eum servire fecerunt. ET ASSUR. Per *Assur* Babylonios intelligit, qui Assyriis imperabant, & captivarunt Iudæos postea. ABSQUE ULLA CAUSA, id est nullis iniuriis provocatus. Id est quod dixit, *gratis venumdati estis*. CALUMNIATUS EST EUM. Heb. *oppressit eum*, duxit in captivitatem.

V. 5. ET NUMQUID MIHI EST HIC. Regia, Lovan. & Septuag. *Et nunc quid*. Significat autem, Et nunc quid moror a liberando meos? QUONIAM ABLATUS EST POPULUS MEUS GRATIS? iustum scilicet est, ut eos liberem. Affert rationes ob quas debeat suos liberare. Prima, quoniam gratis sine causa sunt oppressi. Secunda, INIQUE AGUNT. Heb. *ululare faciunt*, scilicet eos; tyrannide opprimunt. Id magis me provocat. Præterea, quoniam NOMEN MEUM BLASPHEMATUR. Nimirum inter impios.

V. 6. SCIET POPULUS MEUS NOMEN MEUM. Quod nomen? nam multa Dei sunt nomina. Sciet ergo populus nomen, quod ab existentia deducitur, quia impleo quæ promisi, id est nomen ineffabile. QUI LOQUEBAR, ECCE ADSUM, ut scilicet faciam quæ dixi, præsto sum.

V. 7. QUAM PULCHRI SUPER MONTES. Hoc est, felicissimum nuntium id erit, cum annuntiaverint populum esse liberatum, aut Christum venisse. Paulus ad Rom. x. 15. de Evangelica prædicatione hæc verba affert. *Super montes*. In montibus sita erat Ierusalem, cui potissimum hæc nuntiabantur. PEDES ANNUNTIANTIS ET PRAEDICANTIS PACEM. Quia ex regione remota veniebant ii nuntii, laudat pedes.

V. 8. VOX SPECULATORUM, scilicet audietur. Fingit in speculis constitutos qui adventum populi nuntiarent, postquam præmissi nuntii concessam libertatem affirmarunt, ac propediem venturos filios Israel. SIMUL LAUDABUNT. Heb. *iubilabunt præ lætitia*, scilicet videntes suis oculis populum venientem.

V. 9. GAUDETE, ET LAUDATE. Heb. *clamate, iubilate*. DESERTA IERUSALEM: quia incolis replebimini & cultoribus ob multitudinem venientium.

V. 10. PARAVIT. Heb. *denudavit brachium*, more scilicet pugnantis. SALUTARE. Heb. *salutem* Dei nostri, scilicet felicitatem & bona quæ contulit populo suo, videbunt omnes.

V. 11. RECEDITE, scilicet e captivitate. POLLUTUM NOLITE TANGERE, ne scilicet polluamini, ut offerre Deo sacrificia possitis, ac præsertim Levitæ id præstate. MUNDAMINI QUI FERTIS VASA DOMINI, id est Levitæ.

V. 12. QUONIAM NON IN TUMULTU EXIBITIS. Heb. *in festinatione*, ut olim scilicet prodierunt ex AEgypto festinantes. Porro in festinatione, multa perturbate fiunt. NEC IN FUGA PROPERABITIS. Heb. *& in fuga non ibitis*, id est instar fugientium, qui præ festinandi studio cetera nihil curant, per munda & polluta transeunt.

V. 13. ECCE INTELLIGET, id est prosperabitur. Chald. *Ecce prosperabit servus meus: Messias*. Sane prudentia felicitatis est mater: sic Hebræi per intelligendi verbum prosperitatem significant.

V. 14. SICUT OBSTUPUERUNT, vel *admirati sunt* multi videntes tuam humilitatem & afflictionem, o Israel. SIC INGLORIUS ERIT INTER VIROS ASPECTUS EIUS. Heb. *sic corrumpetur aspectus eius* (scilicet servi mei Messiæ) *præ viro*, id est magis quam aliorum virorum aspectus; quasi dicat: Sicut tu in captivitate eras deformis, sic Messias abiectus erit. Populus ille Messiæ typus erat.

V. 15. ISTE ASPERGET GENTES MULTAS. Heb. *sic asperget gentes multas*, id est suo sanguine mundabit. Vel sibi vendicabit gentes multas, & quasi rubrica asperget, sua nota signabit. CONTINEBUNT REGES OS SUUM. Non audebunt contra eum loqui. QUIA QUIBUS NON EST NARRATUM. Heb. sic verto, *quia quod non fuerat narratum ipsis, viderunt?* id est, quæ numquam audierant prodigia, viderunt. ET QUI NON AUDIERUNT, CONTEMPLATI SUNT. Heb. *& quod non audierant intellexerunt*, seu *contemplati sunt*, ut Noster dixit. Ea admirationis & silentii occasio.

MALVENDAE.

Vers. 1. CONSURGE, CONSURGE, &c. Alii: *Evigila, evigila*, vel *Excita te, expergiscere*, &c. Postquam Deus, inquiunt, reliquias Iudæorum promissionibus consolatus est, nunc demum per Prophetam veluti in rem præsentem adducit eos hoc capite: & Ecclesiam ad præsentem Christum, Evangeliumque ipsius percipiendum hortatur. Sunt itaque huius capitis duæ partes: prima est, hortatio ad excipiendum grato animo Christum, & salutem eius ex consilio, quod cepit Deus de Ecclesia liberanda per Christum, usque ad versum 7. secunda, descriptio Ecclesiæ qualis fuit in adventu Christi, a persona ministrorum eius, & ministerio. INDUERE FORTITUDINE TUA SION. Alii: *indue robur tuum o Tzion*; id est, confirma animum, quem abiecisse videbaris: vide simile supra cap. LI. 9. INDUERE VESTIMENTIS GLORIAE TUAE. Alii: I. *induere vestibus decoris tui*. II. *indue vestes ornatus tui*; id est, depone luctum, & ad lætitiam te compara in adventum sponsi tui. QUIA NON ADIICIET ULTRA UT PERTRANSEAT PER TE. Alii: I. *quoniam ultra non veniet in te*. II. *nam non perget invadere te amplius*; id est, iam tibi affertur salus sempiterna, vacua omnibus incommodis. INCIRCUMCISUS ET IMMUNDUS. Heb. *præputiatus & contaminatus*, seu *pollutus*, id est, quisquis adversatur sanctitati aut saluti tuæ: synecdochice ritibus legis.

V. 2. EXCUTERE DE PULVERE. Alii: *Excute te ipsam e pulvere*, id est luctu, qui agitabatur in pulvere; ut Iob I. 20. & cap. II. 8. 12. imperativus Hithpahel significatum auget: *excutere te ipsam fac de pulvere*; id est, diligentissime & accuratissime excute te a pulvere, sordes omnes & luctum atque mærorem abiice, nitidam te ac lætam præsta. SEDE. שבי *schebi*, potest esse imperativus a ישב *iasab*, *sede, mane, consiste*: vel nomen substantivum a שבה *schabah*, id est, *captiva abductio, captiva turba*, seu *multitudo Ierusalaimorum*. SOLVE VINCULA COLLI TUI CAPTIVA FILIA SION. Alii: *Explica te a vinculis colli tui*, id est servitute spirituali, ut Lucæ I. 74. *o captiva filia Tzionis*. Imperativus quoque ex Hithpahel magnam vim habet: *aperire te ipsam fac vincula colli tui*; id est, tu ipsa per te bono animo alacriter solve, ac disiice vincula peccatorum tuorum. Quidam, quod Hebraice sit altera lectio, reddunt: *aperiri facta fuerunt*, vel *aperta, soluta sunt vincula colli tui*; quasi dicat: Non tuis meritis, sed gratia Christi remissa sunt tibi peccata.

V. 3. QUIA HAEC DICIT DOMINUS. Heb. *Nam sic dixit Iehova*. AEtiologia lætitiæ a consilio Dei, quod mox efficiendum prædicatur. GRATIS VENUMDATI ESTIS, ET SINE ARGENTO REDIMEMINI. Alii: *gratis vendidisti vos, & non argento*, vel *& sine pecunia vindicabimini*; id est, Ego, qui sum Dominus vester, nullum pretium accepi cum venderemini hostibus vestris, vel diabolo, ut Psalm. XLIII. 13. & supra cap. V. I. ac proinde rem venditam meo iure accepturus, seu recuperaturus sum. Quidam exponunt: Gratis, sine causa, temere, nullo pretio venditi fuistis in iniquitatibus vestris, quare etiam sine argento redimemini: non dixit, & gratis redimemini; licet enim non corruptibilibus, auro & argento redempti sumus, nequaquam tamen sine pretio, eoque inæstimabili, *pretioso* videlicet *sanguine agni immaculati Christi*. I. Petri I. 18. & 19. Possit & hic esse sensus: Voluntarie vestra mera libertate arbitrii vos vendidistis diabolo, & tradidistis in eius servitutem, & sine ullo vestro pretio aut merito, sed mera gratia Dei redimemini.

V. 4. QUIA HAEC DICIT DOMINUS DEUS. Alii ex Heb. I. *Nam sic ait Dominus Iehovi*. Explicatio consilii, quod Deus paucis proposuit præcedente versu. Proponit autem hic captivitatem populi AEgy-

AEgyptiacam, & Chaldaicam, tamquam exempla, quod hæc præcipue servitutem sub iugo satanæ ac peccati adumbraverint. Quod vero legunt *Iehovi*, ut alibi passim, vide in Genes. xv. 2. IN AEGYPTUM DESCENDIT POPULUS MEUS, &c. Alii ex Heb. I. *Olim descenderat populus meus in AEgyptum, ut inquilinus illic esset, postea Assyrius sine causa oppressit eum*, vel *Assyrius autem temere vim ei fecit*. II. *In AEgyptum descenderat populus meus in principio*, seu, *olim ad peregrinandum illic*: ut Genes. XLVII. 4. *Assyrius quoque*, id est Babylonius, qui idem fuit rex Assyriorum: nam etiam Babylonia omnium historicorum consensu olim habita est Assyriæ; *pro nihilo oppressit eum*; id est, gratis, sine pretio (ut dixit præcedente versu) illo tamquam suo mancipio abusus est. Oratio huius versus est anantapodotos, utraque pars terna membra complectitur, ex sensu præcedentis versus hoc modo: In AEgyptum venit populus meus: AEgyptus de nihilo oppressit eum; ego oppressum liberavi. De Assyrio itidem, in Babyloniam abductus est populus meus: Babylonius de nihilo oppressit eum; & similiter ego oppressum liberavi: quorum exemplorum subicitur accommodatio, versu sequente. ET ASSUR: sive *Assyria*, seu *Assyrius*. Quidam Assyrium Pharaonem intelligunt, propter potentiam & crudelitatem: erat enim veluti in proverbio nomen Assur ea tempestate, ut ex lectione prophetarum apparet, qui hostes populi Dei illorum populorum nominibus solent appellare, qui Iudæis infensi fuerant. Quod sane nobis non probatur. Peius alii hariolantur hunc Pharaonem dictum *Assur*, quod ex gente Assyriorum esset: vide in Exod. 1. 8. Illud omnino rectius, Assur hic dici Babylonium, quod Babylonia olim Assyriæ accenseretur. Herodotus Lib. I. Num. 178. *Assyriæ autem cum alia multa sunt magna oppida, tum vero celeberrimi nominis ac validissimum est Babylon*. Strabo Lib. XVI. pag. 743. *Babylon olim Assyriæ fuit metropolis*. Et Hygenus Fabula 275. *Semiramis Dercetis filia in Syria Babylonem condidit*. Constat autem quæ prius Assyria dicta fuit, postea Syriam appellatam. ABSQUE ULLA CAUSA. Heb. *in non in*, vel *pro nihilo*, in defectu. Marinus exponit: *in defectione vim intulit ei*; id est, conatus est in nihilum redigere, vel ut eum omnino deficere faceret.

V. 5. ET NUNC QUID MIHI EST HIC, DICIT DOMINUS? Alii: I. *Et nunc quid mihi hic? fidelis sermo Iehovæ*; id est, quid mihi hic negotii, quid moror, quin libero populum meum? An non graviori servitute nunc premitur quam AEgyptiaca aut Babylonica? descendam ergo & liberabo eum. II. *Nunc autem quid mihi istinc usus est?* vel *quid mihi hic est? dictum Iehovæ*. Accommodatio exemplorum antecedentium ad conditionem Iudæorum misere servientium satanæ & peccato cum adventaret Christus. Nihil amplius, inquit, mihi accessit ex ista Iudæorum alienatione, quam ex superioribus illis AEgyptiaca & Babylonica: quamobrem cum non vendiderim eos, aut nullum venditionis pretium acceperim, meos esse confirmo, & pro meis vindicaturus sum, hoc & sequente versu. QUONIAM ABLATUS EST POPULUS MEUS GRATIS? Alii: I. *cum populus meus gratis abductus est*, id est nulla data pecunia a satana, sed ob peccata sua. II. *nam captus est populus meus gratis*. Exornatio præcedentis dicti, Nihil amplius inde obvenire Deo; per antithesin: Primum enim, inquit, nihil accepi: deinde vero, quod est indignius, non tantum non accepi, sed iniurias patior in servis meis; atque adeo blasphemias in me ipsum, quod est omnium indignissimum, hoc versu. DOMINATORES EIUS INIQUE AGUNT. Alii ex Heb. I. *dominatores eius ululare faciunt eum*. II. *cum domini eius ad eiulatum adigunt*. III. *qui principem locum tenent inter eos*, id est prophetæ, *ululant*, expectando scilicet adventum Christi. IV. *dominatores ipsius eiulant*; id est, illi ipsi, in quos auctoritatem contuleram, ut præessent populo meo imperio doctrinaque, ii gravissime affliguntur, & servitutem exteris serviunt. BLASPHEMATUR. Heb. reddunt: *spernitur, irritatur, incessitur, lacessitur, contumeliæ exponitur, provocatur, involatur*. Participium מנאץ *minnoatz*, aiunt compositum ex Pahul, Pihel, & Benoni Hithpahel: unde & compositio & anomalia indicant maximam & enormem iniuriam fieri nomini. Hunc locum annotant respexisse, & reddidisse Paulum Romanor. 11. 24. *Nam nomen Dei propter vos blasphematur in gentibus, sicut scriptum est*; nimirum

Isaiæ LII. 5. & II. Petri II. 2. *Per quos via veritatis blasphemabitur*, conviciis incessetur.

V. 6. PROPTER HOC SCIT, &c. Alii: *Idcirco experietur populus meus nomen meum*, in Christo æterno, æterni Patris Filio, ut Exod. XXIII. 21. *idcirco, inquam, experietur illo ipso die me eum esse, qui proloquitur, ecce me*; id est, me esse Christum, Verbum & Sermonem Dei Patris, qui Deus est patefactus in carne. Nonnulli, illud *sciet nomen meum in die illo*, putant esse Hebraismum & Hispanismum, *sabra quien me llamo yo*, id est, sciet quantum viribus valeo, me præstare promissa, & adesse præsentem in carne.

V. 7. QUAM PULCHRI SUPER MONTES PEDES ANNUNTIANTIS, ET PRAEDICANTIS PACEM, &c. Quidam reddunt: I. *O quam speciosi sunt super montes pedes evangelizantis, prædicantis pacem*, &c. Verba Prophetæ admirantis Christum & Apostolos, ac discipulos eius prædicantes Evangelium; quasi dicat: Quam iucundum erit videre Christum adeuntem montes, Evangelii docendi causa! Christus sæpe docuit in montibus, ut ex Evangeliis clarum est II. *Quam decentes sunt super istos montes pedes evangelizantis, pronuntiantis pacem*, &c. Secunda pars capitis, ut dictum est in vers. 1. qua Propheta rationem describit mirificæ liberationis, quam consecutura est Ecclesia in Christo. Sunt autem istius rationis duæ partes summæ, quæ proleptice hoc versu continentur; una est prædicatio Evangelii de regno Dei, quæ deinde exponitur usque ad vers. 13. altera est ipsa constitutio regni in persona Christi, quæ annuntiatur Evangelio, tribus versibus ultimis. Transitur vero ad sermonem hunc ex abrupto, perinde atque si piis confidentibus in summis tenebris lux repente exoriretur, & conspicui fierent ministri Evangelii, ut supra cap. IX. 2. *Super istos montes*, id est in Iudæa montosa, ut Exod. XV. 17. QUAM PULCHRI SUPER MONTES. נאוו *navu*, *Quam concupiti, desiderabiles, decori, decentes, pulchri, amœni, elegantes, formosi sunt*: ut Canticor. I. 9. ANNUNTIANTIS ET PRAEDICANTIS PACEM, ANNUNTIANTIS BONUM. Hunc locum Paulus Romanor. X. 15. citans, pluraliter reddidit: *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona*! universe ad ministros Evangelii accommodans.

V. 8. VOX SPECULATORUM TUORUM &c. Alii hunc versum ex Heb. elucidant: *Vocem speculatores tui, attollunt, inquam, vocem, pariter cantant*, seu *iubilant; se oculis suis videre coram, cum reducit Iehova Tziionem*, id est cominus, evidentissime, ut Numeror. XIV. 14.

V. 9. GAUDETE, ET LAUDATE SIMUL DESERTA IERUSALEM. Alii ex Heb. I. *Vociferate, ovate pariter desolationes Ierusalaim*. II. *Erumpite in laudem, iubilate pariter solitudines Ierusalaim*. III. *Resonate, ovate pariter siccitates Ierusalaim*. IV. *Fragorem edite, cantate pariter vastitates Ieruschalaimorum*; id est, o Ecclesia Dei, quæ prius vastata misere, & labefactata fuisti. Forma prædicationis, qua usuri sunt præcones Evangelii in ipso adventu Christi, cuius duo sunt capita: unum est gloriatio fidei amplectentis beneficium Christi, & omnem gloriam tribuentis Deo, duobus versibus; alterum est sera resipiscentia seu pœnitentia & sanctificatio nostri ipsorum secura in Domino, vers. 11. & 12. QUIA CONSOLATUS EST DOMINUS POPULUM SUUM, REDEMIT IERUSALEM. Alii per præsens: *quia consolatur Iehova populum suum, vindicat Ieruschalaima*.

V. 10. PARAVIT DOMINUS BRACHIUM SANCTUM SUUM, &c. Alii per præsens: *Nudat Iehova brachium sanctitatis suæ ante oculos omnium gentium: ut videant omnes fines terræ salutem Dei nostri*; id est, tamquam explicato brachio, opus suum erga Ecclesiam efficit: metaphora ab opificibus in aliquid serio incumbentibus. Alii: *brachium sanctitatis suæ*, id est Christum Dei virtutem & sapientiam.

V. 11. EXITE INDE, vel *illinc*; id est, ab impuro & polluto loco; vel illinc, nimirum e vastitatibus, de quibus supra vers. 9. quasi dicat: Eripite vos vera pœnitentiæ tantis malis, in quibus adhuc versati estis, & sanctificationi vestræ incumbite: ut sequentia docent. EXITE DE MEDIO EIUS: scilicet impuritatis & contaminationis peccati, seu vastitatis. MUNDAMINI QUI FERTIS VASA DOMINI. Heb. *Purgate*, seu *expurgate vos portantes vasa Iehovæ*. Vos vel Levitæ & sacerdotes, qui addicti estis ministerio Domini, & sacris eius: vel vos, qui estis armigeri Dei, vos fideles, qui gestatis armaturam Dei, de qua Ephes.

Ephes. VI. Vel vos Christiani omnes, quorum est regnum sacerdotale, qui sunt domus spiritualis, sacerdotium sanctum, ad offerendum spirituales hostias acceptas Deo per Christum, I. Petri. II. 9. & Apocalyps. I. 6.

V. 12. QUONIAM NON IN TUMULTU EXIBITIS, NEC IN FUGA PROPERABITIS. Alii: I. *Quoniam neque cum festinantia exibitis, neque fugitivorum more abibitis*, seu *discedetis* a captivitate. Longe, inquit, alia erit hæc liberatio ab illa AEgyptiaca, nam egressi sunt tunc cum præcipitatione, & pene fugientes. II. *Nam non festinatione exibitis, neque fuga proficiscemini*; id est, cum triumpho provehemini e servitute ista in gloriam filiorum Dei: mosis. Heb. *Quia non in assestinantia, abreptione, exibitis*, id est festinanter, abrupte, rapide. Alludit proculdubio ad locum Exod. XII. II. & Deuteron. XVI. 3. ubi est eadem vox. PRAECEDET ENIM VOS DOMINUS, ET CONGREGABIT VOS. Alii ex Heb. I. *Iehova enim ante vos incedet, & agmen vestrum colliget*. II. *quia præiturus est vobis Iehova, & colligens vos*, seu *extrema acies vestra* (vide Numeror. X. 25.) *erit Deus Israelis*; id est, ductutus est vos & omni ex parte conservaturus, quasi primam aciem & postremam ageret: metaphora a re castrensi, qua gloriam liberationis in Christo omnibus modis præferendam docet AEgyptiacæ.

V. 13. ECCE INTELLIGET SERVUS MEUS, &c. Alii hunc versum ex Heb. I. *Ecce prudenter geret rem servus meus; exaltabitur, evehetur, & supra modum sublimis erit*. II. *Ecce gnaviter aget servus meus; exaltabitur & elevabitur, & sublimis erit valde*. III. *Ecce prosperabitur servus meus*. Altera pars de constitutione regni in persona ipsa Christi, ut diximus in vers. 7. qua exponit Deus finem quidem illius fore infinitam gloriam; sed præituras perpessiones, & abiectionem maximam, I. Petri I. II. hoc & sequente versu: ex quibus sequetur maxima piorum omnium admiratio, versu ultimo. *Servus meus*, Christus, ut supra cap. XLII. I. *extolletur, & elevabitur, & altus erit valde*. INTELLIGET. יַשְׂכִּיל *iaschil*, futurum Hiphil, hæc omnia complectitur: *intelliget, intelligere faciet, callide, prudenter, considerate, intelligenter, accurate aget, strenue, gnaviter, industrie rem geret, secundabitur, prosperabitur*. Vide I. Samuel. XVIII. 5.

V. 14. SICUT OBSTUPUERUNT SUPER TE MULTI, &c. Hunc versum subobscurum in Heb. varie elucidant: I. *Quemadmodum admirati sunt super te multi*: mutatio personæ, pro, super illum, scilicet servum meum: *quod adeo corruptus esset præ viro aspectus eius, & forma eius præ filiis hominum*. II. *Quemadmodum obstupuerunt super te multi, adeo deformata fuit ab hominibus species eius, & forma eius a filiis hominum: sic asperget*, &c. III. *Quemadmodum obstupuerunt super eum multi, quod sic deformatus esset præter humanum morem aspectus eius, & forma eius alienata a filiis hominum; sic*, &c. Sequenti versu absolvitur sensus. IV. *Ut obstupescant super illum multi, ita corrumpetur peius quam cuiusvis hominis aspectus eius, & species ipsius peius quam reliquorum hominum*. V. *Quemadmodum admirati sunt super eum multi, sic corruptus plusquam viri aspectus eius: & forma eius priusquam filiorum hominum: sic loqui faciet gentes multas*, &c. id est, Ut admirabuntur multi visis miraculis, quæ patrabit Christus, sic obstupescent cum viderint faciem eius sic perpessionibus labefactatam, ut non videatur humana facies. VI. *Quemadmodum admirabundi obstupuerunt multi de eo, quod aspectus eius deformior fuerit quam ullius viri, & forma eius plusquam filiorum hominum*, subaudi, qui ante illum afflicti fuerint: nam percutietur, conspuetur, cædetur, male tractabitur a Iudæis, & ita corrumpetur, ut non videatur forma hominis: *sic stillare faciet gentes multas*, &c. VII. Hispanicus Interpres: *Como abominaron sobre ti, vel como te abominaron muchos, en tanta manera fue desfigurado de los hombres su parecer, y su hermosura, de los hiios de los hombres: Ansi salpicara muchas gentes, &c.* VIII. *Quemadmodum obstupuerint de te multi*, nimirum de te, o popule Iehovæ, cuius antememinerat: *ita decorrupta supra virum* seu *quemlibet specie istius, & forma istius præ filiis hominum*; id est, tantam, & tam excelsam gloriam, ex tanta Christi abiectione & ignominia mirabuntur atque obstupescent. IX. *Sicut obstupuerunt super te multi, sic unctio aspectus eius præ viris, & forma præ filiis hominum*; id est: Quemadmo-

madmodum multi super eum obstupuerunt, seu sibilarunt videntes crucis ignominiam; *sic unctio*, id est gratia, venustas, lætitia, aspectus eius erit præ aliis, &c. ut Psalm. XLIV. 8. vel: Quanto magis super eum obstupuerunt, eo maior erit gratia aspectus eius, &c. Vocem משחת *mischchath*, non a שחת *schachath*, *perdidit*, sed a משח *maschach*, *unxit*, deduxerunt. Nos secuti Forsterum vertimus: *Sicut afflaverunt super te multi*; id est, afflatu seu sibilo ut rem abominandam execrati sunt. Aliter: *Sicut stupende desolati sunt super te multi*; id est, stupore & admiratione perciti de te: *ita disperditus a viro visus*, seu aspectus, *eius*, *& forma eius a filiis Adam*.

V. 15. ISTE ASPERGET GENTES MULTAS. Forte Noster scripsit *Ita*, non *Iste*: nam Hebr. est כן *cen*. Varie reddunt: I. *Ita loqui faciet de se gentes multas*; id est, dabit ansam & occasionem multis loquendi de se, quod ut nos servaret, tanta pati voluerit. II. *Sic stillare faciet*, seu *effundet gentes multas*, id est sanguinem gentium multarum. III. *Ita asperget gentes multas*; quasi dicat: Fama sui nominis multas gentes asperget, & nomen suum longe lateque propagabit. Prædicationem Evangelii, & divulgationem intelligit, ac si dicat: *Sic asperget gentes multas*, prædicatione scilicet Evangelii. IV. *Ita*, inquam, *persperget* stupore *gentes multas*, nimirum ex comparatione tantæ abiectionis & gloriæ Christi, & bonorum, quæ hoc pacto nobis afferuntur, admiratione. V. *Sic asperget gentes multas*, sanguine suo, & lavacro spiritus in verbo vitæ mundans eas. Alludit ad legales illas aquæ & sanguinis varias aspersiones, quæ typi & figuræ fuerunt pretiosissimæ illius aspersionis sanguinis Christi, & baptismatis: vide Hebræor. IX. 7. & sequentibus, & cap. XII. 24. SUPER IPSUM CONTINEBUNT REGES OS SUUM. Alii: I. *super ipsum claudent*, *contrahent*, *reges os suum*; id est, nihil loquentur contra ipsum. II. *quin reges coram eo os suum compriment*. III. *propter eum obdent reges os suum*; id est, non obloquentur, sed silentium præstabunt, dociles ad prædicationem Evangelii, ut Iob XXIX. 9. QUIA QUIBUS NON EST NARRATUM DE EO, &c. Alii ex Hebr. I. *quoniam id*, *quod antea non fuit narratum eis*, *cognoscent*; *& quod non audierant*, *intelligent*. Præterita pro futuris. II. *quando*, *quod non narratum fuerat eis*; id est, Evangelium, quod a temporibus æternis tacitum fuerat inter gentes; Rom. XVI. 25. *videbunt*, id est percipient oculis fidei; *& quod non audierant*, *animadvertent*. Hunc locum citat Paulus Romanor. XV. 21. CONTEMPLATI SUNT. Heb. *intelligere sese fecerunt*: formula Hithpahel importat conatum & diligentiam, seu diligentem observationem; quasi dicat, Accuratissimam operam dabunt ut intelligant, & percipiant.

MENOCHII.

Vers. 1. CONSURGE: o Ierusalem, quæ iaces in sordibus mœsta, & lugens. INDUERE FORTITUDINE TUA: animos resume, alacris esto. VESTIMENTIS GLORIAE: vestibus hilaritatis, & lætitiæ. CIVITAS SANCTI: scilicet Dei, cuius cultui Ierusalem dicata erat, & in qua templum erat positum. Potiori iure Ecclesia est civitas sancti, cui non solum adest Christus spiritualiter per gratiam, sed etiam corporaliter in Eucharistia, in qua sunt sancta Sacramenta, S. doctrina, &c. NON ADIICIET ULTRA, &c. id est, non iam amplius dominis servies Babyloniis, neque ultra incircumcisus, & immundus sic Iudæorum fines invadet, ut tui, sicut antea, dominetur.

V. 2. DE PULVERE: in quo captiva, & vincta iacuisti.

V. 3. GRATIS VENUMDATI ESTIS, &c. id est sicut libertatem vestram alienus nullo persoluto pretio eripuit; sic nullo persoluto lytro libertati restituemini.

V. 4. IN AEGYPTUM DESCENDIT: cum Iacob patriarcha Genes. XLVI. ASSUR. Ita appellatur Pharao ob potentiam & crudelitatem: sic etiam appellatur Ezech. XXXI. 3. CALUMNIATUS, id est per vim, & calumniam afflixit, & oppressit.

V. 5. ET NUMQUID MIHI EST HIC, DICIT DOMINUS; id est, nunc autem quid mihi hic? quidnam hic habeo ut non idem faciam, quod tunc feci? quid memoratur? cur populum meum sine causa, quod ad Babylonios attinet, in captivitatem abductum, non libero? DOMINATORES EIUS: Babylonii, dæmones & vitia. NOMEN MEUM BLASPHEMATUR: ab infidelibus existimantibus, & dicentibus me non posse, a

Iudæas

Iudæis autem non velle liberare populum meum.

V. 6. Sciet nomen meum : nam assumam humanam carnem, & *Iesus* appellabor, & hoc nomine me invocabunt, ut cum dicent, *Iesu Christe salva nos*. Potest etiam nomen Dei, eius virtutem, & potentiam significare. Quam pulchri, id est quam grati. Super montes : alludit ad Sion, quæ in monte erat sita. Annuntiantis pacem : pacem, & salutem Iudæis partam post captivitatem. Potissimum tamen intelligit Evangelii annuntiationem per Apostolos; sic enim hunc locum accipit D. Paulus ad Rom. x. 19. Regnabit Deus tuus : Christus in Ecclesia.

V. 8. Vox speculatorum tuorum : scilicet audietur, qui læti de Sionis felicitate, attollent voces gratulationis, & lætitiæ plenas, & Christum evangelizabunt. Itaque speculatores sunt Apostoli, præcones Evangelii. Quia oculo ad oculum videbunt : Christum ipsum suis videbunt oculis. Cum converterit Dominus Sion : cum Dominus Sionem captivam liberam faciet.

V. 9. Deserta Jerusalem : loca deserta, desolata, & diruta Ierusalem.

V. 10. Brachium sanctum tuum : Christum, per quem potenter salutem dabit fidelibus suis : sic B. Virgo cecinit : *Fecit potentiam in brachio suo*, &c. Luc. i. 51.

V. 11. Recedite, recedite. Exite de Babylone, o Levitæ, & mundi estote, ut vasa Domini ferre possitis. Potior tamen sensus Apostolos respicit; quasi dicat : Exite de infideli, blasphema & polluta Ierusalem. Pollutum nolite tangere : curate, ut sancta sancte tractetis. Qui fertis vasa Domini : qui sacram Scripturam, & sacramenta tractatis, & ministratis.

V. 12. Quoniam non in tumultu exibitis : ut cum patres vestri urgentibus AEgyptiis, festinanter, & tumultuarie exierunt; sed ut victores quiete, alacriter, & impavide. Alloquitur Apostolos, & alludit ad modum, quo ex Babylone exierunt post captivitatem. Congregabit vos : vobis adcrit Deus, vos proteget, & diriget.

V. 13. Intelliget servus meus ; id est, prudenter, & strenue aget, & negotium redemptionis humanæ perficiet, vel intelliget, & perficiet iussa æterni Patris. Servus meus : Christus, qui formam servi accepit, cum humanam carnem induit. Exaltabitur : per admirabilem doctrinam suam, miracula, &c.

V. 14. Sicut obstupuerunt super te multi : admirantes, o Christe, doctrinam, & miracula tua. Sic inglorius erit, &c. Ita ab iisdem ignominia afficietur, cum flagellabitur, & crucifigetur.

V. 15. Asperget : scilicet tum sanguine suo ad redimendas gentes, tum aqua baptismi. Alludit ad Mosaicas lustrationes, & aspersiones aquæ expiatricis ; & ex cinere vitulæ rufæ : vide ad Hebr. ix. 13. Continebunt : admirantes Christi, & discipulorum sapientiam, hiscere non audebunt. Quibus non est narratum : Gentes, Ethnici, Pagani viderunt divinam sapientiam, & gloriam crucis Christi. Et qui non audierunt, &c. Est repetitio præcedentis hemistichii.

TIRINI.

Vers. 1. Civitas sancti Dei, Ierusalem ; Hebraice & Græce, *civitas sancta*; nempe divino cultui specialiter dicata iam inde a tempore Davidis, Salomonis, &c. sed iam destructa & excisa per Chaldæos, & humi iacens in sordibus & ruinis tuis iubente Deo, Cyro, Dario, Artaxerxe, consurge rursus in altum, cingere novis muris, instruere ut olim domibus, turribus, palatiis. Incircumcisus et immundus Chaldæus, aut alius quispiam infidelis, qui hactenus tibi dominatus fuit & pessumdedit, non adiiciet ultra *a*, ut pertranseat per te ; sed ipsemet destruetur per Cyrum & Darium. Nullus autem hic sermo est de peccatoribus vulgaribus, ut vult Calvinus & Pelicanus, quasi nulli tales sint membra Ecclesiæ Dei. Sed neque proprie dicti infideles alio sensu negantur hic per allegoricam Sionem, id est Ecclesiam, pertransituri, quam instar victorum, dominorum & vastatorum : nam nec *portæ inferi b prævalebunt adversus eam*.

V. 3. Sede : supple, in pristino solio, delitiis & gloria. Moraliter hæc designant dignitatem animæ ad Deum conversæ.

V. 3. Gratis venumdati estis : id est,

est, sine pretio traditi estis Chaldæis; quia bello ab eis capti: rursum SINE ARGENTO, sine pretio, REDIMEMINI a Cyro, qui remigrantibus in patriam, etiam de suo donabit, I. Esdræ I.

V. 4. ASSUR, nomen generale tyrannorum a tempore Isaiæ designat hic *Pharaonem* regem AEgypti Hebræorum oppressorem, inquit Forerius. Addit Caietanus, Pharaonem illum natione non fuisse AEgyptium, sed *Assyrium*, ut dixi Exodi I. ac proinde merito hic vocari *Assur*, uti & Ezech. XXXI. 3. CALUMNIATUS EST, id est per calumniam & vim oppressit & afflixit *c populum meum* in AEgypto.

V. 5. ET nunc, cum duriore tyrannide idem populus meus premitur a Chaldæis, QUID MIHI EST HIC agendum? utique sicut tunc perdendo AEgyptios eduxi populum meum, ita & nunc faciam perdendo Chaldæos.

V. 6. SCIET & sentiet NOMEN MEUM, de quo Exodi III. 14. quasi dicat: Experietur me esse *Iehova*, Deum & dominum universorum, potentissimum, sapientissimum, optimum, maximum. EGO IPSE QUI LOQUEBAR, & per Prophetas hæc prædicebam iam ECCE ADSUM: ego ipse ducam castra, ipse præibo *d*, & hostes vestros sternam. Sed hæc figurate, ut & sequentia, Cyri temporibus aptantur: nam proprie conveniunt antitypo Cyri, nempe Christo, in quo vere dicebat mundo Deus, *Ecce adsum*, indutus hominem vobis sociatus sum, ut vos eruam e faucibus diaboli, peccati, mortis & inferni: ita exponit S. Paulus initio epistolæ ad Hebræos: ut & sequentia de Apostolis aliisque Evangelii præconibus, Rom. x. vers. 15. & SS. Patres ad unum omnes.

V. 8. VOX SPECULATORUM sonora, immo stentorea, ubique personabit, nempe, *regnabit* deinceps toto orbe *Deus tuus*, non Chaldæi, non dæmon, non Moyses, sed Messias & Emmanuel. Hunc OCULO AD *e* OCULUM VIDEBUNT Apostoli, id est, familiariter cum illo versabuntur & colloquentur: ac proinde non nisi certa atque indubitata ex ipsiusmet ore nobis de illo denuntiabunt.

V. 10. PARAVIT; Hebraice, *nudavit*, nudum exeruit, DOMINUS BRACHIUM SUUM, id est potentiam & robur divinum: ac nominatim Christum qui est brachium & fortitudo Dei; brachium quo nos amplectitur, quo nos liberat, quo nos iustificat, roborat, glorificat. Hoc duce, hoc rege, hoc redemptore vobis proposito, nolite, o Iudæi, diutius hærere in legalibus vestris ceremoniis, figuris & umbris: nolite, o Gentiles, immorari idololatriæ & aliorum scelerum vestrorum sordibus.

V. 11. RECEDITE, EXITE INDE. Immunda sunt illa omnia & *polluta*, quæ si pergatis TANGERE & tractare, polluti permanebitis. EXITE DE MEDIO EIUS, sicut olim ex AEgypto, & nunc e Babylone. Et sicut tunc sacerdotes ac Levitæ singulari studio mundari debebant ut apti essent deferendis vasis templi, ita & vos QUI longe nobiliora VASA DOMINI FERTIS, Sacramenta nempe Christi tractatis, emundamini a peccatis; a sordibus iam dictis puri estote & sancti. Huic vero emundationi nec otium vobis deerit, nec media necessaria.

V. 12. Quia NON cum TUMULTU, præpropere & importune urgemini, ut fit IN FUGA; & factum vobis olim cum ex AEgypto *f* egredi cogeremini: sed placide, sensim & commode (ut continget in egressu e Babylone sub Cyro *g*) omnia ad emundationem necessaria parare & applicare potestis: ita Tertullianus *h*, S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Haymo & Sasbout. Et S. Paulus ex hoc loco sumpsit occasionem monendi Corinthios *i*, ut nimiam consuetudinem, maxime vero connubia, cum infidelibus devitarent, ne ab iis polluerentur. Porro ad emundationem hanc spiritualem, & sequestrationem ab omnibus immundis, PRAECEDET vos; id est, dux, adiutor, immo exemplum vobis erit non Moyses unus, non Aaron; sed DOMINUS ipse Deus iam incarnatus, qui vos undique e Iudæorum & Gentilium erroribus eductos ad se colliget & sibi *adgregabit*. Et licet hæc eductio, collectio & adgregatio multo illi labore, dolore, immo & sanguine stabit; quia tamen ita volui, ita decrevi, ita illi iussi, & ad hoc misi in mundum; ideo

V. 13. ECCE INTELLIGET, capiet & acceptabit hæc iussa mea SERVUS MEUS Messias: ita S. Iustinus, Origenes, S. Augustinus k, & Sanchez. Et ob hanc suam obedientiam, promptitudinem & patientiam mire EXALTABITUR tum in terris, tum in cælis.

V. 14.

V. 14. Sicut super te, o Ierosolyma, a Chaldæis excisa, obstupuerunt multi, cum viderent te, tam caram Deo, tot beneficiis illius ornatam, tam fœde, tam probrose a profanis Gentibus tractari: sic aspectus eius, nempe Messiæ servi mei, inglorius erit inter viros. Hebraice, *præ aliis viris*: nempe apparebit fœde consputus, lividus, vulneratus, cruentatus, inter latrones suspensus, in cruce moriens, &c. Sed hae ratione

V. 15. Ipse asperget tum sanguine suo, tum aqua baptismali gentes multas, hoc ritu, hoc lytro redimens, purgans, & quantum ex se est salvans mundum universum: ita S. Hieronymus; nempe multo nobiliore atque efficaciore lustratione & emundatione, quam erat illa Mosaica per sanguinem & cinerem vitulæ rufæ *l* ut S. Paulus exponit ad Heb. IX. 13. Porro hac Christi aspersione mundati non soli plebeii & viliores animæ, sed & principes passim & reges, continebunt os suum super ipsum; id est, instar discipulorum vel famulorum silebunt ipso docente & iubente, nec audebunt contra hiscere, sed mox obsequentur, reverebuntur & obedient ei: ita Forerius. Neque Iudæi modo, sed & Ethnici, quibus non est hucusque narratum de eo. Ita sanctus Hieronymus, Augustinus & alii Patres, immo & S. Paulus Rom. XV. 21.

(a) Prolegom. de Idiotism. Heb. n. 27.
(b) Matt. XVI. vers. 18.
(c) Exod. I. &c.
(d) Isaiæ XLV. vers. 1.
(e) Ioan. I. vers. 1.
(f) Exod. XII. 35.
(g) I. Esd. I. 5.
(h) Tertull. Lib. III. contra Marcionem cap. XXII.
(i) II. Cor. VI. 17.
(k) Iustin. contra Tryphonem. Orig. Lib. I. cont. Celsum. August. Lib. XVIII. de Civit. cap. XXIX.
(l) Num. XIX. August. l. de Consensu Evang. cap. XXXI.

GORDONI.

Vers. 1. Consurge, &c. Multi hic captivitatem intelligunt in AEgypto, quæ maxima fuit: nam Pharao vocatur etiam Assur Ezech. XXXI. 3. Alii Babylonicam hic explicant captivitatem, & conformius est præcedenti vaticinio: quamvis vers. 4. utriusque fiat mentio, vers. 3. gratis venumdati, id est fine causa data: utrumque etiam est in peccatore.

V. 5. Et numquid mihi est hic; quasi dicat: Quid moror a liberando populo meo: & vers. 6. qui locutus sum per Prophetas, nunc vero per incarnationem.

V. 7. Quam pulchri super montes, &c. Regressus ad Christum: pedes sunt Apostolorum ex Rom. X. 15. vel tum Christi, tum Apostolorum, ex S. Hieronymo, ex quibus etiam patet hunc esse sensum literalem: pax cum Deo est quæ promittitur, *speculatores*, Apostoli & Prophetæ sub Christo.

V. 11. Recedite, recedite, &c. Sub Christo post ascensionem Ierusalem criminibus & multorum infidelitate polluta erat: iubentur Apostoli inde exire, ut designat hic Propheta, & revera iverunt postea ad gentes. Interim vers. 13. & 14. multa de gloria Christi, et reges (vers. 15.) continebunt os suum; nempe convicti miraculis non audebunt obloqui.

Ex Eiusdem Auctario.

Vers. 3. Gratis venumdati: gratis & nullo persoluto prætio. Chaldæus: *Eripuit vobis libertatem, ita redimemini nullo persoluto pretio*.

Vers. 8. Vox speculatorum. Pastores & præcones verbi Dei evangelizabunt lætantes, oculis suis Christum videbunt.

Vers. 12. Alloquitur Apostolos. Exibunt non in tumultu, ut in exodo de AEgypto, sed pacate & intrepide.

Vers. 15. Asperget gentes sanguine suo in Baptismo & visis miraculis ac doctrina continebunt os, & mirabuntur reges.



C A P U T LIII.

Non omnes Evangelii prædicationem suscipiunt: prophetia de Christi nativitate, & ignominiosa passione ac morte ipsius propter peccata nostra: contemptui habitus est qui salutem nobis peperit: de mansuetudine & voluntaria ipsius oblatione: de gloria & exaltatione eius, credentiumque multitudine.

1.  Uis (*a*) credidit auditui nostro? & brachium Domini cui re-
velatum est? 2. Et ascendet sicut virgultum coram eo, &
sicut radix de terra sitienti: non est species ei, neque de-
cor: & vidimus eum, & non erat aspectus, & desidera-
vimus eum: 3. (*b*) Despectum, & novissimum virorum,
virum dolorum, & scientem infirmitatem: & quasi abscon-
ditus vultus eius, & despectus, unde nec reputavimus eum.
4. (*c*) Vere languores nostros ipse tulit, & dolores
nostros ipse portavit: & nos putavimus eum quasi leprosum, & per-
cussum a Deo & humiliatum. 5. (*d*) Ipse autem vulneratus est pro-
pter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis
nostræ super eum, & livore eius sanati sumus. 6. Omnes nos quasi oves erra-
vimus, unusquisque in viam suam declinavit: & posuit Dominus in eo iniqui-
tatem omnium nostrum. 7. Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os
suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se ob-
mutescet, (*e*) & non aperiet os suum. 8. De angustia, & de iudicio sublatus
est: generationem eius quis ennarrabit? quia abscissus est de terra viventium:
propter scelus populi mei percussi eum. 9. Et dabit impios pro sepultura, &
divitem pro morte sua: (*f*) eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus
fuerit in ore eius. 10. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate: si po-
suerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domi-
ni in manu eius dirigetur. 11. Pro eo quod laboravit anima eius, videbit &
saturabitur: * in scientia sua iustificabit ipse iustus servus meus multos, &
iniquitates eorum ipse portabit. 12. Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium
dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, (*g*) & cum
sceleratis reputatus est: & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus
rogavit.

(a) Ioan. XII. 38. Rom. XVI. 26. (b) Mar. IX. 12. (c) Matth. VIII. 17. (d) I. Cor. XV. 3. (e) Matth. XXVI. 63. Act. VIII. 32. (f) I. Pet. II. 22. I. Ioan. III. 5. (g) Mar. XV. 28. Luc. XXII. 37.

BRU-

BRUGENSIS.

ROMANA CORRECTIO.

Verſ. 11. *In ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſervus meus multos*. Nec futurum *iuſtificabit* vertendum eſt in præteritum, nec nominativi ſingulares *iuſtus ſervus meus* in accuſativos plurales *iuſtos ſervos meos*.

NOTATIO.

Verſ. 11. I*Uſtificabit ipſe iuſtus ſervus meus multos*. Hanc huius loci veram eſſe exiſtimo lectionem. Non enim legendum eſſe præterito tempore *iuſtificavit*, emendatiſſimi quique libri, & fons Hebraicus docent: quod Hentenius, & Pariſienſes ſecuti *iuſtificavit* emendarunt. Rurſus non eſſe legendum *iuſtos* quod in duobus manuſcriptis invenimus, plerique omnes codices, Hebræo conformiter, *iuſtus* ſcribentes probant. Chaldaica paraphraſis יזכא זכאין quod est: *iuſtificabit iuſtos*, habet: verum non ex Chaldæo noſtra proſluxit editio. Tertio non legendum eſſe *ſervos meos*, quod in antigraphis eſt haud paucis, ſed quod ex aliis Hentenius, & Pariſienſes in textum retulere *ſervus meus*, Hebraica diiudicant exemplaria יצדיק צדיק עבדי לרבים id eſt, *iuſtificabit iuſtus ſervus meus multos*. Scio punctis mutatis poſſe eſſe *ſervos meos*, hoc eſt עבדי: verum cum proxime ſequentem vocem לרבים Interpres verterit *multos*, puto eum non עבדי legiſſe, non *ſervos meos* tranſtuliſſe. Nam miniſtra littera Lamed præfixa ſequenti voci רבים non præcedenti עבדי alio eam modo accipiendam ſignificat, quam accipienda eſt præcedens, nempe non ut reſpondens adiectivum ſubſtantivo præcedenti coniungendam. Ergo quod diximus, vera eſt huius loci lectio, quam in 19. manuſcriptis exemplaribus a nobis reperta eſt: *Iuſtificabit ipſe iuſtus ſervus meus multos:* quam ut ne ullus ſuperſit ſcrupulus omni ex parte Hieronymi commentarius probat. „ In ſcientia ſua, id eſt in doctrina ipſe iuſtus, qui peccatum non fecit, nec dolus „ inventus eſt in ore eius & ſervus patris „ qui formam ſervi acceperat, & Domini „ ſervierat voluntati multos iuſtificabit de „ toto orbe credentes. „ Non opus eſt addere conſonantes Hugonis, & Haymonis Enarrationes.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. QUIS CREDIDIT AUDITUI NOSTRO, id eſt Nuntio noſtro, Evangelio quod annuntiavimus; quaſi dicat, Pauci ex Iudæis: loquitur Propheta Apoſtolorum perſona, ideoque utitur verbis præteriti temporis, accuſatque Iudæorum incredulitatem, ut explicant D. Ioannes cap. XII. 38. & Paulus Rom. X. 16. ET BRACHIUM DOMINI; id eſt, potentia & virtus Domini, Evangelium, quod virtus Dei eſt *in ſalutem omni credenti:* Rom. I. 16. CUI REVELATUM EST, id eſt a quo eius revelatio ſuſcepta eſt. Nam revelatum quidem eſt omnibus, ſed non ab omnibus ſuſceptum eſt. Quis credidit miraculis factis per Chriſtum & eius Apoſtolos, ut videtur D. Ioannes interpretari.

V. 2. ET ASCENDET (Chriſtus) SICUT VIRGULTUM CORAM EO, id eſt coram Deo; quaſi dicat, Opinione quidem hominum deſpectus erit, & inglorius, ut dixit cap. ſuperiori, verſ. 14. apud Deum autem pulcher erit, & fortis, ſicut virgultum, quod pullulat ex terra, quæ putatur eſſe arida, ſed ſubtus ſuccum habet & humorem. Ita enim Chriſtus ex terra arida, id eſt ex regno Davidis, quod iam prorſus deletum eſſe videbatur, Chriſtus extitit; qui initio adeo humilis fuit, ut Iudæi eum deſpexerint, neque crediderint fore ut eius regnum in tantam creſceret magnitudinem. Deus autem, qui iamdiu illi dixerat, *Poſtula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ:* Pſal. II. 8. videbat altis nixum eſſe radicibus. Eadem ſimilitudine ſimilem ſententiam explicavit Iſaias ſup. cap. XI. 1. *E-*

gredietur flos de radice Iesse. NON EST SPECIES EI, NEQUE DECOR. Describit patientem Christum. ET VIDIMUS EUM; id est, cum videremus eum ita deformatum, ut non desideraremus eum amplius videre: aut, NON ERAT ASPECTUS eius eiusmodi; ut desideraremus eum videre.

V. 3. DESPECTUM (vidimus eum) ET NOVISSIMUM: חדל, *abiectum virorum*, id est quem omnes abiicerent, atque contemnerent. SCIENTEM INFIRMITATEM, id est expertus infirmitates: sing. pro plur. ET QUASI ABSCONDITUS VULTUS EIUS, id est depressi oculi, quales eorum esse solent, qui dolore confecti sunt: ונמסתר פנים ממנו, *& quasi abscondens vultum ab eo*; ad verbum, id est talem, qualis solet esse is, qui adeo fœdatus est, ut unusquisque vultum ab eo avertat. UNDE, ו, *& non* REPUTAVIMUS EUM, id est ita ut eum non cognoverimus.

V. 4. VERE LANGUORES NOSTROS IPSE TULIT, id est peccata nostra, quamquam quod de morbis animi dictum est a Propheta, merito ad corporis morbos accommodavit Matth. cap. VIII. 17. ET NOS PUTAVIMUS EUM QUASI LEPROSUM, נגוע, PERCUSSUM, id est quasi hominem ob sua peccata a Deo flagellatum. Loquitur autem Propheta persona gentis suæ.

V. 5. IPSE AUTEM VULNERATUS EST. Nihil de morte Christi & redemptione nostra clarius dici potuit. DISCIPLINA, id est castigatio, qua pax nobis conciliata est, SUPER EUM cecidit. Disciplinam מוסר vocat castigationem, ut D. Paulus Heb. XII. 11. *Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris*.

V. 6. UNUSQUISQUE IN VIAM SUAM DECLINAVIT, id est aliis alii peccatis a Deo discesserant.

V. 7. OBLATUS EST, QUIA IPSE VOLUIT. Ut ipse ait, *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam*: Ioan. X. 18. SICUT OVIS AD OCCISIONEM DUCETUR: vel, ductus obmutuit, non aperuit os suum, per præteritum, sicut præcedentia.

V. 8. DE ANGUSTIA ET DE IUDICIO SUBLATUS EST; id est, mortuus est oppressione & iniquo iudicio Iudæorum: vel, propter afflictionem & iudicium: vel, statim ut comprehensus est & iudicatus, in crucem sublatus est. GENERATIONEM EIUS QUIS ENARRABIT? Hunc locum veteres auctores fere omnes de divina Christi ex Patre generatione interpretati sunt. Nonnulli etiam de humana ex matre, quæ quia patre caruit, inenarrabilis appellatur. Alii, *Generationem eius*, id est sæculum eius, aut pravitatem sæculi eius quis enarrabit? Alii, *Generationem eius*, id est resurrectionem, ut Psal. II. 7. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te*. Quod D. Paulus Act. XIII. 33. de Christi resurrectione interpretatur. Alii, *Generationem*, id est vitam eius, quam in cælo agit sempiternam: *ubi mors illi amplius non dominabitur*: Rom. VI. 9. Alii, *Generationem eius*, id est multitudinem Christianorum, quos suo sanguine genuit. Posset etiam intelligi de tempore, quo vixit in hoc mundo, quod adeo breve fuit, ut vix possit explicari, QUIA statim ABSCISSUS EST DE TERRA VIVENTIUM. PROPTER SCELUS POPULI MEI; id est, propter peccata populi mei occisus est: vel, scelere, id est iniqua accusatione populi mei.

V. 9. ET DABIT IMPIOS PRO SEPULTURA, id est morietur inter impios. *Et cum sceleratis reputatus est*: ut ait inf. vers. 12. DIVITEM, id est raptorem violentum: sing. pro plur. quasi dicat, Mortuus est inter duos latrones. Dives aliquando pro raptore ponitur, quod plerumque divites raptores sint, aut quod rapina facti sint divites: ut Psal. IX. 10. *Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem*. Id Hebraice clarius dicitur: ויתן, *ponet* (Deus aut Christus) את רשעים, *cum impiis*, קִבְרוֹ, *sepulturam suam*, id est mortem suam, & cum divitibus mortem suam. Itaque pro eodem accipit sepulturam & mortem, impios & divites. Atque hunc existimo verum esse sensum huius loci, etsi non ignoro aliter alios interpretari. EO QUOD, id est quamvis iniquitatem non fecerit, eum iniquitatem non fecerit: על aut, *pro eo quod iniquitatem non fecerit*; quasi dicat, Hoc est pro sua innocentia consecutus, ut inter sceleratos reputaretur.

V. 10. ET DOMINUS; id est, nihilominus Dominus VOLUIT CONTERERE EUM, id est affligere eum. IN INFIRMITATE, החלי, *infirmavit* (eum) *quamvis iniquitatem non fecerit*. SI POSUERIT PRO PECCATO, id est sacrificium pro peccato אשם: ut Rom. VIII. 3. *De peccato damnavit peccatum*

catum in carne. ANIMAM SUAM, id eſt vitam ſuam. VIDEBIT SEMEN LONGAEVUM: יראה זרע אריך ימים, *videbit ſemen, protrahet dies*, id eſt quod protrahet dies, ut intelligatur, אשר quod uno verbo dixit noſter Interpres. SEMEN LONGAEVUM, id eſt perpetuam Chriſtianorum ſucceſſionem; quaſi dicat, Morte ſua gignet ſibi infinitos filios, qui perpetuo alii aliis ſuccedent. ET VOLUNTAS DOMINI IN MANU EIUS DIRIGETUR. Hebraiſmus, pro, per eum voluntas Domini perficietur; aut, צלח, *proſperabitur*.

V. 11. PRO EO QUOD LABORAVIT ANIMA EIUS. מעמל נפשו, *propter laborem animæ ſuæ*. VIDEBIT (fructum laboris ſui, id eſt mortis) ET SATURABITUR; id eſt, contentus ſit eum mortis ſuæ fructum percepiſſe. IN SCIENTIA SUA, id eſt docendo homines viam ſalutis iuſtificabit eos: vel, בדעתו, *in ſcientia ſui*, id eſt dum homines eum per fidem cognoſcunt. IUSTIFICABIT MULTOS, id eſt omnes qui voluerint, ut Rom. v. 19. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per unius obeditionem iuſti conſtituuntur multi*.

V. 12. IDEO DISPERTIAM EI PLURIMOS: אחלק, *dividam ei*; id eſt, *Dabo ei gentes hereditatem ſuam, & poſſeſſiones ſuas terminos terræ:* Pſal. II. 8. ET FORTIUM DIVIDET SPOLIA, id eſt ſubiunget ſibi potentiſſimos quoſque reges. Alii interpretantur אחלק לו ברבים, *partem illi dabo inter robuſtos* ואת עצומים, *& cum fortibus dividet ſpolia*; id eſt, ſicut fortes & robuſti ſolent hereditatem ſuam ſuis armis comparare, & ſpoliare hoſtes, ita Chriſtus ſuo ſanguine. PRO EO QUOD TRADIDIT. Reddit cauſam cur tantam gloriam Chriſtus conſecutus ſit, quia ſcilicet, *Factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propterea enim Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen:* Philip. II. 8. 9.

S A.

Verſ. 1. QUIS. LXX. *Domine quis*. CREDIDIT; pro, credet. AUDITUI NOSTRO, id eſt auditis a nobis; quaſi dicat, Prædicationi noſtræ. Chald. *nuntio noſtro*. BRACHIUM, id eſt filius, ſecundum Auguſt. cont. ſerm. Arian. Not. quod brachium eiuſdem eſt ſubſtantiæ cum pectore, unde procedit, nec ab ea ſeparatur cum porrigitur: ſic nec Filius miſſus in mundum a Patre ſeparatus, cui eſt conſubſtantialis.

V. 2. VIRGULTUM, ſcilicet e terra, id eſt Maria. Eo, ſcilicet Deo; quaſi dicat, Deo faciente, vel approbante. SITIENTI, id eſt arida, ſcilicet virgine. SPECIES, &c. ſcilicet propter flagella, ſputa, & alapas, & patibuli iniurias. Hieron. ep. CXL. ASPECTUS, id eſt forma, ſeu pulchritudo. DESIDERAVIMUS, ſcilicet pulchriorem apparere; quaſi dicat, Non ſic tractati: vel pro, non deſideravimus; ut ſubintelligatur negatio præcedens; quaſi dicat, Non erat deſiderabilis, id eſt decorus. LXX. *nec decor*.

V. 3. NOVISSIMUM; pro, velut noviſſimum, id eſt abiectiſſimum. DOLORUM, &c. Chald. *doloribus & infirmitatibus expoſitus*. INFIRMITATEM. LXX. *infirmitatem ferre*. VULTUS, ſcilicet in gloria, & ſplendore, qui eum decebat. EUM, ſcilicet eſſe qui erat.

V. 4. LANGUORES. LXX. *peccata*. TULIT, id eſt abſtulit. DOLORES, ſcilicet quos peccata noſtra merebantur. LXX. *pro nobis dolet*. Chald. *delicta noſtra propter eum dimittentur*. Nos, id eſt Iudæi. LEPROSUM, id eſt dignum qui expelleretur a converſatione, more leproſi. A DEO, ſcilicet ob peccata ſua.

V. 5. ATTRITUS. LXX. *infirmatus*. DISCIPLINA, &c. quaſi dicat, Caſtigatus eſt, ut nos pacem haberemus. Chald. *in doctrina eius multiplicabitur pax ſuper nos*. LIVORE, id eſt plagis.

V. 6. INIQUITATEM. Chald. *remiſſionem iniquitatum*.

V. 8. DE ANGUSTIA, &c. quaſi dicat, Et iniqua paſſione, & iudicio occiſus eſt. LXX. *in humilitate iudicium eius ſublatum eſt*. QUIA; pro, qui tamen. ABSCISSUS EST, &c. quaſi dicat, Occidetur.

V. 9. DABIT. Chald. *tradet in gehennam*. PRO SEPULTURA; quaſi dicat, Eo quod ipſum occiderunt inique. DIVITEM, id eſt potentes, ſcilicet Pilatum, & Principes Sacerdotum.

V. 10. PECCATO, ſcilicet expiando. SEMEN, ſcilicet filios ſpirituales. DIRIGETUR, id eſt implebitur, vel proſperabitur.

V. 11.

V. 11. Scientia sua, id est sui cognitione, scilicet fide, vel per sapientiam suam. Iniquitates, id est pœnam iniquitatum.

V. 12. Dispertiam ei, scilicet iuxta illud, *Dabo tibi gentes*, &c. LXX. *possidebit*. Fortium, scilicet dæmonum. Vide Luc. xi.

ESTII.

Vers. 3. Despectum et novissimum virorum, &c. Respicitur ad hoc caput, cum alibi, tum Marci ix. vers. 11. cum dicitur: *& quomodo scriptum est in filium hominis, ut multa patiatur & contemnatur*. Unde Hieron. in epist. ad Paulinum: Isaias non prophetiam mihi texere videtur, sed evangelium: quod potissimum de hoc capite intelligendum; ubi non tam futura prædicere, quam præsentem Christi passionem propriis oculis conspectam narrare videtur, sicut & in sequentibus sententiis manifestum est.

V. 4. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. *Tulit*, non est idem quod abstulit, quamvis & hoc verum sit, Christum abstulisse peccata nostra; sed *tulit*, id est portavit, ut in verbis adiunctis quoque explicatur. Ita & supra, *Posuit Dominus in eo*, id est super eum, *iniquitates omnium nostrum*, & infra vers. 11. & *iniquitates eorum ipse portabit*. Sic & illud intelligendum Ioan. 1. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*, tollit, id est portat, subeundo scilicet pœnam peccatis nostris debitam in cruce. Citat hunc locum Matth. cap. viii. referens ad infirmitates & ægrotationes corporales a Christo sanatas; sed sanationes illæ præambulæ erant ad sanitatem animarum a peccatis; deinde & illæ ægrotationes corporales pœnæ sunt peccatorum.

V. 8. 10. & 11. Generationem eius quis enarrabit? Tres sunt illustres huius sententiæ expositiones: prima, ut intelligatur de divina & æterna generatione filii Dei ex Patre, qua mirabiliter filius Dei ex Patre, & semper nascitur, & semper natus est. De hac exponit Alex. Alens. epist. ad Al. Const. & complures alii, ut D. Hieron. in 1. cap. Matth. Secunda est de Nativitate Christi filii Dei, & filii hominis secundum carnem ex Virgine Matre, id est de generatione eius humana. Sic Leo Ser. IX. de Nativit. Domini. In Christo Iesu Filio Dei non solum ad divinam essentiam, sed etiam ad humanam spectat naturam, quod dictum est per Prophetam: *Generationem eius, quis enarrabit?* Utramque enim substantiam in unam convenisse personam, nisi fides credat, sermo non explicat. Sic Leo. Tertia est de generatione ecclesiæ, id est de numero ac multitudine fidelium, qui post passionem in Christum credent, maxime ex gentibus, ut sit sensus: Beneficio huius passionis tanta Christo nascetur soboles, & posteritas frequentibus sæculis, ut præ multitudine numerari non possit. De quo Apoc. vii. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*. Huic sensui favet, quod sequitur. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum. Et rursum quod sequitur: Pro eo quod laboravit anima eius, videbit et saturabitur. Item ea quæ pluribus verbis subiiciuntur, statim, proximo cap. de Ecclesiæ fœcunditate, & filiorum eius immensa multitudine. Hieron. duas priores ponit expositiones. Aut enim, inquit, de divinitate eius accipiendum est, quod impossibile sit divinitatis nosse mysteria, aut de partu Virginis, quod difficulter possit exponi. Sic & Leo Ser. III. & IV. de Nativit. Christi. Aug. Serm. XII. de tempore, dicit difficile esse iudicare, de utra potius generatione dictum id accipi debeat.

MARIANAE.

Vers. 1. Quis credidit auditui nostro? Sic Hebr. Sept. *Domine, quis credidit*. Sicque citatur hic locus Ioan. xii. 38. & ad Rom. x. 16. *Credidit*, pro, credet. *Auditui nostro*, aut iis, quæ a nobis audierit: aut iis, quæ ego a Prophetis audivi, & iam narrare volo. De Christi morte tota narratio est. Et brachium Domini, id est fortitudo, quæ in morte Christi maxime perspicitur. Cui revelatum est? Sic Sept. & Chald. Hebr. *super quem revelatum est*, id est in qua re potissimum apparuit.

V. 2. Et ascendet sicut virgultum coram eo; id est, ipso Deo vidente & dilli-

dissimulante, erit similis virgulto & radici in terra sitienti, id est arida; quod virgultum flaccidum exoritur & deforme. NON EST SPECIES EI. Hebr. *non est forma ei*, scilicet Christo. ET DESIDERAVIMUS EUM. Hebræi repetita præcedenti negatione explicant, *& non desideravimus eum*, non fuit gratus is aspectus. Pagn. sic, *ut desideraremus illum cuperemus videre*. *Et* sæpe sumitur pro *ut*.

V. 3. ET NOVISSIMUM VIRORUM, seu *abiectum inter viros*. ET SCIENTEM INFIRMITATEM, seu *ægritudinem*. ET QUASI ABSCONDITUS VULTUS EIUS. Hebr. *& quasi absconsio vultus*. Quod duobus modis potest intelligi, ut ipse absconderet vultum præ pudore, vel, ut alii averterent faciem, ne viderent eum.

V. 4. VERE LANGUORES NOSTROS IPSE TULIT. Sept. *ipse peccata nostra portat*. *Ferendi & portandi* voces non *ferre* tantum, sed etiam *auferre* significant. Tertullianus IV. contra Marcion. Basilius in Regulis brevioribus. Sensus erit: Pertulit dolores & languores nostros, simulque illos abstulit. Porro locus hic Matth. VIII. 17. adducitur, ut est in Hebr. non iuxta Sept. versionem: significat autem languores nostros, non solum animæ, sed etiam corporis abstulisse a nobis, & in se suscepisse. QUASI LEPROSUM. Hebr. *nos putavimus eum plagatum*. ET PERCUSSUM A DEO, scilicet ob sua delicta. Tale est hominum iudicium.

V. 5. DISCIPLINA PACIS NOSTRAE, id est qua constat pax nostra. Castigatus est, ut nos pacem haberemus. ET LIVORE EIUS SANATI SUMUS. Sic Sept. Hebr. *livore eius sanavimus*; pro, *sanati sumus*. Vocem נרפא *nirpa* sumo in prima plurali coniugationis *Kal* in futuro, *sanabimus*, pro *sanati sumus*. Futurum pro præterito.

V. 6. QUASI OVES ERRAVIMUS, scilicet oves, aut pecudes sine pastore. UNUSQUISQUE IN VIAM SUAM DECLINAVIT: studia, animi propensionem. INIQUITATEM; id est, pœnam iniquitatis nostræ posuit in eo Deus.

V. 7. OBLATUS EST, QUIA IPSE VOLUIT. Hebr. *oppressus est*, *& ipse afflictus est*. SICUT OVIS, sicut pecus. QUASI AGNUS. Hebr. *quasi ovis*.

V. 8. DE ANGUSTIA, scilicet carceris. Hebr. *de clausura*. ET DE IUDICIO, quo scilicet pronuntiatum est contra eum. SUBLATUS EST de medio; quasi dicat: Cum primum est captus, continuo iudicatus & occisus est. Præcipitatum est iudicium. GENERATIONEM EIUS. Innumeros tamen sectatores habebit post mortem. QUIA ABSCISSUS EST, id est mortuus iniuste. PROPTER SCELUS, supple: & quia propter scelus alienum, id est passus non propter sua peccata, faciam scilicet ut nomen eius celebretur, multos sectatores habeat.

V. 9. ET DABIT IMPIOS PRO SEPULTURA, id est vindicabit morte impiorum. ET DIVITEM; pro, divites, id est & procerum morte vindicabit iniquam eius mortem. Alii Hebr. sic vertunt: *Dabit cum impiis sepulcrum eius*: nam in Calvariæ monte mortuus est, ubi noxii. *Et cum divite in morte eius*: quia in sepulcro novo quasi dives est conditus. Hebr. Schol. aliter. Putat dici *cum impiis sepulcrum eius*, quia ut illi, morietur ante tempus; *& cum divite*, id est divitibus, quibus divitiæ sæpe malo fuere. Itaque ante tempus ut illi, & violenter & fraude ut hi occidetur.

V. 10. ET DOMINUS VOLUIT CONTERERE EUM. Hæc Deo auctore sunt facta. VIDEBIT SEMEN LONGAEVUM. Hebr. *videbit semen* (quod) *prolongabit dies*, id est longævum. Chald. *videbunt regnum Christi sui*. ET VOLUNTAS DOMINI IN MANU EIUS, id est omnia illi prospere cadent.

V. 11. IN SCIENTIA SUA; id est, sapienter, non temere & sine delectu, iustificabit multos, dimissis peccatis, quæ ipse portabit. Aut *scientia sua*, id est sui cognitione multos iustificabit, qui eum cognoscent.

V. 12. IDEO DISPERTIAM EI PLURIMOS. Ecce quod dixit cap. superiori vers. 15. *iste asperget gentes multas*. ET FORTIUM DIVIDET SPOLIA, dæmonum. *Cum fortis armatus*. TRADIDIT IN MORTEM, seu *effudit in mortem*. ANIMAM, id est vitam. REPUTATUS EST, cum sceleratis. Hebr. *numeratus est*. ET PRO TRANSGRESSORIBUS ROGAVIT, cum dixit: *Dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt*.

MAL-

MALVENDAE.

Verſ. I. QUIS CREDIDIT AUDITUI NOSTRO? &c. Huius inſignis capitis, quod eſt præcipuum vaticiniorum Iſaiæ, in quo auctor magis Evangeliſtam, quam Prophetam agit, ſummam quidam ita concipiunt: Propheta Eccleſiæ Iehudæorum obiicit, quod prædicanti fidei prædicationi fidem non habeat: propterea hiſtoriam Chriſti explicans, agnoſcit duo quidem eſſe in Chriſto, quorum nomine offenſa eſt, infirmitatem Chriſti, & ſcandalum Crucis: ſed adverſus has offenſionis cauſas Eccleſiam præmunit, docens Chriſtum infirmitates & crucem ipſam ſponte ſubiviſſe propter nos; vitam æternam ingreſſurum eſſe, & nobis benefacturum, donec in eamdem vitam perveniamus. Itaque poſtquam Propheta ſummam Evangelicæ prædicationis de regno Chriſti advenientis explicuit, nunc oſtendit quomodo Evangelium Chriſti Iudæis fuit ſcandalo, & ſcandalum illud anticipat, exponens hiſtoriam perpeſſionum Chriſti, & conſecuturæ gloriæ. Sunt itaque huius capitis partes duæ: una eſt anticipatio, qua Propheta per admirationem traducit Iudæorum incredulitatem, prædicationem Evangelii, quæ præceſſit, abdicantium, verſ. I. altera, qua incredulitatis cauſas, & remedia explicat per narrationem hiſtoriæ Chriſti, & conſilii quod Deus inivit de Chriſto & Eccleſia eius. QUIS CREDIDIT AUDITUI NOSTRO? Hebr. *auditioni noſtræ*. Poteſt accipi active, id eſt iis, quæ a nobis audivit, prædicationi, annuntiationi noſtræ, iis, quæ nos prædicamus, hoc eſt Evangelio; & paſſive, iis, quæ nos audivimus, quæ accepimus a Deo, hoc eſt Evangelio: utitur autem hac voce Propheta, ut ſignificet non ſuum eſſe verbum, ſed quod a Deo audierit; quaſi dicat, Quotus quiſque credit auditis noſtris? Hunc locum citant ex tranſlatione LXX. Interpretum Ioannes XII. 38. & Paulus Romanor. X. 16. *Domine quis credidit auditui noſtro?* vocem שמעה *ſcemughah*, reddentes ἀκοὴν *auditionem*. Nonnulli: *famæ*, *rumori*, *ſermoni noſtro?* quem prædicamus de Chriſto. Sed cum magis habeat formam Pahul, apte reddes: *audito noſtro*. ET BRACHIUM DOMINI CUI REVELATUM EST? Heb. *ſuper quem revelatum*, *oſtenſum*, *manifeſtatum*, *patefactum eſt?* Quidam exponunt, *Super quem*, id eſt, in quo alio magis umquam apparuit vis & efficacitas verbi Dei, quam in iſto apparebit, quem liberatorem fore prædicamus. Alii: *& brachium Iehovæ in quo revelatur?* id eſt, Evangelium, potentia Dei ad ſalutem credentibus, Roman. I. 16. quod tectum eſt eis, qui pereunt; ut ait Apoſtolus II. Corinth. IV. 3. Alii *brachium Iehovæ*, Chriſtum: ut ſupra cap. LII. 10.

V. 2. ET ASCENDET. Hebr. *Et aſcendit:* utitur hoc capite paſſim Propheta præteritis pro futuris propter certiſſimas de Chriſto prophetias. Quidam reddunt: *Aſſurgit quidem*, &c. Obſervant, ſuperiori anticipationi ſubiicere reſponſionem Prophetam, ut Iudæos præmoneret totamque Eccleſiam, ne umquam de Chriſto ex ſpecie iudicium facerent; ſed partim cauſas perpeſſionum, partim eventa obſervarent. Sunt ergo huius reſponſionis precipui loci duo: unus, quo opponit ſcandalo infirmitatis Chriſti, facta potentiæ eius miraculoſiſſima, verſ. 3. & 4. & ſcandalo perpeſſionum Chriſti, vitioſitatem noſtram, cuius nomine Chriſtus ſpondebat in iudicio Dei, uſque ad verſum 8. alter, quo comparat cum aſpectabili infirmitate & ignominia Chriſti, certiſſimam, iuſtiſſimamque liberationem & gloriam eius, ex conſilio Dei ad commune bonum totius Eccleſiæ, inde ad finem capitis. Priore autem loco tenuitas, infirmitas, & contemptus Chriſti exponitur duobus verſibus; cauſa vero in verſ. 4. & ſequentibus; quaſi dicat: Verum quidem eſt omnia iſta, quorum aſpectu offendimini, in Chriſto eſſe humanitus; ſed quidquid infirmum eſt in ipſo, a nobis eſt, a nobis ſuſcepit, & noſtra cauſa perlaturus eſt; quamobrem iniquum eſt nos de eo offendi, qui fideiubet pro offenſis noſtris, eaſque præſtat. SICUT VIRGULTUM. יונק *ionek*, *ſicut ſugens*, id eſt ſurculus tener, lactens, ſeu lacteus, qui ſugit ſuccum arboris. Alii: *ut ſurculus*, *ut ramus tener*, *ut tenera planta*, ut ſupra cap. XI. I. CORAM EO. Exponunt, nimirum qui non credit prædicationi, ſed Chriſti ſpeciem ita obſervat, ut offendat in eum tamquam lapidem alliſionis, & rupem offenſionis, ut ſupra cap. VIII. 14. Alii: *coram eo*, id eſt Iehova; quaſi dicat, Deo volente, fa-

faciente, providente. ET SICUT RADIX DE TERRA SITIENTI. Hebr. *de terra siccitatis*, *ariditatis*, id est sicca, arida, deserta, solitaria, siticulosa; quasi dicat: Apparebit Christus in carne ut radix & surculus succrescens e terra arida, cui nullus succus, nullus viror, nulla lætitia, sed languidus, marcescens, pene arens & mortuus. ET VIDIMUS EUM, ET NON ERAT ASPECTUS, ET DESIDERAVIMUS EUM. Alii: I. *aspeximus autem eum*, *& non erat aspectus*, subaudi, talis, qualis antea erat, *& non desideravimus eum*, subaudita negatione e præcedente versu, ut alias fieri solet. II. *cum vidimus illum*, *non erat illi forma*, *ita ut non optaremus eum videre*. III. *cum vidimus illud* virgultum, *nihil habet pulchritudinis ut cupiamus illud*, ut persistat in allegoria surculi, seu virgulti. IV. *& quando intuemur eum*, secundum carnem, *non inest species cur desideremus eum*; id est, nihil in eo apparet expetibile, & quod concupisci dignum sit.

V. 3. ET NOVISSIMUM VIRORUM. חדל *chadal*, varie exponunt: I. *& cessator virorum*; id est, a quo viri abstinent, qui viris non est curæ, a quo viri cessant; vel *cessata virorum*, vel *desinens virorum*; id est, in quo viri desinunt ac cessant, ultra quem nullus est vir, ultimus ac postremus virorum. II. *& desitus virorum*; id est, qui minus quam vir est, qui hominum abiectissimus est, qui desiit esse vir. III. *& reiectaneus virorum*, vel *inter homines*; id est, talis quem homines nolint admittere in suum consortium. VIRUM DOLORUM, seu *vir dolorum*, id est doloribus & cruciatibus confractus. ET SCIENTEM INFIRMITATEM. Hebr. est participium passivum constructum, *& cognitus ægritudinis*, seu *morbi*. Hebræorum nonnulli exponunt: *Contritus*, *confractus*, *confectus infirmitate*. Alii: *notus*, seu *cognitus infirmitate*; quia videlicet notus erat & spectatus, atque adeo ex exploratum erat omnibus quod esset infirmus. Nonnulli: *expertus*, *peritus*, *gnarus infirmitatis*, seu *infirmitatum*; quod videlicet expertus esset, & obfirmatus adversus omnia, siquidem esset dominus infirmitatum, id est obnoxius morbis & infirmitatibus, vel infirmitatibus & morbis undequaque scatens. Mercerus & Bertramus satius putant passive & figurate exponere, *notus ab infirmitate*, id est notus infirmitati; quasi dicat, Ei familiaris quodammodo, ac veluti in ea exercitatus, ac diu cum ea conflictatus gravissime. Tremellius, & Iunius: *& cognitus morbi*, vel *& familiaris morbi*; id est, continenter versans in difficultatibus rerum, & omni infirmitate humana excepto peccato. Haud absurde Forsterus existimat Paulum Hebræor. IV. 15. ad hæc Prophetæ verba alludentem, ita reddidisse: *Non habemus pontificem*, *qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum*, *sed tentatum in omnibus similiter*, *absque tamen peccato*. ET QUASI ABSCONDITUS VULTUS EIUS. Ex Hebr. alii: I. *& veluti absconsio faciei ab eo*; id est, fuitque quasi homines tegerent faciem suam, ne aspicerent eum. II. *& quisque erat quasi abscondens faciem ab eo*. III. *erit ut is*, *a quo absconderet quis faciem*. IV. *& velut homo abscondens faciem a nobis*, id est quasi leprosus, ab hominum consortio separatus, & faciem obvelans, ex lege Levit. XIII. 45. Erit igitur periphrasis leprosi. UNDE NEC REPUTAVIMUS EUM. Alii: I. *ita ut eum nihili reputemus*. II. *ita ut non æstimemus illum*. Sic vers. 4.

V. 4. VERE. Alii: I. *Cum tamen*. II. *Verumtamen*, &c. Remedium scandali, quod percipitur ex infirmitate Christi, hic exponitur, ut diximus in vers. 2. quod in ea tamen infirmitate ediderit palam mirifica maiestatis divinæ documenta curandis hominibus, & electos in perpetuum ab omni malo curaturus sit. LANGUORES NOSTROS IPSE TULIT, ET DOLORES NOSTROS IPSE PORTAVIT. Hic rursum coniunguntur verba נשא *nasa*, & סבל *sabal*, de quorum notatione ac discrimine diximus supra cap. XLVI. 6. Plerique hic verbum *nasa*, reddunt, *levavit*, *abstulit*, ut sumitur id verbum Exod. X. 17. Iob VII. 21. & alibi passim: vide Forsterum pag. 523. Dictionarii. Alii, *levavit*, *sibi imposuit*, *pertulit*, *suscepit in se*. Forsterus: *Ipse infirmitates*, *seu ægritudines nostras levavit*. *Id est*, *in se suscepit*: *sicut & Evangelista citans hoc Prophetæ de Messiah nostro vaticinium verbo Græco* ἔλαβε, *id est* suscepit, *est interpretatus*. *Et Ioannes in suo Evangelio verbo* αἴρων, *cum inquit*: Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi, *idem significante reddidit*. *Onera enim quæ nobis ipsis imponimus*, *tollere quoque Latine dicimus*,

mus; *ut levare*, *seu tollere scilicet super se peccatum*, *sit in se suscipere peccatum*, *reum vel obnoxium fieri peccati*, *id est pœna peccati*. Et sane id verbum plerumque in Scriptura hoc sensu accipi, passim exemplis ostenditur, quæ memorat idem Forsterus pag. 524. Equidem hoc loco *nasa* ita accipi, argumento est sequens verbum *sabal*, quod onus in se susceptum portare significat. Ergo quod hic ait Propheta, Christum infirmitates nostras & dolores in se susceptos baiulasse, plerique accipiunt de morbis peccatorum nostrorum, quæ Christus in se expianda in cruce suscepit, se eorum obnoxium & reum coram Patre stitit, eorumque pœnas ac supplicia, quæ nos subire debebamus, exsolvit, ac pro omnibus plenissime satisfecit, I. Petri II. 24. *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo per lignum*, &c. Ceterum Matthæus VIII. 17. diserte hunc locum de morbis & doloribus corporeis, quos Christus in se suscepit, & sibi imposuit curandos, interpretatus est. Nonnulli existimant Matthæum nequaquam interpretatum fuisse verba Isaiæ: sed quod Isaias de infirmitatibus spiritualibus, hoc est peccatis, dixerat, accommodasse ad ægritudines corporeas, quæ sunt pœna peccati, usitato Evangelistis more. Nobis aptius videtur de eisdem corporeis morbis Isaiam & Matthæum locutos, ac Matthæum genuinum Isaiæ interpretem egisse. Tremellius, & Iunius: *morbos nostros ipse pertulit*, *& dolores ipsos nostros baiulavit*; id est, omnes infirmitates nostras ipse curavit: ut exponitur Matthæi VIII. 17. unde verba Hebraica, *levavit*, & *baiulavit*, figurate accipienda sunt, eleganti Hebraismo, pro, in se suscepit, sibique imposuit onus, munusque curandi & sanandi omnes ægritudines ac morbos. ET NOS PUTAVIMUS EUM QUASI LEPROSUM. Alii: I. *nos autem reputavimus eum plagis affectum*, vel *tactum*, scilicet lepra. Nomen enim נגע *neghagh*, *tactio*, sæpe usurpatur de lepra. Levit. XIII. II. iungunt sequentibus: *nos autem existimabamus eum tactum percussione Dei*, id est gravissima & acerbissima. III. *quamvis nos æstimemus eum plaga affectum*, non autem nos in ipso. PERCUSSUM a Deo. מכה אלוהים *mucceh elohim*. Quod *mucceh* punctetur cum *Tzere*, syntacticum esse volunt, nam absolutum cum *Segol* scribitur, Levit. XXV. 14. unde exponunt: *percussum Dei*, id est cæsum, verberatum, flagellatum vehementissime & accerrime: nam nomen *Dei* solet addi ad intensionem; vide in Genes. I. 2. Plerique: *percussum a Deo*. Nos impense eorum pietatem commendamus, qui hic neglecta Massoritarum punctuatione, quam forte ipsi obscurandi mysterii causa indiderunt, exponunt, *percussum Deum*, insigni divinitatis Christi patefactione. Aliqui *mucceh*, non Pahul Hiphil faciunt, sed nomen substantivum, *percussione Dei*, id est maxima ac vehementissima.

℣. 5. IPSE AUTEM VULNERATUS EST PROPTER INIQUITATES NOSTRAS, &c. Alii ex Heb. I. *At ipse dolore affectus est a transgressionibus nostris*; id est, transgressiones nostræ dolore eum affecerunt. II. *Nam ipse dolore afficitur a defectionibus nostris*, *atteritur ab iniquitatibus nostris*, &c. Ergasia, seu exornatio præcedentis dicti, propter nos Christum affici duobus modis, primum quod peccata nostra tulit; deinde, quod pax nostra est, & nos reconciliat Deo per crucem ipsius, Ephesior. II. 14. Participium passivum מחולל *mecholal*, a חלל *chalal*, *est violatus*, *violentatus*, *vim passus*, *profanatus*, *vulneratus*, *fauciatus*, *confossus*, *perfossus*, *excruciatus*; mysterium Crucis innuit: *a* חול *chul* vero, *dolore affectus*, *anxiatus*, vel *enixus*, passive, *dolore & nisu partus*, *a transgressionibus nostris*, quia peccata nostra nobis Christum dederunt ac pepererunt: si enim Adam non peccasset, Christus non venisset. DISCIPLINA PACIS NOSTRAE SUPER EUM. Alii ex Heb. I. *castigatio pacis nostræ super eum*; id est, fuit castigatus ut nos haberemus pacem; subivit multas pœnas ac maximas, quæ pacem nobis pariunt cum Deo. II. *multa enim correctionis nostræ ei imposita est*. III. *castigatio pacis nostræ imponitur ei*; id est, castigatio pacem nobis conciliatura cum Deo, & prosperitatem omnem comparatura: quas alioqui amiseramus, ut sequente versu exponitur. PACIS NOSTRAE. Nonnulla exemplaria Hebraica habent pluraliter, *pacium*, seu *pacificationum nostrarum*, ampliore sensu. Hebræi exponunt: *Castigatio*, *correctio*, *perfectionum*, *integritatum nostrarum*, hoc est כלנו *cullanu*, omnium nostrorum. Non tam recte. ET LIVORE EIUS SANATI SUMUS. Alii ex Heb. I. *& in livore eius medicamentum fuit nobis*.

bis ? II. *& livor eius sanitas fuit nobis*. III. *& in livore eius sanatus fuit nobis* morbus. IV. *& livore eius sanitas recuperata est nobis*. V. *& cum livore eius sanitas est reddita nobis*. VI. *& tumice eius fit curatio nobis*, id est plagis, quascumque nostra causa pertulit: synecdoche.

V. 6. UNUSQUISQUE IN VIAM SUAM DECLINAVIT. Alii: *quisque in viam suam nos convertimus*; id est, studia sua sectati sumus. ET POSUIT DOMINUS IN EO INIQUITATEM OMNIUM NOSTRUM. Alii: I. *& Iehova coniecit in illum iniquitatem omnium nostrum*; quo ad culpam, ut eam in se expiaret, & Patri nos reconciliaret; quo ad pœnam, ut eam pro nobis omnibus ipse lueret. II. *& Iehova fecit ut incurrat in eum pœna omnium nostrum*: sed retineatur hic nomen *iniquitatis*, ut utrumque complectatur, & culpam & pœnam; quasi dicat: Magno impetu Deus in eum coniecit peccata omnia generis humani, ut ea omnia abstergeret, & pœnam omnium dissolveret, ac Patri pro culpa ac pœna plenissime sua morte satisfaceret. Proprie reddidimus: *& Iehovah incurrere fecit*, vel *irruere fecit in eum*, quasi exercitum & instructam phalangem, *pravitatem*, seu *perversitatem omnium nostrum*.

V. 7. OBLATUS EST. נִגַּשׂ *niggas*, varie legitur: in quibusdam codicibus est cum *Scin* dextro, *Accessit*, *accessus*; nam est *Niphal*, qua formula utitur ad significandum Christum etsi sua sponte ad passionem venerit, tamen summa immanitate & inhumanitate pertractum & quasi raptatum a ministris: in aliis (quæ est frequentior lectio) est cum *Scin* sinistro; *Angariatus est*, *adactus est*, *vim passus est*, vel *arctatus*, *coarctatus*, *pressus*, *oppressus fuit*. Quidam: *Abactus fuit*, sicut pecus aut ovis, ut statim subditur. Alii: *Exigitur*, subaudi, *pœna*, videlicet iniquitatum nostrarum omnium, ut in fine versus præcedentis dictum est. Nonnulli: *Multatus est*. QUIA IPSE VOLUIT. Hebr. *& ipse afflictus*, *oppressus*, *humiliatus*, *abiectus*. Quidam reddunt: *& ipse ope destitutus*, seu *inops* נַעֲנֶה *naglaneh*, Benoni Pihel. Putat Forsterus id redditum I. Petri II. 21. per ἔπαθεν, *Christus passus est pro vobis*, &c. SICUT OVIS AD OCCISIONEM DUCETUR. Heb. *sicut parva pecus ad mactationem*, *ad iugulationem*, *adducetur*. Verbum יובל *iubal*, est ex Hophal, & significat adductionem cum mora & pompa: videtur alludere ad morem, quo parva pecus adducebatur mactanda cum festa pompa: vide Psalm. CXVII. 27. CORAM TONDENTE SE OBMUTESCET. Heb. *coram tondentibus ipsam obmutuit*. Nos ex gemina verbi notione diximus *colligata fuit*, quod pecudes colligatæ manibus pedibusque tondeantur, nec tunc semper obmutescant, sed balatus edant: & quia bis repetit, *& non aperiet os suum*. ET NON APERIET OS SUUM. Verbum est masculum, unde referri apte non potest ad רחל *rachel*, *ovis femina*, quæ proxime præcessit; sed vel ad שה *seh*, *parvam pecudem*, quæ est masculi generis, vel potius ad Christum.

V. 8. DE ANGUSTIA. עצר *ghotzer*, hæc omnia complectitur: *De clausura*, *claustro*, *constrictione*, *occlusione*, *coarctatione*, *carcere*, *prævalescentia*, *violentia*, *prædominatione*, *prævalida cohibitione*. Varie exponunt: I. *A vinculis & a sententia* iudicis *sublatus est de medio*; id est, statim postquam vinctus fuit & condemnatus a Pilato, actus fuit in crucem. II. *Præ constrictione*, seu *absque dilatione*, *citraque iudicium raptus est*. III. *A prævalescentia*, seu *tyrannide*, *& iudicio assumptus est*, id est ereptus, liberatus per resurrectionem. Quidam volunt *ghotzer* idem hic esse quod עצרה *ghatzarah*, vel *ghatzereth*, de qua voce vide Notas in Levit. XXIII. 36. & in II. Reg. X. 20. unde reddunt: *A frequentia*, *cœtu*, *collecta*, *synagoga*, *synodo*, *concilio*, *captus*, *pertractus est*; id est, a cœtu illo & turba multa, quæ convenerat ad festum Paschatis, & a concilio, quod pontifices & Pharisæi contra ipsum coegerant, & a iudicio illo, seu iudicum consessu, hoc est synedrio magno pertractus est ad mortem: vide Lucæ XXIII. 18. & Marci XV. 1. & 11. IV. *A coarctatione & iudicio tollitur*. Alterum membrum responsionis, ut dictum est in vers. 2. quod per prolepsim hoc versu positum sequentibus ordine exponitur; quasi dicat Propheta: Verum quidem est, vos non tantum infirmitate illa offendi, quæ videtur in Christo, verum etiam maxime ignominioso iudicio & morte ipsius: sed non satis est ad præsentem istius constitutionem respicere, quin potius introspiciendus est eventus ille glo-

riosus ex consilio Dei, qui exponitur inde a versu 10. Nam *coarctationis* nomine omnes angustiæ, iniuriæ, contumeliæ, verbera, mala denique omnia intelligenda sunt, quæ cum a Iudæis, tum a gentibus perpessus est; *iudicii* vero appellatione denotantur manus, & consilium Dei, quo Christus iustissime tamquam sponsor noster fuit a Deo Patre verberatus, infra vers. 10. SUBLATUS EST. Heb. *acceptus*, *captus*, *assumptus fuit*. Potest accipi & in malum, sublatus de medio, occisus, interfectus, sublatus in crucem; & in bonum, in summum honoris gradum evectus post resurrectionem. GENERATIONEM EIUS QUIS ENARRABIT? Plerique Patrum, generationem eius divinam: alii, humanam ex Virgine matre; quasi dicat: Ne offendamini infirmitate & ignominia mortis eius, nam divinam habet generationem, estque verus Deus de Deo: & admirabili modo per Spiritum Sanctum progenitus est ex Virgine: quæ duæ geniture sunt ineffabiles. Nec prorsus aliene quidam: *at generationem*, seu *regenerationem*, hoc est resurrectionem eius, *quis edicet?* quasi dicat: Etsi a prævalescentia & iniquo iudicio in crucem ut vilis latro sublatus sit; at resurrexit statim regenitus ac redivivus gloriosissime. Nonnulli, *generationem eius*, id est progeniem & longam seriem fidelium ac filiorum Dei, qui ex morte & cruce eius progignentur. Vide Ioann. XII. 24. & 25. Recentiores varie exponunt: I. *&* *ætatem eius*, id est vitam, *quis eloquetur*, vel *explicabit*, seu *exponet?* Fuit enim quambrevissima, præreptus fuit immatura & violenta morte. Congruit sequentibus: *quia abscissus est de terra viventium*. II. *&* *ætatem eius*, *seculum eius*, *generationem eius qui explicabit?* id est, homines ætatis illius, seu sæculi eius: *generationem*, pro hominibus ætatis eius, ut passim in Scriptura sumitur; quasi dicat: Quis verbis consequi poterit improbitatem hominum, qui eius ætate vivent, cum sint illum tametsi insontem interfecturi? Exclamatio in impios Iudæos, qui tempore Christi vixerunt, & cum ad mortem traxerunt. III. *structuram eius*, vel *constitutionem*, *constitutam seriem & ordinem eius*, id est iudicii eius, *quis eloquetur?* quasi dicat: Tametsi insons experslque omnis culpæ actus sit in crucem, non tamen sine certa iudicii ratione, & arcano Dei consilio, qui illum saluti omnium destinabat, mortem obivit, quæ tam alta & recondita est, ut nullus eam facile enarrare possit. Hanc rationem vocat *structuram eis*. IV. *at generationem eius quis enarrabit?* id est, æternitatem sive tempus, quo perduraturus est Christus; nam his inest antithesis. Est quidem sublatus, inquit Propheta, sed ab hac mortali vita in immortalem transmissus, nec iam mori potest, aut mors ultra ei dominabitur: Romanor. VI. 9. V. in eumdem ferme sensum: *Sæculum autem eius quis enarrabit?* id est, quamdiu ævum eius sit duraturum: nam Christus excitatus ex mortuis amplius non moritur: Romanor. VI. 9. Qui ullam ex his explicationibus pertinaciter reiecerit, satis se prodet nullum aut parvum gustum in sacris litteris habere. QUIA ABSCISSUS EST DE TERRA VIVENTIUM, seu *virorum*. Alii: *nam exscinditur quidem e terra viventium*. Exornatio præcedentis antitheseos, cuius prius membrum hoc & sequente versu, posterius tribus ultimis exponitur. PROPTER SCELUS POPULI MEI PERCUSSI EUM. Heb. *a transgressione populi mei tactio*, seu *percussio*, aut *plaga ei*. למו *lamo*, pluraliter accipiunt, *plaga ei*, subaudi erit; quasi dicat: Quia pro suo contumaci scelere ausi sunt Iudæi eum interficere, qui ad eos redimendos missus fuerat, plaga ingens & extrema desolatio veniet eis: certissimo & inevitabili vaticinio. Quidam reddunt: *succisus est de terra viventium propter iniquitatem populi mei, quibus plaga debebatur*; id est, Quam illi plagam ob sua peccata subire debebant, ipse pro illis in se transtulit. Alii: *a scelere populi mei percussus est illis singulis*. Nam quod cuncti, quod singuli debebant, ille unicus pro omnibus expiando pertulit. למ *lam*, inquiunt, plurale est, & genericum pronomen, *vau* affixum singularis numeri, publica cum privatis, omnes cum singulis coniungunt. Sed ii pro נגע *neghagh*, id est, *percussio*, *plaga*, levi unius punctuli mutatione videntur legisse נגע *niggagh*, præteritum Niphal: *percussus est*. Ceterum fere omnes *lamo* singulariter capiunt, ut supra cap. XLIV. 15. *ei*. Varie reddunt: I. *a transgressione populi mei, plaga fuit ei*; id est, falso & iniuste accusatus a populo interfectus est. II. *quæ plaga ei propter transgressionem populi mei inflicta est*; id est, ut eam expiaret, Christus mortuus

est

est pro peccatis nostris. III. *ex defectione populi mei plaga est ipsi*; id est, per improbitatem Iudæorum, qui deficientes a Deo, ex definito consilio, & providentia eius, prodiderunt & abnegarunt Christum in conspectu Pilati, ut loquitur Petrus Actor. II. 22. & III. 13. Hæc ut ita accipiamus, facit sequentis versus comparatio.

V. 9. ET DABIT IMPIOS PRO SEPULTURA, ET DIVITEM PRO MORTE SUA. Heb. *Et dedit ad*, vel *apud improbos*, vel *cum improbis sepulcrum eius*: *& ad*, *apud divitem*, *aut cum divite in mortibus eius*. Si commutasset Propheta verba in hunc modum: *Et dedit apud improbos*, seu *cum improbis in mortibus eius*, *& apud divitem sepulcrum eius*, planissimus fuisset locus: & intelligeremus Christum morti traditum apud fontes in loco Calvariæ, ubi supplicia de damnatis sumebantur, & sepultum apud Iosephum Arimathæensem. Forte quis suspicari audeat Prophetam de industria transposuisse verba, ut paulo obscuraret vaticinium, ne tam luculentum esset, & quia sane loeus mortis & sepulturæ Christi vicinissima essent. Nam Brocardus accuratissimus Terræ sanctæ descriptor, ait: *Mons Calvariæ in quo Dominus crucifixus est*, *distat a loco sepulcri centum & octo pedibus*: *& est ascensus a superficie pavimenti Ecclesiæ sepulcri ad locum ubi Crux rupi infixa fuit*, *viginti octo pedum*. Nec desunt, qui opinentur eas voces a Rabbinis postea transpositas, quas Propheta suo ordine posuisset. Locus est plane obscurus, quem variæ explanationes obruunt: promemus probabiliores: I. *& dabit improbos sepulturam suam*, *& divitem*, seu *divites in mortibus suis*; id est, efficiet ut impii, & crassi pinguesque Iehudæi luant pœnas mortis suæ. II. *& dabit apud impios milites custodes sepulcrum suum*, Matth. XXVII. & XXVIII. *& divitem* Pilatum præsidem *in morte eius*, Iudicem & damnatorem. Exemplaria constanter habent במותיו *bemothau*, duabus dictionibus, *in mortibus eius*: nonnulli tamen contendunt unica dictione cum affixo legendum *bamothau*, *excelsa eius*. Libet hic inserere non sine operæ pretio dissertatiunculam Forsteri, hominis tametsi a sancta Ecclesia Romana alieni, at hac in re pie sentientis, & hunc locum haud absurde explanantis; ait ergo: *Insuper pio zelo contra Iudæos moveor*, *ut & hic de voce ista Bamoth*, *qua Isaias gloriosam Christi servatoris nostri sepulturam ornavit*, *aliquid dicam copiosius pro religione nostra tuenda*, *& corruptelas eorum ac detestandam malitiam detegam ac refutem*. *Sic enim in ipsius vaticinio verba habent*: *Et posuit apud malefactores sepulcrum eius*, *& apud divitem excelsa eius*. *Cum hac expositione congruit quoque historia*, *quæ a Matthæo evangelista retexitur*; *quod Iosephus Arimathæus fuerit vir dives*, *& monumentum novum in monte Calvariæ excelso habuerit in petra instar sacelli excissum*, *splendidum*, *amplum*, *& magnificum*, *sicut ex aliis quoque historiæ circumstantiis colligitur*: *fuit enim saxum ostii ipsius ingens valde*, *ipsum monumentum duos viros* (*sic angelos vocat*) *& aliquot mulieres capere potuit*: *quare de historia & re non est ullum dubium quin hoc nomen illi respondeat*, *significetque non vulgare*, *aut vulgaris hominis sepulcrum*, *quale etiam fuit malefactorum*, *& nomine* קרב *Kereb*, *notatur*; *sed* Excelsum, *seu* Monumentum, *& quasi sacellum divitis alicuius hominis*, *qualis Iosephus fuit*. *Nunc porro quod ad vocem ipsam*, *eiusque significationem attinet*, *arbitror non ita diu post Christi gloriosam resurrectionem ac ascensionem in cælum a Iudæis depravatam esse*, *quod punctа attinet* (*nam forma litterarum integra mansit*) *& antea sic fuisse punctatum* במותיו *bamotau*: *verum quando Christiani hoc Isaiæ vaticinium in Iudæos torquere cœperunt*, *probantes Christum sepeliri oportuisse in monumento divitis*, *& hoc in Iesu Nazareno completum asseveraren*t, *nec obstinati haberent*, *quo tam clarum & evidens testimonium in illo suspenso completum diluerent refutarentque*; *hanc data opera vocem*, *sicut plerasque alias*, *Nicolao Lyra*, *Paulo Burgensi*, *Porcheto*, *& nonnullis aliis fide dignissimis testimoniis*, *depravarunt*: *tametsi ista depravatio*, *quemadmodum etiam reliquæ omnes*, *ipsos nihil quidquam iuvet*, *si inde inferre voluerint ipsum mansisse in illis mortis cruciatibus*. *Nam ex ea voce ita depravata iuxta grammaticam rationem*, *illam suam impiam sententiam obtinere minime possunt*, *& antecedentia verba*, *maxime cum dicit*: *Et e iudicio sublatus est*, *& generationem eius quis enarrabit? &c. eos cum sua malitia evidentissime refutant*. *Et esto sane*, *quod dictio illa*, *ut ipsi volunt*, *quoad litteras*, ―――, *seu mortis cruciatus significaret*;

tamen

tamen constat ratione punctorum eam esse corruptam, quod in littera Mem daghes habeat post initialem Beth sceuatam, contra omnem grammaticam legem, quæ demonstrat ipsa experientia, quod post sceva in prima dictionis syllaba non possit sequi daghes, seu littera Daghessata: hoc si fatentur (ut sane eos fateri necesse est, nec inficiari, aut ullam afferre eius rei rationem & causam) multo magis concedere cogentur nostram expositionem minus adversari grammaticæ. Deinde si sta vox significaret, In mortibus eius, *di ant rationem, cur etiam priori vocabulo* קרבו *kirbo, non sit præposita præpositio Beth, quam tamen iuxta Hebrææ linguæ consuetudinem potius habere debeat, quam posterior; siquidem naturaliter & regulariter vox posterior sequitur rationem prioris, & non e contra: nisi dicere velint, quod in posteriore Beth littera facta sit littera substantialis, quod non facient, certo scio. Quarto constat ex ista lingua, quod* מותי *mothe, pluraliter non significet mortes, sed potius cruciatus mortales, pericula mortalia: quæ igitur tunc sententia? cum tam præcedentia quam sequentia (ut alia aliorum prophetarum testimonia prætercam) repugnent, ut paulo superius ostensum est. Quinto, probe quadrat, ut si kereb attribuitur malefactoribus, ita diviti conveniat vox in significantia splendidiore. Sexto, cum dicat de sepultura damnatorum, necesse est ut etiam dicat de excelso divitum & felicium: propterea quia communis in eo loco fuit sepultura divitum & pauperum. Et quamquam Christo honestam ac splendidam sepulturam invidebant, tamen ita a Divina providentia ordinatum fuit, ut quies filii sui esset gloriosa. Et esto sane, quod vox ista non sit corrupta seu depravata, tamen nolint velint concedere eos oportet, quod ita sit ideo data opera irregulariter punctata, ut ea irregularitate etiam significaretur, quod illud Christi monumentum etsi sacellum fuerit seu excelsum, tamen non in eum usum, quo alia excelsa fuerunt extructa, ut in illis sacrificaretur, sed in quod reponendum erat corpus Christi defunctum dispensatione obedientiæ humiliationis, ut ista punctatura Spiritus sanctus utrumque notaret, & sacellum, sed tale in quo reponendum erat corpus Christi, victima immolata pro peccatis totius mundi; quemadmodum in prophetiis talia multa sunt, quæ punctorum irregularitate aliud quoddam mysterium subindicant, ut suis quæque in locis annotavimus, ut de* ילדתיך *ielidthicha Ps.* II. 7. *item Iesaiæ* XXVI. 19. *de* נבלתי *nebelathi, aliisque quamplurimis. Hanc prolixitatem mihi improba Iudæorum malitia extorsit, qua e pios oro veniam zelo meo dare velint.* Hucusque Forsterus: cuius dissertatio etsi non displicet Forerio, ac Mercero, mihi tamen in omnibus non probatur. Primum in punctatura vulgari, במתיו *bemothau*, nulla, quæ nos vidimus, exemplaria habent *Mem* daghessatum, sed lene: denique numquam crediderim de industria Iudæos punctaturam hic corrupisse, cum eorum lectio retenta fuerit in ea editione, quam nunc probat Ecclesia. Illud tamen ut pium & congruens magnopere probaverim, non sine divino Spiritu Isaiam eas litteras hic posuisse, quæ & *bemothau* & *bamothau* diversa punctatura legi possent: (cum ipse sine punctis scripserit, & olim sacra Scriptura Hebraica sine punctis scriberetur, ut etiam hodie apud Rabbinos in synagogis,) ut duplex mysterium & mortis, & sepulturæ Christi unica dictione significaret. Forerius singularem huius loci expositionem affert: *Et dedit*, inquit Isaias, *Deus improbos sepulcrum eius*; id est, Fecit ut sepulcrum eius, (quod perfectæ mortis est symbolum,) essent improbi & malefactores; id est, sepultus est, ut improbi cum ipso sepelirentur, & omnis improbitas in barathrum truderetur, neque amplius super terram vitam ageret: & tandem cum ipso resurgerent ad vitam spiritualem: quod mysterium egregie exequitur Paulus Rom. VI. 4. & sequentibus. Dedit quoque Christum *divitem per mortes*, seu *cruciatus mortales ipsius*, quia reddidit Dominum Iesum per suos ipsius cruciatus & mortem, ditissimum & opulentissimum bonorum spiritualium. Tremellius, & Iunius aliam quoque singularem interpretationem excogitavere: *Populus enim exposuit improbis sepulcrum ipsius, & diviti in mortes suas*, seu *in mortem suam*; quod ita explicant: Populus Iudæorum exposuit Christum gentibus, quæ olim improborum nomine solebant designari, ut Actor. II. 23. quemadmodum etiam gentiles dicuntur peccatores, Galat. II. 15. exposuit, inquam, Christum gentibus crucifigendum, trucidandum, & sepeliendum ipsum, quod nomine sepulcri synecdochice designatur: vide Lucæ XVIII. 32. & sequentibus: *&*

divi-

diviti, id est Pontio Pilato præsidi Iudææ tradidit Christum ut crucifigeretur; idque *in mortem suam*, id est ea lege, ut sanguis ipsius super populum Iudæorum, & super filios eius recideret, & reposceretur a Deo, si quid ea in re peccatum esset, ut Matth. xxvii. 25. quamobrem etiam Propheta *mortes* dixit plurali numero. ET DIVITEM. עשיר *ghaschir*, non dubito quin Matth. xxvii. 57. redditum Græce sit πλούσιος. PRO MORTE SUA. Heb. pluraliter, *in mortibus eius*, vel *excelsa eius*, uti diximus. Plurale Hebræorum non reperitur nisi constructum *mothe*; quod, inquit Forsterus, significat *cruciatus lethales*. Sic sæpissime Scriptura utitur pro ingentibus discriminibus, gravibus afflictionibus, luctis, agonibus, morti proximis & vehementissimis passionibus, sicut & Paulus facit II. Corinth. xi. 23. cum inquit: *In mortibus frequenter*. Item II. Corinth. 1. 9. *Quin ipsi in nobis sententiam mortis acceperamus, ne confideremus in nobis ipsis; sed in Deo, qui ad vitam suscitat mortuos, & de tanta morte eripuit nos*; pro quo vetus translatio habet: *de tantis periculis*; Ambrosiaster: *de tantis mortibus*, quemadmodum etiam legit Chrysostomus, ostendens hyperbolicos ingentia discrimina dictas esse mortes: sed hic consulto videtur Propheta plurali numero usus, ut indicaret mortem Christi fuisse acerbissimam, & instar multarum mortium; vel quod unica sua morte redemerit omnium hominum mortes, qui alioqui periissent in æternum. Si vero legamus, *excelsa eius*, de sepulcro Dominico, idcirco pluraliter a Propheta dictum existimamus, vel quod duplex spelunca esset, uti Brocardus describit, more sepulcri patriarcharum, Genes. xxiii. 9. & 19. vel quod amplum, magnificum, splendidum esset. EO QUOD INIQUITATEM NON FECERIT. Hebr. *super non violentiam fecit*. Elegantissimus Hispanicus, *sobre no baver hecho violencia*, vel *fuerça*. Sic Psal. cxviii. 136. Alii: I. *quamvis, cum tamen, vim non fecisset*. II. *quanquam iniuriam nullam fecerit*, &c. sequentibus annectunt: Etiamsi nemini vim ullam aut iniuriam fecisset, aut quempiam dolo decepisset, etiamsi neque aperta vi, neque fraude aut dolo malo cuiquam nocuisset, Iehova tamen voluit contundere eum. III. superioribus iungunt: Traditus est a Iudæis ipsis gentibus & Pilato crucifigendus & trucidandus, *eo quod non fecit violentiam, neque est dolus in ore ipsius*; id est, quia non poterant ferre iustitiam, integritatem, & simplicitatem factorum, & dictorum eius: ut Christus ipse Iudæis obiicit Ioann. x. 32. I. Petri ii. 22. redditur hic locus: *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius*.

V. 10. ET DOMINUS VOLUIT CONTERERE EUM IN INFIRMITATE. Alii ex Heb. I. *Iehova tamen voluit ipsum infirmando atterere*. II. *At Iehova delectatus conterere ipsum, morbo affecit*. Exornatio alterius partis prolepseos, de qua versu 8. SI POSUERIT PRO PECCATO ANIMAM SUAM, VIDEBIT SEMEN LONGÆVUM. Alii ex Heb. I. *ut ubi posuerit animam suam hostiam delicti, videat semen, quod proroget dies*. II. *si posueris*, o Iehova, *afflandam*, id est hostiam seu victimam, quæ pro expiando delicto immolatur, *animam eius, videbit semen, prolongabit dies*. III. *cum posuerit seipsam delictum*, seu *sacrificium pro delicto anima eius, videbit semen, quod prolongabit dies*. IV. *quandoquidem exponebat se reatum anima ipsius*, seu *se ipse sacrificium pro reatu*: metonymia, *dicens: Videbit semen, prolongabit dies*. Explicant, *Exponebat se*, ut Galat. ii. 20. *sacrificium pro reatu*, ut II. Corinth. v. 21. & I. Petri ii. 24. *dicens, Videbit semen*; id est, dicet Pater de filio suo Christo, Videbit filios Dei, quos geniturus est in Ecclesia semine incorrupto verbi: *prolongabit dies*; id est, vivet ipse Christus in æternum. POSUERIT. תשים *thasim*, potest esse secunda persona masculea: *si pones*, o Pater, *animam eius piaculum*; & potest esse tertia feminea: *si ponet se piaculum anima eius*; unde suppositum verbi *posuerit* non videtur apte esse Christus iuxta Hebræum. PRO PECCATO. Heb. una vox אשם *ascham*, quæ generaliter quidem significat *culpam aut pœnam, super qua flatur, & a qua abhorremus, afflatum*, seu *afflandam* reddunt: vide in Genes. xxvi. 10. in ritu vero sacrificiorum, sumitur pro hostia seu victima quæ pro expiando delicto immolatur, *piaculum* Latini vocant, vide in Levit. v. 6. & singulariter designat certum genus sacrificii pro delicto aut reatu, cuius ritus describuntur Levit. vii. Recte putant Paulum Rom. viii. 3. & II. Cor. v. 21. ad hunc

locum

locum Isaiæ respexisse, & vocem *ascham*, *Peccatum* vertisse. Plerique ficto vocabulo apte exponunt, *peccatorium*, *culpatorium*, *reatorium*. ET VOLUNTAS DOMINI IN MANU EIUS DIRIGETUR. Alii: I. *& voluntas Iehovæ in manu ipsius prosperabitur*. II. *& beneplacitum Iehovæ in manu eius proficiet*. III. *& voluntas Iehovæ in manu eius prospere cedet*, seu *prosperos successus habebit*. IV. *& delectatio Iehovæ per manum eius prosperabitur*; id est, quodcumque volet Iehova per eum prosperrime efficiet, vel per eum, & in eo prospere semper oblectabitur Iehova.

V. 11. PRO EO QUOD LABORAVIT ANIMA EIUS, VIDEBIT, ET SATURABITUR. Alii ex Heb. I. *Propter laborem*, vel *ex molestia animæ suæ*, *videbit fructum*, *quo saturabitur*. II. *Post laborem animæ suæ videbit*, *saturabitur*, vel *videns saturabitur*; id est, post exantlatam passionem, videbit fructum laborum suorum, quo sibi plenissime factum existimabit, nimirum gloriam suam splendentem in Ecclesia. III. *Exemptum molestia seipsum videns*, *satiabitur*; id est, cum declaratus Filius Dei per resurrectionem ex mortuis ascendet in cælum: cum ipse perfectissima gloria, & bonis cumulabitur sedens ad dexteram Dei Patris omnipotentis, tum in alios profundet dona sua, ut ostendit Paulus Ephesior. III. 7. & sequentibus. Sic Psal. XVI. 15. IN SCIENTIA SUA IUSTIFICABIT IPSE IUSTUS SERVUS MEUS MULTOS. Alii: *cognitione sui*, seu *per cognitionem sui iustificabit iustus servus meus multos*; id est, fide viva, qua eum homines cognoscent, & corde amplectentur, ut Rom. III. 26. exponitur. Quidam exponunt: *per scientiam suam*, seu *doctrinam* & prædicationem Evangelii adducet homines ad fidem & pœnitentiam, qua iustificabuntur. ET INIQUITATES EORUM IPSE PORTABIT. Eas in se suscipiens, quasi reum se omnium faciens, & eas sua morte delens; & earum omnium pœnas in corpore suo luens, satisfaciens plenissime Deo Patri pro omnium culpa & pœna. Quidam: *exportabit*, *alio transferet*, *deportabit*, *auferet*; non tam recte.

V. 12. IDEO DISPERTIAM EI PLURIMOS, ET FORTIUM DIVIDET SPOLIA. Alii ex Heb. I. *Ideo partem dabo ei cum multis*, vel *cum magnis*, *magnatibus*, *primoribus*, *& cum fortibus dividet spolia*; id est, cum magnatibus, vel inter magnos habebit potiores partes, & spolia amplissima referet cum robustissimis ipse princeps & robustissimus omnium ducum & imperatorum: metaphora a re bellica. II. *Idcirco partem dabo ei pro multis*, *ut cum robustis partiatur prædam*: nimirum ut plenam salutem Ecclesiæ comparare possit, delendo peccata in cruce, & iustitiam cum suis communicando. Est autem hic alterum argumentum amplificans gloriam Christi: quod ut efficiat ea quæ ante dicta sunt, Deus pater illum omnibus donis instructurus est, quæ fuerint opus. III. *Idcirco dabo ei fortem in multis*; id est, efficiam ut sors eius sint multi, ut multi cedant in sortem & possessionem eius, ut multi credant Evangelio, & accedant Ecclesiæ, Psal. II. 8. ut sit ipse primogenitus in multis fratribus; vel *dispertiam ei*, id est dabo ei ut dispertiat, *cum magnatibus*, id est ut dividat magnatibus, & singulis det gratiarum divisiones: alios faciat apostolos, alios evangelistas, alios prophetas, alios pastores, alios doctores, &c. *& cum robustis dispertiet spolium*. Ne quis hanc gratiarum divisionem Patri & non Filio adscriberet, eo quod dixerat, *Dispertiam ei*, addidit; *& cum robustis* ipse Filius *dispertiet spolium*. Nam illis divisit provincias orbis, quas satanæ ereptas spolia opima afferrent Deo; & hic est Galliarum, ille Hispaniarum; alter Indiæ, alius AEthiopiæ Apostolus, &c. PRO EO QUOD TRADIDIT IN MORTEM ANIMAM SUAM. Alii: *eo quo*, vel *pro eo quod effudit*, *diffudit*, *profudit in mortem animam suam*, id est vitam suam, seu seipsum. Proprie, *evacuavit*, *denudavit morti*, vel *in mortem*, *animam suam*. Simili phrasi Latini dicunt: *Pectus gladio nudavit*, id est aperuit, reseravit, transfixit. ET CUM SCELERATIS REPUTATUS EST. Heb. *& cum transgressoribus*, *rebellatoribus*, *defectoribus*, *annumeratus*, *subtractus*, *subductus est*. Marcus cap. XV. 28. secutus LXX. reddidit: *Et cum iniquis ἐλογίσθη*, *deputatus est*: ut etiam Lucas XXII. 37. PECCATA MULTORUM. Heb. *peccatum multorum*. Forte per antonomasiam intelligit peccatum originale, quod fons & radix est omnium aliorum: sic Ioan. I. 29. *peccatum mundi*: nam ad hunc Isaiæ locum respexisse Baptistam, non est dubium. TULIT. נשא *nasa*, *levavit*; accipiendum ut supra vers. 4.

ET

Et pro transgressoribus rogavit. Alii: *& pro defectoribus intercessit*; vel *occurrebat*, seu *incurrebat*, id est rogabat, orabat. Vide Lucæ XXIII. 34.

MENOCHII.

Vers. 1. Quis credidit, &c. id est, quis credet auditis a nobis, hoc est prædicationi nostræ? adeo sunt admiranda: vel est compatientis affectus, quasi diceret: Quis crederet adeo indigne tractatum fuisse Christum Dominum? Et brachium Domini cui revelatum est? Quis credet in rebus, quæ hominum iudicio tam infimæ, & viles videntur, ut passiones sunt Christi, tamen in eis esse brachium, & fortitudinem Domini.

V. 2. Et ascendet: germinabit, pullulabit, succrescet. Sicut virgultum: humile, & contemptum, qualia ea sunt, quæ in arido, & sterili solo nascuntur. Significatur Christum ex B. Virgine, quasi ex solo non arato, nec irrigato natum esse; quare Aquila vertit, *de terra invia*. Coram eo, id est coram Domino; quasi dicat, Deo faciente, vel approbante. Et sicut radix, id est surculus e radice pullulans: est repetitio. Non est ei species neque decor. Christus pauper vixit, nihil habens nobile, opulentum, splendidum in oculis mundi, præsertim vero tempore passionis, cum flagris, sputis, &c. deformatus est. Non erat aspectus, id est forma, seu pulchritudo. Desideravimus eum: scilicet pulchriorem apparere; quasi dicat, Non sic tractari; vel supplenda, & ex proximo repetenda est negatio; quasi dicat: *Non desideravimus*, Non erat desiderabilis, id est decorus.

V. 3. Despectum, et novissimum virorum: scilicet, vidimus eum esse. Virum dolorum, id est doloribus omni ex parte circumdatum. Scientem infirmitatem: fatigatum doloribus, adversitatibus, persecutionibus, & omnis generis ærumnis; hæc enim vocat infirmitates. Quasi absconditus vultus eius. In Hebræo est, *Abscondens faciem a se*. LXX. vertunt, *Aversa est facies eius*, ut ii faciunt, quos suæ sortis, & conditionis pudet.

V. 4. Languores. LXX. *peccata*. Dolores: pœnam peccatorum, pro quibus patiendo satisfecit. Nos: Iudæi, in quorum persona loquitur Propheta. Quasi leprosum, id est immundum, & ob sua scelera a Deo percussum. Disciplina pacis nostrae, &c. quasi dicat: Christus flagellatus, & castigatus est innocens, ut nos reconciliaret Deo, & pacem haberemus cum eo.

V. 5. Livore: plagis, quibus corpus eius lividum factum est.

V. 6. Quasi oves erravimus. Huc allusit Christus in parabola pastoris ovem errantem quærentis, & ad caulas reportantis Luc. XV. 4. & D. Petrus cum ait epist. I. cap. II. num. 25. *Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem, & Episcopum animarum vestrarum*. Et posuit Deus, &c. id est, peccata nostra Christi humeris portanda, & expianda Deus imposuit.

V. 7. Oblatus est: ad mactationem in altari crucis. Quia ipse voluit; non coactus armis, & vi Iudæorum, non invitus, & reluctans, sed sponte acceptans iussum Patris.

V. 8. De angustia, et de iudicio sublatus est, id est de angustia iudicii; quasi dicat: Christus de iudicio Pilati, & Pontificum, pleno angustiæ & oppressionis, sublatus, id est raptus est ad iudicium crucis; vel *sublatus est*, significat iudicium tumultuarie peractum, non bene examinata, & cognita causa, & ita raptum ad crucem. Generationem eius quis enarrabit? quasi dicat: Quis explicet pravitatem Iudæorum, Pilati, & militum illius sæculi, qui Christum crucifixerunt? Aliqui de spirituali Christi prole copiosa accipiunt. Alii de generatione Christi, vel divina, vel humana ex Virgine, in quam sententiam fere abeunt SS. Patres. Abscissus est: instar arboris, cui eum comparavit num. 2. Percussi eum: Iudæis percutiendum reliqui.

V. 9. Dabit impios. Chal. habet, *Tradet in gehennam*. Pro sepultura; quasi dicat, Eo quod ipsum inique occiderunt. Divitem: scilicet potentes, Pilatum, & principes sacerdotum. Pro morte sua: idem est quod dixerat, *pro sepultura*. Eo quod iniquitatem, &c. quia scilicet neque facto, neque verbo peccavit.

V. 10. In infirmitate, id est infirmando, affligendo, & cruciando eum. A-

NIMAM SUAM: vitam fuam: fi feipfum fecerit hoftiam pro peccato. VIDEBIT SEMEN LONGAEVUM: plurimos filios fpirituales fufcipiet, qui durabunt ufque ad finem mundi, immo per omnem æternitatem. VOLUNTAS DOMINI: voluntas, & confilium Domini circa hominum redemptionem, & falutem. IN MANU EIUS: per eum, id eft per Chriftum. DIRIGETUR: profperabitur, feliciter cedet.

V. 11. PRO EO QUOD LABORAVIT, id eft ex labore fuo. VIDEBIT ET SATURABITUR: videbit, & percipiet fructum. IN SCIENTIA SUA, id eft fapientia fua, quam depromet in Evangelii prædicatione. Vel paffive, id eft in fui cognitione, & fide caritate formata, & bonis operibus inftructa, iuftificabit multos. INIQUITATES EORUM, id eft pœnam iniquitatum.

V. 12. DISPERTIAM EI PLURIMOS: late ei fubiiciam gentes, & populos, iuxta illud Pfal. *Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poffeffionem tuam terminos terræ*. FORTIUM DIVIDET SPOLIA: fpoliato dæmone, qui huius mundi principem agebat, & ut fortis armatus atrium fuum tuebatur: Luc. XI. ANIMAM SUAM: vitam fuam. MULTORUM: omnium; omnes enim funt multi. PRO TRANSGRESSORIBUS: clamavit enim in cruce: *Pater dimitte illis, non enim fciunt quid faciunt*.

T I R I N I.

Verf. 1. QUis & quotufquifque *a* CREDIDIT AUDITUI NOSTRO? Chaldæus, *nuntio noftro*, id eft huic meæ prophetiæ, quam & ego audivi a Deo, & alii audiverunt ex me. Metonymice enim ponitur hic *auditus* pro *re audita*. ET BRACHIUM DOMINI CUI REVELATUM EST? quafi dicat: Quam pauci finent fibi perfuaderi hanc Dei eximiam potentiam, quam in Chrifto & per Chriftum exeruit! Ita S. Paulus, S. Ioannes *b* & omnes SS. Patres. Sequitur caufa cur tam pauci credituri fint.

V. 2. ASCENDET e terra & utero Chrifti SICUT VIRGULTUM tenellum DE TERRA SITIENTI, id eft ficca & arida: nempe ex matre non aliunde quam ex cælefti rore fæcunda, paupercula tamen & mifella & contempta. Et fic fuccrefcet hic furculus per totos 30. annos, humilis, ignobilis, vilis, quafi fabri filius, nihil præferens fpeciofum, nihil illuftre, nihil fplendidum coram mundo. NON EST SPECIES EI, NEQUE DECOR, qualis eft principibus huius mundi, & qualis ipfi, utpote naturali Dei filio, debebatur, & aliquando affumpfit in transfiguratione. NON ERAT ASPECTUS, id eft, res afpectu digna, quæ oculos afpicientium ad fe traheret; ET DESIDERAVIMUS, pro, ut defideraremus, feu expeteremus, EUM. Ita enim vertunt Symmachus, Vatablus & Forerius.

V. 3. SCIENTEM, id eft experientia fentientem & probantem omnis generis INFIRMITATEM, afflictionem, ærumnas, dolores, cruciatus. ET QUASI ABSCONDITUS VULTUS EIUS. Hebraice, *abfcondens faciem a fe*; LXX. *averfa facies eius*: nempe quafi fui & tortis fuæ puderet, & ita a feipfo faciem averteret, & feque abfconderet. Quæ omnia etfi per totam vitam Chrifto propria fuerint, maxime tamen conveniunt ei iam fub finem vitæ tam dira, tam fœda, tam indigna patienti.

V. 4. VERE LANGUORES NOSTROS ET DOLORES NOSTROS IPSE TULIT. LXX. & S. Petrus *c*, *peccata noftra ipfe tulit*, id eft in fe expianda fufcepit, & in cruce expiavit, tum quoad culpam, tum quoad pœnam. Cumque inter reliquas pœnas peccatorum cenfeantur etiam morbi & dolores, feu corporis, feu animi; S. Matthæus *d* etiam hos per Chriftum abolitos effe ex hoc Ifaiæ loco probat, puta ut merito ipfius a nobis tollantur vel in hac vita, vel faltem in refurrectione corporum: ita S. Chryfoftomus, Theophylactus, Euthymius & Hilarius. Interim Nos Iudæi PUTAVIMUS EUM non noftri, fed fuimet caufa, & ob fua fcelera PERCUSSUM A DEO, ut folent *leprofi*, v. g. Maria foror Moyfis, Ozias rex & alii fimiles, ob fuam fuperbiam, murmurationem vel rebellionem, *lepra* puniri a Deo. Sed erravimus toto cælo: nam

V. 5. DISCIPLINA PACIS NOSTRAE, id eft caftigatio & flagella quæ nos fubire debebamus, ut pax cum irato Deo nobis inftauraretur, SUPER EUM pofita fuerunt: ita S. Petrus, Procopius & alii Patres.

V. 7. QUASI AGNUS non gemet, non queretur, non obftrepet, non refiftet; fed fumma patientia tacitus fuftinebit crudelem illam lictorum tonfionem, qua non lanam

&

& vestem forcipibus, sed pellem, carnem, sanguinem omnem & vitam flagellis, spinis, malleis & clavis abradent. Huc allusit Ioannes Baptista *f* cum diceret, *Ecce agnus Dei*; id est, ecce Agnus iussu Dei pro redemptione mundi immolandus: Agnus ab Isaia & Ieremia *g* toties praedictus: Agnus sacrificio Abelis *h* & Isaaci *i* & agni paschalis, k & iugis oblationi *l* matutinae ac vespertinae, & tot aliis agnis, omnes festo ex praescripto legis offerri solitis, praefiguratus, teste Origene, Cyrillo, Theophylacto & Euthymio *m*. Huc etiam alludit S. Ioannes Evangelista, cum in Apocalypsi facile vigesies septies nomen Agni Christo tribuit. Denique ad huius Agni perpetuam memoriam & imitationem solebant iam inde a primis Ecclesiae Romanae exordiis, in octava Paschae catechumeni donari agno cereo a Papa Benedicto, ut ex Gelasio & aliis docet Caesar baronius *n*.

V. 8. DE ANGUSTIA, DE IUDICIO (est hendyadis, pro angustia iudicii, vel angusto, seu pleno angustiae iudicio) SUBLATUS EST e medio, nempe iniquissima sententia pontificum & Pilati *o*. Sed qua fronte damnatis, o impii, hominem tam nobilem, tam excellentem, tam divinum? GENERATIONEM EIUS ac stirpis nobilitatem QUIS ENARRABIT? Si enim spectetis divinam eius naturam, est Patri consubstantialis, eiusdem cum illo potentiae, gloriae & maiestatis: si humanam, praecellit omnibus hominibus, dominus est universi, princeps angelorum, hypostatice unitur Deo: ita communiter SS. Patres. Hic tamen tantus ac talis vir, iniquissimorum iudicum sententia ABSCISSUS EST (instar noxii surculi, de quo vers. 2.) DE TERRA VIVENTIUM. Sed quomodo permisit hoc Deus pater eius? Respondet: Non propter aliquod ipsius delictum, sed PROPTER SCELUS POPULI MEI, ut illud ipse in se expiet & aboleat, PERCUSSI EUM, id est hostibus percutiendum exposui.

V. 9. ET ITA DABIT instar alterius *p* Sampsonis, IMPIOS PRO SEPULTURA sua, ET populum Deo fidelem faciet DIVITEM PRO MORTE SUA, id est essicacia mortis suae; quasi dicat: Mors Christi nec inulta erit, nec infecunda, sed inutilis. Nam diabolus, peccatum, mors & inferaus per hanc Christi mortem spoliabuntur suo dominio, & ita quasi occumbent cum Christo: *O mors q ero mors tua*. Et etiam impii Iudaei qui causa fuerunt mortis eius, meritas dabunt poenas tum in excidio urbis per Titum, tum in gehenna per daemones: atque ita sociabitur mors illorum morti Christi, ut mors Philistinorum morti Sampsonis. At vero seipsum morte sua *divitem* faciet Christus tum spoliis hostilibus, tum praemiis paternis. Filii quoque eius pii & Deo fideles, morte hac Christi non liberabuntur solum, sed & ditescent omni genere divitiarum, maxime spiritualium & caelestium. Huic sensui favent Hebraea, quae habent, *Dabit impios sepulcrum eius*, &c. Et ita fere exponunt Eusebius *r*, S. Hieronymus, Cyrillus, Chrysostomus, Euthymius & Leo Castrius.

V. 10. VOLUIT DOMINUS CONTERERE EUM IN INFIRMITATE, id est usque eo affligere & infirmare, ut succumberet & moreretur. At quo praemio? VIDEBIT SEMEN LONGAEVUM, id est filios spirituales nanciscetur plurimos, qui durabunt usque ad finem mundi, immo per omnem aeternitatem. Alludit ad Abraham, qui immolans Isaacum, ex eo meruit semen numerosum & longaevum, Genes. XXII. 16. Sed & alterum illud erit ei praemium: VOLUNTAS DOMINI; id est, quidquid circa homines fieri constituit Deus, seu in caelo, seu in terra; id omne IN MANU EIUS DIRIGETUR, id est per Christum, & ob merita Christi, prosperabitur, & optatae executioni mandabitur: ita Ludovicus Molina *f*, & fere S. Hieronymus.

V. 11. PRO EO QUOD LABORAVIT, sudavit, doluit, &c. VIDEBIT, id est percipiet fructum optatum, messem animarum, qua iucundissime fruetur ET SATURABITUR. IN SCIENTIA SUA; id est, secundum quod scit & novit inter nos convenisse. Explicat enim hic pacta conventa inter Deum Patrem, & Christum, quibus pro passione & morte Christi decernuntur praemia, redemptio, iustificatio & glorificatio omnium qui Christo fideles adhaeserint, inquit Franciscus Suarez *t*.

V. 12. ET PRO TRANSGRESSORIBUS ROGAVIT. Hebraice, *occurrit* irae divinae, tum alias, tum in cruce clamans: *Pater dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt u*: ita Vatablus, Forerius & alii.

(a) Proleg. de Idiotismis Heb. n. 40.
(b) S. Paulus Rom. x. 16. & I. Corint. I.23. & alibi. S. Ioan. cap. I. 18.

(c) I. Petr. II. 24.
(d) Matth. VIII. 17. & ibidem S. Chrysost. & alii Patres
(e) S. Petr. sup.
(f) Ioan. I. 36.
(g) Ierem. XI. 19.
(h) Gen. IV.
(i) Gen. XXII. 13.
(k) Exodi XII.
(l) Exod. XXIX. 38.
(m) Euthym. in Ioan. I. vers. 29.
(n) Baron. anno Christi 692. pag. 914.
(o) Matth. XXVI. 66. Matth. XXVII. 16.
(p) Iudicum XVI. 30.
(q) Osee XIII. 14.
(r) Euseb. Lib. III. Demonst. cap. II.
(s) Molina I. p. q. XXIII. a. 4. & 5. disp. 17.
(t) Suarez III. p. q. I. a. 2. disp. IV. sect. 5.
(u) Luc. XXIII. vers. 34.

GORDONI.

Vers. 1. QUIS CREDIDIT AUDITUI NOSTRO, &c. Tam aperte hic de Christi morte vaticinatur Isaias, ut recte aliquis dixerit (quod plures observant) posse hoc caput sic inscribi: *Passio Iesu Christi secundum Isaiam*. Incipit Isaias ab admiratione tantae gloriae & tantae abiectionis. De gloria cap. LII. de abiectione hoc capite: brachium & potentia Dei est.

V. 2. ET ASCENDET, &c. Causa admirationis profertur, quia ascendet & orietur Christus velut virgultum, in hieme floribus nudatum, & tenuis radix surgit de terra sitiente. En Christi humilitatem & statum exilem contemptui habitum, & cetera adde quae insequuntur clarissima. En antidotum humanae superbiae, & singulare remedium.

V. 4. VERE LANGUORES NOSTROS IPSE PORTAVIT, &c. Haec ad Christum apposite retulit Matthaeus VIII. 17. ipse infirmitates nostras accepit. Portavit vero Christus nostras infirmitates duplici ratione; immo duplicem hic sensum litteralem quidam dant: nam infirmitatem animi & peccata portavit, patiendo & redimendo: morbos vero corporis nostros Christus quidem in suo corpore non suscepit: nam nec hoc vult Matthaeus, nec Christus aegrotavit, ut dixi Lib. X. Theol. & S. Thom. III. p. q. XIV. Dicitur ergo suscepisse has infirmitates, immo eas & portasse & abstulisse ex quadam consecutione, quatenus destruendo peccatum, consequenter etiam suo modo destruxit infirmitates: quatenus velut poena sequuntur ex peccato, & quatenus accepit potestatem curandi nostros morbos, quod esse factum plene experimur in resurrectione. Legi potest Vasques I. p. disp. XVIII. cap. V. Quod hic additur ET NOS PUTAVIMUS, intelligi debet de Iudaeis: loquitur enim in eorum persona Isaias.

V. 5. DISCIPLINA PACIS NOSTRAE SUPER EUM, &c. Heb. est מוסר *musar*, *castigatio*. rad יסר; sensus ergo habet, Christum sustinuisse castigationem pro nobis & flagella, ut pacem cum Deo haberemus, & liberaremur a poena aeterna, & non tantum a culpa: inepte delicatulus Calvinus vult ex hoc loco nos liberatos esse ab omni etiam temporali poena tuenda. Pugnat hic Novator contra Patres, exempla Sanctorum, & praesertim Pauli voluntarie portantis stigmata Christi. Pax ergo cum Deo est, si tollantur haec duo, culpa & poena aeterna: sicut in his duobus stantibus stat bellum cum Deo.

V. 6. UNUSQUISQUE IN VIAM SUAM DECLINAVIT. Declinant in Adamo: immo & inclinatione naturae.

V. 7. OBLATUS EST QUIA IPSE VOLUIT, &c. Habuit quidem Christus moriendi praeceptum, sed tamen libertas stabat, ut dixi Lib. X. Theol. & libere acceptavit mortem; ac proinde vere etiam hoc retinuit rationem sacrificii. Gal. II. 20. *Tradidit semetipsum*. Item Ioan. XVII. 19. *Et pro eis ego sanctifico* (hoc est sacrifico) *meipsum*. Expende hic in adiunctis & circumstantiis libertatem & electionem: nam non casu aliquo, sed ex Christi & Patris electione factum est, ut pateretur Ierosolymis extra portam in cruce, expansis manibus, & in festo Paschae: non sic Martyres, quod etiam dixit Ioan. cap. X. 18. *sed ego pono eam* (animam) *a meipso*. Plura Theologi de substantia actus moriendi. Denique sicut agnus ad occisionem

V. 8. DE ANGUSTIA ET IUDICIO SUBLATUS EST, &c. hoc est, de angusto iudicio & iniusto sublatus est, ut sit in vulgato per hendyaden; & ex Hieronymo, *sublatus est*, *ascendendo mox victor ad Patrem*. Additur: GENERATIONEM EIUS QUIS ENARRABIT? דור vel דר *dor*, *aetas*, *generatio*; & varie a variis hoc exponitur. Sancti Patres communiter accipiunt generationem Christi; & quidem aliqui divinam, ut Iust. contra Trypho. & Basil. Lib. I. contra Eunom. alii humanam intelligunt, ut Athan. Lib. de Incarnatione Verbi, &

Ter-

Tertul. contra Iud. cap. XIII. Denique de utraque intelligunt Hieron. Cyril. Procop. & August. hom. XXXVI. inter L. Isaias considerans indignam mortem, exclamat, dum generationem contemplatur: nec desunt qui per generationem intelligant sobolem numerosam, seu ingentem Christianorum numerum, nec repugnant voces דר & דור.

V. 9. & 10. ET DABIT IMPIOS PRO SEPULTURA, &c. Dabit impios in gehennam pro sepultura (eo quod occiderunt iustum) & divites, Pilatum, Herodem, &c. denique ipsam mortem vindicabit morte æterna.

V. 11. & 12. PRO EO QUOD LABORAVIT, &c. IN SCIENTIA SUA IUSTIFICABIT, in cognitione ipsius & sapientia, vel etiam per fidem vivam & veram: & hæc quidem erunt pro eo quod laboravit: ex quo recte colligitur deberi Christo ex iustitia nostram gratiam & gloriam, ut dixi in qq. de merito Christi. Videri potest Suares III. p. q. 1. art. 2. disp. 4. sect. 5. At quid est fortium spolia dividere? Certe Christus Gentiles velut spolia eripuit dæmoni: & ex illis Doctores fecit & columnas in Ecclesia. Aug. I. de consen. Evang. cap. XXXI. interpretatur hoc de bonis & divitiis Idololatrarum applicandis Ecclesiæ.



CAPUT LIV.

Ecclesiam invitat ad lætitiam quod ex Gentibus futura sit numerosior quam erat Synagoga, & per orbem propaganda, perpetua Dei protectione sit in securitate victura, veteris oblita calamitatis: quodque ex pretiosis ædificabitur lapidibus, in iustitia fundata: omnesque in ea docti erunt a Deo multitudine pacis fruituri.

1. LAuda * sterilis quæ non paris: (*a*) decanta laudem, &
hinni quæ non pariebas: quoniam multi filii desertæ, ma-
gis quam eius quæ habet virum, dicit Dominus. 2 Di-
lata locum tentorii tui, & pelles tabernaculorum tuorum
extende, ne parcas; longos fac funiculos tuos, & clavos
tuos consolida. 3 Ad dexteram enim & ad lævam pe-
netrabis: & semen tuum Gentes hereditabit, & civitates
desertas inhabitabit. 4 Noli timere, quia non confunde-
ris, neque erubesces: non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiæ tuæ
oblivisceris, & opprobrii viduitatis tuæ non recordaberis amplius. 5 Quia
dominabitur tui qui fecit te, (*b*) Dominus exercituum nomen eius: & re-
demptor tuus sanctus Israel, Deus omnis terræ vocabitur. 6 Quia ut mu-
lierem derelictam & mœrentem spiritu vocavit te Dominus, & uxorem ab a-
dolescentia abiectam, dixit Deus tuus. 7 Ad punctum in modico dereliqui
te, & in miserationibus magnis congregabo te. 8 In momento indignationis
abscondi faciem meam parumper a te, & in misericordia sempiterna misertus
sum tui: dixit redemptor tuus Dominus. 9 (*c*) Sicut in diebus Noe istud
mihi est, * cui iuravi ne inducerem aquas Noe ultra supra terram: sic iura-
vi ut non irascar tibi, & non increpem te. 10 Montes enim commovebun-
tur, & colles contremiscent: misericordia autem mea non recedet a te, &
fœdus pacis meæ non movebitur: dixit miserator tuus Dominus. 11 Pau-
per-

percula, tempeſtate convulſa, abſque ulla conſolatione. Ecce ego ſternam per
ordinem lapides tuos, & fundabo te in ſapphiris, 12 & ponam iaſpidem
propugnacula tua: & portas tuas in lapides ſculptos, & omnes terminos tuos
in lapides deſiderabiles: 13 (*d*) Univerſos filios tuos doctos a Domino, &
multitudinem pacis filiis tuis. 14 Et in iuſtitia fundaberis: recede procul a
calumnia, quia non timebis; & a pavore, quia non appropinquabit tibi. 15
Ecce accola veniet, qui non erat mecum, advena quondam tuus adiungetur
tibi. 16 Ecce ego creavi fabrum ſufflantem in igne prunas, & proferentem
vas in opus ſuum, & ego creavi interfectorem ad diſperdendum. 17 Omne
vas, quod fictum eſt contra te, non dirigetur: & omnem linguam reſiſtentem
tibi in iudicio, iudicabis. Hæc eſt hereditas ſervorum Domini, & iuſtitia eo-
rum apud me, dicit Dominus.

(a) Luc. xxiii. 29. Gal. iv. 27. (b) Luc. i. 32. (c) Geneſ. ix. 15. (d) Ioan. vi. 45.

B R U G E N S I S.

Romanae Correctiones.

Verſ. 1. *Lauda ſterilis quæ non paris*. Pro *lauda* eſt in multis libris *lætare*, ſed a LXXII. & Apoſtolo Gal. iv. 24. acceptum.

Verſ. 9. *Cui iuravi, ne inducerem aquas Noe ultra ſupra terram*. Nomen proprium *Noe* retinendum eſt, nec in eius locum ſurrogandum nomen appellativum diluvii.

C O M M E N T A R I A.

M A L D O N A T I.

Verſ. 1. LAUDA (Deum; id eſt, gratias illi age ob filiorum multitudinem) STERILIS, id eſt, Eccleſia Gentilium, quæ hactenus ſterilis fuiſti. DECANTA LAUDEM, ET HINNI, וצהלי, *&* *exulta*. QUONIAM MULTI FILII DESERTAE; id eſt, plures filii erunt viduæ, quam coniugatæ, id eſt tibi, quam Synagogæ Iudæorum. Hebraiſmus eſt, & repentina mutatio perſonæ. Similis locus ſupra cap. xxxv. 1. & apud Ierem. cap. xv. 9. & I. Reg. ii. 5. *Quoniam ſterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata eſt*. Alii hunc locum non de Eccleſia Gentilium & Iudæorum, ſed de duplici Eccleſiæ Iudæorum ſtatu interpretantur, ut coniugata dicatur ante quam in captivitatem duceretur; ſterilis vero & vidua dum in ipſa captivitate fuit; ut ſit ſenſus, fore ut plures filios habeat poſt captivitatem quam ante habuerat.

V. 2. DILATA LOCUM TENTORII TUI: ut poſſit multitudinem filiorum capere. NE PARCAS, id eſt ſine modo & ſine fac ut extendantur. Hebr. ישו *extendant*.

V. 3. AD DEXTERAM ENIM ET AD LAEVAM; id eſt, per omnes terræ partes, ubique prædicabitur Evangelium: Marc. xvi. 15. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ. Et in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*; ut D. Paulus interpretatur Rom. x. 18. ET SEMEN TUUM; id eſt, Chriſtianiſmus omnes gentes occupabit.

V. 4. QUIA CONFUSIONIS ADOLESCENTIAE TUAE OBLIVISCERIS; id eſt, peccatorum tuorum quæ in adoleſcentia tua, id eſt antequam Chriſto matrimonio coniuncta eſſes, feceras, poſt baptiſmum obliviſcere, quia remiſſa tibi erunt. ET OPPROBRII, &c. Idem ſignificat; eamdem enim Gentilium conditionem, adoleſcentiam, & viduitatem vocat.

V. 5. QUIA DOMINABITUR TUI, id eſt *maritus tuus erit*, בעליך. Maritum enim Hebrææ mulieres dominum ſuum vocant. QUI FECIT TE, id eſt qui te regeneravit, ut

ut ait D. Paulus Ephes. II. 10. *Ipsius enim factura sumus creati in Christo Iesu;* quasi dicat: Secura eris, quia habebis maritum, & potentem, & amantem, & fœcundum, qui te defendat. Hæc enim omnia includuntur illo uno verbo, *qui fecit te*. DOMINUS EXERCITUUM. Hebraismus; pro, cui nomen est Dominus exercituum. ET REDEMPTOR TUUS; id est, qui te redemit erit maritus tuus, cui nomen est SANCTUS ISRAEL, ET DEUS OMNIS TERRAE.

V. 6. QUIA UT MULIEREM DERELICTAM, id est viduam sine marito, ET MOERENTEM animo, VOCAVIT TE DOMINUS; id est, matrimonio sibi copulavit, vocavit ad nuptias suas. ET UXOREM; id est, ut uxorem quæ ab adolescentia sua repudiata est a viro suo. Miserabiliores enim sunt adolescentes viduæ, quam senes. Potest Hebraice alius etiam esse sensus, כאשת נעורים, *tamquam uxorem adolescentiæ*, id est valde dilectam, aut valde fœcundam (vocavit, aut duxit te.) Solent enim iuniores uxores magis a maritis amari, & fœcundiores esse; quasi dicat, Ex muliere abiecta & sterili, fecit te uxorem dilectam atque fœcundam. DIXIT DEUS TUUS, id est vocavit te Deus tuus; aut, *dixit*, pro, dicit Deus tuus.

V. 7. AD PUNCTUM IN MODICO. ברגע קטן, *ad momentum exiguum*. Hoc videtur magis Iudæorum, quam Gentilium Ecclesiæ convenire: Iudæos enim ad breve tempus dereliquit, & in captivitatem abduci permisit: quamquam & de Gentilibus intelligi potest, quos Deus ante adventum Christi, quasi ad modicum tempus abiecisse videbatur, ut maioribus eos postea beneficiis cumularet. ET IN MISERATIONIBUS MAGNIS; id est, magna mea misericordia motus revocabo te a captivitate, si de Iudæorum; aut ab errore, si de Gentilium Ecclesia id intelligamus. Opponit autem magnas miserationes modico momento quo eos dereliquerat, ut ostendat magis se misericordiam quam iustitiam exercere. *Superexaltat enim misericordia iudicium*: Iob II. 13. Sicut versu sequenti opponit misericordiam sempiternam momento indignationis.

V. 9. SICUT IN DIEBUS NOE. Hebræi nunc legunt, כי מי נוח, *quoniam aquæ Nohæ*; multo melius videtur Interpres noster ac meliore sensu legisse, כימי, coniuncte, *sicut in diebus Nohæ*: sicut & Chaldæus Paraphrast. quamquam Septuag. aliter legunt, ἀπὸ ὕδατος τοῦ Νῶε. Sensus autem est: Ita nunc me geram erga Ecclesiam, sicut olim in diebus Noe: sicut enim iuravi tunc non esse futurum aliud diluvium, Gen. IX. 15. ita nunc iuravi fore ut non amplius Ecclesia in captivitatem ducatur. Ex quo perspicuum est, Iudæorum, qui post Christum extiterunt, Synagogam non esse veram Ecclesiam, cui hæc promissio facta sit, cum semper postea in captivitate fuerint.

V. 10. MONTES ENIM COMMOVEBUNTUR. Oratio absoluta pro conditionali; quasi dicat: Etiamsi montes & colles moveantur, misericordia mea & promissio staret, qualis est illa Matth. XXIV. 35. *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*.

V. 11. PAUPERCULA; id est, o tu Sion, aut Ecclesia, quæ nunc paupercula es, & tempestate iactata. ECCE EGO STERNAM PER ORDINEM LAPIDES TUOS: vel, בפוך *in carbunculo*, ut interpretatur R. David; id est, reædificabo te, faciam fundamenta tua מרביץ *iaciam* (sub. fundamenta tua) *ex carbunculo*, singulare pro plurali, id est, faciam fundamenta tua ex carbunculis & SAPPHIRIS. Quod si referatur ad Ecclesiam militantem, carbunculos & sapphiros Apostolos interpretari possumus, qui post Christum Ecclesiæ fundamenta sunt, Ephes. II. 20. Si ad triumphantem, aut duodecim Apostolos, aut duodecim tribus Israel, ut in Apocal. cap. XXI. 19.

V. 12. ET PONAM IASPIDEM: כדכד, alii *iaspidem* interpretantur, ut Septuag. alii *margaritam*, ut Chald. Paraphrast. alii *gemmas*, alii *carbunculum*, alii *rubinum*, alii *crystallum*, alii *adamantem*. PROPUGNACULA TUA: שמשותיך, *fenestras tuas*, a שמש, id est *a sole*, quod per eas sol ingrediatur, ut ait R. David in Lib. rad. & in comm. ET PORTAS IN LAPIDES SCULPTOS: hypallage, pro, in portas lapides sculptos: vel, אקדח, *lucentes*, *carbunculos*. ET OMNES TERMINOS TUOS, id est angulos, IN LAPIDES DESIDERABILES, id est ex lapidibus pretiosis.

V. 13. UNIVERSOS FILIOS TUOS DOCTOS A DOMINO, id est a Christo ipso, *qui in terris visus est, & cum hominibus conversatus*,

fatus, Baruch III. 38. Aut, docti a Domino, id est interna Dei inspiratione, ut videtur Christus ipse interpretari Ioan. VI. 45. Non quod Christiani non indigeant etiam externa disciplina, sed quod lex Evangelica natura sua magis spiritalis sit, quam Mosaica, & magis interna, ut ait Ierem. XXXI. 33. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam*. ET MULTITUDINEM PACIS, id est spiritualem consolationem.

V. 14. ET IN IUSTITIA FUNDABERIS, id est in mea promissione, ut supra dixit vers. 10. Iustitiam autem Dei promissionem appellari, quod iustum sit ut faciat quod promisit, saepe adnotavimus. RECEDE PROCUL. Imperativum pro futuro; id est, procul aberis ab omni oppressione עשק. QUIA NON TIMEBIS, id est quia nihil erit quod tibi terrorem incutiat. ET A PAVORE, id est ab omni periculo, ab omni re formidabili, quia non accidit tibi. Pavorem & timorem vocat res ipsas quae timentur. Sicut terrores belli Latinus quidam vocavit formidabiles duces.

V. 15. ECCE ACCOLA VENIET, QUI NON ERAT MECUM; id est, Gentiles, qui prius alieni erant a me, ad Ecclesiam aggregabuntur; id est, *Vocabo non plebem meam plebem meam, & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam*: Osee II. 23. & Rom. IX. 25. & I. Pet. II. 10. ADVENA QUONDAM TUUS; id est, alienigena, qui non erat tibi domesticus fidei adiungetur tibi. Alii contrario prorsus sensu interpretantur, גור רגור *congregando congregabit se*: אפס מאתי, *sine me*, aut *contra me*: מי גדר אתד אתך עליך יפנל. *quisquis congregaverit se tecum contra te cadet*; id est, quisquis tecum pugnaverit, vincetur. Et versio & sensus Interpretis nostri est multo melior.

V. 16. ECCE EGO CREAVI FABRUM. Probat Deus quod dixerat se facile efficere posse, ut gentes quae ante Ecclesiae infestae erant, illi reconcilientur, qui ipsemet ante inimicas eas faciebat, id est fieri permittebat; qui autem faciebat inimicas, poterit amicas efficere. Quod autem eas ipse inimicas fecerit, docet hac similitudine. *Ecce ego creavi fabrum*. Per fabrum sufflantem follibus prunas, intelligit eos qui suis consiliis alios exsuscitant ad bellum inferendum. Per PROFERENTEM VAS IN OPUS SUUM, intelligit eos qui aliorum consilia executi parant instrumenta bellica, bellumque conficiunt. Sicut in officina ferrea alius prunas sufflat, alius ferrum cudit & elaborat. ET EGO CREAVI INTERFECTOREM. Explicat secundum membrum, quid intellexerit per proferentem vas in opus suum.

V. 17. OMNE VAS QUOD FICTUM EST CONTRA TE; pro, quod fingetur, quod formabitur. Accommodat superiorem similitudinem; id est, omnis conatus hostium, qui contra te suscipietur, non dirigetur: לא יצליח *non prosperabitur, non bene illis succedet*. ET OMNEM LINGUAM RESISTENTEM TIBI, תקום אתך, *insurgentem in te*, id est superbe loquentem contra te. Lingua enim surgere dicitur cum elate superbeque loquitur: solent adversarii Ecclesiae factis & verbis eam oppugnare. Promittit igitur Deus, fore ut Ecclesia utrumque armorum genus infringat. HAEC EST HEREDITAS ET IUSTITIA; id est, hoc illis iure hereditario debetur, quia filii Dei sunt. Quod quidem ius ego apud me sartum tectum servabo.

S A.

Vers. 1. LAUDA, &c. LXX. *Laetare sterilis, quae non paris, erumpe & clama, quae non parturis*: atque ita citatur Galat. IV. Alloquitur vero Ecclesiam ex Gentibus factam. STERILIS, scilicet Gentilitas ante fidem. HINNI, id est iubila, seu exulta. DESERTAE, scilicet olim Gentilitatis. EIUS, scilicet Synagogae. VIRUM, scilicet Deum, cui per fidem olim desponsata.

V. 2. PARCAS, id est cesses, seu negligas. CONSOLIDA, id est fortiter fige: metaphora a tendentibus tentoria.

V. 3. AD DEXTERAM, &c. Chald. *ad Austrum, & inhabitabit Aquilonem*. SEMEN, id est filii. DESERTA, scilicet fide olim. HEREDITABIT, id est possidebit.

V. 4. CONFUSIONIS, scilicet de peccatis. VIDUITATIS, id est cum sine Deo esses, quem per peccata amiseras.

V. 5. DOMINABITUR TUI; quasi dicat, Obedies ei. VOCABITUR, id est agnoscetur esse.

V. 6. VOCAVIT, scilicet ad se. UXOREM;

REM; pro, velut uxorem. DIXIT, pro, dicit.

V. 7. AD PUNCTUM IN MODICO. LXX *tempore modico*.

V. 8. IN MOMENTO INDIGNATIONIS. LXX. *in furore parvo*. MISERTUS SUM. LXX. *miserebor*. DIXIT; pro, dicit.

V. 9. ISTUD MIHI EST, id est accidit.

V. 10. MONTES, &c. quasi dicat: Citius montes loco suo movebuntur, quam desinam misereri.

V. 11. TEMPESTATE CONVULSA, scilicet more arboris. Chald. *iniuria affecta*. LXX. *instabilis*.

V. 12. SCULPTOS. LXX. *crystalli*. DESIDERABILES, id est pretiosos. LXX. *electos*: significantur per haec virtutes, seu electorum perfectiones.

V. 13. DOCTOS A DOMINO. Vide Ioan. VI. 1. Thess. IV. Aug. de Gratia Christi, cap. XII. & seq. Chald. *discentes legem Domini*: potius videtur fides intelligi, quae donum Dei est, nec nisi Deo persuadente suscipitur.

V. 14. RECEDE; pro, recedas. CALUMNIA, id est oppressione. LXX. *iniquo* QUIA. LXX. *&c.*

V. 15. ACCOLA. LXX. *proselyti*, scilicet ad fidem conversi. MECUM; pro, meus, scilicet antea, cum fide careret. ADVENA, id est peregrinus, scilicet gentilis.

V. 16. CREAVI, &c. quasi dicat: Ego afflixi, ego eripiam.

V. 17. OMNE VAS. Chald. *omnia arma*. FICTUM. Chald. & LXX. *paratum*. DIRIGETUR. LXX. *prosperabitur*. IUDICABIS. Chald. & Complut. *condemnabis*. LXX. *vinces*. HAEC, id est talis, scilicet in pace & securitate aeterna.

ESTII.

Vers. 1. LAUDA STERILIS QUAE NON PARIS, DECANTA LAUDEM, ET HINNI QUAE NON PARIEBAS, QUONIAM MULTI FILII DESERTAE MAGIS, QUAM EIUS QUAE HABET VIRUM. Quod quaedam exemplaria pridem habuerunt, *laetare*, sumptum erat ex epistola ad Galat. cap. IV. ubi hanc sententiam allegat Apostolus, & legit *laetare* secundum Septuaginta: nam Apostoli, ubi parum aut nihil interest ad sensum, fere testimonia ex Scriptura citant secundum interpretationem Septuaginta. Hebr. est, *lauda*, seu iubila. Apostolus Paulus illo loco hanc scripturam nobis interpretatur; per sterilem illam intelligens ecclesiam novi testamenti, per maritatam autem synagogam, seu statum veteris populi; & sensus est: Ecclesia prius quidem sterilis erat, & deserta, quia paucissimos filios pariebat Deo: nam ante Christum pauci, idque tantum In Iudaea, per veram fidem & pietatem incorporabantur Ecclesiae, post Christum autem foecunda est multitudine filiorum, quando ex omnibus gentibus nati sunt ei filii. At vero Synagoga in populo illo Iudaico plurimos pariebat & generabat in servitutem, ut Apostolus ibi loquitur ad Gal. IV. Postea autem penitus deserta est, corruscante tandem per totum mundum Evangelio Christi.

V. 10. MONTES COMMOVEBENTUR ET COLLES CONTREMISCENT: MISERICORDIA AUTEM MEA NON RECEDET A TE, ET FOEDUS PACIS MEAE NON MOVEBITUR. Promissio est novi testamenti, quod vocat hic foedus pacis: & ostendit illud futurum aeternum, & numquam abolendum, sicut primum illud & vetus testamentum abrogatum fuit; *quia ipsi non m anserunt*, inquit Propheta, *in testamento meo*. Sensus itaque est: Prius montes commovebuntur, & colles contremiscent, quam irritum faciam pactum meum, quod feriam tecum; vel, quam auferam misericordiam meam a te.

V. 13. ERUNT OMNES DOCTI A DOMINO. Hunc locum allegat Christus Ioan. VI. & sensus est, quod illa scientia Dei, & mandatorum eius ad promissionem novi testamenti pertinet; quae non est nuda scientia, sed coniuncta cum bono affectu & voluntate implendi legem. Hoc enim est, quod ex Ieremia citat Apostolus ad Hebr. VIII. *Dabo leges meas in cordibus eorum*. De hac eadem scientia, seu doctrina loquitur psalmista cum orat Psalm. CXLIII. *Doce me facere voluntatem tuam*. Et Apostolus I. Thess. IV. dicens: *Ipsi vos a Deo didicistis, ut diligatis invicem*: nam sequitur: *Etenim illud facitis in omnes fratres*: ubi satis significat eos qui sciunt & non faciunt, non esse doctos a Domino, secundum prophetiam hanc filiis novi testamenti dictam.

MARIANAE.

Verf. I. LAUDA STERILIS. Iubila ſterilis. Chald. *Lauda Ieruſalem, quæ eras ut mulier ſterilis*. Ad Galat. IV. 27. *Lætare ſterilis quæ non paris: erumpe & clama, quæ non parturis*. Sic Sept. DECANTA LAUDEM. Hebr. *exalta vocem in iubilo, & hinni*. QUAE NON PARIEBAS. Chald. *quæ eras quaſi mulier, quæ non concepit*. QUONIAM MULTI FILII, id eſt plures filii. Hebræi carent comparativo. DESERTAE, id eſt viduæ, aut ſterilis. Eccleſiæ amplitudinem denuntiat.

V. 2. DILATA LOCUM, ſcilicet ut tam multos filios tentorium capiat. PELLES TABERNACULORUM TUORUM EXTENDE. Hebr. *cortinas extendant*. NE PARCAS. Hebr. *ne prohibeas*. LONGOS FAC FUNICULOS TUOS. Funibus & clavis, ſeu paxillis erigebantur tentoria.

V. 3. PENETRABIS, ſeu *irrumpes*, ſeu *dilataberis* ad dexteram & lævam. GENTES HEREDITABIT; pro, ſubiiciet ſemen tuum.

V. 4. NON CONFUNDERIS, id eſt non pudeſies. CONFUSIONIS ADOLESCENTIAE TUAE; ſcilicet obliviſceris eius temporis, cum eras ſterilis & vidua, quod erat tibi pudori & opprobrio. Ea ſterilitas fecunditate mutabitur.

V. 5. QUIA DOMINABITUR TUI QUI FECIT TE. Hebr. *quia maritus tuus* (erit) *factor tuus*. Vide quanta felicitas. VOCABITUR; pro, vocatur, ſcilicet vir tuus. Maritus tuus Deus eſt univerſæ terræ.

V. 6. VOCAVIT TE DOMINUS, ſcilicet in domum ſuam. ET UXOREM AB ADOLESCENTIA ABIECTAM. Hebr. *uxorem adoleſcentiæ*, quando a viro tuo Deo reprobata eras, ſcilicet te vocavit, & accepit. DIXIT DEUS TUUS; pro, & dixit Deus tuus. Quid dixit? nimirum quod ſequitur.

V. 7. AD PUNCTUM IN MODICO. Hebr. *in momento parvo dereliqui te*. Brevis fuit repulſa, & repudii tempus exiguum, nunc te maioribus donis cumulabo, maiori amore complectar. CONGREGABO TE, id eſt reducam te.

V. 8. IN MOMENTO INDIGNATIONIS; pro, brevis fuit indignatio, ob quam abſcondi faciem, ut ſolent irati. PARUMPER. Hebr. *momento*. ET IN MISERICORDIA SEMPITERNA MISERTUS SUM TUI. Hoc de Eccleſia intelligi debet, non de Synagoga.

V. 9. SICUT IN DIEBUS NOE. Sic Chald. כי *Chi*, pro, *ſicu*, Iudic. VIII. 16. מי *mei*, pro ימי *iemei*, *aquæ*, pro *diebus*. Aliqui vertunt: *Quia aquæ Noe hoc mihi*, id eſt perpetua ut tunc erit reconciliatio. Sed Hieronymi interpretatio commodior eſt, quam ſequitur Pagn. CUI IURAVI. Ergo ſicut tunc iuravi, ſic nunc, fore ut non amplius iraſcar tibi.

V. 10. MONTES ENIM COMMOVEBUNTUR, ſeu *recedent*. COLLES CONTREMISCENT, ſeu *nutabunt*; quaſi dicat: Si montes defecerint, & de loco receſſerint, miſericordia tamen mea ſtabilis permanebit & firma. *Cælum & terra tranſibunt*: Matth. XXIV. 35.

V. 11. CONVULSA, ſcilicet eras arboris inſtar, ſive obruta iactata tempeſtate. At ego STERNAM PER ORDINEM. Hebr. *ſternam in margarita* (בפוך *bepuch*) *lapides tuos*; quaſi dicat: Quando mea es uxor, domum tibi ædificabo. Ac primum pavimentum ex margaritis erit. ET FUNDABO TE IN SAPPHIRIS, id eſt fundamenta domus ex ſapphiris ponam. Per fundamenta parietes etiam intellige.

V. 12. ET PONAM IASPIDEM PROPUGNACULA TUA. Hebr. *& ponam carbunculum*, ſive *cryſtallum feneſtras tuas*, id eſt faciam eas ex eo lapide. Porro feneſtræ hic vocantur *ſimſoth*, quoniam per illas ſol intrat, qui Hebr. vocatur *ſemes*. ET PORTAS TUAS IN LAPIDES SCULPTOS. Hebr. *& portas tuas in lapides Ekdah*; quem rubinum dicunt eſſe Hebræi. Neque de his vocibus oportet laborare, earum ſignificationes ignotæ ſunt. DESIDERABILES, id eſt pretioſis lapidibus agrum omnem ſternam. Aut agrorum limites pretioſi lapides erunt.

V. 13. DOCTOS A DOMINO, ſcilicet ponam; id eſt, omnes filii tui erunt ſapientes, ob fidem ſuſceptam, & eius myſteria, nullus inter vos inſipiens, univerſi felices & divites. Id ſignificant illa verba: ET MULTITUDINEM PACIS FILIIS TUIS. Pacem bona omnia comitantur.

V. 14. ET IN IUSTITIA FUNDABERIS, ſeu *firmaberis*. Iuſtitiæ opera quæ facies, te ſtabilient. Iuſtitia regna ſtant, iniuriæ cadunt. RECEDE PROCUL A CALUMNIA. Ea eſt iuſtitiæ pars. Hebr. *procul eris a* oppreſ-

oppressione : nemo te opprimet . Is est iustitiæ fructus . QUIA NON TIMEBIS . Ne metus quidem oppressionis solicitabit . ET A PAVORE. Pagn. *a contritione*. Chald. *ab interitu*.

V. 15. ECCE ACCOLA VENIET . Hebr. *ecce congregando congregabit*, (scilicet hostis milites) *non ex me* , id est non meo iussu . ADVENA QUONDAM . Hebr. *qui congregaverit tecum* (id est in regione tua) *contra te*, *cadet:* nimirum vincetur . Aut accola & advena tibi opem ferent.

V. 16. CREAVI FABRUM : permisi ut esset. VAS IN OPUS SUUM, id est bellicum instrumentum suo opere & labore confecit. CREAVI INTERFECTOREM, id est , milites esse permisi , quos interfectores vocant ; quasi dicat : Volui ut essent arma & milites. Ego tamen ea dirigam.

V. 17. OMNE VAS , id est bellicum instrumentum contra te factum. NON DIRIGETUR. Hebr. *non prosperabitur* . ET OMNEM LINGUAM RESISTENTEM TIBI . Hebr. *quæ insurrexerit tecum*, id est contra te. IN IUDICIO , IUDICABIS . Hebr. *condemnabis* , impiam ostendes . Itaque sive bello impetent te , arma inutilia reddentur: sive in iudicio contendent , in eo victoriam consequeris. ET IUSTITIA EORUM , id est merces iustitiæ servorum Dei , hæc est victoria de hostibus.

MALVENDAE.

Vers. 1. LAETARE &c. Alii ex Hebr. *Lauda*, *ede vocem lætam*, *exulta*, *iubila*, *præconiza*, *ova*, *canta* . Explicatis , inquiunt , perpessionibus & gloria consequente Christi, nunc demum Propheta ad Ecclesiam Christianam sermonem habet , ut quæ filios Dei in' Christo esset genitura*:* quia Christus Ecclesiæ veteri sive synagogæ erat scandalo , ut superiore capite dictum est , ac proinde hæc filios ex carne tantum , non ex promissione gignebat Deo . Sunt autem in hoc capite tres promissiones evangelicæ , quæ fiunt Ecclesiæ*:* prima est, de multiplicatione & propagatione Ecclesiæ per totum terrarum orbem, tribus versibus: secunda est , de redintegrando Dei fœdere in remissionem peccatorum , & gratuitam reconciliationem vel gratiam æternam , usque ad vers. 11. tertia est , de tradenda gloria & salute cum hostium excidio coniuncta , ad finem usque. STERILIS. קערה *ghakarah*, *eruncata* , vide in Genes. XI. 30. id est, sublimis Ierusalem Ecclesia libera , mater omnium nostrum , quæ non secundum carnem gignit, sed secundum spiritum, ex fœdere & promissionibus in Christo . Sic autem appellatur Ecclesia Christiana respectu ecclesiæ veteris, quæ usque ad tempora Christi fuerat coniugata Deo , & filios secundum carnem genuerat. QUAE NON PARIS . Heb. *quæ non peperit*, vel *parit*, videlicet secundum carnem; vel statim suis primis initiis paucissimos habebat filios. DECANTA LAUDEM. Alii*:* I. *prorumpe in iubilum* . II. *persona ovatione*. III. *decanta laudem*. IV. *vocifera præconium*. V. *fragorem ede cantu*. ET HINNI. Alii: *claram ede vocem*, vel *intona*. QUAE NON PARIEBAS. Heb. *quæ non doluit*, vel *dolet*, *quæ non enixa est*, vel *parturivit*, seu *partus doloribus afficitur*. DESERTAE. Heb. *desolatæ*, *afflatæ*, *horridæ;* id est, Ecclesiæ illius sterilis , quæ in adventu Christi desolata erat, & destituta liberis, ut supra dixerat cap. LII. 9. MAGIS QUAM EIUS QUAE HABET VIRUM . Heb. *quam filii* בעילה *beghulah ;* quæ vox hæc omnia complectitur, *potitæ*, passive, id est qua potitus est vir, *adamatæ*, *subagitatæ* , *maritatæ*, *coniugatæ*, *possessæ*, *dominatæ*, a viro, id est veteris Ecclesiæ, cui Deus sacro connubio iunxerat, ut indicatur infra vers. 5. & 6. Hunc versum citat Paulus Galat. IV. 27. ex Translatione LXX.

V. 2. DILATA LOCUM TENTORII TUI, &c. Hunc versum alii ex Hebr. reddunt : I. *Dilata locum tentoriorum tuorum*, *& cortinæ tabernaculorum tuorum extendantur*, *ne parcas id facere: deduc quam longissime funes tuos*, *& clavos tuos firma*; id est, fortiter fige in terram. II. *Dilata locum tentorii tui*, *& aulæa habitaculorum tuorum extendant*, impersonaliter , pro *extendantur* , usitato more Hebraico*: ne cohibeto*: *prolonga funes tuos*, *& clavos tuos confirma* ; id est, ex ecclesia singulari Iudææ , fies Catholica sive universalis: allegoria quam sequens versus explicat. NE PARCAS . Heb. *non prohibebis*, *cohibebis*, *subtrahes*, *detinebis*, *retinebis*, *reservabis* . Forerius reddit: *ne cogitabunda cuncteris* ; perspicua allucinatione pro verbo חשך *chasach*, cum *Scin* sinistro & *Caph*, legit חשב *chaschab*, cum *Scin* dextro , & *Beth* , deceptus simili-

tudine litterarum *Caph* , & *Beth* .

V. 3. Ad dexteram enim, &c. Clarius alii hunc versum ex Hebr. convertunt : I. *Quia tam ad dexteram quam ad lævam erumpes;* id est, perrumpes multitudine, sive multiplicaberis : *& semen tuum gentes possidebit, & urbes desolatas inhabitabunt ;* id est, prædicatione filiorum tuorum gentes convertentur ad Christum, & filii tui fideles habitabunt in urbibus ante per infidelitatem desertis. II. *Nam dextrorsum, & sinistrorsum prorumpes : semen tuum gentes hereditario iure possidebit*, Psalm. II. 8. *ac civitates desolatas efficiet habitabiles*.

V. 4. Noli timere, quia non confunderis, &c. Alii hunc versum ex Heb. explanant : *Ne timeto, quia non erubesces, & ne ignominia confusa esto, quia non pudebit te : sed verecundiæ adolescentiæ tuæ oblivisceris, & probri viduitatis tuæ non recordaberis amplius*. Secundus locus promissionum evangelicarum, ut dictum est in vers. I. de peccatorum remissione, hoc versu ; reconciliatione, duobus sequentibus, & gratia æterna a vers. 7. ad II. Non enim te pudebit. Hebr. *quia non infodere facies*, sive *non infodies te*, præ pudore. Alii : *quia non avertes te*, vel *non deformaberis*. Nonnulli : *quia non absconderis præ pudore*, vel *quia non erubescere facies*, subaudi, filios tuos : sic sumitur verbum כפר *caphar*, in Hiphil, supra cap. XXXIII. 9. Adolescentiae tuae. Hebr. pluraliter, *adolescentiarum*, seu *virginitatum, tuarum* : quod virgines non pariant.

V. 5. Quia dominabitur tui qui fecit te, Dominus exercituum nomen eius. Hebr. *Quia domini, patroni, heri, possessores, mariti, coniuges tui, factores tui*, Ihuh *Exercituum nomen eius*. Pluralis numerus perspicue ostendit mysterium Trinitatis personarum; & singulare pronomen *eius*, unitatem essentiæ. Aliqui reddunt : *Nam coniux tuus erit opifex tuus ; cuius nomen Iehova exercituum*. Deus omnis terrae vocabitur. Ac non Iudæorum tantum, ut ante dicebatur.

V. 6. Quia ut mulierem derelictam, &c. Hunc versum alii ex Heb. efferunt : I. *Quoniam sicut mulierem desertam, & contristatam, sauciam, discruciatam spiritu vocavit te Iehova :* utitur autem hic Propheta eleganti paronomasia, עזובה *ghazubah*, *derelictam*, & עצובת *ghatzubath*, *contristatam*, qua significat desertam a marito, etiam contristatam : *& mulierem adolescentiarum*, seu *iuventutum*, *quæ reiecta est*, id est repudiata, *ait Deus tuus*. II. *Quia sicut mulierem derelictam, & dolore affectam spiritu, vocavit te Iehova ; & uxorem adolescentiæ, cum repudiata fueris, dixit Deus tuus*. III. *Quia ut mulier derelicta fuisti, & afflictam spiritu vocavit te Iehova : fuistique sicut uxor iuventutis cum spernitur, dixit Deus tuus*. IV. *Iehova enim vocavit te velut feminam dimissam, & spiritu afflictam, & veluti feminam adolescentem*, seu *iuvenem*, *quæ repudiata est*, vel *quando reiicitur*. V. *Nam ut uxorem derelictam, & dolentem animo revocat te Iehova*, videlicet quæ iam longo tempore non gignebat ex promissione filios, sed tamquam sterilis spernebatur a synagoga, ut vers. I. *& uxorem adolescentiæ, quamvis spreta sis*, ex sterilitate, quæ olim probrosa habebatur; *dicit*, vel *appellat Deus tuus*.

V. 7. Ad punctum in modico. Heb. *in rigore, momento parvo, pusillo*. Miserationibus magnis. Exponunt, Id est æternis, ut exponitur sequente versu.

V. 8. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te. Alii : I. *Per momentum, quo irascebar, abscondi vultum meum a te*. II. *Pauculo fervore absconderam faciem meam momento a te ;* id est, sterilem & desolatam reliqueram : humanitus pergit in allegoria. III. *In momento iræ abscondi faciem meam subito abs te*, vel *in momento ferveris absconditi faciem meam subito abs te* : ubi Propheta utitur primo paronomasia, שצף *schetzeph*, *brevissimo tempore, pauculo*, & קצף *ketzeph, ferveris*; deinde simul alludit ad bullam aquæ, quæ ut momentanea est, ita quoque ipsius ira. Nam *ketzeph* pro fervore seu effervescentia, id est bulla seu spuma super aqua accipitur : ut Hoseæ X. 7.

V. 9. Sicut in diebus Noe istud mihi est. Duplex hic lectio Hebraica, coniunctim unica dictione, כימי *cime* : *Sicut diebus Noachi*, vel disiunctim duabus vocibus כי מי *chi me* : *Quia aquæ Noachi* : quam lectionem præferunt nunc exemplaria; id est, quia ut aquæ Noachi hoc mihi est. Cui iuravi ne inducerem aquas Noe ultra super terram.

Alii :

Alii: *qui iuravi non transituras aquas Noachi amplius super terram*, totam videlicet ad perdendum omnia: vide Genes. VIII. vers. 21. & IX. vers. 9. & sequentibus.

V. 10. MONTES ENIM COMMOVEBUNTUR, &c. Alii hunc versum ex Hebr. evidentius reddunt: I. *Quamvis hi montes recederent, & hi colles dimoverentur; attamen benignitas mea a te non recedet, & fœdus pacis meæ non dimovebitur; ait miserator tuus Iehova*. II. *Citius enim & montes locum deserent, & colles nutabunt, quam vel bonitas mea te deserat, vel fœdus pacis meæ nutet, ait Iehova, qui tui miseretur.*

V. 11. PAUPERCULA, TEMPESTATE CONVULSA, &c. Hebr. *Afflicta, turbine*, seu *horribili tempestate obruta, oppressa*, &c. Alii ex Hebr. hunc versum varie explanant: I. *En, o paupercula tempestatibus acta*, vel *versans in turbine*, aut *tumultu, & consolatione destituta: ego sternam ordine lapides tuos in fuco, & fundabo te sapphiris*. II. *O afflicta, procellis agitata, consolatione destituta: ecce ego collocaturus sum cum fuco*, seu *ornamento*, ut I. Paralipom. XXIX. 2. *lapides tuos, & fundaturus te sapphiris*. Tertius promissionum locus, ut dictum est in vers. 1. de gloria & salute Ecclesiæ, quæ per allegorias & hyperbolas exprimuntur. III, *Ope destituta, tempestate obruta, consolatione carens: ecce ego sterno in stibio lapides tuos, & fundo te in sapphiris*. IV. *Afflicta, turbine iactata, non consolatione lenita: ecce ego accubare faciens*, seu *iacere faciens, in carbunculo, rubino, lapides tuos, & fundabo te in sapphiris*. PER ORDINEM. Heb. *in fuco*, vel *super fucum*: vide I. Paralipom. XXIX. 2. Possis reddere: *fucatos lapides tuos*, quos Hispanice dicimus *azuleios embarnizados*. S. Hieronymus: *Sternam in stibio lapides tuos in similitudinem comptæ mulieris, quæ oculos pingit stibio, ut pulchritudinem significet civitatis.*

V. 12. IASPIDEM. כדכד *cadcod*, hic tantum, & Iezechiel. XXVII. 16. Mirum quam varient interpretes & lexicographi de hac voce. Quidam aiunt esse *unionem*, seu *margaritam*: alii, *crystallum*, alii *adamantem*, alii *carbunculum*, seu *rubinum*: LXX. & Noster hic, *iaspidem*. Forsterus annotat: *Cadcod a* לכד *lachad, cepit per aphæresin litteræ Lamed, & geminatione ultimarum litterarum*, nomen de cuius interpretatione *multum variant doctores cum Hebræi, tum Christiani: placet accipi pro bitumine pellucido, quod gagates conveniente ipsi vocabulo: & alioqui succinum seu glessum, & Germanis agstein dicitur, eo quod in maris littore reticulis capiatur*. De glesso vel succino vide Plinium Lib. XXXVII. cap. III. & Nomenclatorem Adriani Iunii. De gagate Plinium Lib. XXXVI. cap. XIX. Dioscoridem Lib. V. cap. CIII. & Galienum Lib. IX. de simplicium medicamentorum facultatibus. Hispanice dicitur *azovaie*, notissimus vel lapis niger, squalidus, crustosus, & perquam lævis, vel solidum bitumen. Tremellius, Iunius, Buxtorfius, aiunt esse *pyrorum*, sic dictum quasi *scintillantem*, a כדד *cadad*, vel כידוד *cidod*, *scintilla* Iob XLI. 10. geminata prima littera radicali. Ergo hic *margaritam* vertunt Sanctes, Vatablus; *gagatem*, Forsterus, Forerius, Avenarius, Marinus; *rubinum*, Schindlerus; *carbunculum*, Reuchlinus, & Pomarius; *crystallum*, Leo Iudas, Forsterus, & Montanus *adamantem*. Montanus in commentariis huius loci. PROPUGNACULA TUA. שמשותיך *schimschothaich*, ex verbo *soles tuos*, nam est plurale femineum cum affixo nominis *schemesch*, *sol*. Alii: *solaria*, seu *fenestras*, per quas scilicet splendor solis penetrat. Iam locum varie reddunt. Kimchi: *& ponam e gemmis nigris fenestras tuas*, id est e bitumine pellucido quod decorem addit structuræ fenestrarum; vel *e margaritis*, seu *unionibus* vitreas areas *fenestrarum tuarum*: ut apud nos fiunt ex vitro, aut alabastro versicolore, quas cum percutiet radius solis, erit intrinsecus pulcher aspectus. Forsterus: *& ponam gagatem solaria tua*, id est fenestras tuas, per quas scilicet lumen solis ingreditur. Leo Iudas: *& fenestras tuas e crystallo faciam*. Tremellius, & Iunius: *& disponam pyropo specularia tua*. Hebræam vocem adducti notatione ipsius, sic interpretamur hoc loco, & Ezechiel. XXVII. 16. SCULPTOS. אקדח *akdach*, *gemmam accensam*, vel *rutilantem*, hoc est *carbunculum*, seu *pyropum*, aut *rubinum* interpretantur, a *kadach*, *accendere*. Forerius manifesta quoque allucinatione legit, אקרח *ekrach*, *Resch*, pro *Daleth*, littera simillima, & *crystallum* exponit a *kerach*, *gelu*; *quod crystallus* e gelu fiat, auctore Plinio Lib. XXXVII. cap. XXI. & aliis. IN LAPIDES DESIDERABILES.

BILES. Heb. *in lapides voluntatis*, *beneplaciti*, *complacentiæ*, *delectationis*, id est e lapidibus speciosissimis, qui oculos & animum vehementer oblectent.

V. 13. ET UNIVERSOS FILIOS TUOS DOCTOS A DOMINO: *ponam*, e præcedente versu. Alii: *Et universi*, vel *omnes filii tui edocti Iehovæ*, vel *edocti erunt a Iehova* (vide supra cap. XI. 9. & Ioan. VI. 45.) *& multa*, vel *amplaque pax filiorum tuorum*, id est prosperitas, felicitas. ET MULTITUDINEM PACIS FILIIS TUIS. Heb. *& multiplicabit pacem filiorum tuorum*; vel *& multiplicabitur*, vel *& multa erit pax filiorum tuorum*, vel *filiis tuis*.

V. 14. RECEDE PROCUL A CALUMNIA: id est, non senties ullam calumniam. Heb. *longinqua*, *longe procul esto a sycophantia*, *fraude*, *fraudulentia*, *oppressione*. Non active, quam tu aliis inferas; sed passive, quæ tibi inferatur; id est, tuta eris ab omni malo: synecdochice. Quidam: I. *longe aberis a vi*; quasi dicat: Adeo procul ab oppressione, ut illam non sis formidaturus. II. *procul esto ab oppressione*; id est, ab omni oppressionis metu abesto animus tuus.

V. 15. ECCE ACCOLA VENIET, &c. Subobscurum hunc versum Hebraice, varie alii explanant. I. Sanctes: *Quia congregando congregabit se, non ex me: quisquis congregaverit se tecum contra te, cadet*. II. Scholiastes Sanctis: *Ecce vagans vagabitur absque me: qui apud te vagabitur contra te, cadet*. III. Vatablus: *Si congregaverit se*, subaudi, populus aliquis, ut opprimat te, *absque me*, id est iniussu meo, vel id non fiet iussu meo: *quisquis congregaverit se tecum*, vel *in te*, id est in regione tua, *contra te*, *cadet*, id est peribit. IV. Leo Iudas: *Ecce congregando congregabit se globus*, *sed absque me: quicumque congregabitur tecum contra te*, *cadet*. V. Isidorus Clarius: *Quicumque congregaverit se ad te*, *absque me*, *& qui se iunxerit tibi sic*, *iuxta te corruet*. Omnes illi, inquit, qui se tibi iunxerint malo animo, & non ex præcepto meo, cadent, id est perdentur. VI. Sanctes: *Ecce peregrinando peregrinabitur absque me*; *quisquis peregrinatur tecum contra te*, *cadet*. VII. Marinus: *Ecce habitando habitabit defectio ex me*; id est, ad nihilum redigam hostes tuos: *qui habitat apud te contra te*, id est hostis civilis & intraneus, *cadet*. Alii verbum גור *gur* » *trahere*, quando construitur cum על *ghal* » id est *contra*, ut hic, in hostili & bellica significatione accipiunt, pro contrahere copias, exercitus. VIII. Forsterus: *Ecce quicumque contrahendo*, *contrahunt absque me* » *& qui contrahit ad te*, *contra te cadet*; id est, qui contrahunt bellum contra te, cadent. IX. Forerius: *Ecce*, *qui contrahendo contrahit*, *deficit*, *ut non sit mecum: qui contraxerit tecum*, *iuxta te cadet*; id est, quicumque in te exercitum duxerit, quicumque copias adversum te collegerit, & tecum voluerit præliari, cum scito quod a me defecerit, & meus non sit: quicumque autem is sit, & tecum bellum gesserit, iuxta te cadet, ac victus iacebit. Apte autem existimat ad hunc Isaiæ locum respexisse Christum Lucæ XI. 23. *Qui non est mecum*, *contra me est*; *& qui non colligit mecum*, *dispergit*; id est, qui mecum non colligit exercitum, milites conscribit, arma parat, qui con coniunctis viribus mecum bellum gerit, is exercitum vere non contrahit, sed potius dissipat atque dissolvit, & in ruinam præcipitat. X. Avenarius: *En concedendo*, vel *congrediendo congredietur absque me: quicumque concedit*, seu *congreditur tecum*, *is coram te corruet*. XI. Tremellius, & Iunius: *En habitando habitabit nullus*, vel *en omnino altercetur homo nihil abalienatus a me: qui altercabitur in te*, *ruens in te corruet*: id est, Neque ego ipse angustia affecturus sum te, neque alios perpessurus ut te affligant, sed impediturus potentia mea, quæ deinceps confirmatur: simili argumento seipsum confirmat Christus in sua functione, supra cap. LI. 7. & sequentibus. XII. Hispanicus Interpres: *He aqui iuntando se iuntara*, *no de mi*, vel *si alguno conspirare contra ti*, *sera sin mi: el que contra ti se iuntare*, seu *conspirare*, *delante ti caera*. Interim sensus Nostri est optimus: illud enim *adiungetur tibi*, apte exponit quod Heb. dicitur, *super te cadet*; id est, tibi cadet, ad te deficiet, quod est *tibi adiungetur*. Sic enim sumitur verbum *cadendi*, ut Iob XII. 3. & Ierem. XXXVII. 13.

V. 16. ECCE EGO CREAVI, &c. Hunc versum alii ita ex Heb. reddunt: I. *Et ut ego creavi fabrum ferrarium*, *qui flatu carbones incendit*, *& instrumentum ad opus suum producit*; *ita ego quoque vastatorem creavi*

vi ad perdendum; id est, ut creavero fabrum, qui fabricet arma contra te; ita creabo everforem, qui arma illa omnia destruat. Non dubitaverim Christum Lucæ xi. 21. & 22. *Cum fortis armatus*, &c. ad hunc Isaiæ locum allusisse. II. *En ego creavi fabrum sufflantem in ignem prunarum, & proferentem instrumentum ad opus suum; similiter ego creavi interfectorem ad perdendum*. Confirmatio præcedentis promissionis a potentia Dei in res omnes, ex creationis & administrationis iure. INTERFECTOREM AD DISPERDENDUM. Heb. *funditus perdentem, perditorem, ad dissolvendum, corrumpendum, discruciandum, obrumpendum*.

V. 17. OMNE VAS, &c. Hunc versum alii ex Heb. ita repræsentant: I. *Omne vero instrumentum, quod contra te aptatum est, non promovebit, & omnem linguam, quæ consurget tecum in iudicium, impiam esse ostendes*; vel *& omnis lingua quæ insurrexerit contra te, hanc tu iure impiam esse convinces. Talis erit hereditas servorum Iehovæ, & iustitia eorum a me est*; id est, hoc pacto ostendere soleo me approbare opera eorum iusta, quod illos libero ab hostibus eorum: *dicit Iehova*. II. *Nullum instrumentum formatum contra te prosperabitur, & omnem linguam insurgentem contra te in ius, condemnabis*; id est, nemo factis aut dictis poterit nocere tibi, sed in omnibus plusquam victrix futura es propter Christum, qui diligit te, Roman. viii. 37. *Hæc est possessio servorum Iehovæ, quorum iustitia ex me, dictum Iehovæ*. Epiphonema prophetiam claudens, & promissiones omnes asserens unicæ Dei beneficentiæ. ET IUSTITIA EORUM APUD ME. Quidam: *eorum, qui apud me sunt*; id est, qui apud me degunt, meeum habitant, mei sunt, & rem meam agunt.

MENOCHII.

Vers. I. LAUDA STERILIS QUAE NON PARIS: alloquitur Ecclesiam Christi, tum ex Iudæis, tum potius ex gentibus congregandam: hæc enim initio exigua erat, & quasi sterilis respectu synagogæ, & antequam converteretur, sterilis erat, quia a Deo deserta, fide, gratia, filiis fidelibus, & sanctis destituta. HINNI, id est iubila, seu exulta. MULTI FILII DESERTAE, &c. quia plures filios Deo dabit Ecclesia, quam dederit synagoga. QUAE HABET VIRUM: scilicet Deum, cui per fidem synagoga fuerat desponsata.

V. 2. DILATA, &c. Monet ut tabernaculum, & domum suam ampliorem faciat, ut filios omnes capere possit. PARCAS, id est cesses, seu negligas. LONGOS FAC FUNICULOS TUOS: ampli enim, & alti tentorii funes longi esse debent. CONSOLIDA: fortiter fige, quia usque ad finem mundi, immo in æternum duratura es.

V. 3. AD DEXTERAM, ET AD LAEVAM: ad orientem & occidentem, id est quaquaversum, per omnes mundi plagas. PENETRABIS; irrumpes, ut est in Hebræo, zelo nimirum filiorum tuorum. SEMEN TUUM: filii tui, hoc est, Apostoli, & viri Apostolici, aliique fideles. GENTES HEREDITABIT: gentes subiget, & possidebit firmiter, & secure instar hereditatis. CIVITATES DESERTAS: a Deo, lege, fide, gratia & salute destitutas. INHABITABIT: sedes ibi figendo, & Ecclesias excitando, & incolas ad Christum convertendo.

V. 4. CONFUSIONIS ADOLESCENTIAE TUAE OBLIVISCERIS, id est veterum peccatorum, quæ olim commisisti. OPPROBRII VIDUITATIS TUAE: cum sine Deo esses, quem peccato amiseras.

V. 5. DOMINABITUR TUI, id est quasi uxorem matrimonio sibi copulabit: hoc enim significat verbum בעל *bahal*, scilicet tam dominari, quam maritum esse. VOCABITUR, id est esse agnoscetur.

V. 6. QUIA UT MULIEREM DERELICTAM, &c. quasi dicat: Deus redimet te, quia tu eras ut mulier derelicta, & repudiata, ideoque mœrens, & miserabilis. MOERENTEM SPIRITU: animo mœstam. UXOREM AB ADOLESCENTIA ABIECTAM, id est repudiatam.

V. 7. AD PUNCTUM IN MODICO. LXX. habent *tempore modico*: intelligit tempus bis mille annorum, quod fuit ab Abraham usque ad Christum, quo Gentilitas a Deo fuit repudiata, & derelicta, quia respectu æternitatis, qua deinceps Deo coniuncta est, factaque æterna eius uxor prius tempus habet instar puncti, ut explicat D. Hieronymus. IN MISERATIONIBUS MAGNIS: magna tibi conferens beneficia. CONGREGABO TE: per Christum, & Apostolos eius.

V. 8.

V. 8. IN MOMENTO, &c. Repetit hoc versiculo, quod dixit proxime superiore.

V. 9. SICUT IN DIEBUS NOE ISTUD MIHI EST; id est, hoc meum iuramentum, & pactum quod per Christum sanciam cum Gentibus, & cum Ecclesia, erit firmum, & æternum, sicut pactum initum cum Noe, de inhibendo deinceps diluvio, firmum fuit, & æternum.

V. 10. COMMOVEBUNTUR: potius commovebuntur.

V. 11. PAUPERCULA, &c. talis erat Ecclesia ante Christum, deserta, & pauper; sed per Christum facta est dives, splendida, &c. TEMPESTATE CONVULSA: more arboris. STERNAM PER ORDINEM LAPIDES TUOS, &c. Hæc omnis pretiosorum lapidum allegoria eo spectat, ut ostendat Dominus se Ecclesiam suam omni genere ornamenti pretiosi instructurum, donorum scilicet, & charismatum cælestium.

V. 12. LAPIDES DESIDERABILES, id est pretiosos. LXX. habent, *electos*.

V. 13. DOCTOS A DOMINO: scilicet, *ponam*, quod ex superiore repetendum est. Erunt autem docti a Domino, quia Deus interius in mente lumen supernaturale intellectui, & pios impulsus voluntati aspirans, & immittens, eos docebit, & persuadebit ea, quæ per vocem externam Christus eiusque discipuli eis proponent. ET MULTITUDINEM PACIS: scilicet, tribuam; ex doctrina enim Christi sequitur pax conscientiæ, & pax, & concordia cum proximis. Pax etiam, id est prosperitas, & affluentia omnium bonorum.

V. 14. IN IUSTITIA FUNDABERIS, id est firmaberis; nam ipsa tua iustitia te firmabit, tua sanctitas te tutabitur, nec finet Deus te pessundari, quia iustitiæ est vindex, & propugnator. RECEDE PROCUL A CALUMNIA; id est, recedes procul a calumnia, id est a quavis fraude, & cavillatione; neque enim diaboli, aut ministrorum eius machinamenta, & subdolæ artes tibi nocebunt. A PAVORE: vires, & arma violenta intelligit, quæ pavorem incutiunt.

V. 15. ACCOLA VENIET, id est Gentiles ad fidem conversi. LXX. habent, *proselyti*. QUI NON ERAT MECUM: qui alienus erat a fide. ADVENA, &c. est repetitio.

V. 16. ECCE EGO CREAVI, &c. Sententia est: Non est, quod timeas arma, quæ hostes fabricantur; ego enim ea creavi, & dedi, efficiamque ne tibi obsint, sed sufint.

V. 17. OMNE VAS: omne bellicum instrumentum. NON DIRIGETUR: *non prosperabitur*, ut habent LXX. IUDICABIS. Chald. *condemnabis*. LXX. *vinces*. HAEC EST HEREDITAS, &c. Hæc est sors Ecclesiæ, & fidelium eius, ut sint locupletes gemmis, & bonis cælestibus, iustitia, sanctitate, & pace plena fruantur. IUSTITIA EORUM APUD ME: iusta opera, aut eorum præmium apud me est: ego enim iustitiam munerabor.

TIRINI.

Vers. 1. HINNI instar equæ, equuleo suo adhinnientis parta ex hoste victoria. Hac catachresi excitat Ecclesiam ad effusam lætitiam, iubilum & plausum. Idque quia illi hactenus DESERTAE a filiis, & ut apparebat, etiam a Deo, *multo* plures erunt mox FILII, quam reliquæ Synagogæ QUAE iam pridem habet VIRUM; scilicet Deum, sed a quo propter suam perfidiam iam repudiata est, ut dixit cap. L. 1. ita Forerius, immo Apostolus ad Galat. IV. 27.

V. 2. DILATA LOCUM TENTORII TUI, tot filiis excipiendis & fovendis: NE PARCAS, seu loco, seu sumptui, seu labori; sed omni studio LONGOS FAC & extende per universum orbem FUNICULOS tentorii tui; ET CLAVOS *a* TUOS, quibus funiculi infiguntur terræ, CONSOLIDA, quia usque ad finem mundi, immo æternum duratura es.

V. 3. SEMEN TUUM, id est filii tui, non modo Iudæos alios sibi magno numero adiungent, sed & GENTES *hereditabunt*, id est instar propriæ hereditatis firmiter & in solidum possidebunt. Hoc est quod Deus olim Abrahæ promisit Gen. XXII. *Semen tuum possidebit portas inimicorum suorum.* ET CIVITATES eorum DESERTAS ante a Deo, fide, gratia, salute iam Deo subiectas, fide dotatas, gratia salvatas INHABITABIT *b*.

V. 5. DOMINABITUR TUI instar sponsi & mariti, non iam lex Mosaica, non peccatum, non dæmon, sed QUI FECIT & *redemit* TE a servitute omnium hostium tuorum.

V. 6. QUIA UT MULIEREM DERELICTAM,

CTAM, id est omnium ope destitutam, quin & a proprio marito quasi repudiatam ET ABJECTAM, misertus tui DOMINUS VOCAVIT TE in thori sui sociam & coniugem. Neque tamen agnosco, me umquam absolute dereliquisse te, vel repudiasse.

V. 7. & 8. DERELIQUI quidem quoad extraordinarios quosdam favores, v. g. quoad incrementum & ornatum externum, & alia beneficia temporalia; sed hoc non nisi AD PUNCTUM, IN MODICO, IN MOMENTO, nempe brevissimo (respectu æternitatis) tempore quod mortem Christi immediate consecutum est, quo instar offensi & *indignabundi* mariti, ABSCONDI PARUMPER A TE FACIEM MEAM, abstinens optatis tibi amplexibus, & libidini persequentium te permittens. Sed breve hoc tempus miseriæ & afflictionis excipient æternæ miserationes meæ tantæ & tam excellentes, ut omne ærumnarum tempus videri faciant non fuisse nisi unius puncti & momenti. Sed neque deinceps umquam derelinquam te sic iterum. Et hoc tibi sancte iuro,

V. 9. SICUT IN DIEBUS NOE IURAVI non inducturum me rursus AQUAS SUPRA omnem TERRAM. Iactaberis quidem, ut arca Noe, sed numquam irascar sic tibi, nec increpabo, ut hactenus.

V. 10. MONTES ENIM citius e loco suo COMMOVEBUNTUR, quam ego desinam misereri tui, & tibi cum *pace*, id est bonorum omnium affluentia constanter adesse, ut iam & alias tibi promisi: ita S. Hieronymus. Porro nosse vis, quibus ornaberis bonis?

V. 11. STERNAM LAPIDES TUOS fundamentales, qui primi supra terram extant, inquiunt S. Cyrillus, Hieronymus & Procopius; vel qui pavimentum conficiunt, ut Forerius, PER ORDINEM, id est pulchro & concinno ordine. Hebræum פוך *puch*, idem est quod Latinum *fucus*, seu *stibium*. Unde Chaldæus, Vatablus & Forerius vertunt, *sternam in stibio lapides tuos*. Sed intelligunt *stibium* non liquidum, sed lapideum & fossile subnigrum, teste Dioscoride *f*, puta marmor fulgidum, eius coloris cuius est stibium quo mulieres solent oculos suos depingere; LXX. vertunt, *carbunculum*. Ergo instar regiæ, seu basilicæ pulcherrimæ, fundamenta tibi iaciam e carbunculis, ET SAPHIRIS: PROPUGNACULA, turres & solaria TUA EX *iaspide:* PORTAS ex aliis pretiosis *lapidibus* artificiosissime *sculptis: &* undique *terminos*, id est, extremitates; LXX. *muros tuos* construam ex *lapidibus desiderabilibus*, id est ita debilibus, ut passim ab omnibus expetantur. Allegorice, significant hæc illustres Sanctos, Martyres, Confessores, Patres, doctores & principes Ecclesiæ, quibus illa fundata, ornata & roborata, atque ad cælum usque evecta fuit, inquiunt S. Cyrillus, Hieronymus, Procopius, immo S. Ioannes Apoc. XXI. 19. Alii nobilissimas virtutes fidei, spei, caritatis & alias hic denotari contendunt; sed eodem sensu: nam personæ nonnisi per virtutes redduntur illustres lapides Ecclesiæ. Sed præter illustres virtutes, ponam & aliud tibi nobilissimum ornamentum, nempe sublimem scientiam rerum cælestium; non parce, vel in paucis; sed

V. 13. UNIVERSOS FILIOS TUOS ponam DOCTOS, non sola externa magistrorum doctrina, sed etiam interna *ab* ipso DOMINO; quasi dicat: Mysteria fidei, quæ præcones Evangelici discipulis suis exterius proponent, ego interius, illuminando lumine supernaturali intellectus eorum, & pio impulsu excitando movendoque voluntates, inculcabo suaviter & persuadebo. Absque qua illuminatione & excitatione interna frustra est omnis doctrina externa, ut patuit in perfidis Iudæis, qui non minus audiverunt Christum & Apostolos docentes, quam prompti ad credendum Gentiles. Sed quia nolebant attendere divinæ illuminationi, (quæ ipsis tamen non deerat,) neque obsequi internæ vocationi, ideo nihil illis profuit externa prædicatio: sicut profuit Gentibus qui iisdem attenderunt & obsecuti sunt. Ita explicat hunc Isaiæ locum ipsemet Christus Ioan. VI. 45. Unde patet, ex hoc loco ut summum colligi, necessitatem internæ gratiæ, & liberalem eiusdem communicationem tempore legis Evangelicæ, non vero (quod hæretici nostri somniant) solam illam sufficere, vel nos illi resistere non posse, contra quam definit Tridentinus & SS. Patres.

V. 14. IN IUSTITIA FUNDABERIS, id est firmaberis, ut Vatablus vertit; quasi dicat: Non rapina, non fraude, non violenta tyrannide (ut solent non raro magnæ urbes) tu exsurges, cresces & stabilieris, sed iusta, pia & sancta vita, morumque innocen-

nocentia. Quare apage fraudes omnes & dolos: PROCUL RECEDE A CALUMNIA, tibi nec necessaria, nec utili, QUIA NON TIMEBIS, tuta Deo protectore contra omnem vim vel fraudem hostilem. Potius qui tibi ante hostis erat

V. 15. ACCOLA tuus, Gentilis populus, QUI NON ERAT MECUM, sed mihi adversabatur, iam VENIET ad me colendum, mihique serviendum, & ADIUNGETUR TIBI in eadem Ecclesia Christi. Et vero quid timeas arma hostilia? tam ipsa quam qui iis instruuntur, in manu mea sunt.

V. 16. EGO CREAVI FABRUM follibus SUFFLANTEM PRUNAS, & cudentem ferrum, & sic inde PROFERENTEM VAS, id est instrumentum bellicum, gladium, hastam, arietem, &c. Pari modo EGO CREAVI INTERFECTOREM; id est militem, hostem, tyrannum, pronum & promptum AD DISPERDENDUM. Si ego creavi, ergo non nisi ex me vires habent: nec nisi meo permissu quidquam valent. Porro ex nunc addico tibi, quod voluntate, directione & providentia mea

V. 17. OMNES VAS, omne instrumentum bellicum, QUOD ab ipsis FICTUM EST CONTRA TE, in tui ruinam, NON DIRIGETUR, id est non habebit successum, non proficiet, non assequetur finem ad quem ab hoste dirigitur, ut scilicet te prosternat aut pessumdet. ET OMNEM LINGUAM detractricem vel calumniatricem, haereticam, schismaticam, blasphematricem, RESISTENTEM TIBI & audentem se opponere IN IUDICIO, tu ipsa, o Ecclesia, IUDICABIS in proprio tribunali, convictamque damnabis, & punies. HAEC sors & conditio tam lauta, tam locuples, tam sancta, tam potens, non semel, aut per intervalla tibi aderit, sed perpetuo adhaerebit quasi HEREDITAS ET IUSTITIA, id est iustitiae debitum; quasi dicat: Tam exacte, tam accurate, tam integre illam procurabo Ecclesiae meae, atque si ex iustitia id illi deberem, uti revera ex promissione toties illi facta, ultro volui debere.

(a) Isaiae xxxvii. 20.
(b) Genes. xviii. 12. & III. Reg. I. ver. 17.
(c) Psal. iv. 7.
(d) II. Cor. iv. 17. & I. Pet. I. 6.
(e) Ierem. xxxi. vers. 31.
(f) Dioscor. Lib. V. cap. xix.

GORDONI.

Vers. 1. EXcitat Ecclesiam ad gaudium, laudem, & iubilum, quando pro sterilitate habebit amplam prolem, & supra Synagogam. Quidam haec transferunt ad sensum anagogicum, aut ad captivitatem Babylonicam. Sensus litteralis vere est de Ecclesia ex Gentibus & Iudaeis conflanda. Vide August. de Consen. Evang. Lib. I. cap. XIII. & Amb. Lib. de Virgin. Vox HINNI, catachresis est, & metaphorica.

V. 5. & 6. QUIA UT MULIEREM DERELICTAM ET MOERENTEM SPIRITU VOCAVIT TE, &c. Sermo est de Ecclesia: Fuisti, inquit, ut mulier derelicta; sed ad modicum dereliqui te, sed congregabo te in miserationibus. Observa hic vers. 9. & 10. promissionem & pactum. Firmitatem Ecclesiae non libenter audiunt Novatores: sed Novatores sunt.

V. 13. UNIVERSOS FILIOS TUOS DOCTOS A DOMINO, &c. Inter pretiosa bona Ecclesiae propugnacula, saphiros, & lapides desiderabiles (allegorice) sunt speciatim Doctores Ecclesiae; sed docti non a quovis magistro, aut proprio cerebro (ut sunt Novatores) sed a Domino: quod sic etiam explicat Christus Ioan. VI. 44. & 45. ubi vox docibilis, idem est ac docti, διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ. למודי *limmude*, *Iehova docti*: atque ita τὸ *docibilis* accipitur pro participio passivo.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 1. Gaude, quia plures paries filios, quam umquam Synagoga. Dicitur Synagoga virum habere, tamquam desponsata Deo.

Vers. 7. AD PUNCTUM, modico tempore, nempe ab Abrahamo ad Christum mansit Gentilitas separata a Synagoga, & Dei populo peculiariter electo: modicum hoc est respectu aeternitatis

Vers. 11. PAUPERCULA. Haec paupertas refertur ad Ecclesiam Dei, qualis erat ante Christi adventum.

Vers. 17. OMNE VAS, seu instrumentum bellicum hostili nocebit. NON DIRIGETUR, *non prosperabitur*, ex Septuag. nempe quod Deus sancte, & toties promisit: stabit semper in Ecclesia veritas, stabit iustitia, nec praevalebit infernus.

CA-

CAPUT LV.

Omnes ad fidem vocans, promittit donorum ſpiritualium abundantiam: revocantur a peccatis impii, cum Dominus miſericors ſit & verax in promiſſis: de profectu prædicationis Evangelii & felicitate credentium.

1. Mnes ſitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: venite, emite abſque argento, & abſque ulla commutatione vinum & lac.
2. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem veſtrum non in ſaturitate? Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra.
3. Inclinate aurem veſtram, & venite ad me: audite, & vivet anima veſtra, & feriam vobiſcum pactum ſempiternum, (*b*) miſericordias David fideles.
4. Ecce teſtem populis dedi eum, ducem ac præceptorem Gentibus.
5. Ecce gentem, quam neſciebas, vocabis: & Gentes, quæ te non cognoverunt, ad te current, propter Dominum Deum tuum, & ſanctum Iſrael, quia glorificavit te.
6. Quærite Dominum, dum inveniri poteſt: invocate eum, dum prope eſt.
7. Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſerebitur eius, & ad Deum noſtrum: quoniam multus eſt ad ignoſcendum.
8. Non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ: neque viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dominus.
9. Quia ſicut exaltantur cæli a terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ a viis veſtris, & cogitationes meæ a cogitationibus veſtris.
10. Et quomodo deſcendit imber, & nix de cælo, & illuc ultra non revertitur, ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti:
11. Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcumque volui, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud.
12. Quia in lætitia egrediemini, & in pace deducemini: montes & colles cantabunt coram vobis laudem, & omnia ligna regionis plaudent manu.
13. Pro ſaliunca aſcendet abies, & pro urtica creſcet myrtus: & erit Dominus nominatus in ſignum æternum, quod non auferetur.

(a) Eccli. li. 33. (b) Act. xiii. 34.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. OMNES SITIENTES, id eſt qui indigetis gratia Dei; *Indigent autem omnes, omnes enim peccaverunt*: Rom. III. 23. quaſi dicat, Omnes peccatores, quos alia metaphora Chriſtus vocavit laborantes & oneratos: Matth. XI. 28. VENITE AD AQUAS, id eſt ad percipienda dona mea (Deus enim loquitur.) Quatuor nominibus idem hoc loco ſignificat, nempe gratiam, & id omne, quo vita ſpiritalis ſuſtentatur; aqua, vino, lacte, pane, ſicut & Ioan. IV. 13. *Qui autem*

tem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: & Ioan. VII. 38. *Qui credit in me sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ*. QUI NON HABETIS ARGENTUM. Significat gratiam Dei gratis dari, alioqui *gratia iam non est gratia*: Rom. XI. 6. Sed non propterea tollit dispositiones, aut libertatem arbitrii, sed potius ponit cum dicit, *Venite*, neque merita quæ ipsa gratia præeunte fiunt. EMITE; id est, accipite, quemadmodum si emeretis: nam quod gratis datur, proprie non emitur.

V. 2. QUARE APPENDITIS ARGENTUM NON IN PANIBUS: בלא לחם, *in non panem*; id est, cur expenditis pecuniam vestram in res, quæ non possunt vobis victum suppeditare, & laborem consumitis in rebus, quæ vos saturare non possunt. Idem intelligit per argentum & laborem, & per panem & saturitatem. Est enim repetitio, & laborem ipsum & studium humanum metaphorice argentum vocat, quia suo labore tamquam pecunia putant se posse salutem comparare. Sensus ergo est: Cur vultis magno sumptu atque labore salutem ab idolis aut dæmonibus comparare, qui nihil prodesse vobis possunt; & non potius eam a me gratis oblatam accipitis?

V. 3. AUDITE, id est obedite, ut sæpe alias. ET FERIAM VOBISCUM PACTUM SEMPITERNUM; id est, servabo pactum vobiscum quod iam olim percussi cum David, fore ut regnum eius perpetuum esset & florens, quæ promissio propter peccata populi interrupta esse videbatur: vel dicit, *Feriam vobiscum pactum*, quia loquitur cum Gentilibus, qui prius non comprehendebantur in fœdere; cum autem ad Christum venerint, comprehendentur. MISERICORDIAS DAVID. Appositio est; quasi dicat, Quod pactum in hoc consistebat, ut erga Davidem uterer misericordia fideli, id est perpetua, firma, stabili. Davidem autem appellat non eius tantum personam, sed omnem eius posteritatem, in qua Christus comprehenditur; fecitque mentionem potius illius, quam Abrahami, cui primum promissiones factæ sunt, quia agit de regno Christi, cuius prima figura fuit regnum Davidis.

V. 4. ECCE TESTEM POPULIS DEDI EUM (Christum.) Quia prius sub persona Davidis eum quodammodo nominaverat; testem autem vocat Christum, non quod non fuerit plusquam testis, cum auctor etiam fuerit ipsius fœderis, sed quod quemadmodum testis dat auctoritatem fœderi, ita Christus dederit, non solum testando, sed etiam implendo: *Non enim venit solvere legem, sed adimplere*: Matth. V. 17. DUCEM AC PRAECEPTOREM, id est regem & legislatorem: מצוה instituit enim nobis legem Evangelicam.

V. 5. ECCE GENTEM QUAM NESCIEBAS, id est Gentiles, quos antea pro tuis non agnoscebas, quia alieni erant a te, VOCABIS (sub. tuos;) quasi dicat: Vocabis non plebem tuam, plebem tuam: Osee II. 23. & Rom. IX. 25. ET GENTES QUAE NON COGNOVERUNT TE ante, AD TE CURRENT, id est certatim ad te contendent. PROPTER DOMINUM, id est ut quærant Dominum Deum tuum. Vocat Deum Christi quatenus homo est, ut ipse Christus Ioan. XX. 17. *Vado ad patrem meum, & patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum*. QUIA GLORIFICAVI TE: כי פארך, *quia glorificavit te*, ut etiam legitur in aliis Latinis codicibus; id est, quia illustrem te reddidit, & miraculis, & dicendo: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite*, ut ad te omnes concurrerent: Lucæ IX. 35.

V. 6. QUAERITE DOMINUM; id est, *Ambulate dum lucem habetis, ut non tenebræ vos comprehendant*: Ioan. XII. 35.

V. 7. DERELINQUAT. Invitat ad pœnitentiam vitæ præteritæ; quasi dicat: *Pœnitentiam agite, appropinquavit regnum cælorum*: Matth. III. 2.

V. 8. NON ENIM COGITATIONES MEAE, COGITATIONES VESTRAE, &c. Neque consilia mea similia sunt vestris, neque actiones vestræ actionibus meis: (per vias enim actiones intelligit, ut in multis aliis locis) quasi dicat: Meliora ego erga vos cogito, atque ago, quam vos ipsi. Vos enim nihil aliud cogitare, nihil aliud agere videmini, quam ut peccatis: *Ego vero nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat*: Ezech. XVIII. 23. XXXII. & XXXIII. 11. & II. Pet. III. 9. Hoc versu & sequenti probat quod dixerat in præcedenti: *Revertatur ad Dominum, & miserebitur eius*.

V. 9.

V. 9. Quia sicut exaltantur. Quantum distat cælum a terra, tantum distant cogitationes meæ a cogitationibus vestris, & viæ meæ a viis vestris, & quanto altiores sunt cæli quam terra, tanto meliores sunt cogitationes meæ quam vestræ.

V. 10. Et quomodo descendit. Probat nunc alia similitudine suas bonas erga homines cogitationes non esse inanes; sed firmas, constantes, efficaces. Sed inebriat terram, et infundit: יהולידה, *& impraegnat eam*, aut *generare facit*. Et dat semen serenti, et panem comedenti; id est, profert fructus qui sufficiant, non solum ad victum, sed etiam ad faciendam iterum sementem.

V. 11. Sic erit verbum meum, id est promissio mea. Non revertetur ad me vacuum. Hebraismus, pro, non erit inane, non carebit effectu. *Quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita*: Psalm. LXXXVIII. 35. Et prosperabitur, id est successum felicem habebit. In omnibus ad quae misi illud, id est omnibus in rebus quas promisi. Dicit se misisse verbum, quia non ipse per se, sed per Prophetas quos misit, locutus est.

V. 12. Quia in laetitia egrediemini: ex Babylone ut Ierosolymam revertamini. Et mystice, ab idololatria ad Ecclesiam. Montes et colles; id est, quæ viatoribus impedimento esse solent, ea vobis redeuntibus adiumento & solatio erunt. Alludit ad reditum Iudæorum ab AEgypto in terram promissionis, qui huius ad Ecclesiam reditus figura fuit, & ad similem Davidis prosopopœiam Psal. CXIII. 4. *Montes exultaverunt ut arietes, & colles sicut agni ovium*. Per montes autem & colles & ligna, Imperatores, Reges, Principes, mystice possumus intelligere, qui cum prius Christianam religionem impedirent, facti ipsi Christiani mirum in modum iuverunt & amplificaverunt.

V. 13. Pro saliunca: תחת הנעצוץ, *pro spina alba*, ut alii vertunt, vel *pro spineto*, vel *rubo*. Ascendet, id est crescet, abies. Et pro urtica crescet myrtus. Sensus est: Quæ prius impediebant vos, ea iuvabunt, pro rebus adversis, succedent prosperæ: spinæ enim & urticæ molestæ sunt iter facientibus; abietes vero propter umbram, & myrti propter fragrantiam, gratæ & iucundæ. Myst. significat fore ut per conversionem ad Evangelium homines ex malis boni fiant, vitiaque in virtutes commutentur. Augustinus ex Gentili & Manichæo factus Christianus ac doctor tantus, quasi ex spina factus est abies. Cyprianus ex mago factus martyr, quasi ex urtica myrtus suaveolens factus. Et erit Dominus nominatus. Heb. לחוה לשם לאות, *& erit Domino* (abies & myrtus) *in nomen* (&) signum aeternum, id est in monumentum sempiternum. At vere ita est: nam & Aug. & Cyprianus, & huiusmodi alii, quorum admirabiles fuerunt ad fidem conversiones, quasi perpetua monimenta sunt divinæ potentiæ, gratiæ & misericordiæ.

S A.

Vers. 1. Omnes. Hebr. *o omnes*. Sitientes. Chald. *discere volentes*. Aquas, scilicet doctrinæ & gratiæ, Emite, id est comparate, seu accipite. Vinum, scilicet lætificans cor. Lac, scilicet purum, & dulcem cibum.

V. 2. Quare appenditis, &c. quasi dicat: Cur ea sectamini, quæ mentem non possunt satiare?

V. 3. Fideles, id est stabiles; quasi dicat: Præstabo certissime promissam David misericordiam. LXX. *sancta David fidelia*, sicut citatur Act. XIII.

V. 4. Testem, scilicet meæ voluntatis. Eum, scilicet Christum.

V. 5. Quam nesciebas, id est a te alienam. LXX. *nescientem te*. Vocabis, scilicet ad fidem. Christum alloquitur. Deum tuum, scilicet quantum ad humanitatem.

V. 6. Prope est, scilicet in terris conversans, vel dum tempus est misericordiæ.

V. 7. Multus, scilicet sæpe multumque ignoscens.

V. 10. Caelo, id est aere. Infundit, id est perfundit.

V. 12. Egrediemini, scilicet de diaboli captivitate. Deducemini, scilicet in beatitudinem. Manu. LXX. *ramis*: metaphorice significat ingentem bonorum lætitiam.

V. 13. Saliunca. Herba est brevis. LXX. *stipite vili*. Nominatus. Chald.

& LXX. *in nomen &c;* quasi dicat: Celebritatem. SIGNUM, id est monimentum, vel victoriam; pro hac enim solent signa, seu monumenta statui. Hieron. ad Crucis signum refert; & quidem per hanc parta est victoria.

ESTII.

Verf. 3. ET FERIAM VOBISCUM PACTUM SEMPITERNUM, MISERICORDIAS DAVID FIDELES. Quædam exemplaria pridem habebant, *fidelis*, in genitivo singulari; sed ex Hebræo liquet legendum plurali numero, *fideles*, ut referatur ad misericordias, non ad Davidem. Unde & Septuaginta sic reddiderunt: *Disponam vobis testamentum æternum, sancta David fidelia*. Qua verborum forma fere citatur etiam hic locus Act. XIII. Sensus est: Inibo vobiscum novum pactum, idque æternum & perpetuo duraturum. Quodnam autem sit illud pactum, indicat, cum subiungit, *misericordias David fideles;* quasi dicat: Id quod Davidi promisi, id nunc præstabo, nunc fidelem me ostendam in promissis, nunc fidem meam liberabo: scilicet misericordia fidelis est, quando promissa misericordia præstatur. Alludit autem Propheta ad Psalmum Davidis LXXXVIII. primum in voce, *misericordias:* nam ibi dicit David: *Misericordias Domini in æternum cantabo*. Deinde in voce, *fideles;* nam dicit, *In generatione, & generatione annuntiabo veritatem tuam in ore meo:* veritas enim & fides in promissionibus eadem sunt. Tertio in voce, *pactum;* nam itidem ibi dicitur: *Disposui testamentum*, id est pactum, *electis meis*. Quarto in voce, *David: Semel iuravi, si David mentiar*. Ac denique in voce, *sempiternum;* nam & ibi dicitur: *In æternum misericordia ædificabitur in cælis*, id est sempiterna erit illa promissio.

V. 6. QUAERITE DOMINUM, DUM INVENIRI POTEST, INVOCATE EUM, DUM PROPE EST. Hoc duobus modis accipi potest. Vel illo, Agite pœnitentiam & convertimini ad Dominum, dum estis in hac vita mortali, dum datur locus pœnitentiæ, *quia venit nox*, inquit Christus Ioan. IX. *quando operari non licet*. Hic sensus generalis est. Alter sensus est, ut intelligatur dictum peculiariter ad Iudæos, qui futuri erant tempore Christi; quod fuit tempus acceptabile, & dies salutis: iuxta illud quod supra cap. XLIX. dictum est: *In tempore placito exaudivi te, & in die salutis adiuvi te*. Et addit Apostolus citans eamdem scripturam II. Cor. VI. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*. Unde & Christus in Evangelio graviter Iudæos increpat dicens, Luc. XII. *Faciem cæli & terræ nostis probare, hoc autem tempus quomodo non probatis?* Et ad Ierusalem Luc. XIX. *Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ*.

MARIANAE.

Verf. 1. OMNES SITIENTES. Ut omnes malis oppressi veniant ad Ecclesiam invitat. Ibi fore requiem a malis, ibi satietatem, & bona omnia prædicat. QUI NON HABETIS ARGENTUM, id est pecuniam. Gratis hic bona dantur, nullius paupertas excluditur. EMITE, id est accipite. Quomodo emerent sine pecunia? ET ABSQUE ULLA COMMUTATIONE. Hebr. *absque pretio*. VINUM ET LAC. Hebr. *halab* & *lac* significat, & *adipem*, ut Sept. posuere. Porro per *adipem*, quod in quaque re est optimum, intelligunt. Ergo accipite vinum in potum, & in alimenta cibos suavissimos.

V. 2. QUARE APPENDITIS. Vel *expenditis* argentum & laborem in rebus nihili, id est peccatis, quæ satiare non possunt. ET DELECTABITUR IN CRASSITUDINE, seu *in pinguedine* anima vestra. Id lac est, seu adeps, de quo dixit.

V. 3. MISERICORDIAS DAVID FIDELES, id est stabiles, firmas. Dabo vobis, quæ illi verissime sum pollicitus. Nimirum de eius semine Christum venturum. Aut, sicut promissa Davidi facta certa fuerunt, sic quæ nunc vobis promitto. Sept. *Sancta David fidelia:* sic Actor. XIII. 34. hic locus citatur.

V. 4. DEDI EUM, testem, scilicet Christum. Relativum sine antecedenti. AC PRAECEPTOREM. Hebr. *præcipientem*; nimirum Dominum & Regem. Aut per vocem *eum*, Davidem intelligamus, cuius vaticinia de Christo in omnes gentes promulgata sunt; eisque præcipit, quid agere debeant; suntque testes veritatis Dei.

V. 5. ECCE GENTEM. Ad Ecclesiam refert fer-

sermonem, ad quam varias gentes venturas testatur, & incognitas.

V. 6. Quaerite Dominum. Ad gentes vertit sermonem, quas hortatur, ut ad Deum veniant. Dum prope est, id est propitius.

V. 7. Quoniam multus est ad ignoscendum. Sic Chald. id est sæpius ignoscit quam punit. Hebr. *multiplicavit ad ignoscendum*, eadem significatione. Aut *multus est*, id est propensus est ad ignoscendum. In quo multi sumus & frequenter, id ex animo facimus.

V. 8. Non enim cogitationes meae. Vos in vindictam proni estis, ego ad indulgentiam.

V. 9. Quia; pro, certe. Sicut exaltantur, id est sublimiores terra cæli sunt. Sic. .... viae meae, id est opera, consilia.

V. 10. Et infundit eam, terram imber. Hebr. *fœcundat eam*, generare facit eam.

V. 11. Sic erit verbum meum. Quo promisi liberationem vobis e captivitate, ut accipiunt Hebræi; aut in commune omnibus salutem per Christum. Non revertetur ad me vacuum verbum meum, id est non erit sine effectu, ut pluvia in cœlum, id est aerem, unde venit, non redit sine fructu.

V. 12. Quia; pro, certe. In laetitia egrediemini e captivitate. Et in pace deducemini sine ulla offensione. Montes et colles cantabunt coram vobis laudem. Hebr. *clamabunt iubilum*. *Coram vobis*, id est ad vestrum adventum. Hyperbole.

V. 13. Pro saliunca. Alii fere *pro spina alba*. De *saliunca* multa Plinius Lib. XXI. cap. VII. quam quidam *lavandulam* esse putant, *el espliego*, *o albucema*. Explicat ergo quare montes exultare debeant, quia scilicet novo decore & arboribus vestientur, extirpatis spinis. Ascendet abies: crescet, nascetur. Et erit Dominus nominatus. Heb. *Et erit Domino in nomen & signum æternum*, id est erit monimentum perpetuum tantæ rei. Trophæum erigetur quod perpetuo stabit.

Vers. 1. Omnes sitientes, &c. Alii ex Hebr. I. *O vos omnes, qui sititis*, &c. II. *Heus quisquis sitit*, &c. Post generales promissiones factas Ecclesiæ Catholicæ per Christum superiore capite, nunc demum Christus sigillatim regenerandos quosque Ecclesiæ filios provocat primum ad fidem, usque ad vers. *6.* deinde ad pœnitentiam usque ad vers. 10. ac postremo commendans prædicationem Evangelii, promissiones amplissimas fecit singulis ipsum adituris fide & pœnitentia, ad finem usque. *Quisquis sitit*; id est, quisquis suæ ariditatis conscientia pressus expetit beneficia Dei ad spiritualem vitam pertinentia: quæ omnia allegorice aquarum, vini, lactis, panum, boni, saturitatis, & pinguedinis nomine designantur, hoc & sequente versu. Sic Matth. v. *6.* & Ioann. VII. 37. Venite ad aquas. Alii: *ad istas aquas*, scilicet spirituales. Et qui non habetis argentum. Alii: *& cui nulla est pecunia*; id est, qui non tantum vita cælesti, cujus nunc egentes estis, a natura destituimini, sed etiam omnibus rationibus omnino caretis, quibus cælestis vita comparari possit: nam gratuita sunt piis omnibus donum & vocatio Dei. Properate. Heb. *ambulate*, *venite*, per fidem, cui gratis confertur donum Dei. Emite. Alii: *comparate*. Proprie, *fragmentate*, *frumentamini*, providete vobis de frumento, esca, pane: vide in Genes. XLI. 56.

V. 2. Quare appenditis argentum non in pane? &c. Alii: *Cur expenditis pecuniam pro nullo cibo?* &c. Reprehensio causam explicans vocationis præcedentis, nimirum quod omnes extra Ecclesiam Dei operam consumant in rebus infructuosis & fallacibus, quibus allegorice res bonæ & pingues opponuntur. Et laborem vestrum non in saturitate? Hebr. *in non ad saturitatem?* Alii: *pro eo quod non satiat*, vel *pro re minime saturatura?* Audite audientes me. Hebr. *Auscultate auscultando ad me*. Alii: *Auscultate indesinenter mihi*, vel *quin potius mihi diligenter auscultate*. Et delectabitur in crassitudine anima vestra. Alii: *atque oblectet se hac pinguedine anima vestra*, id est cibo isto pingui, qui est gra-

tior

tior illo macro, hoc est bonis, quæ promittit Evangelium.

V. 3. ET FERIAM VOBISCUM PACTUM SEMPITERNUM, MISERICORDIAS DAVID FIDELES. Alii: *& pangam vobiscum fœdus sæculi*, seu *perpetuum*, ut infra vers. 13. *benignitatum Davidis*; id est, ea ipsa beneficia spondeo, quæ olim fœdere meo Davidi promiseram in Christo, II. Samuel. VII. *certissimarum*, id est firmissimarum & contestatissimarum: prout fuerunt excitato Christo a mortuis, qui non amplius reversurus est in sepulcrum, sed in fæculum benignitatem suam Ecclesiæ præstiturus, Actor. XIII. 34. *& excidam vobiscum fœdus sæculi*, *pietates Davidis stabiles*, subaudi, faciam; id est, Promissiones, quas feci Davidi de Christo, præstabo, &c. vel *& misericordiæ Davidis stabiles erunt*. Sic hunc locum interpretatus est Paulus Actor. XIII. 34.

V. 4. ECCE TESTEM POPULIS DEDI EUM. Alii: *En testem nationum constituo eum*. Pareobasis, sive digressio duobus versibus, qua Deus Pater filios suos cooptans in Ecclesiam Evangelio Christi, confirmat primum vocationem Christi in animis eorum omnium, qui ab ipso vocantur, hoc versu; deinde vero functionem, qua Christus Ecclesiam ex gentibus promiscue dicitur collecturus, efficacitate spiritus, sequente versu. *Testem nationum*; id est, ut nationibus testetur meam voluntatem, & Evangelium gloriæ Dei. DUCEM AC PRAECEPTOREM GENTIBUS. Alii: *antecessorem & præceptorem nationum*, id est prophetam, sacerdotem, ac regem. נגיד *naghid*, *dux*, *ductor*, *antecessor*, *antistes*, *præsul*, *princeps*, *prælatus*.

V. 5. AD TE CURRENT, vel *accurrent*, ut supra cap. II. 2. & sequentibus. QUIA GLORIFICAVIT TE. Alii I. *quia te honorificabit*; id est, quia Deus Pater proposuit summo honore te afficere. II. *cum te honorificum reddit*. III. *cum ornaverit te*; id est, declaraverit te Filium suum per resurrectionem a mortuis, assumpserit in cælos, & glorificaverit, ut cœptum est compleri die Pentecostes, Actor. II.

V. 6. QUAERITE DOMINUM, &c. Alii: *Requirite Iehovam*, &c. Alter locus de vocatione ad resipiscentiam, seu veram pœnitentiam, ut dictum est in vers. I. DUM INVENIRI POTEST. Heb. *cum invenietur ipse*. Quidam: *cum præsto est*; id est, se vobis facilem & benignum exhibet: humanitus dictum.

V. 7. QUIA MULTUS EST AD IGNOSCENDUM. Hebr. *Quia multiplicabit condonare*, vel *condonando*; quasi dicat: *Non semel ignoscit*, *sed sæpius*. Alii: I. *quoniam propensus est ad parcendum*. II. *quia plurimum condonat*. Vide similem modum loquendi Genes. XII. II.

V. 8. NON ENIM COGITATIONES MEAE, COGITATIONES VESTRAE: vel *sunt ut cogitationes vestræ*, &c. AEtiologia, cur Deus homines revocet a viis & cogitationibus ipsorum, hoc & sequente versu, explicans duo verba proxime præcedentia, Quod plurimum condonet Iehova. Nam, inquit Deus, etsi facta & cogitationes vestræ videntur in infinitum peccati affines esse, tamen angustiora sunt illa & humiliora factis & cogitationibus meis, quibus sum condonaturus peccata vestra: ego statui, & præstabo, efficiamque ut infinitas peccatorum vestrorum, si resipiscetis, infinitis modis a misericordia mea superetur: non est infinitas peccati vestri comparanda cum infinitate misericordiæ, & condonationis meæ. Sic Psalm. CII. 10. & II.

V. 9. QUIA SICUT EXALTANTUR, &c. Hunc versum ex Heb. alii: I. *Quantum cæli terra sublimiores sunt*, *tantum excedunt viæ meæ vias vestras*, *& cogitationes meæ cogitationes vestras*. II. *Sed ut alti sunt cæli supra terram: ita altæ sunt viæ meæ supra vias vestras*, *& cogitationes meæ super cogitationes vestras*. III. *Nam quanto altiores*, seu *excelsiores sunt cæli quam terra*; *tanto altiores*, seu *excelsiores sunt viæ meæ quam viæ vestræ*, *& cogitationes meæ quam cogitationes vestræ*.

V. 10. ET QUOMODO DESCENDIT IMBER, ET NIX DE CAELO, &c. Alii: *Nam cum descendit pluvia aut nix de cælo*, *rursus illuc non revertitur*, &c. Tertius locus commendans prædicationem Evangelii a magnificentissimis Dei promissionibus in Ecclesiam, ut dictum est in vers. I. quas Deus explicat similitudine pluviæ & nivis in terram decidentis, hoc versu: deinde vero Ecclesiæ accommodat sequentibus versibus. De hac autem similitudine vide Matth. XIII. 3. & sequent. Hebræor. VI. 7. & sequent.

V. II. SIC ERIT VERBUM MEUM, QUOD

QUOD EGREDIETUR EX ORE MEO, &c. Id est, vos videtote ut sitis bona terra; experimini vos ipsos, & augescite in sensu benedictionum Evangelii. QUAECUMQUAE VOLUI. Alii: *id quo delector*, id est fructum acceptum Deo, qui fructus est spiritus & vitæ, Romanor. VIII. 13. & 14. ET PROSPERABITUR IN HIS, AD QUAE MISI ILLUD. Alii: *& prosperabitur*, *proficiet*, *succedet id*, *quod emisero*, id est Verbum meum: periphrasis. Nonnulli: *& promovebit ad quod misi illud*; id est, faciet ut res propter quam advenerat, felicem exitum consequatur: quod Paulus Ephesior. IV. 10. ait: *Ut impleret omnia*, &c. & sequentibus versibus.

V. 12. QUIA IN LAETITIA EGREDIEMINI, &c Promissiones allegoricæ lætitiæ & pacis in spiritu, quæ exornantur elegantissimis hyperbolis, ut Psalm. LXXI. 3. & Psalm. XCV. 11. & sequentibus. MONTES ET COLLES CANTABUNT CORAM VOBIS LAUDEM. Alii: I. *montes & colles prorumpent in iubilum coram vobis*. II. *personabunt coram vobis ovationem*. III. *clamabunt coram vobis præconium*. IV. *fragorem edent coram vobis cantu*.

V. 13. PRO SALIUNCA. Virgilius Ecloga V.

Lenta salix quantum pallenti cedit olivæ,
Puniceis humilis quantum saliunca rosetis:
Iudicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.

Servius: Saliunca *herba genus*, *quam Graeci tunicam vulgo vocant*. Vide Plinium Lib. XXI. cap. VII. Sed Hebr. vocem נעצוץ *naghatzutz*, varie exponunt, *alba spina*, *fruticeto*, *virgulto*, *rubo spinoso*: vide de illa supra cap. VII. 19. Exponunt: Qui prius spinosi erant, & lædebant, desinent aliis facere iniuriam. Quidam reddunt: *Loco virgulti assurget abies*, vel *fraxinus*: allegoriæ fructuum & bonorum spiritualium, loco squaloris & sterilitatis peccati & oppressionis. PRO URTICA. סרפד *sirpad*, alibi non legitur; Hebræi aiunt esse *genus spinarum*, *vel germinis humilis ac tenuis*. Alii, ex *Sir*, *spina*, deducunt, & *sentem*, vel *senticetum*, aut *spinetum* interpretantur. Quidam *arbustum* reddunt. Nonnulli componunt ex סיר *sir*, *spina*, & רפד *raphad*, *stravit*, quasi sit locus stratus, seu consitus multis spinis, *spinetum*, *congeries spinarum*. Tremellius, & Iunius *paliurum* interpretantur: *& pro paliuro assurget myrtus*. Hebræam vocem, inquiunt, ex etymo sic placuit reddere, quia composita est ex duabus vocibus, quarum una spinam, altera oppressionem & exitium significat; quasi dicas, Spinam exitialem. Est enim spinis paliurus acutis, ut ait Virgilius Ecloga V. Vide ibi Servium. Componunt ex סיר *sir*, *spina*, & פיד *phid*, *oppressio*, *exitium*. ET ERIT DOMINUS NOMINATUS IN SIGNUM &c. Alii ex Heb. I. *& erit Iehova in nomen*, *in signum perpetuum*, *quod numquam exscindetur*; id est, Ex hoc laudabitur Iehova monumento perpetuo, quod ex improbis bonos fecerit. II. *ut sit Iehovæ in nomen*, *in signum perpetuum*, *quod non exscindetur*; id est, ut de hoc verbo Evangelii, & benedictionibus illud consequentibus celebretur & sanctificetur nomen Dei magis ac magis, perpetuo & numquam interituro monumento.

MENOCHII.

Vers. 1. VENITE AD AQUAS, doctrinæ, & gratiæ Christi. Huc allusit Christus Ioan. VII. 37. *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat*. COMEDITE. Doctrina, & gratia Christi, tam est cibus, quam potus animæ, ut & sancta Sacramenta, præsertim Eucharistiæ. EMITE. In Hebræo est, *frangite*: quia enim comesturi frangunt panem, inde factum est, ut phrasi Hebræa frangere panem, & comedere, idem sint; sensus ergo est, Accipite gratis, & comedite. VINUM ET LAC. His duobus Scriptura significat quasvis epulas, & delitias.

V. 2. NON IN PANIBUS, id est non in cibo, & pane saturante; sententia est: Cur o mortales vana huius mundi bona, ut opes, honores, delitias, vanam mundi sapientiam, & eloquentiam, tanto studio, & pretio sectamini, quæ non possunt mentem saturare? AUDITE AUDIENTES: diligenter audite. BONUM: solidum, & salutarem cibum. IN CRASSITUDINE: *In pinguedine*, ut vertit Vatablus.

V. 3. PACTUM SEMPITERNUM: Novi Testamenti. MISERICORDIAS DAVID: misericordias Davidi promissas a Deo, de Christo, in quo regnum eius perpetuandum

dum est, quique suos asseclas ditabit, & beabit. FIDELES: stabiles, firmas, perennes.

V. 4. TESTEM: Christum intelligit, qui fuit testis divini pacti, & promissionis æque ac fidelitatis divinæ in præstandis promissis.

V. 5. ECCE: o Christe. GENTEM QUAM NESCIEBAS: a te alienam, quam pro tua non agnoscebas. VOCABIS: ad vexillum Evangelii tui. PROPTER DOMINUM DEUM TUUM: propter dotes, & gratias, quibus te decorabit Deus, qui scilicet est humanitatis tuæ, Deus, non deitatis.

V. 6. DUM INVENIRI POTEST, id est tempore novæ legis; vel tempore huius vitæ. DUM PROPE EST: idem significat quod, *dum inveniri potest*.

V. 7. VIAM SUAM: malos mores suos. COGITATIONES SUAS: studia sua prava. MULTUS: proclivis ad ignoscendum: sæpe, & multum ignoscens.

V. 8. NON ENIM COGITATIONES MEAE, &c. quasi dicat: Ne despondeatis animum, licet multum peccaveritis; non enim ego vobis similis sum, qui offensi non facile reconciliamini.

V. 9. EXALTANTUR: distant.

V. 11. SIC ERIT VERBUM MEUM: promissum meum de fœdere novi Testamenti, de Messia, & bonis per eum orbi dandis. NON REVERTETUR AD ME VACUUM: non erit irritum. FACIET QUAECUMQUE VOLUI, &c. nam cum Messiam, Evangelium, Sacramenta, & cetera novæ legis charismata mundo dedero, ea omnia, quæ fieri volo, prospere fient.

V. 12. EGREDIEMINI: ex dæmonis, & peccati captivitate. DEDUCEMINI: ad Christum, ad Ecclesiam, & ad æternam beatitudinem. MONTES ET COLLES CANTABUNT, &c. Tanta erit lætitia, ut montes & colles cantare, gestire, & exilire quodammodo videantur. Vel, per montes, & colles intelligit montium, & collium incolas. Alludit ad lætitiam redeuntium e Babylone.

V. 13. PRO SALIUNCA: est herba humilis, de qua Plinius Lib. XXI. cap. VII. sensus est, omnia in meliorem statum vertentur. ET ERIT DOMINUS NOMINATUS IN SIGNUM AETERNUM; quasi dicat: Hæc mira Gentium conversio, & sanctificatio per Christum facta, erit ei in nomen, & in monimentum gloriæ, & victoriæ æternum. Pro victoria enim parta solent signa, seu monimenta, & trophæa statui.

TIRINI.

Vers. 1. OMNES SITIENTES & avidi veritatis & sapientiæ salutiferæ, VENITE AD AQUAS veræ & plenæ refectionis, nempe doctrinæ & gratiæ Christi; his explete sitim animi. Iisdem pene verbis invitat omnes ipsemet Christus Ioannis VII. *Si quis sitit, veniat ad me & bibat*. Hæc Christi doctrina & gratiæ erunt vobis VINUM ET LAC, id est plenæ epulæ ac deliciæ, gustui sapidissimæ, mentes reficientes, recreantes, pascentes, & aliarum rerum omnium appetitum restinguentes. Chaldæus vertit, *audite absque pretio absque pecunia* (quæ solet magistris pro didactro a discipulis dari) *doctrinam meliorem vino & lacte*, LXX. *adipe* seu flore *lactis*. Quod ut omni doctrinæ Christi, & omnibus Sacramentis proprie convenit, ita in SS. Eucharistiam *a* maxime quadrat, teste S. Hieronymo, Cyrillo, Procopio & Leone Castrio.

V. 2. QUARE ARGENTUM VESTRUM, id est LABOREM, ut sequitur, conatum, industriam, studia, APPENDITIS & expenditis, non in panibus, non in saturitate, id est non in saturante; sed in vana huius mundi bona, opes, honores, delitias carnales, humanam sapientiam & eloquentiam, & alia quæ non possunt mentem saturare. Solus enim Deus & dona Dei, uti quietem, ita & satietatem animæ inducunt. Quod etiam Plato *b* totidem pene verbis, quot hic Isaias agnovit.

V. 3. FERIAM VOBISCUM PACTUM seu fœdus, SEMPITERNUM, puta MISERICORDIAS FIDELES, stabiles & firmas, *Davidi* a me promissas, tum alibi, tum Psal. LXXXVIII. qui in Hebræo inscribitur, & in Latino quoque incipit, *Misericordias Domini in æternum*, &c. Continet vero hoc fœdus, & hæ misericordiæ Davidi promissæ, nativitatem Messiæ ex semine Davidis, thronum eiusdem & imperium æternum, liberationem per eum totius generis humani a peccato, ab inferno, a morte, &c. Unde & S. Paulus Act. XIII. 34. resurrectionem Christi probat ex his Isaiæ verbis quasi Christo promissam; cui enim pro-

Promittitur thronus æternus, ei etiam mortuo promittitur resurrectio, sine qua non posset thronus obtineri in æternum.

V. 4. ECCE DEDI EUM, scilicet. Messiam filium meum, POPULIS omnibus testem, omni exceptione maiorem, pacti & fœderis mei iam ex parte mea completi. Ita S. Hieron. Ambros. Cyril. Hesichius, & Leo Castr. Restat ut & vos præstetis quod ex vestra parte, vi fœderis inter nos initi debetis.

V. 6. QUAERITE DOMINUM, tum Deum tum Christum, DUM PROPE EST, dum inter vos vivit & conversatur, eadem vobiscum carne indutus. Tempore enim novæ legis longe propinquior nobis est Deus per humanam naturam, quam Verbum assumpsit, quam tempore antiquæ legis.

V. 8. NON SUNT COGITATIONES MEAE, COGITATIONES VESTRAE; quasi dicat: Ego a vobis offensus non me gero ut solent offensi homines, qui surdi ad preces offendentium, nil spirant nisi minas & vindictam: & si tandem reconciliari se sinant, id non nisi ægre, parce ac fere iniquis conditionibus admittunt: sed ego tanto excessu supero omnem hominum etiam piissimorum misericordiam, quanto *cælum excedit terram*, id est circulus immensus unum punctum, seu centrum: ita S. Cyrillus, S. Thomas, & Sasbout.

V. 10. QUOMODO DESCENDIT IMBER ET NIX DE CAELO ad fecundandam terram, ET ILLUC ULTRA NON REVERTITUR, supple *vacua*, ut patet ex vers seq, (nam alioqui rursus resoluta in vaporem repetunt cælum, seu locum nubium) SIC VERBUM MEUM, id est promissum hoc meum de novo fœdere vobiscum, de Messia, de redemptione & gratia per ipsum toti orbi impertienda, erit efficacissimum, firmissimum, plenissimum, inquit S. Hieron. Cyril. Haimo, Forerius.

V. 12. QUIA IN LAETITIA EGREDIEMINI e carcere & vinculis diaboli, peccati, inferni, & cum pace, bonorumque omnium affluentia, DEDUCEMINI ad Deum, ad iustitiam, ad cælum: vide an vacuum sit verbum meum. MONTES ET COLLES, id est montium incolæ, vel hyperbolica prosopopœia *c*, ipsi montes videbuntur exilire, iubilare, vobisque applaudere reductis e carcere in patriam.

V. 13. PRO SALIUNCA, vili & abiecta herba, vix e terra prosiliente, Virgilio, Plinio & Ruellio *d* testibus, id est pro vanis, vilibus & sceleratis operibus vitæ vestræ anteactæ; iam, vobis ad Christum reductis, ASCENDET ABIES ET MYRTUS, id est opera heroica, sancta, odorifera: ita fere Chal. S. Hieronymus & Procopius. ET ita ERIT DOMINUS Christus, vel Deus per Christum, NOMINATUS ab hac omnium gentium redemptione & salvatione, universalis *redemptor* & *salvator*: idque IN SIGNUM, seu in monimentum gloriæ & victoriæ æternum. Sicut enim solent Imperatores nomen & titulum gentis alicuius a se devictæ sibi assumere in perpetuum victoriæ illius trophæum & monimentum, v. g. Africani, Asiatici, Parthici, Germanici, &c. ita Christo erit nomen universale *Iesu*, id est salvatoris, nempe omnium gentium perenne trophæum, & partæ de toto orbe victoriæ monimentum.

(a) Zach. IX. 17. & Ps. lxxx. 17.
(b) Plato Lib. VI. de repub.
(c) Baruch v. toto cap.
(d) Virg. Ecloga. V. Plin. Lib. XXI. cap. VII. Ruell. Lib. II. cap. VII.

GORDONI.

Vers. 1. & 2. OMNES SITIENTES VENITE AD AQUAS. Per aquas gratiam per Christum intellige, ad quas, ut dicebam, invitat sitientes: sicut Christus Ioan. VII. 37. *Si quis sitit, veniat ad me.* QUARE APPENDITIS ARGENTUM, cum nec panem, nec saturitatem assequamini; hoc est, cur laboratis inutiliter, nec vera bona comparatis.

V. 3. INCLINATE AUREM VESTRAM, &c. Invitat ad pactum, & illud sempiternum promissum Davidi, & nunc plene mandandum executioni: pactum, inquam, æternum habens promissionem vitæ æternæ; ex quo proinde loco optime Paulus Act. XIII. 34. probat resurrectionem.

V. 5. ECCE GENTEM QUAM NESCIEBAS, &c. Hic per apostrophen compellatur Christus: ad te gens quam nesciebas, & quam ob idololatriam non approbabas: ad te current propter insignia dona quibus te Deus cumulavit.

V. 6. QUAERITE DOMINUM DUM INVENIRI POTEST, &c. Dictum est de fœdere, vers. 3. en nunc eius explicationem

ampliorem, immo ut aliqui loquuntur, conditiones fœderis: quærere oportet Salvatorem & tempore hoc acceptabili, atque tali modo per directionem interioris & novi hominis.

V. 10. & 11. ET QUOMODO DESCENDIT IMBER, &c. Iam explicatur effectus fœderis & vis promissionis, quæ stabit firma, non revertetur, non revocabitur, sed fructum efficiet multiplicem in omni hominum statu & conditione, & pro sterilitate erit magna fertilitas & fœcunditas. Saliunca est humilis & abiecta herba, & quæ statim e terra exilire solet: quamdam tamen dat Plinius Lib. XXI. cap. VII. optimi odoris; & Christus, inquit, vers. ult. IN SIGNUM AETERNUM, QUOD NON AUFERETUR.



CAPUT LVI.

Omnes cuiusvis gentis aut conditionis hortatur Dominus ad servanda sua præcepta: consolatio eunuchorum iustorum: domus Dei, domus est orationis: gravis increpatio & comminatio adversus pastores Ierusalem: quos cæcos & canes mutos ac impudentes appellat.

1. HAEc dicit Dominus (*a*): Custodite iudicium, & facite iustitiam: quia iuxta est salus mea ut veniat, & iustitia mea ut reveletur. 2 Beatus vir, qui facit hoc, & filius hominis, qui apprehendet istud: custodiens sabbatum ne polluat illud, custodiens manus suas ne faciat omne malum. 3. Et non dicat filius advenæ, qui adhæret Domino, dicens: Separatione dividet me Dominus a populo suo: Et non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum. 4. Quia hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: 5. Daboeis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius a filiis & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. 6. Et filios advenæ, qui adhærent Domino, ut colant eum, & diligant nomen eius, ut sint in servos: omnem custodientem sabbatum ne polluat illud, & tenentem fœdus meum: 7. Adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ: holocausta eorum, & victimæ eorum, placebunt mihi super altari meo: (*b*) quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis. 8. Ait Dominus Deus, qui congregat dispersos Israel: Adhuc congregabo ad eum congregatos eius. 9. Omnes bestiæ agri venite ad devorandum, universæ bestiæ saltus. 10 Speculatores eius cæci omnes, nescierunt universi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia. 11. Et canes impudentissimi nescierunt saturitatem: ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam: omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam, a summo usque ad novissimum. 12. Venite, sumamus vinum, & impleamur ebrietate: & erit sicut hodie, sic & cras, & multo amplius.

(a) Sap. 1. 1. (b) Matth. xxi. 13. Mar. xi. 17. Luc. xix. 46.

COM-

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. I. CUSTODITE IUDICIUM, id est iudicia mea, præcepta mea: sing. pro plur. & facite quæ iusta sunt, QUIA IUXTA EST SALUS MEA,. id est Christus salvator, quem ego mittam. ET IUSTITIA MEA. Repetitio est: quemadmodum si diceret: *Pœnitentiam agite, & appropinquabit regnum cælorum:* Matth. III. 32.

V. 2. BEATUS HOMO QUI FACIT HOC, id est qui custodit iudicium & facit iustitiam. ET FILIUS HOMINIS. Repetitio est. CUSTODIENS SABBATUM. Per sabbatum omnes legis ceremonias intelligit; sicut per custodire manus suas, omnia præcepta moralia.

V. 3. NON DICAT FILIUS ADVENAE. Docet non fore apud Deum personarum acceptionem, sed quicumque eius præcepta servaverit, eum huius gratiæ, quam promisit, participem futurum, ut ait Petrus Act. x. 34. *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus; sed in omni gente qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est*. Myst. Proponit Isaias exemplum in duobus generibus hominum, qui maxime alieni a fœdere Dei esse videbantur, alienigenis, quia promissio Abrahamo tantum & semini eius facta fuerat: Gen. xv. 5. & XVII. 7. & XXVI. 4. & eunuchis, qui propterea quod steriles essent, non videbantur ad eam promissionem pertinere posse, quæ in seminis multiplicatione consistebat: Exod. XXIII. 26. & Deut. VII. 14. *Non erit apud te sterilis utriusque sexus*. Docet ergo promissionem non esse intelligendam de filiis carnis: sed de filiis spiritus, ut D. Paulus interpretatur Rom. IX. 6.

V. 5. DABO EIS IN DOMO MEA, ET IN MURIS MEIS, id est in Ecclesia mea, LOCUM. Alludit ad veterem consuetudinem Iudæorum, qui advenis & sterilibus nullum in templo locum concedebant. ET NOMEN MELIUS. Nomen hoc loco significat filiorum successionem, ut Ruth. IV. 5. *Ut suscites nomen propinqui tui in hereditate sua*. & vers. 10. *Ut suscitem nomen defuncti*. Itaque sensus est, dabo eis nomen melius a filiis & filiabus (מבנים, *præ filiis*) id est, meliorem successionem, quam si haberent filios & filias. Quia *omnis qui reliquerit domum, vel fratres, vel sorores, aut patrem aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit:* Matth. XIX. 29.

V. 6. 7. ET FILIOS ADVENAE; id est, advenas, qui Dominum coluerint, ADDUCAM IN MONTEM SANCTUM MEUM, id est in Ecclesiam meam; quasi dicat: Si advenæ coluerint me, faciam eos cives Ecclesiæ meæ: sicut ait Paulus Eph. II. 19. *Iam non estis hospites & advenæ, sed estis cives sanctorum & domestici Dei*. Eunuchis promisit successionem, advenis nunc promittit civitatem. HOLOCAUSTA EORUM, ET VICTIMAE EORUM; id est, Eucharistiæ sacrificia, quæ mihi offerent, placebunt mihi. Quod ideo dicit quia ante non licebat advenis in templo Iudæorum offerre sacrificia; quasi dicat: Qui erant advenæ, erunt mihi cives, & qui non offerebant hircos & arietes, offerent mihi multo gratiora sacrificia corporis & sanguinis filii mei. QUIA DOMUS MEA, id est Ecclesia mea, DOMUS ORATIONIS VOCABITUR, id est erit. Sæpe enim docuimus verbum vocandi, apud Hebræos aliquando significare idem quod esse. CUNCTIS POPULIS; quasi dicat, Non solum patebit Iudæis, sed cunctis etiam gentibus, ut in ea orent. Hic locus proprie de Ecclesia Catholica debet intelligi; de templo autem Iudæorum tamquam de figura, ut Christus interpretatur, Matth. XXI. 21.

V. 8. ADHUC CONGREGABO AD EUM CONGREGATOS EIUS, id est quos ab omni æternitate decrevi congregare; quasi dicat, *Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, & eas oportet me adducere*: Ioan. X. 16.

V. 9. OMNES BESTIAE AGRI. Cum declarasset Ecclesiæ Catholicæ ex Iudæis (qui prædestinati erant) & ex gentibus aggregationem; declarat nunc incredulæ synagogæ abolitionem, utens metaphora, quasi vinea esset, quæ a bestiis vastaretur, ut ait David Psal. LXXIX. 14. *Singularis ferus depastus*

Pastus est eum. Significat ergo fore ut congregata Ecclesia Gentilium, synagoga Iudæorum a Deo deseratur, invitatque bestias ut eam depopulentur.

V. 10. SPECULATORES EIUS, id est Prophetæ & Sacerdotes; quasi dicat, Tuto potestis venire, o bestiæ, quia nemo est qui eam custodiat: non enim habet Sacerdotes, neque Prophetas nisi falsos. Psal. LXXIII. 9. *Signa nostra non vidimus, iam non est Propheta, & nos non cognoscet amplius*. VIDENTES VANA, vel videntes, dormitantes: חזים שכבים, id est *qui non vident nisi per somnium*.

V. 11. CANES IMPUDENTISSIMI: עזי נפש ad verbum, *fortes anima*, id est appetitu, edaces, voraces, insatiabiles, ut statim declarat. NESCIERUNT SATURITATEM, id est qui saturari nesciunt. Ita vocat avaros Sacerdotes & Prophetas. A SUMMO USQUE AD NOVISSIMUM. Heb. מקצהו, *a fine suo*. ἀπ' ἄκρου αὐτοῦ, ut Septuag. verterunt. מ pro *non* more Hebræorum; id est, ita unusquisque avaritiæ studet, ut nullum cupiditati suæ finem statuat.

V. 12. (Sub. dicentes) VENITE, SUMAMUS VINUM. Docet non solum eorum Sacerdotes & Prophetas futuros esse avaros, sed etiam impios, introducitque eos loquentes Atheorum more: *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur*, ut supra XXII. 15. & I. Cor. XV. 32. Alludit autem ad consuetudinem sanctorum Prophetarum, qui solebant ieiunia, saccos, cineres prædicare; contra dicit Pseudoprophetas ad ebrietatem invitaturos. Sicut nostro tempore videmus Catholicos concionatores pœnitentiam docere, hæreticos libertatem, libidinem, impietatem.

S A.

Vers. 1. SALUS; pro, Salvator, scilicet Christus. IUSTITIA. LXX. *misericordia*.

V. 2. HOC, scilicet quod proxime dictum, vel quod sequitur. APPREHENDET. LXX. *retinens*. POLLUAT, id est profanet. OMNE; pro, ullum.

V. 3. DIVIDET; pro, divisit. EUNUCHUS, scilicet qui se ob regnum Dei castravit, voluntarie continens.

V. 4. VOLUI, scilicet consilia. TENUERINT, id est servaverint.

V. 5. NOMEN, id est præmium, seu gloriam quamdam excellentem. Vide Aug. cap. XXV. de Sanct. Virg. A FILIIS, &c. id est quam sit habere filios, &c.

V. 7. MONTEM, scilicet cælum. DOMO, scilicet Ecclesia. POPULIS. LXX. *gentibus*; sicut citatur Marc. XI. CUNCTIS, scilicet Ecclesia omnes amplectitur, unde & Catholica dicta.

V. 8. AD EUM, scilicet Israelem, vel Christum. CONGREGATOS, scilicet Ecclesiam.

V. 9. DEVORANDUM, scilicet impios; quasi dicat: Digni sunt qui a feris devorentur.

V. 10. SPECULATORES, scilicet pseudoprophetæ. EIUS, scilicet congregationis impiæ. LATRARE, scilicet contra vitia.

V. 11. SATURITATEM; quasi dicat, Insatiabiles.

V. 12. VENITE, scilicet dicunt invicem. EBRIETATE. Heb. *sicera*. MULTO AMPLIUS; quasi dicat, In dies peius.

E S T I I.

Vers. 4. & 5. QUIA HAEC DICIT DOMINUS EUNUCHIS, QUI CUSTODIERINT SABBATHA MEA, &c. DABO EIS IN DOMO MEA LOCUM ET NOMEN MEUM A FILIIS ET FILIABUS, NOMEN SEMPITERNUM DABO EIS, QUOD NON PERIBIT. Pertinet hæc promissio ad eunuchos, qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum, quos commendat Dominus in evangelio Matth. XIX. Illud: *Dabo eis nomen melius a filiis & filiabus*, multi intelligunt, nomen & dignitatem super filios & filias, id est super carnales Israelitas, legem non custodientes. Gregor. parte III. Curæ Pastor. admonit. XXIX. dicit eunuchos filiis a Domino præferri in domo patris, scilicet in mansione æterna. Verum nulla est oppositio inter eunuchos, & filios filiasque; sed magis inter eunuchos, & patres, quoniam eunuchi patres esse non possunt: unde & dicit paulo ante: *Ecce ego lignum aridum*; id est, sobolem procreare non possum; hinc, ni fallor, rectius ita intelligas: Dabo eis nomen melius, quam si filios & filias haberent, & longam post se progeniem traherent. Huc faciunt Hebræa, quæ sic verti possunt: *Nomen melius quam filiorum*: scilicet nomen, quod aliqui habent de filiis & filiabus; seu propter filios & filias ex se progenitas. Nec aliud volunt Septuaginta qui

sic

sic verterunt: *Dabo eis locum nominatum meliorem filiis & filiabus*, id est quam si haberent filios & filias.

V. 7. QUIA DOMUS MEA DOMUS ORATIONIS VOCABITUR CUNCTIS POPULIS. Quia additur, *cunctis populis*, putant quidam hoc intelligi non posse de templo materiali Iudaeorum. Unde & August. in praefat. Psalm. CXXX. „ Non enim illud templum, „ quod cecidit, hoc potuit dici domus „ orationis, de qua dictum est: *Domus mea* „ *domus orationis vocabitur omnibus gentibus.*" Et hi pro ratione allegant, quia ad illud templum iam olim destructum non possunt accurrere omnes gentes orationis gratia. Sed sciendum est, Christum apud tres Evangelistas hunc locum allegare, quando de templo illo materiali eiecit ementes & vendentes. Et Marco narrante, diserte etiam illud adiecisse, *omnibus gentibus*. Itaque secundum Prophetam & interpretationem Christi etiam domus illa materialis praedicitur futura domus orationis; & quidem etiam omnibus gentibus, scilicet, quia post eius instaurationem factam a reditu ex captivitate Babylonica futura erat ita gloriosa, ut passim etiam gentes, sicut & in oratione Salomonis praedictum fuerat, orationis causa ad eam ascenderent.

Hoc ipsum tamen secundum mysticum, & sublimiorem sensum, a Spiritu sancto quoque intentum, multo plenius impletum fuit in vero illo Dei templo, quod est Ecclesia; ad quam ex omnibus omnino gentibus usque in hodiernum diem congregantur fideles. Ceterum quod dicitur *Domus orationis*, simul sub oratione intelliguntur omnia quae ad externum Dei cultum pertinent, & imprimis sacrificium. Unde illud mulieris Samaritanae ad Christum Ioan. IV. *Vos dicitis quia Ierosolymis est locus ubi oportet adorare*; sine dubio intelligitur adorare, id est sacrificare, & cetera quae ad Dei cultum instituta sunt, peragere: utpote orationes & preces ad Deum fieri poterant etiam alibi, & quovis loco; nec id negabant Ierosolymitae, & ceteri Iudaei adversarii Samaritanorum.

M A R I A N AE.

Vers. 1. IUXTA EST SALUS MEA, Christus.

V. 2. CUSTODIENS SABBATUM NE POLLUAT ILLUD aliquo opere servili, erit beatus. Et per *sabbatum* totam Legem intelligit. Quod si advena aut eunuchus dixerit:

V. 3. SEPARATIONE DIVIDET ME, id est non me admittet ad suum cultum Deus, quod non sim ex Iudaeorum sanguine, aut quod sim eunuchus.

V. 4. ET TENUERINT FOEDUS MEUM; id est, si legem meam custodierint, dabo eis

V. 5. IN MURIS MEIS LOCUM. Heb. *manum*, pro *loco*, & per *muros* civitatem intelligit, civitate donabo, civem faciam advenam. ET NOMEN MELIUS A FILIIS ET FILIABUS, id est maiorem honorem quam si eunuchi haberent multos filios.

V. 6. IN DOMO ORATIONIS MEAE, id est in templum admittam. QUIA DOMUS MEA, DOMUS ORATIONIS VOCABITUR CUNCTIS POPULIS, id est omnes gentes in meum templum admittentur. Hoc Synagogae tempore non est factum, sed post Christum Ecclesia omnes admittit, & pari honore prosequitur. *In Christo non est Gentilis & Iudaeus, circumcisio & praeputium:* ad Colos. III. 11.

V. 8. CONGREGATOS EIUS; id est, postquam Israelitas congregaverim, qui *dispersi sunt*, aut *pulsi*, ut est in Heb. congregabo etiam congregatos eius; id est, eos qui se ex alienigenis adiunxere Israelitis, eos mea cura complectar, liberabo.

V. 9. OMNES BESTIAE. Invehitur repente in malos Praefectos, quorum ob incuriam populus in multa mala praecipitaret. Ac primum feras provocat, ut eos lacerent.

V. 10. SPECULATORES, iudices scilicet, aut falsi prophetae. NESCIERUNT UNIVERSI, id est omnes sunt ignari, imprudentes. CANES MUTI, id est ut canes muti non latrant contra vitia. VIDENTES VANA. Alii, *loquentes deliria inter dormiendum*, hoc est somniantes. Chald. *dormientes*. DORMIENTES. Heb. *cubantes*. AMANTES SOMNIA. Heb. *amantes dormire*. His omnibus verbis Praefectorum torporem & ignaviam accusat. Voluptatibus mergi, nihil aliud curare.

V. 11. ET CANES IMPUDENTISSIMI. Sic Septuag. Chald. *robusti animae:* sic Heb. Hic ego *animam* pro appetitu & fame sumo; quasi dicat, Canes famelici. NESCIERUNT SATURITATEM, id est numquam satian-

tiantur, neque desistunt a comedendo. IPSI PASTORES IGNORAVERUNT INTELLIGENTIAM, id est sunt ignari, nesciunt gregi præesse. OMNES IN VIAM SUAM DECLINAVERUNT. Heb. *respexerunt in viam suam*, id est privata commoda sectantur. UNUSQUISQUE AD AVARITIAM SUAM. In omnibus lucrum captant. A SUMMO USQUE AD NOVISSIMUM, id est omnes sunt eius modi. Heb. *ab extremo suo*, id est ab uno extremo, supple ad alterum, ut Hieronymus explicuit.

V. 12. VENITE. Verba sunt Præfectorum quibus inter se invitant ad ganeas. IMPLEAMUR EBRIETATE. Heb. *potemus siceram*. Sed pro *sicera* sæpe Hieronymus ponit *ebrietatem*. ERIT SICUT HODIE, SIC ET CRAS. Heb. *erit sicut hodie cras* (&) *maior, nimis valde*; id est omnibus diebus crapulam continuabimus, augebimus etiam.

MALVENDAE.

Vers. 1. HAEC DICIT DOMINUS, &c. Heb. *Sic dixit Iehova*, &c. Huius concionis duobus his capitibus comprehensæ, inquiunt, (qua continetur summa doctrinæ Evangelicæ) partes præcipuæ sunt tres: prima est, propositio doctrinæ Evangelii de fide & pœnitentia, ad omnes homines sine discrimine pertinentis, toto hoc capite, sive usque ad vers. 9. Secunda est, contestatio, sive reprehensio adversus Iudæos, qui inde a temporibus Ieschahiæ usque ad tempora adventus Christi contumaces Deo fuisse evincuntur, a vers. 9. usque ad vers. 13. cap. LVII. sive a vers. 1. cap. LVII. usque ad 17. postremo est narratio cum promissionum Dei erga bonos, tum iudiciorum in improbos, inde ad finem usque capitis LVII. CUSTODITE IUDICIUM, ET FACITE IUSTITIAM. Ut hæc duo nomina coniuncta in Scriptura usurpentur, pluribus ostendimus in Genes. XVIII. 19. Hic aliqui reddunt: *Observate ius, & exercete iustitiam*; id est, pœnitentiam agite. QUIA IUXTA EST SALUS MEA UT VENIAT, ET IUSTITIA MEA UT REVELETUR. Heb. *quia propinqua est salus mea ad veniendum, & iustitia mea ad revelandum*. Quidam: *nam proxime salus mea ventura est, & iustitia mea revelanda*. Similis formula ut supra cap. LV. 7. id est, nam propinquum est regnum cælorum, Matth. III. 2. & IV. 17.

V. 2. BEATUS VIR, QUI FACIT HOC, ET FILIUS HOMINIS, QUI APPREHENDET ILLUD. Alii ex Heb. *Beatus mortalis*, id est quisquis sit, sive Iudæus, sive alienigena, ut deinceps exponitur; *qui fecerit illam, & filius hominis, qui prehenderit illam*. CUSTODIENS SABBATUM, NE POLLUAT ILLUD, &c. Alii: *observans sabbatum ne profanet illud, & observans manum suam ne faciat ullum malum*; id est, colens pietatem in Deum (cuius documenta & exercitamenta amplius observabantur in sabbato) & officium in proximos: ac proinde doctrina & vita se conformans voluntati Dei. Sic versu 4. & 6.

V. 3. ET NON DICAT FILIUS ADVENAE, &c. Hunc versum alii ex Heb. elucidant: *Neque loquatur alienigena, qui se adiungit Iehovæ, dicendo: Discernendo discrevit, seu omnino discrevit me Iehova a populo suo; neque dicat eunuchus; En ego sum lignum aridum*. Occupatio, qua ostendit Propheta non esse cur ex legali ritu Deuteron. XXIII. sibi metuant ulli ut cooptari possint in populum Dei, quia ritus illi in regno Christi dicuntur perituri. *En ego sum lignum aridum*, id est minime pertinens ad corpus populi, quod comparatur cum arbore virente in domo Dei per benedictionem eius, ut Psalm. XCI. 13. & sequentibus. Respiciunt autem hæc verba ad legem Deuteron. XXIII. 1. Alii: *Lignum aridum*, id est arbor nullum ex se generans fructum.

V. 4. QUIA HAEC DICIT DOMINUS, &c. Alii hunc versum ex Heb. convertunt: *Nam ita ait Iehova*, explicatio promissionum Dei, quæ superioris occupationis partibus respondet per hysterosin: *de eunuchis, qui observaverint sabbata mea*; id est, sanctitati, doctrinæ, & vitæ operam dederint ex fœdere, ut supra vers. 2. *& elegerint id quo delector, apprehenderintque fœdus meum*.

V. 5. LOCUM. Hebr. *manum*, id est spatium, locum, vel auctoritatem, dignitatem, potestatem. Sic Hispanice: *Tiene gran mano en los negocios*. ET NOMEN MELIUS A FILIIS ET FILIABUS. Alii: *& nomen melius quam filiorum aut filiarum*, id est perpetuum, quod non exscindetur in sæculum; cum tamen generatio filiorum ac filiarum exscindi possit: sic accipiendum ostendunt verba sequentia. Sed aptius exponitur, nomen præstantius cælibatus & virgi-

genitatis, quam sit patris & genitoris filiorum & filiarum. Nam proculdubio ad hunc Isaiæ locum videtur allusisse Christus Matth. XIX. 12.

V. 6. ET FILIOS ADVENAE, &c. Hunc versum alii ex Hebr. reddunt: I. *Porro alienigenis* (*qui Iehovæ cupiunt adhærere, ut serviant ei & diligant nomen eius*, id est gloriam, *ut sint servi eius*: *quicumque custodierit sabbatum ne profanet illud*, & *firmiter tenuerit fœdus meum*:) *Hos*, inquam, *adducam*, &c. ut sententia versu sequente explicatur. II. *Alienigenas vero, qui adiunxerint se Iehovæ ad ministrandum ei*, & *ad diligendum nomen Iehovæ, ut sint ei servi*; *quisquis observaverit sabbatum ne profanet illud*, & *apprehendentes fœdus meum*: *Adducam ipsos*, &c. Alterum membrum responsionis ad occupationem versus 3.

V. 7. ADDUCAM EOS, &c. Quidam: *Adducam ipsos quoque ad montem sanctitatis meæ*, id est Ecclesiam, ut supra cap. II. 2. HOLOCAUSTA EORUM, ET VICTIMAE EORUM PLACEBUNT MIHI, &c. Heb. *holocausta eorum*, & *sacrificia eorum in beneplacitum, benevolentiam, acceptationem*; id est, erunt accepta & grata in altari meo, id est spirituales hostiæ, de quibus Romanorum XII. 1. nam hæc allegorice dicuntur a figuris legalibus. Fortasse innuit sacrificium Eucharistiæ, quod unicum instar omnium illorum legalium est. QUIA DOMUS MEA DOMUS ORATIONIS VOCABITUR CUNCTIS POPULIS. Usurpavit hæc verba Christus Matth. XXI. 13. *omnibus gentibus*; id est, non tantum Iudæis, sed omnibus promiscue patebit, & cuivis genti, ut in eam recipiantur omnes sine acceptione personarum, ut Marc. XI. 17.

V. 8. AIT DOMINUS DEUS. Heb. *Fidelis sermo* ADONAI IHUH. Alii: *Dictum Domini Iehovi*: vide in Genes. XV. 2. QUI CONGREGAT DISPERSOS ISRAEL. Heb. *congregantis depulsos Israelis*, ex promissione Deuteron. XXX. 4. ADHUC CONGREGABO AD EUM CONGREGATOS EIUS. Alii: I. *Adhuc congregabo ad eum*, vel *supra eum*, sive *ultra eum, congregatos eius*; id est, ultra Israelem congregabo eos, qui illi se adiunxerint ex sequentibus; quasi dicat: Ego in Ecclesiam meam sum congregaturus Israelitas, & gentiles. II. *Adhuc congregabo ad eum congregandos eius*. III. *Illos amplius aggregaturus sum ei, ad aggregatos eius*; id est, alias oves in hanc caulam cum meo grege adducturus, Ioan. X. 16. Ephesior. II. 13. & sequentibus.

V. 9. OMNES BESTIAE AGRI, &c. Hunc versum alii reddunt: *Omnes bestiæ agrestes venite ad comedendum, omnes bestiæ silvestres*. Hic initium cap. LVII. constituunt, & notant esse secundam partem concionis, ut dictum est in vers. 1. qua exponit Propheta cur depulsos Israelis modo nominaverit, nimirum quia Deus iusto iudicio suo gentes inimicissimas & ferocissimas contra populum suum erat accersiturus, quasi dato signo Assyrios, Babylonios, Græcos, Syros, Ægyptios, Romanos, qui Iudæam infestarent, atque consumerent, hoc versu: deinde causas horrendi istius iudicii per contestationem proponit, usque ad vers. 13. vel 17. cap. LVII. *Bestiæ agrestes*, id est gentes, quas modo nominavimus: sumpta allegoria a grege, & feris gregem infestantibus: ut alibi a vite Psalm. LXXXIX. 9. & supra cap. V.

V. 10. SPECULATORES EIUS CAECI, &c. Hunc versum alii ex Heb. transferunt: I. *Speculatores eius omnes cæci sunt*; id est, sacerdotes, Levitæ, prophetæ, doctores, magistratus, &c. omnes *sunt ignari, canes muti, latrare non possunt, torpent, iacent, somno indulgent*. II. *Speculatores istius populi, cæci, quotquot sunt, canes sunt muti, non possunt latrare; tempori serviunt, iacent, amant dormitationem*. Hæc contestatio, quæ est superioris interminationis ætion, exponit primum oscitantiam & perfidiam ministrorum Ecclesiæ, tribus versibus; deinde, populi totius negligentis iustos, vers. 5. & 6. seu potius versu 1. & 2. cap. LVII. postremo, his nominibus Deus utrumque ordinem, ecclesiasticum & popularem obiurgat, inde a vers. 7. seu 3. cap. LVII. SPECULATORES EIUS. צופו *Tzophau*, deficit *Iod* nota pluralis, & *Tzade* est littera magna, atque ea est vigesima secunda, quæ in Scriptura invenitur: utrumque sane videtur mihi indicare, profundissimam ignorantiam & perfidiam ministrorum Ecclesiæ. Vide Eccli. XII. 13. VIDENTES VANA. Heb. הזים *hozim*, participium, nec alibi id verbum, aut aliquid eius legitur. Non desunt, qui putent errorem esse exscribentium, pro חוזים *chozim, videntes*, quod Noster legisse videtur. Sed Chaldæus Interpres reddit, *dormitantes*; Hebræi, *somnian-*

niantes, vel *per somnum & febrem delirantes*; Forsterus & Forerius, *ignavos*; Avenarius, *pessum euntes*, *iacentes*; Leo Iudas, *torpentes*; Tremellius, & Iunius, *tempori servientes*; Buxtorfius, *stertentes somnolenti*.

V. 11. ET CANES IMPUDENTISSIMI NESCIERUNT SATURITATEM. Alii: I. *Et canes isti robusti anima*, id est desiderio, ut Psalm. XXVI. 12. sive *avidissimi*, *non norunt saturitatem*, nimirum quæstus & avaritiæ suæ, ut finis versus indicat; quasi dicat: Quærunt avidissime quæ sua sunt, non autem quæ sunt Christi, ut Ierem. XXIII. & Ezechiel. XXXIV. II. *Et canes illi fortes anima*, id est voraces, *inexplebili voracitate*, *vehementer avidi*, *satiari non possunt*. III. *Et canes obfirmati animo*, id est impudentes: ut Deuteronom. XXVIII. 50. dicitur gens obfirmata facie. IV. *Et canes obfirmati ingluvie*, id est fortissimæ ingluviei, *non noverunt saturitatem*. IPSI PASTORES IGNORAVERUNT INTELLIGENTIAM. Alii: I. *& ipsi pascentes se*, *& non norunt intelligere*; id est, illi belle curant corpus suum, & nesciunt quæ pertinent ad institutionem populi illis commissi. II. *propterea ipsi pascunt se; nesciunt intelligere facere*, vel *docere*, id est pascere populares pabulo sacro verbi Dei. Distinctiones Hebraicæ hunc sensum evincunt. OMNES IN VIAM SUAM DECLINAVERUNT. Alii: *quotquot sunt*, *ad viam suam se convertunt*, vel *quisque viam suam spectat*; id est, sectantur sua studia, & commoda; vel, pro libidine sua vivunt. UNUSQUISQUE AD AVARITIAM SUAM, A SUMMO USQUE AD NOVISSIMUM. Alii ex Heb. I. *ad avaritiam suam respiciunt in termino suo*, id est in sua regione; quasi dicat, Singuli dant operam ut congregent opes in sua regione, vel diœcesi. II. *quisque a termino suo ad emolumentum suum propensus est*. Hispanicus Interpres apte: *cada uno a su provecho por su cabo*, subaudi, mira. III. *Unusquisque ad quæstum suum absque termino eius*, scilicet ipsius quæstus; id est, unusquisque vertit faciem ad lucrum, seu inhiat lucro absque termino, sine fine, immensum, infinitum. IV. *quisque ad lucrum suum ab extremitate illius una ad alteram*; id est, percurrunt totum terminum & amplitudinem lucri ab una extremitate ad alteram; quasi dicat, Totum quæstum exequuntur.

V. 12. VENITE, SUMAMUS VINUM, &c. Alii ex Heb. versum reddunt: I. *Venite*, *inquiunt*, *capiam*, vel *accipiamus vinum*, *& inebriemur schechar: eritque sicut hæc*, *dies crastina magna & excellens valde*, seu *vel maior multo cum excellentia*, vel *maior*, *excellentior multo*, seu *multo maior & excellentior*; id est, *cras potabimus multo fortius*, *& largius*. II. *Venite*, *sumamus vinum*, *& potabimus*, sive *exhauriamus siceram; & erit secundum hunc diem crastinus*, *magnus*, *excellens valde*. III. *Venite*, *aiunt*, *quisque eorum*, *vinum afferam*, *ut perpotemus ad ebrietatem usque: atque adeo sicut hodie*, *ita & cras*, *immo longe amplius*, & sumptuosius. IV. *Venite*, *inquiunt*, *sumam vinum*, *& ingurgitabimus nos potu inebriante: eritque similis huic dies crastinus*, *immo maior*, *excellentior valde*; quasi dicat: Alii avaritia æstuant, versu superiore; alii perduntur luxu hoc versu.

MENOCHII.

Vers. I. CUSTODITE IUDICIUM; id est, facite quod rectum est. SALUS MEA; id est, salus, quam ego vobis mitto per Christum salvatorem. IUSTITIA MEA: iustificator Christus, per quem vos a peccatis liberabo, & iustificabo. UT REVELETUR: appareat, adsit; in proximo enim est, ut veniat.

V. 2. QUI FACIT HOC: quod proxime dictum est, vel quod sequitur. ET FILIUS HOMINIS, &c. repetitio præcedentis sententiæ. OMNE MALUM: ullum malum.

V. 3. FILIUS ADVENAE, &c. quasi dicat: Moses arcebat Gentiles a sua synagoga, & republica. Deuteronom. XXIII. 3. & 8. & c. VII. I. & seq. & Christus neminem arcebit a sua Ecclesia. QUI ADHAERET DOMINO: qui Christianæ fidei sacra suscipit. ET NON DICAT EUNUCHUS, &c. etiam Eunuchi lege Mosis Deuteron. XXIII. I. cœtu populi, templo, & officiis publicis arcebantur. LIGNUM ARIDUM: quasi lignum aridum, sterilis, & sine fructu prolis.

V. 4. QUI CUSTODIERINT SABBATA MEA, id est qui Deum sancte coluerint, & nominatim servaverint legem sabbati.

V. 5. IN DOMO MEA, &c. in Ecclesia mea. ELEGERINT QUAE EGO VOLUI: servaverint legem meam, vel consilia; nam hæc

hæc Eunuchis voluntariis, id est castitatem profitentibus, quales sunt Religiosi, optime conveniunt, & de illis potissimum intelligenda sunt, ut patet ex sequentibus. NOMEN MELIUS A FILIIS, ET FILIABUS: nam virgines, & cœlibes a virtute virginitatis, & religionis maius consequentur nomen, quam a filiorum copia, & præstantia. A FILIIS, &c. id est præ filiis. NOMEN SEMPITERNUM: gloriam sempiternam.

V. 6. ET FILIOS ADVENAE: gentiles; repetit, & confirmat quod dixit num. 3. SABBATUM: Dei cultum. TENENTEM FOEDUS, id est observantem conditiones fœderis, id est leges, & mandata mea.

V. 7. IN MONTEM SANCTUM, in Sion, hoc est in Ecclesiam. LAETIFICABO EOS IN DOMO ORATIONIS MEAE, id est in templo faciam eos participes spiritualis lætitiæ, quæ percipitur ex sacro cantu, & sacris ceremoniis.

V. 8. QUI CONGREGAT DISPERSOS ISRAEL. Per *Israel* propric accipit Iudæos, de iis enim agit in sequentibus; quasi dicat: Ne putetis, o Iudæi, cum voco advenas, id est Gentiles ad Ecclesiam, vos ab ea exclusos; nam Ecclesia tam erit vestra, quam Gentium; quocirca sicut gentes, sic & vos toto orbe dispersos ad eam colligam. CONGREGABO AD EUM, scilicet Israelem. CONGREGATOS EIUS, id est populum, & filios eius pertinentes ad synagogam, quæ congregationem significat.

V. 9. OMNES BESTIAE AGRI, &c. Cum dixisset dispersos Israel congregandos, prævidens hos Christum occisuros, dolore, & indignatione tactus, spiritu prophetico evocat bestias, hoc est feram gentem Romanorum, a qua perdantur.

V. 10. SPECULATORES EIUS, id est doctores eius. Hos Christus cæcos appellat, & duces cæcorum: Matth. xv. 14. NESCIERUNT UNIVERSI: eorum, quæ facto opus erant, prorsus ignari.

V. 11. NON VALENTES LATRARE: quod iisdem sceleribus tenerentur, quæ reprehendere debuissent; vel quod Principibus, & populo vellent adulari. VIDENTES VANA: inania, & falsa prophetantes, *Dicentes Pax, Pax; cum non sit Pax*. DORMIENTES ET AMANTES SOMNIA: similes canibus ignavis, qui, si quid vident, aut audiunt, modice caput attollunt; sed mox ac si nihil vidissent, in somnium reclinant.

V. 11. CANES IMPUDENTISSIMI, &c. Nota est impudens canum libido, & voracitas: sugillat Iudæorum doctores, qui ad ea, quæ ad officium eorum pertinebant, negligentes, & dormitantes erant; ad propria vero commoda, ad delitias, & ad ventrem explendum erecti, & alacres. IPSI PASTORES: ipsi Principes, & magistratus. IGNORAVERUNT INTELLIGENTIAM: rationem prudenter administrandæ reipublicæ. IN VIAM SUAM DECLINAVERUNT: quocumque cupiditates trahebant sequentes, avaritiam, ventris, & veneris voluptates.

V. 12. VENITE, &c. est mimesis, id est imitatio vocum pastorum, & doctorum. ET ERIT SICUT HODIE, &c. id est, conviviorum hilaritati semper aliquid adiicimus. Possunt etiam esse verba non luxuriosorum, quos reprehendit, sed ipsius Prophetæ; quasi dicat: Perseverant in captandis voluptatibus, & in dies ruunt in peius.

T I R I N I.

Vers. 1. CUSTODITE IUDICIUM ET FACITE IUSTITIAM *a*; id est, vivite iuste, recte, pie. QUIA IUXTA EST SALUS MEA quam vobis afferet salvator Christus: ET IUSTITIA MEA, id est iustificatio, qua per Christum vos a peccatis liberabo, & gratia & gloria donabo.

V. 2. CUSTODIENS SABBATUM: & quidquid lege divina præscribitur ad colendum, prout oportet, Deum.

V. 3. FILIUS ADVENAE, Moabites, Ammonites, vel quicumque alius Gentilis, dummodo per fidem, spem, caritatem *adhæreat* DOMINO, *non dicat*: SEPARATIONE DIVIDET ME DOMINUS A POPULO SUO; id est, non faciet me Deus participem gratiarum & privilegiorum, Abrahæ eiusque semini promissorum, quia ego ex isto semine non sum procreatus: ita S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus.

V. 4. ET NON DICAT EUNUCHUS: ECCE EGO LIGNUM sum ARIDUM, id est sum sterilis & illiberis, & ineptus propagando populo Dei: ac proinde infamis, & privilegiis eiusdem populi Dei exclusus, Deuter. XXIII. 1. nam talibus eunuchis, maxime spiritualibus *b*, voto castitatis sponte castratis.

V. 5. DABO IN DOMO MEA, id est in Ecclesia, ET IN MURIS MEIS, id est

præcipuis munitionibus Ecclesiæ meæ, LOCUM, supple, honoratum & primum. Insinuat, cælibes in Ecclesia Christi primum locum *c* occupaturos, in quo etiam a regibus aliisque principibus honorentur. In Hebræo pro, *loco*, est יד *iad*, id est manus; quasi dicat: Dabo eis manum meam, non modo auxiliatricem, sed & fœderis specialis cum eis, adeoque & connubii spiritualis conciliatricem, inquit Sanchez. Sed ET NOMEN MELIUS atque illustrius dabo eis A FILIIS ET FILIABUS, id est præ omni nomine quod a filiis naturalibus quantumcumque multis sperare vel adipisci possent. Virtus enim virginitatis aut vidualis continentiæ etiam coram hominibus famam, gloriam & memoriam longe nobiliorem conciliat, quam ingens filiorum copia, inquit S. Basilius *d*: est enim virtus cælestis & angelica, totumque hominem condecorat, illustrat & consecrat Deo, teste S. Bernardo *e*. Quin nec omnino steriles sunt virgines, inquit idem Bernardus *f*. Primo enim pariunt heroica opera pietatis, devotionis & aliarum virtutum; secundo, exemplo suo sancto plures ad Christi obsequium trahunt; tertio, suis opibus, servitio & industria, quæ coniugati suæ impendunt familiæ, virgines venantur animas alioqui perituras: & sic carnalem sterilitatem spiritali fecunditate longe felicius compensant: ita S. Ambrosius, Augustinus *g* & alii Patres.

V. 7. LAETIFICABO EOS IN DOMO ORATIONIS *h* MEAE; id est, in templo, ad me orandum destinato exaudiam preces eorum, & concedam quidquid ad sui spiritualem profectum ac salutem petierint a me, atque ita exhilarabo illos iam votorum compotes. HOLOCAUSTA EORUM proprie dicta, nempe sacrificia Eucharistiæ, & etiam alia metaphorica, nempe orationum & bonorum operum, PLACEBUNT MIHI, quin & placabunt me, inquit S. Hieronymus.

V. 8. CONGREGAT DISPERSOS *i* ISRAEL, id est Israelitas toto orbe dispersos per Salmanassar, per Nabuchodonosorem, per Titum; quasi dicat: Ne putetis, o Iudæi, cum advenas, seu Gentiles, voco ad Ecclesiam meam, me vos ab ea excludere: nam Ecclesia mea tam erit vestra quam Gentium: & sicut Gentes, sic & vos toto orbe dispersos ad eam colligam: ET CONGREGABO AD EUM, id est ad Dominum, CONGREGATOS EIUS, id est filios Israelis, qui sunt *Synagoga*, id est congregatio, supple, populi Dei. Sed quia mihi vos, o Iudæi, ad Christum adgregare volenti, non vultis obsequi vel obedire; huc adesdum:

V. 9. OMNES BESTIAE AGRI, milites Romani, hostes Iudæorum, VENITE AD DEVORANDUM Ierusalem, ad Iudæam devastandam.

V. 10. SPECULATORES Israelis, Scribæ, Pharisæi, Pontifices, CAECI OMNES, avaritia, libidine, ambitione excæcati, NESCIERUNT UNIVERSI; immo videntes, scire noluerunt *tempus visitationis suæ*, quo tam benigne per Christum visitantur & ad salutem invitantur. Et hoc est primum eorum vitium; secundum, est ignavia mutorum canum; tertium, otium & desidia; quartum, ingluvies; quintum, propriura iudicium, neglectis legibus divinis; sextum, inexplebilis avaritia; septimum, obstinatio. Quod si hæc vitia occupent pastores, quid de grege sperandum? & quis miretur, gregem non aliter custoditum lupis & aliis bestiis prædam fieri?

(a) Matt. III. 2. & 10. Lucæ III. 14.
(b) Matth. XIX. 12.
(c) Sap. III. 13.
(d) Basil. Lib. de Vera virginitate.
(e) Bern. Serm. LXXXV. in Cant.
(f) Bernard de Modo bene vivendi cap. XXII.
(g) Ambr. Lib. III. de Virginibus, in initio. August. Lib. VIII. Confess. cap. XI.
(h) Matth. XXI. 13.
(i) I. Pet. I. 1.

G O R D O N I.

Vers. 1. HAEC DICIT DOMINUS, &c. quasi diceret: Parate viam Domini, adveniet brevi; neminem repellet accedere volentem: non erit distinctio advenæ & peregrini ut olim, Deuter. XXIII. 3. & VII. 1. nulla distinctio Græci & Barbari. Rom. cap. X. vers. 12. Eunuchi olim Deuter. XXIII. 1. erant ut infames, velut inepti ad propagandum semen Israelis: non sic sub Christo; immo Matth. XIX. 11. Eunuchi ex proposito laudantur. Quod hic prædicitur futurum, vers. 4. sane Isaias hic vers. 5. sermonem extendit etiam ad spirituales Eunuchos, quorum nomen erit melius, vel ideo, quia ex sensu Ecclesiæ virginitas est præstantior matri-

trimonio: lege Bernar. Serm. LXXXV. in Cantica, & Basil. Lib. de Vera Virgin.

V. 8. *& deinceps*. AIT DOMINUS DEUS QUI CONGREGAT, &c. Hæc referuntur ad tempora etiam Christi: congregabit Domins dispersos; intellige tam Iudæos quam Gentes; vel fideles omnes sunt hic sub nomine Israelis, ut Sanches, Pintus, & quidam alii interpretantur.

V. 9. OMNES BESTIAE AGRI VENITE, &c. Recte Pintus: Congregandi sunt ad Ecclesiam plurimi, ut iam dixit; sed quia in spiritu videt mala etiam congregatorum, ideo prædicit persecutiones. Per bestias intellige persecutores. Datur causa persecutionis, vers. 10. quia speculatores fidelium cæci plerique sunt, & pastores eunt in vias suas. Hi sunt pseudoprophetæ, Hæretici ab initio Ecclesiæ, Arriani etiam & Novatores, & alii qui male vivunt. Sunt qui hæc mala interpretantur de Synagoga, & quidquid de hoc sit, illud, vers. 10. CAECI OMNES, refert multos seu plurimos: nam ne quidem in Synagoga omnes erant cæci; non enim erat tota Ecclesia: vide August. de unit. Eccl. cap. XII.



CAPUT LVII.

Iustorum interitus, & futura ipsorum requies non intelligitur ab impiis, cum quibus Deus hic expostulat super idololatria aliisque ipsorum sceleribus, denuntians eos humiliandos: conversis autem pax & consolatio promittitur, cum impii cor sit tamquam mare fervens cui non est pax.

1. IUstus perit, & non est qui recogitet in corde suo: & viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat: a facie enim malitiæ collectus est iustus. 2. Veniat pax, requiescat in cubili suo qui ambulavit in directione sua. 3. Vos autem accedite huc filii auguratricis; semen adulteri, & fornicariæ. 4. Super quem lusistis? super quem dilatastis os, & eiecistis linguam? numquid non vos filii scelesti, semen mendax? 5. qui consolamini in diis subter omne lignum frondosum, immolantes parvulos in torrentibus, subter eminentes petras? 6. In partibus torrentis pars tua, hæc est sors tua: & ipsis effudisti libamen, obtulisti sacrificium: numquid super his non indignabor? 7. Super montem excelsum & sublimem posuisti cubile tuum, & illuc ascendisti ut immolares hostias. 8. Et post ostium, & retro postem posuisti memoriale tuum: quia iuxta me discooperuisti, & suscepisti adulterum: dilatasti cubile tuum, & pepigisti cum eis fœdus: dilexisti stratum eorum manu aperta. 9. Et ornasti te regi unguento, & multiplicasti pigmenta tua. Misisti legatos tuos procul, & humiliata es usque ad inferos. 10. In multitudine viæ tuæ laborasti: non dixisti: Quiescam: vitam manus tuæ invenisti, propterea non rogasti. 11. Pro quo solicita timuisti, quia mentita es, & mei non es recordata, neque cogitasti in corde tuo? quia ego tacens, & quasi non videns, & mei oblita es. 12. Ego annuntiabo iustitiam tuam, & opera tua non proderunt tibi. 13. Cum clamaveris, liberent te congregati tui, & omnes eos auferet ventus, tollet aura: Qui autem fiduciam habet mei, hereditabit terram, & possidebit montem sanctum meum. 14. Et dicam:

cam: (*a*) Viam facite, præbete iter, declinate de semita; auferte offendicula de via populi mei. 15. Quia hæc dicit Excelsus, & sublimis habitans æternitatem: & sanctum nomen eius in excelso & in sancto habitans, & cum contrito & humili spiritu: ut vivificet spiritum humilium, & vivificet cor contritorum. 16. Non enim in sempiternum litigabo, neque usque ad finem irascar: quia spiritus a facie mea egredietur, & flatus ego faciam. 17. Propter iniquitatem avaritiæ eius iratus sum, & percussi eum: abscondi a te faciem meam, & indignatus sum: & abiit vagus in via cordis sui. 18. Vias eius vidi, & sanavi eum, & reduxi eum, & reddidi consolationes ipsi, & lugentibus eius. 19. Creavi fructum labiorum pacem, pacem ei, qui longe est, & qui prope, dixit Dominus, & sanavi eum. 20. Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. 21. (*b*) Non est pax impiis, dicit Dominus Deus.

(a) Inf. lxii. 10. (b) Sup. xlviii. 22.

B R U G E N S I S.

Romana Correctio.

Vers. 9: *Et ornasti te regi unguento*. Qui vulgo legitur casus ablativus nominis adiectivi *regio*, a Patribus mutatus est in dativum nominis substantivi *regi*.

C O M M E N T A R I A.

M A L D O N A T I.

Vers. 1. IUSTUS PERIT, id est moritur. Loquitur ex impiorum opinione, qui eos qui moriuntur, perire putant. ET NON EST QUI RECOGITET. Cur Deus eum eripiat, ne scilicet particeps sit malorum, quæ impiis impendent, ut paulo post exponit. VIRI MISERICORDIAE, id est misericordes, viri boni, & humani. Alii, quibus Deus misericors est. COLLIGUNTUR, id est moriuntur. Intelligitur accusativus, על עמהם, *ad populum suum*. Sæpe diximus huiusmodi verba, quæ frequenter cum casu aliquo ponuntur, aliquando absolute poni, idemque significare: ut Num. xx. 26. *Aaron colligetur, & morietur ibi*. QUIA NON EST QUI INTELLIGAT: באין מבין כי מפני, *cum non sit qui animadvertat*; id est, & tamen nemo animadvertit, quod a facie mali COLLECTUS EST IUSTUS; id est, quod ideo mortuus sit, ne videat futurum malum quod impiis imminet.

V. 2. VENIAT; pro, veniet: יבא, *ingredietur in pacem*, id est in requiem sempiternam: (aut veniet iusto pax.) REQUIESCAT, pro, requiescet. ינוחו על משכבותם, *requiescet in cubilibus suis*, id est in cælestibus mansionibus, quas Christus dixit multas esse: Ioan. xiv. 2. QUI AMBULAVIT IN DIRECTIONE SUA, iustus, id est qui recte vixit. Alii, נכחו, *coram eo*, id est coram Deo. Melius noster Interpres; quia versu præcedente dixerat impiorum opinione iustum perire, reprehendit nunc eorum errorem, dicens tantum abesse ut pereat, ut potius summa pace frui cœperit, ut Sap. iii. 2. *Visi sunt oculis insipientium mori, ipsi autem sunt in pace*.

V. 3. VOS AUTEM ACCEDITE HUC (ut pro vobis respondeatis) ego enim pro iustis iam respondi. FILII AUGURATRICIS; quasi dicat: Filii non Synagogæ, ubi veri Prophetæ sunt, sed idololatriæ, ubi præstigiatores augurantur futura. SEMEN ADULTERAE, מנאף, *adulteri*, ut etiam legitur in emendatis codicibus Latinis; id est, non filii Abraham & Saræ, quorum mores non imitamini, sed Ethnici & Ethnicæ, quorum idololatriam exercetis.

V. 4

V. 4. Super quem: עלמי, *contra quem* lusistis: התענגו, *oblectastis vos?* Significat hoc verbo solere homines impios Deum pro ludibrio habere, itaque se se oblectare eum irridentes; sicut reges morionibus delectantur. Hanc enim vim habet verbum התענגו. Super quem על מי, *contra quem* dilatastis os, id est detraxistis. Et eiecistis linguam: האריכו, *protraxistis linguam*, id est oblocuti estis; quasi dicat, Contra Deum. Numquid non vos filii scelesti (cum hæc feceritis, nonne estis filii degeneres patri vestro Abrahamo, aut Deo dissimiles) Semen mendax, id est adulterinum; quasi dicat: Nonne falsi filii estis, patremque vestrum mentimini, ut Psal. xvii. 46. *Filii alieni mentiti sunt mihi*.

V. 5. Qui consolamini, id est qui delectamini, ut versu præcedenti. In diis: באלים. Alii, *inter quercus*, minus apte. Probat quod dixerat, eos esse degeneres filios ac semen mendax. Immolantes parvulos in torrentibus subter eminentes petras, id est sub scopulos: duobus maxime locis solebant Gentiles diis suis immolare, & mactare filios, in lucis, & iuxta rivulos aquarum, quem ritum ab eis didicerant Iudæi. Psal. cv. 35. *Et commisti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & immolaverunt filios suos, & filias suas dæmoniis*. Lege Lib. IV. Reg. cap. xvi. & xvii. & II. Paral. cap. xviii.

V. 6. In partibus torrentis pars tua, id est sicut partes torrentis ב. pro כ, *in* pro *sicut*; quod frequens est apud Hebræos: ut *Vox tonitrui tui in rota*, id est sicut rota Psal. lxxvi. 19. quasi dicat: Quia in torrentibus immolasti, pars tua, id est hereditas tua, erit sicut hereditas torrentis, quæ præteribit (ut Poeta loquitur) more fluentis. Haec est sors tua; id est, similis erit torrentis hereditas tua, fluxa, & caduca. Heb. הם הם, *ipsi ipsi sors tua*, id est dii quibus immolasti; quasi dicat: Pete ab illis mercedem idololatriæ tuæ, qui nihil sunt, neque possunt. Relativum sine antecedenti. Scio alios aliter interpretari; sed hic mihi videtur proprius esse sensus. Numquid super his (peccatis tuis) non indignabor. Heb. העל אלה אנחם, *an super hæc consolationem accipiam*, id est placabor: quem eumdem sensum noster Interpres reddidit per negationem. R. David interpretatur, *An pœnitebit me* (mali quod vobis paravi.)

V. 7. Super montem excelsum, id est in omni loco sublimi, ita ut ab omnibus conspici posset, cum idolis scortata est. Utitur enim Heb. genere feminino, quia intelligitur Ierosolyma, cum qua loquitur. Posuisti cubile, id est lectum tuum, quo scortareris cum idolis. Lectum autem vocat altare, in quo idolis sacrificabat, eadem metaphora, qua sacrificium ipsum fornicationem vocare solet.

V. 8. Post ostium et retro postem posuisti memoriale tuum, id est idolum tuum, ut illud exiens ac ingrediens videres, semperque illius recordarere. Vel memoriale vocat monimentum aliquod idoli, vel instrumentum ad sacrificandum, זכרנך: alii vertunt *suffitum tuum*. Quia iuxta me discooperuisti te; id est, domi etiam tuæ iuxta templum, ubi mihi debebas sacrificare, prostituisti te sicut meretrix ad scortandum cum idolis, id est sacrificandum; quasi dicat: Iuxta thalamum meum, nudasti te ut concumberes cum idolis. Heb. מאתי, *a me discooperuisti te*, id est me relicto, idolis te tradidisti. Et suscepisti adulterum Hebr. ותעלי, *& ascendisti* (sub, in montem, aut in lectum tuum, ut scortareris.) Dilatasti cubile tuum, id est lectum tuum: משכבך scilicet ut plures adulteros capere posset; quasi dicat: Non fuisti contenta uno idolo, sed multa coluisti. Et pepigisti cum eis foedus; id est, sicut meretrix, quæ multos habet amatores, cum eis paciscitur, ut una nocte cum uno dormiat, alia cum alio: sic tu cum multa haberes idola, cum eis pepigisti, ut uno die uni, alio alii sacrificares. Dilexisti stratum eorum manu aperta, (sub ad recipiendam mercedem) id est, ut ab eis auxilium reciperes, eis sacrificasti. Heb. יד חזית Chaldæus vertit, *locum elegisti*, id est in loco, quem ad sacrificandum elegisti. Alii, *in loco quem vidisti*, id est in omni loco, quem aptum esse videbas.

V. 9. Et ornasti te regio unguento; id est, præparasti te ad sacrificandum, sicut meretrices ungunt se unguento quasi reginæ ad concumbendum cum amatoribus. Heb. ותשורי למלך, *obtulisti munera regi*: בשמן, *in unguento*, vel ex unguento, aut

cx

ex oleo. Per regem intelligit Bel primum idolum Chaldæorum, ut sup. cap. XLVI. 1. Vel, ut alii dicunt, Assyriorum regem, ad quem Iudæi munera mittebant, ut opem ab eo postularent, aut ad regem AEgyptiorum, ut supra dixit cap. XXX. & XXXI. ET MULTIPLICASTI PIGMENTA TUA, id est multa & varia pigmenta, vel aromata ad eum pro munere misisti. MISISTI LEGATOS TUOS PROCUL, id est in AEgyptum, ut sup. cap. XXX. & XXXI. HUMILIATA ES, id est submisisti te illi. USQUE AD INFEROS, id est valde, nimis.

V. 10. IN MULTITUDINEM VIAE TUAE; id est, ob longitudinem itineris quo ad AEgyptum tendebas, fatigata es, inanem laborem consumpsisti, ut auxilium peteres ab iis, qui dare non poterant, ut cap. XXX. 5. NON DIXISTI, QUIESCAM; id est, non sensisti laborem, sine ulla intermissione laborasti. Heb. לא אמרת נואש *non dixisti*, *desperatum est* (cor meum) id est, non sensisti vires tibi animumque deficere propter cæcam cupiditatem, qua ducebare. VITAM MANUS TUAE INVENISTI. Hebraismus, pro, non perdidisti vigorem virium tuarum. PROPTEREA NON ROGASTI: לא חלית *non ægrotasti*: atque ita fortasse vertit noster Interpres; sed similitudo postea litterarum induxit, rogasti, pro ægrotasti: quamquam Septuag. verterunt διὰ τοῦτο οὐ κατεδεήθης, *non rogasti*; id est, non petivisti a me auxilium, confisa hominum auxilio, aut non sentiens te indigere.

V. 11. PRO QUO SOLICITA TIMUISTI; id est, propterea anxia fuisti, & in perpetuo timore versata, QUIA MENTITA ES, id est defecisti a me, MEIQUE NON ES RECORDATA. Nam si mei oblita non esses, nihil esset quod te perterrere posset. NEQUE COGITASTI; id est, propterea mei oblita es, quia non cogitasti quod tacerem, & quasi non videns essem; id est, non propterea non ostenderem meam potentiam, quod oblitus essem tui, aut non haberem curam rerum, sed quod dissimularem & quodammodo occultarem me, ut experirer quomodo te gereres. Heb. ואת מי דאגת ותיר אי *quem timuisti ac formidasti*, *quia mentita es*; id est, si quem timuisti, propterea timuisti, quia a me defecisti. *Et non cogitasti*, הלא אני מחשה ומעלם, *An non ego tacens & a sæculo*: ואתי לא תיראי, *& me non timuisti*; id est, non animadvertisti, quod etsi quidem tacui, & quidem a sæculo, id est valde diu, (sub. non semper tacebo.) Noster Interpres non videtur legisse מעולם *a sæculo*, sed מעֻלם, *absconditus*, participium passivum a verbo עלם quod iisdem constat litteris, sed diversis punctis legi potest; sensusque est multo melior, quem noster Interpres expressit dicens, ET QUASI NON VIDENS: idem enim est occultare se, & non videre.

V. 12. EGO ANNUNTIABO IUSTITIAM TUAM, id est quam tu putas esse iustitiam, re autem vera summa est iniquitas; id est, ego patefaciam qualis sit, cognosces-que tua opera mala fuisse, cum videris tibi non prodesse.

V. 13. CUM CLAMAVERIS; id est, cum calamitate aliqua oppressus clamare cogeris ad opem implorandam. LIBERENT TE CONGREGATI TUI, id est AEgyptii qui tibi sunt fœdere coniuncti; vel milites quos congregasti; quasi dicat, Non poterunt te liberare, ut Deuteronom. XXXII. 38. *Ubi sunt dii eorum in quibus habebant fiduciam, de quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum? Surgant, & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant.* OMNES EOS AUFERET; id est, tantum abest ut liberare possint, ut eos potius ventus rapiat, id est levissima de causa pereant. QUI AUTEM FIDUCIAM HABET IN ME, HEREDITABIT TERRAM, id est liberabitur, erit securus & longævus. ET POSSIDEBIT MONTEM SANCTUM MEUM, id est habitabit in Sion. Myst. in Ecclesia.

V. 14. ET DICAM, VIAM FACITE; id est, iubebo omnia impedimenta tolli, efficiam, ut quocumque tendant qui in me confidunt, facilem viam inveniant; hoc est, ut quidquid facere aggrediantur, bene illis succedat. Heb. אמר, *dicet* (Deus) DECLINATE DE *via*; id est, date locum, qua transeat populus meus; vel, פנו דרך, *purgate viam a lapidibus*, aut *verrite viam*.

V. 15. QUIA HAEC DICIT DOMINUS. Hæc omnia epitheta eo pertinent, ut maiorem promissioni fidem faciat. ET IN SANCTO HABITANS. Heb- קדוש אשכן, *in sancto habitabo*, id est in templo, aut cum homine sancto, & cum eo qui contrito est & humili spiritu: UT VIVIFICEM SPIRITUM HUMILIUM, id est ut afflictos sublevem.

V. 16.

V. 16. NON ENIM IN SEMPITERNUM LITIGABO; id est, infensus ero, inimicitias geram, neque usque ad finem irascar: לנצח *in perpetuum*. QUIA SPIRITUS A FACIE MEA EGREDIETUR: fut. pro præterito egressus est; id est, quia ego creavi spiritum. ET FLATUS EGO FACIAM, id est & animas ego feci: repetitio. Alii, *Quia spiritus a facie mea*, id est qui egredietur ex me: יעטוף, *induet* (corpus) referuntque ad mortuorum resurrectionem. Sed prior mihi interpretatio propria videtur; quasi dicat: Ego qui feci spiritum & animam, non ignoro ventum esse vitam hominis, ut ait Iob cap. VII. 7. propterea non perpetuo illi irascar: ut Psal. LXXVII. 38. *Et abundavit ut averteret iram suam, & non accendit omnem iram suam: & recordatus est quia caro sunt, spiritus vadens & non rediens:* & Psal. CII. 13. *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.*

V. 17. PROPTER INIQUITATEM AVARITIAE EIUS; id est, Non mea sponte illi iratus sum, *Non enim volo mortem peccatoris;* sed ille me iniquitate avaritiæ suæ ad iram provocavit. Avaritiam ponit pro omni peccato, speciem pro genere, quia *Cupiditas radix est omnium malorum*: I. Tim. VI. 10. ABSCONDI A TE FACIEM MEAM, id est abstuli a te favorem meum. Repentina mutatio personæ, quamquam Hebraice neque est *te*, neque *faciem meam*, sed absolute, הסתר, *abscondi* (sub. me, aut faciem meam. ET ABIIT MOERENS, id est tristitia affectus, quia illi irascebar, στυγνὸς, ut Septuag. transtulerunt; quasi dicat: Etiam cum a me afflictus esset, & mœstitia affectus, tantum abest ut conversus fuerit ad me, ut potius abierit in viam cordis sui; id est, quocumque appetitus libidoque ducebat, fecit quidquid illi collibitum est. Heb. וילך שובב *& abiit oberrans*, aut aversus, aut vagus, ut in nonnullis Latinis codicibus est, id est effrænate. Alii, *abiit rebellis*.

V. 18. VIAS EIUS VIDI; pro, videbo; quasi dicat: Hactenus abscondi faciem meam ab illo, ut dixit vers. præcedenti; sed iam respiciam illum. ET SANAVI; pro, sanabo eum. ET REDUCAM EUM, (ad me) aut ex captivitate. ET REDDAM CONSOLATIONES IPSI; id est, restituam illum in iucundam illam vitam, quam agebat ante quam in captivitatem duceretur. ET LUGENTIBUS EIUS (populi) id est, iis qui ex populo lugent; id est, lætabuntur pro diebus, quibus eos humiliavi, *annis, quibus viderunt mala*: Psal. LXXXIX. 15.

V. 19. CREAVI FRUCTUM LABIORUM PACEM; id est, pacem, quam illis verbis promisi, reipsa illis dabo; vel ut alii exponunt, efficiam ut sicut nunc non loquuntur nisi de bellicis terroribus, ita tunc non loquantur nisi de pace. PACEM EI QUI LONGE, id est tam Iudæis qui longe dispersi sunt, quam illis qui in Iudæa remanserunt: vel, Iudæis & Gentilibus, ut videtur D. Paulus interpretari Ephes. II. 17. *Et veniens evangelizavit pacem, pacem vobis qui longe fuistis, & pacem iis qui prope:* & ut dixit Isai. sup. cap. XI. 6. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit:* & inf. cap. LXV. 25. *Lupus & agnus pascentur simul, & leo & bos comedent paleas.*

V. 20. IMPII AUTEM QUASI MARE FERVENS, id est æstuans כנגרש, *impulsum, agitatum*. ET REDUNDANT FLUCTUS EIUS, ויגרשו מימיו, *& propellunt aquæ eius* רפש וטיט, *cœnum & lutum;* id est, sicut aquæ maris causa sunt cœni & luti, sic impiorum scelera causa erunt illis suppliciorum, & ut Hispani dicunt, *de tal polvo, tal lodo.*

V. 21. NON EST PAX IMPIIS; id est, illa pace, quam supra promisi iis qui ad me redirent, impii qui in sua impietate obstinati permanebunt, non fruentur.

S A.

Vers. 1. IUSTUS, id est Christus, vel homines iusti. RECOGITET, scilicet causam promissionis Dei. MISERICORDIAE, id est pii. LXX. *iusti*. COLLIGUNTUR, scilicet ad patres, id est moriuntur. QUIA. LXX. &. INTELLIGAT. LXX. *consideret*, scilicet causam. A FACIE, &c. Chald. *propter malum, quod venturum est;* quasi dicat: Auferet eos hinc Deus, ut non videant mala.

V. 2. VENIAT PAX, scilicet illi, scilicet dicit Deus. CUBILI. LXX. *sepultura*. DIRECTIONE, id est vitæ rectitudine.

V. 3. AUGURATRICIS, id est veneficæ; quasi dicat, Impii, seu scelesti. LXX. *iniqui*.

V. 4. SUPER, id est contra. SCELESTI. LXX. *perditionis*. MENDAX, id est adulterinum. LXX. *vile*.

V. 5. CONSOLAMINI, id est delectamini. TORRENTIBUS. LXX. *vallibus*.

V. 6. PARS TUA; quasi dicat, Divitiæ & delitiæ tuæ, colere idola.

V. 7. CUBILE, id est templum, ubi adulterium idololatriæ.

V. 8. MEMORIALE, id est quod tibi in mentem reducat deos tuos, scilicet idola. IUXTA ME, id est me vidente. DISCOOPERUISTI, scilicet turpitudinem tuam. ADULTERUM; quasi dicat, Adulterata es cultu idolorum. DILATASTI, &c. quasi dicat, Cum multis es fornicata, scilicet colens multos deos. STRATUM, quasi dicat, Adulterari. MANU APERTA, id est palam. *Manus* pro loco.

V. 9. REGI, scilicet Assyriorum, vel AEgypti. UNGUENTO, quasi dicat, More meretricis, ut ei placeres. LEGATOS, scilicet confidendo in hominibus. USQUE AD INFEROS, id est vilissime, seu profundissime.

V. 10. LABORASTI, scilicet profecta ad petendum auxilium. QUIESCAM. LXX. *desinam*. Chald. *convertar*. VITAM MANUS TUAE. Chald. *divitias multas*, scilicet manuum labore partas. ROGASTI. LXX. *rogasti me*.

V. 11. TIMUISTI? per interrogationem legendum. MENTITA, scilicet mihi fidem non servans. TACENS, id est dissimulans.

V. 12. IUSTITIAM. Ironice; quasi dicat, Tua flagitia.

V. 13. CONGREGATI, scilicet milites, vel Principes fœderati. AURA. LXX. *tempestas*. MONTEM, scilicet cælum.

V. 15. AETERNITATEM. Chald. *in cælis*. LXX. *in æternum*. IN SANCTO HABITANS: LXX. *in sanctis requiescens*.

V. 16. LITIGABO. Chald. & LXX. *ulciscar*. USQUE AD FINEM, id est semper. QUIA SPIRITUS, &c. quasi dicat: Ego enim animas creo. EGREDIETUR; pro, egreditur. FLATUS, id est animas: vide August. VII. de Gen. cap. III. & XIII. Civit. cap. XXIV. FACIAM. Heb. Chald. & LXX. *feci*; quasi dicat: Amo animas quas feci, ideoque ignosco.

V. 17. VAGUS, id est errans. LXX. *tristis*.

V. 18. CONSOLATIONES. LXX. *consolationem veram*, EIUS. Chald. *super eum*.

V. 19. LABIORUM, id est confessionis peccatorum, vel laudis.

V. 20. CONCULCATIONEM. Chald. *cænum*; scilicet solent fluctus cœnum eiicere ad littus.

V. 21. PAX. LXX. *gaudere*.

ESTII.

Vers. 1. IUSTUS PERIT, ET NON EST QUI RECOGITET IN CORDE SUO: ET VIRI MISERICORDIAE COLLIGUNTUR, QUIA NON EST QUI INTELLIGAT. Quæstio, quem iustum velit Propheta hac sententia significare? Hebræi intelligunt ipsum Isaiam; quem dicunt hic prædicere suam ipsius mortem, & immane supplicium, quo affectus fuit a Manasse rege, lignea serra dissectus. Hieron. per antonomasiam intelligit de Christo dictum, qui est eximie iustus præ omnibus mortalibus; immo fons ipsius iustitiæ. Sed Christo non admodum videtur convenire: nam ille statim post mortem factus est admodum gloriosus per resurrectionem, & per miracula, & prædicationem Apostolorum. Deinde addit Propheta plurali numero: *Et viri misericordiæ colliguntur*: unde apparet, non de uno aliquo dictum, sed in genere de iustis; ut sensus sit: *Iusti pereunt*, id est discedunt ex hac vita, & viri misericordiæ, id est misericordes ac benefici colliguntur per mortem ad patres suos; & non est qui recogitet in corde suo, id est nihili æstimant mortem Sanctorum, neque eorum post mortem habent ullam memoriam; sed videntur abiisse in oblivionem. Addit: A FACIE MALITIAE COLLECTUS EST IUSTUS; quasi dicat: Collectus est, & sublatus, ut mala huius sæculi non videret: magnum scilicet Dei beneficium, quando virum iustum per mortem eximit ex consortio malorum, aliisque huius sæculi malis.

V. 19. CREAVI FRUCTUM LABIORUM PACEM, PACEM EI QUI LONGE EST, ET QUI PROPE, DICIT DOMINUS. Hunc locum interpretatur nobis Apostolus Paulus ad Ephes. II. *Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis*, id est gentilibus: Ephesii enim, ad quos scribit, erant gentiles; *& pacem iis qui prope*, id est Iudæis: scili-

scilicet Gentiles longe fuerant a Dei notitia, & a lege Dei prorsus alieni; Iudæi vero prope, quia erant populus Dei, *quorum erat testamentum, & legislatio & promissa*, ut est Rom. IX. & alibi. Utrisque pacem annuntiavit Christus, quia utrisque reconciliationem cum Deo per fidem in ipsum mediatorem publicavit.

MARIANAE.

Vers. I. IUSTUS PERIT. Chald. *iusti moriuntur:* singulare pro plurali; quasi dicat: Non est mirum, si iniqui multi sunt, & mali pastores, quoniam qui iusti sunt, ii moriuntur. Quæ magna calamitas est, neque quisquam id considerat. COLLIGUNTUR. Moriuntur qui deberent diu vivere. QUIA NON EST QUI INTELLIGAT. Heb. *in non intelligente*, id est non est qui intelligat. Hieronymus pro *Beth*, legit *Caph:* sic dixit, quia non est, cum nulla reddatur causa. A FACIE ENIM MALITIAE, id est ne mala quæ instant, videat, & patiatur. Aut ne mores ipse mutet in peius. Quod de Enoch dicitur: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius:* Sapien. IV. II. Collectus est iustus.

V. 2. VENIAT PAX; pro, in pace. Heb. *veniet* (in) *pace*; scilicet morietur antequam res turbentur. Septuag. *erit in pace sepultura eius*. Chald. *ibunt in pace*. REQUIESCAT IN CUBILI SUO. Heb. *requiescent in cubilibus suis*, id est sepulcris. Mutat numerum more eius linguæ. QUI AMBULAVIT IN DIRECTIONE SUA, eam mercedem inculpatæ vitæ recipit. Chald. *qui operantur secundum legem*. Alii vertunt, *ambulans coram eo*, scilicet Deo. Verum Heb. vox נכחו *nechoho* potest *directionem* significare, ut Hieronymus posuit.

V. 3. FILII AUGURATRICIS, id est veneficæ. ET FORNICARIAE. Heb. *&* (eius quæ) *fornicata est*. Quod Hieronymus bene vertit. Iudæos increpat.

V. 4. SUPER QUEM LUSISTIS? Heb. *contra quem vos oblectastis?* Hoc de Deo intelligo, contra quem se illi homines cultu idolorum oblectabant. EIECISTIS LINGUAM. Heb. *prolongastis linguam*. SEMEN MENDAX? id est filii nothi, adulterini.

V. 5. QUI CONSOLAMINI. Alii vertunt, *qui incalescitis*, id est fornicamini. Cultum idolorum fornicationem vocat. Vox Heb. potest deduci a נחם *naham*, quod est *consolari*. Hoc Hieron. est secutus. Potest etiam deduci a יחם *iaham*, quod *calefacere* significat. Hoc Hebræi sequuntur. In sententia non discrepant. IN DIIS. Vox באלים *baelim* potest significare, *in diis*, quod Chald. & Septuag. secuti sunt, pro *diis* ponentes *idola*. Potest etiam significare *in quercubus*, apud quercus, ubi sacrificabant, quod Hebræi fere sequuntur. IMMOLANTES PARVULOS. Heb. *filios*. SUBTER EMINENTES PETRAS. Heb. *subramis petrarum*. Sic ramos vocat rupium acumina & quasi dentes.

V. 6. IN PARTIBUS TORRENTIS, id est in rivis torrentis pars tua: ibi sacrificas, ibi epularis; nam in sacrificiis epulabantur. Alii vertunt *in lævibus* (scilicet saxis) *torrentis pars tua*. Ibi sedes, ibi sacrificas, & epularis. Vox חלק *helek*, causa variæ versionis, significat enim & *partem*, & *lævem esse*. Chald. *in Levibus locis ripæ*, dixit. SUPER HIS NON INDIGNABOR? Heb. *super his consolationem accipiam?* Eadem significatio; quasi dicat: Numquid hæc æquo animo feram?

V. 7. CUBILE TUUM. Sic vocat altare, aut tentorium, in quo sacrificantes quiescebant: illud super montem posuisti.

V. 8. POST OSTIUM, scilicet domus tuæ. MEMORIALE TUUM. Chald. *memoriale idolorum tuorum posuisti*, id est imaginem, signum, quod idola in memoriam revocaret. Deus præcepit, ut memoriale suæ Legis portarent, hi contra faciebant. Quidam pro *memoriali*, *suffimentum* vertunt. Vox *zichron* utrumque significat. QUIA IUXTA ME DISCOOPERUISTI. Heb. *a me* (scilicet recedens) *revelasti*, scilicet pudenda. ET SUSCEPISTI ADULTERUM. Heb. *ascendisti*, scilicet in excelsa. DILATASTI CUBILE TUUM, ut capiat adulterum. ET PEPIGISTI CUM EIS FOEDUS. Heb. non est *fædus*, sed bene suppletur. MANU APERTA, id est prorsus. Heb. *manum vidisti*, id est locum, ubi erat cubile eorum, hoc est, idola. Nam per metaphoram adulterii, cultum idolorum intelligit.

V. 9. ET ORNASTI TE REGI UNGUENTO. Heb. *progressa est ad Regem in unguento*, id est ornatu meretricio, ut illi placeres. Porto per Regem intelligunt Regem Assyriorum, propter ה emphaticum in *Paelah* subintellectum.

ET HUMILIATA ES USQUE AD INFEROS,

 sive.

sive *sepulcrum*. Quam est illa fovea profunda, tantum te deiecisti. Videtur carpere quae Ezechias fecit cum Rege Assyriorum IV. Regum XVIII. 14. tributum illi solvens.

V. 10. IN MULTITUDINE VIAE TUAE LABORASTI, cum Legatos in Assyriam longinquam mitteres. NON DIXISTI: QUIESCAM. Heb. *non dixisti: Desperatum est*, spes pacandi Assyrios te stimulabat, ut cum laborem subires. VITAM MANUS TUAE INVENISTI, id est vitam tibi Assyrius concessit. *Vitam manus tuae*, id est tuo labore & industria partam. PROPTEREA NON ROGASTI, scilicet *me*: sic Septuag. Heb. *non languisti*, id est longi itineris laborem non recusasti.

V. 11. QUIA MENTITA ES, id est defecisti a me, me dereliquisti. QUIA EGO TACENS, scilicet ideo mentita es. Heb. *An ego tacens*, pro, taceam? ET QUASI NON VIDENS. Heb. *& a saeculo*, scilicet perpetuo, scilicet tacebo? Aposiopesis; quasi dicat: An non puniam aliquando te? ET MEI OBLITA ES. Heb. *& me non timuisti*. *Et*, pro, quia me non timuisti, ideo te puniam.

V. 12. EGO ANNUNTIABO IUSTITIAM TUAM. Ironia est.

V. 13. CUM CLAMAVERIS in periculo. LIBERENT TE CONGREGATI TUI, id est milites, quos undique contraxisti. TOLLET AURA eos. Heb. *tollet vanitas*, nihil proderunt. Cum piis longe aliter me geram, liberabo eos.

V. 14. ET DICAM. Chald. *& dicet*. Septuag. *& dicent*, scilicet liberati. VIAM FACITE, PRAEBETE ITER. Heb. *munite, munite*. DECLINATE DE SEMITA. Heb. *complanate viam*.

V. 16. NON.... LITIGABO, id est non semper puniam Iudaeos. AD FINEM non irascar. Heb. *perpetuo*. QUIA SPIRITUS A FACIE MEA EGREDIETUR. Heb. *induet*, scilicet corpus. Ego feci hominis spiritum. ET FLATUS EGO FACIAM. Heb. *mentes ego feci*, scilicet vitam ego homini do; ideo eam servare volo, liberare pios, ideo ignosco.

V. 17. ABSCONDI A TE FACIEM MEAM. Gotth. *abscondi sine faciem meam*: sic Vulg. Regia, sed bene suppletur id. Heb. *abscondendo* (faciem) *& percussi eum*, scilicet populum. ET ABIIT VAGUS. Heb. *rebellis*. Supplicium illi non profuit.

V. 19. CREAVI FRUCTUM LABIORUM. Fructus labiorum sunt verba. Omne novum creatura vocatur. Ergo, ante loquebar ultiones, nunc verbum novum profero. Pacem, inquam, pacem omnibus, sublata omni contentione & vindictae studio. Hoc cum piis: nam impii alia conditione erunt, ut mare fervens.

V. 20. REDUNDANT FLUCTUS EIUS. Heb. *impellunt*, id est *faciunt*, ut Chald. exponit, *aquae eius coenum & lutum*. Ea est impii conditio, mentis inquietudo, opera foeda tandem.

MALVENDAE.

Vers. 1. IUSTUS PERIT. Heb. *Iustus ablatus est de medio*, &c. Notant esse alteram partem aetii, de oscitantia populi, ut diximus cap. LVI. 10. *perit*, id est moritur, decedit ex hac vita, tollitur de medio. ET NON EST QUI RECOGITET IN CORDE SUO. Alii: I. *neque quisquam hoc in corde reponit*. II: *& nemo homo reponit in animo*; id est, non est qui curet & reputet apud se quare illi moriantur. *Ponere super cor*, Hebraismus, pro advertere animum, seu curare. VIRI MISERICORDIAE COLLIGUNTUR. Varie alii: I. *& viri pietate insignes*, seu *conspicui*, *congregantur* ad populum suum, seu ad patres. II. *homines benigni*, *benefici*, *pii*, *tolluntur*. III. *homines*, *inquam*, *benignitatis*, seu *benigni recipiuntur*. QUIA NON EST QUI INTELLIGAT. Heb. *in non intelligente*. Alii: I. *non existente qui intelligat*. II. *& nemo expendit*. III. *nemine advertente*. Hispanice: *sin haver quien lo advierta*. A FACIE ENIM MALITIAE COLLECTUS EST IUSTUS. Alii: I. *tollitur enim ante malum iustus*. II. *quod propter malum*, id est ultionem brevi venturam, *appositus sit* ad patres suos *iustus*. III. *nemine advertente ante faciem*, seu *ante adventum ipsius mali recipi iustum*. Exponunt: *Ipsius mali*, quale denuntiavit Deus supra cap. LVI. 9. Sic de Chanocho dicitur Sapientiae IV. 10. & de Abrahamo, Genes. XV. 15. & de Chizkkiia, II. Reg. XX. 13. & 19. & de Ioschia II. Reg. XXII. 20. IV. *nec est qui intelligat*, *quod propter malum venturum congregatur iustus ille*. *Malitia* hic & pro malo culpae, & poenae accipi potest; subducitur enim iustus a periculis vi-

vitæ, ac peccandi; & ne eum feriat ingruens & publica ultio.

V. 2. VENIAT PAX, &c. Alii hunc versum ex Heb. reddunt: I. *Ingredietur in pace*, subaudi ad patres suos, *morietur in pace*, vel *veniet pax* iusto, id est dies, in qua requiescet in pace: *requiescent in cubilibus suis*, *qui ambulaverint coram eo*, scilicet Deo; id est, quisquis placuerit Deo in vita sua, recipietur in æterna tabernacula. II. *Veniet pax* (*requiescent in cubilibus suis*) *ambulans*, scilicet pax, *ante illum*; id est, præcedit eum, & comitatur abeuntem & discedentem ex hoc mundo. III. *Veniet pax ambulanti in rectitudine sua*; id est, erit felicitas ei, qui recte instituit vitam suam: ut illud, *requiescent in cubilibus suis*, sit interiectum per parenthesin. IV. *Veniet pax*, id est mors iustorum in pace, ut Genes. XV. 15. & Lucæ II. 29. *requiescent super cubilia sua*, id est in sepulcris, omni prorsus malorum timore sublato, *ambulans* quisque *ante eam*, nempe pacem; id est, qui eam semper præsetulerit, & eius administer fuerit. V. *It* iustus ad sepulcrum in *pace*, *requiescunt* pii *in sepulcris suis*: *it* pax *ante eum*, vel *præceditque ante illum*; id est, in pace decedit iustus. Postremam partem reddunt alii: *requiescunt in sepulcris suis* singuli, *qui ambulant ante Deum*. VI. *Ingredi pacem*, apud Deum, relictis quacumque ratione agitationibus mundi: vel *occidere in pace*, citra ullum turbarum mundi impedimentum, *requiescere in cubilibus suis*, id est in sepulcris, quæ sunt corporibus nostris cubilia usque ad resurrectionis diem: *quisquis ambulat in æquitate sua*.

V. 3. VOS AUTEM ACCEDITE HUC, &c. Alii: *At vos appropinquate huc*, &c. Obiurgatio, ut diximus in cap. LVI. 10. qua Deus Iudæis omnibus antiquam, & a parentibus traductam improbitatem exprobrat, cum matrem præstigiatricem, patrem adulterum, & ipsorum quemque scortatorem vocat: *appropinquate huc*, nimirum ad contestationem causæ, & iudicium, ut supra cap. XLI. 1. FILII AUGURATRICIS. עוננה ghonenah, hæc omnia complectitur, *observatricis*, *præstigiatricis*, *oculatricis*, *fascinatricis*, *veneficæ*; vide supra cap. II. 6. ET FORNICARIAE. Heb. *& fornicaberis*, vel *& fornicata fuit*; nam potest esse secunda persona masculea, & tertia feminea, & ad *auguratricem*, & ad *semen* referri. Alii: I. *& quorum mater fornicata est*. II. *& quod fornicaberis*. III. *quod scortaris*.

V. 4. SUPER QUEM LUSISTIS? &c. Alii: I. *In quo*, vel *quare vos oblectatis?* II. *Contra quem oblectatis vos?* &c. Contestatio confirmans duo crimina obiecta præcedente versu, primum quidem parentum, hoc & sequente versu; deinde vero ipsorum, vers. 6. & sequentibus; quasi dicat: Nonne contra me spectant hæc omnia, & in me sunt contumeliosa? SUPER QUEM DILATASTIS OS? Alii: *contra quem dilatastis os?* Vide Psal. XXI. 8. & XXXIV. 21. ET EIECISTIS LINGUAM. Heb. *prolongabitis linguam?* Alii I. *protrahitis linguam?* II. *& linguam exeruistis?* ad ludibrium & contumeliam. Aulus Gellius Lib. IX. Noctium Articarum cap. XIII. *Deinde Gallus irridere cœpit, atque linguam exertare*. NUMQUID NON VOS FILII SCELESTI? Heb. *an non vos nati, geniti, parti defectionis, transgressionis, prævaricationis?* Alii: I. *an non estis nati defectione*, id est matre impura, quæ defecit a me? II. *an non vos filii estis perfidi?* SEMEN MENDAX? Heb. *semen falsitatis*, seu *fallaciæ*? Quidam: *semen falsum*? id est, patre adultero? ut superiore versu; quasi dicat, Semen spurium & illegitimum.

V. 5. QUI CONSOLAMINI IN DIIS. Participium נחמים necchamim, a נחם nacham, *consolari*, deduxit. Passim alii a יחם *iacham*, *incaluit*, reddunt: *Incalescentes*, *calefacientes se*, sive *calore venereo coeuntes*, *cum diis*. Idololatriam vocat scortationem frequenti usu Scripturæ. Forsterus: *qui incalescitis subter quercus*, vel *qui calentes in ilices*. Leo Iudas: *Incalescitis apud quercus*, vel *inter quercus*, seu *ulmos*. Tremellius, & Iunius: *eorum*, *qui incaluerunt in lucis*, nimirum in sua scortatione spirituali servientes dæmonibus, & non Deo. IN DIIS. אלים *elim*, & *deos*, & *quercus*, seu *ilices*, vel *alnos*, aut *ulmos* possit significare, *a fortitudine*: vide supra cap. I. 29. Hispanicus Interpres: *Qui hos escalentais conlos alcornoques*; id est, exercetis scortationem spiritualem, sive idololatriam. SUBTER OMNE LIGNUM FRONDOSUM: prout factum fuisse a temporibus Achazi legimus II. Reg. XVI. 3. & 4. Vide Deuteronom. XII. 12. SUBTER EMINENTES PETRAS. Alii ex Heb. I. *sub dentibus*, *scopulis*, *sum*-

mi-

mitatibus, *cacuminibus rupium*. II. *sub ramis petrarum*. III. *sub cavernis petrarum*.

V. 6. IN PARTIBUS TORRENTIS PARS TUA. Alii: I. *In lubricis lubricitatibus*, *torrentis pars tua*. II. *In levibus petris*, seu *in politis petris*, aut *in politioribus lapidibus*, seu *lubricis saxis torrentis*, ut illi I. Samuel. XVII. 40. *pars tua*; quasi dicat: Cum vides pulchrum aliquem lapidem ac politum, lævem, lubricum positum in torrentibus viæ, aut alterius rei causa, illum adoras, eum reputas tuam sortem. Forte est illud Arnobii Lib. I. Adversus Gentes, pag. 28. *Si quando conspexeram lubricatum lapidem & ex olivi unguine ordinatum, tamquam inesset vis præsens, adulabar, affabar, & beneficia poscebam*. Apuleius sub initium Floridæ I. *Aut lapis unguine delibutus*. Theophrastus Charactere de superstitione: *Lapides unctos, qui sunt in triviis, solet oleo ex ampulla perfundere: nec prius discedere quam posito genu eos fuerit veneratus*. Vide Genes. XXVIII. 18. III. *Inter leves lapillos torrentis pars tua est*. Altera pars contestationis, ut dictum est in vers. 4. quasi dicat: Et tu ambulas nunc quoque in peccatis parentum tuorum: ista est hereditas tua, peccati illorum æmulatio omnibus in locis in torrentibus sub scopulis petrarum, hoc versu, & in excelsis palam, versu sequente, etiam in domo mea, vers. 8. needum tibi satis est, vers. 9. & 10. HAEC EST SORS TUA. Heb. *ipsi ipsi*, vel *illi illi*, seu *illi sunt sors tua*, id est illi lapides lubrici, vel læves. Nam pronomina ista masculea referuntur ad מחלקי *chalekim*, masculeum, *dispertitiones*, *lubricitates*. ET IPSIS EFFUDISTI LIBAMEN. *Ipsis*, diis, vel lapidibus lævibus, vel lubricis, vel *super eos lapides*. Hebr. *etiam illis*, &c. Videlicet, ut maiores tui. NUMQUID SUPER HIS NON INDIGNABOR? id est *consolabor*. Alii I. *num vero ista æquanimiter ferrem?* II. *an super istis consolationem caperem?* Indignantis exclamatio pathetica; quasi dicat: An umquam possem conquiescere, ni scelera tua & contumelias in me illatas ulciscerer?

V. 7. SUPER MONTEM EXCELSUM, &c. Hunc versum alii ex Heb. reddunt: I. *In monte alto & elato ponis cubile tuum, & iam illuc ascendis ad faciendum sacrificium*. II. *In montibus excelsis, & sublimibus posuisti lectisternia tua: atque illuc ascendisti ut mactares victimam*.

V. 8. ET POST OSTIUM, ET RETRO POSTEM, &c. Alii hunc versum ex Heb. elucidant: I. *Et post ostium & postem posuisti suffitum tuum*, vel *odorem tuum*, quem diis tuis adoleres: *quia a me discedens discooperuisti turpitudinem tuam, & ascendis excelsa, dilatasti cubile tuum, pepigisti pactum cum eis, dilexisti cubile eorum, in omni loco, quem vidisti*. II. *Post ostium & postes reliquisti monumentum tuum*; id est, ponis aliquid, quod tibi revocet in memoriam Deum, quem colis: *quoniam præter me renudasti turpitudinem tuam aliis, & dilatasti lectum tuum*: id est, lectum fecisti ampliorem, quo plures adulteros admitteres; quasi dicat, Non idolum unum coluisti, sed plura: *& fœdus tibi pepigisti cum quibusdam ex eis, dilexisti lectos eorum ubicumque vidisti*; id est, ubicumque vidisti idola, illic te illis prostituisti. III. *Et post ostium & postem posuisti recordationem tuam*, id est tutelares deos, Penates, & Lares, quorum statuæ post ostium & postes ponebantur, ut felix & faustus esset tam ingressus quam egressus; nisi figurate accipias, quasi nullus esset absque Deo angulus domus. *Memoriale*, seu *recordationem* vocat sculptilia seu idola, quæ numinis memoriam revocabant; & in hunc usum in singulis domus partibus collocabantur: *quoniam a me migravisti*, id est a latere meo: more mariti loquitur Deus, a cuius latere surgere, & cum altero rem habere, summum scelus est; *& ascendisti* seu *concubuisti*; id est, a latere meo, e lecto eodem in quo mecum iacebas, recedens alteri tui copiam fecisti. Verbum *ascendendi* in significatione *concumbendi* usurpatur etiam Genes. XXXI. 10. & XXXIII. 13. & Psalm. LXXVII. 71. *& dilatasti cubile tuum*: respectum putant ad historiam Achazi II. Reg. XVI. 10. & sequentibus, quando ædificavit altare maius ad instar altaris quod viderat Damasci, quod hic vocat *cubile*; *& scidisti tibi ab eis*; id est, scidisti tibi altare ad imitationem altaris deorum; *& dilexisti cubile eorum*, id est altare: *manum*, *quam vidisti*, id est altare, monumentum, statuam, quam vidisti Damasci: sic sumitur vocabulum *manus*, II. Samuel. XVIII. 18. IV. *Etiam post ostium, postemque ponis monumentum tuum*, ubi

ubi verba suæ legis inscribi mandaverat Deus, Deuteronom. VI. 9. & XI. 20. *cum a me retectura te ascendis*, *dilatas cubile tuum*, *cadens tibi amplius cubile*, *quam illorum sit*, videlicet parentum tuorum; id est, superas parentes tuos peccatorum gravitate & multitudine; *amas concubitum illorum*, *spatium amplius prospicis*. Hoc & superiore capite ter utitur nomine cubilis, cubationis, seu concubitus, quia perstat in allegoria scortationis spiritualis, de qua vers. 5.

V. 9. ET ORNASTI TE REGIO UNGUENTO. Varie ex Heb. convertunt: I. *Munera quoque detulisti regi cum oleo*. Mutuantur verbi שור *schur*, significationem a תשורה *theschurah*, eiusdem radicis, *donario*, *munere*, I. Samuel. IX. 7. quasi dicat, *Munerasti regi*, vel *regem*. II. *Profecta quoque es ad regem cum oleo*; id est, tulisti ad eum oleum; quasi dicat, Tu quoque posuisti fiduciam in homine, & non in me. III. *Et progressa es ad regem in oleo*. IV. Sequentibus nectunt: *Recta quoque unguento*, *& variis pigmentis tuis delibuta ad regem abiisti*. V. *Et contemplata mittis ad regem*, Assyriæ Thiglathphileserem, II. Reg. XVI. 7. *cum oleo*, *seu unguentis*; id est, omnibus modis te comparans ut impurissimum scortum, & alliciens exteros, qui scortentur tecum, etiam oblatis muneribus, ut ibidem scriptum est: sic Ezechiel. XVIII. 33. VI. Forsterus: *Excurrebas ad regem cum oleo*. *Verbum Schur*, *inquit*, *etiam de porrectione*, *procursione*, *seu exportatione reali dicitur*, *qualis fit in exportatione munerum*, *quæ extento brachio porrigi & offerri solent*. *Verbum hic omnia ista complecti potest*: *Et recta intendisti*, *procurristi direxisti*, *contemplata es*, *observasti ad regem*. Fere omnes regem Assyriorum intelligunt. II. Reg. XVI. 7. ET MULTIPLICASTI PIGMENTA TUA. רקחיך *rikkuchaich*, *conditura*, *confectiones*, *confecturas*, *unguentationes*, &c. *tuas*. Quidam *& auges pigmenta tua*. ET HUMILIATA ES USQUE AD INFEROS. Alii: I. *& decidisti ad inferos*. II. *& demittis te usque in sepulcrum*; ut cum dixit Achaz: *Servus tuus & filius tuus suum* II. Reg. XVI. 7. elegantissima hyperbole.

V. 10. IN MULTITUDINE VIAE TUAE LABORASTI. Alii: I. *Laborasti copia viarum tuarum*, vel *defatigata es multitudine viarum tuarum*, id est tuo illo longo itinere. II. *Amplitudine viæ tuæ fatigata es*; id est pertinacissima fuisti nefariæ voluntatis tuæ, ita ut nullum laborem subterfugeres ad conciliandos amatores tuos. NON DIXISTI, QUIESCAM. נואש *noasch*, *Actum est*, *conclamatum est*, *desperatum est*, *deploratum est*; quasi dicat: Adeo malis obruta sum, ut de me prorsus diffidam. Quidam: *Animum abiicio*, vel *cogor desistere incœpto*. Simile vide Ieremiæ II. 25. & XVIII. 12. VITAM MANUS TUAE INVENISTI. Alii: I. *victum manus tuæ invenisti*; quasi dicat: Perinde gratus fuit tibi hic labor, ac sic victum tibi manu tua compararés. II. *vitam iam tibi tua manu seu industria partam reperisti*, *quam optabas*. III. *catervam manus tuæ invenisti*; id est, Assyrios tibi conciliasti, qui tibi sunt ad manum iudicio tuo. Perstat in historia Achazi. Sic vox חיה *chaiah*, sumitur II. Samuel. XXIII. 13.

V. 11. PRO QUO SOLLICITA TIMUISTI. Alii: I. *Quem vero verita es & timuisti?* II. iungunt sequentibus: *Et a quo sollicita timuisses*, *ut mentireris*, *cum me non recorderis*, &c. Conclusio præcedentis contestationis; quasi dicat: Quid plura? Scortum es impudentissimum, quod neminem veteris, a nemine tibi metuis, sed palam pervicacissime gloriaris in scortatione tua, ut supra cap. III. 9. QUIA EGO TACENS, ET QUASI NON VIDENS QUIA MEI OBLITA ES. Alii: I. *Num me*, *quod hactenus siui*, *perpetuo dissimulaturum speras*, *ut me nihil metuas?* II. *Nonne ego dissimulavi*, *idque a sæculo*, *& tamen me non timuisti?* quasi dicat: Nonne ego iam a sæculo tibi peperci cum peccares, tu tamen non me times, sed deseris cultum meum. III. *An non me tacente*, *quemadmodum olim*, *etiam me non metueres?* quasi dicat: Nonne etiam porro perges, si dissimularem amplius, & reticerem impuritatem tuam? Vide Eccle. VIII. 10.

V. 12. EGO ANNUNTIABO IUSTITIAM TUAM, ET OPERA TUA NON PRODERUNT TIBI. Alii I. Quin potius iustitiam tuam, & opera tua prædicabo, neque proderunt tibi. II. *Ego indicabo iustitiam tuam*: antiphrasis ironica, vel potius concessio; quasi dicat: Si quid habes vel tantillum boni, hoc ego non dissimulabo, sed referam in rationes tuas: *& facta tua*, *quæ non profutura*

futura sunt tibi; id est, non poterunt servare te, ut exponitur principio sequentis versus.

V. 13. Cum clamaveris, &c. Concessio ironica, transitum comparans ad postremam concionis partem, de funesto improborum casu, & bonorum salute: quæ duæ partes per prolepsin enuntiatæ his duobus versibus exornantur postea & copiosius exponuntur per hysterosin, ad finem usque capitis: vide cap. LVI. I. Liberent te congregati tui. Alii: I. *liberent te collectitii tui*, id est milites, quos multo ære ac labore tibi congregaveris. II. *eripiant te congregationes, collectiones, catervæ tuæ*, de quibus supra vers. 10. Et omnes eos auferet ventus, tollet aura. Alii: I. *sed hos omnes abripiet ventus, tollet vanitas*. II. *atque eas omnes catervas tollet ventus, intercipiet vanitas*. Hereditabit terram, &c. Alii: *possidebit terram, & hereditario iure obtinebit montem sanctitatis meæ;* id est, cum ipse benedictiones meas (quarum symbola sunt terra, & mons Tzijonis) obtinebit, hoc versu; tum etiam ut alii commode obtineant, procurabit, versu sequente.

V. 14. Et dicet Deus, seu rectius, recipiens se ad me, e versu superiore. Viam facite, praebete iter. Alii: I. *Munite, munite*, viam. II. *Elevate, elevate*, viam. III. *Sternite, sternite*. IV. *Aggerate, aggerate*, &c. id est, adhibete quæcumque commoda sunt ad promovendam Ecclesiam, & removete incommoda: allegoria, ut supra cap. XL. 3. & 4. Declinate de semita. Alii: I. *complanate viam*. II. *comparate viam*. III. *mundate viam*. IV. *repurgate viam*: vide Genes. XXIV. 31. Nos diximus, *faciate viam*; id est, date faciem viæ, repurgate, ornate, & ut supra cap. XL. 3.

V. 15. Quia haec dicit excelsus et sublimis, &c. Alii hunc versum reddunt: I. *Sic enim dixit excelsus, & elevatus, manens perpetuo, & sanctus nomen eius: qui excelsum & sanctum cohabito, & cum contuso & humili spiritu, ad vivificandum spiritum humilium, & vivificandum cor contusorum;* quasi dicat: Ille, qui cum sit excelsus, & supra omnia, & æternus, & cuius nomen est sanctum, & iuxta naturam suam excelsum quoque locum inhabitat, & sanctum; ille, inquam, qui cum talis sit, cum contrito tamen seu contuso & qui est humilis spiritu cohabitat, ut eius cor & spiritum vivificet, recreet, consoletur, is, inquam, dicit, Quod non in æternum litigabit, &c. II. *Nam sic ait sublimis & elatus, cuius nomen est inhabitans æternitatem, & sanctus*, &c. Exornatio antecedentis prolepseos, a qua Deus confirmat se utrumque effecturum potentia sua, ut serventur electi, usque ad versum 20. & improbi male pereant, duobus versibus ultimis: *qui in sublimi & sancto habito;* id est, qui e cælis revelo, & suo tempore revelaturus sum amplius sanctitatem & potentiam meam, cum super humilitatem piorum, de quibus proxime, tum super infidelitatem & iniustitiam impiorum, Romanor. I. 18. de quibus infra vers. 20. & 21. *etiam cum eo, qui attritus est, demissusque spiritu habito*, id est ei adsum: humanitus dictum: *ut vivum conservem spiritum demissorum, & vivum conservem cor seu animum contritorum*.

V. 16. Non enim in sempiternum litigabo, &c. Alii hunc versum ex Heb. convertunt: I. *Non enim in perpetuum iurgor*, subaudi, cum hominibus; id est, non succensebo eis: *neque in æternum irascor:* quia *spiritus ante faciem meam deficiet, & flatus ego feci*. II. *Nam in sæculum non contendam, neque in æternum effervescam: nam spiritus a conspectu meo obruetur*, ut Psalm. LX. 3. & CI. I. *& animæ quas ego feci*. Neque usque ad finem. Hebr. *& non ad victoriam*, id est victoriose, ut vincam, vel perpetuo, omnino, prorsus. Irascar. Hebr. *effervescam, ebulliam, spumabo ira*. Sic vers. 17. Quia spiritus a facie mea egredietur. Verbum עטף *ghataph*, varie hic interpretantur: I. *quia spiritus*, qui est, vel egreditur, *a facie mea induet*, corpus. Putant indicari resurrectionem mortuorum; quasi dicat: Spiritus, id est anima meo iussu rursus induet corpus. II. *quia spiritus a facie mea operietur*, scilicet carne; id est, immitto in corpus animam, quæ ut indumento corpore operitur; quasi dicat, Ego creo homines. III. *quia spiritus a facie mea operitur, obtegitur*, vel *obruitur*; id est, cum volo, comprimo spiritum, vel facio exhalare spiritum. Sic Hispani dicunt, *cubrirse el corazon*, id est obrui, comprimi. Sed cum verbum hic sit mascu-

masculeum, & *spiritus* ordinarie sit femineum, vide num satius fuerit exponere: *Quia spiritu a facie mea obruetur*; id est, flatu, impulsu, spiritu oris mei obruetur, quisquam, seu improbus; vel impersonaliter, fiet obruitio. ET FLATUS EGO FACIAM. Hebr. *halitus*, *anhelitus*, *afflatus*, *respirationes*, *spirationes*. Nonnulli: *animas ego facio*. Plerique respectum putant ad Genes. II. 7. quod Deus animas crearit. Sed non fuerit alienus sensus: Non effervescam; nam alioqui spiritu & flatu oris mei momento cuncta obruerentur, nam flatus ipse facio.

V. 17. PROPTER INIQUITATEM AVARITIAE EIUS IRATUS SUM. Alii: *Propter iniquitatem quæstus eius efferbui*. De quo supra cap. LVI. II. ABSCONDI A TE FACIEM MEAM, ET INDIGNATUS SUM. Hebr. tantum est *abscondendo*, *& efferbui*. Quidam: *abscondendo me*, *inquam*, *efferbui*. Humanitus dictum, ut Psalm. IX. 22. Aliqui: *aversor & indignor*. Alii iungunt superioribus: *& percussi eum abscondendo*, id est latenter, & alterius manu, ne sciret a quo ei plaga veniret: quod non probo. ET ABIIT VAGUS IN VIA CORDIS SUI. Alii: I. *& cum abit aberrans in via cordis sui*. II. *quia ibat aversus*, *abductus*, *seductus per viam animi sui*. III. *& abiit rebellis*, seu *refractarius in via cordis sui*; id est, deficiens a Deo, fecit quidquid ei libitum fuit. IV. *& ambulavit revertens*, seu *conversus*, *in viam cordis sui*, id est aversus a Deo, conversus ad prava studia animi sui.

V. 18. VIAS EIUS VIDI, ET SANAVI EUM, &c. Alii: I. *At rursum vias eius contemplatus*, id est rationem vivendi, seu infirmitatem eius, *sano ipsum*, *reduco eum*; id est, statui sanare eum, & deducere eum per viam legum mearum. II. *Vias eius video*, *sed curabo eum*, *& deducam eum*; quasi dicat: Novi quidem totam viam eorum impuram esse, sed tamen propter me curaturus sum. ET REDDIDI CONSOLATIONES IPSI ET LUGENTIBUS EIUS. Alii: I. *& reddo ei consolationes*, *& iis qui lugent ipsum*. II. *reddamque consolationes ei*, & *lugentibus eius*: ut Matth. V. 5.

V. 19. CREAVI FRUCTUM LABIORUM, &c. Hunc versum alii ex Heb. exponunt: I. *Creo fructum labiorum*; id est, Innovaturus sum sermonem, *pacem*, *pacem iis qui procul*, *& iis qui prope sunt*, *dicit Dominus*, *& sanabo eum*: vel *pax pax longinquis & propinquis erit*, id est, in ore omnium faciam ut hic celebretur sermo. Summa felicitas & prosperitas futura est omnibus per Christum, & Iudæis propinquis, & gentibus remotis. II. *Creans proventu labiorum*; id est, novam creaturam faciens eum per spiritum & verbum Evangelii, & quidem efficiens magnificentissime & potentissime, ut consolationes (quæ periphrasticos *proventus labiorum*, id est sermonum Dei appellantur) locum in piis habeant: id enim verbum *creandi* hoc loco significat: *pacem pacem*, seu *summam pacem*, id est perpetuam & constantissimam quietem ab antecedentibus malis, facta reconciliatione per Christum: nam regnum Dei est iustitia & pax, & gaudium per Spiritum sanctum, Rom. XIV. 17. *longinquo & propinquo*, id est æque alienigenis ac Iudæis ipsis, ut supra cap. LVI. 3. Actor. II. 39. Ephesior. II. a vers. 13. ad 18. *inquit Iehova*, *ut curem eum*. Forsterus explicat: *Creo fructum labiorum*. Quis autem & qualis sit fructus labiorum, de quo Propheta, loquitur Paulus ad Hebræos cap. XIII. 15. *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo*, *hoc est fructum labiorum confitentium nomini eius*.

V. 20. IMPII. רשעים *reschaghim*, *improbi*, *seditiosi*, *irrequieti*, *turbulenti*, *turbatores*, *qui malis animi perturbationibus agitantur ad male agendum*, quorum etymon hoc & sequente versu pulchre exponit Isaias: vide Notas in Genes. XVIII. 23. QUASI MARE FERVENS. נגרש *nighrasch*, *eiectum*, *impulsum*, *propulsum*, *pulsatum*, *propulsatum*, *concitatum*, *fluctuans*, *tempestate agitatum*. Hunc versum alii ex Hebr. reddunt: I. Forsterus: *Improbi autem sunt tamquam mare concitatum*, *pulsum*, *eiectum*, seu *eiectitium*, vel *agitatum*, *quod quiescere non potest*, *sed eiiciunt aquæ eius perturbationem & lutum*, id est spumam perturbatam: legit רפש *rephes*, cum *Samech*, vel cum *Schin* sinistro. Tametsi, inquit, exemplaria Venetiis excusa habeant רפר *rephesch*, cum dextro *Schin*; & tum idem significat quod *peresch*, litterarum facta transpositione, quod est *stercus*, *excrementum expositum*. Sed exemplaria nunc passim habent *rephesch* cum *Schin* dextro. II. Tremellius, & Iunius: *Improbi vero erunt*:

erunt: alterum membrum prolepseos, ut diximus in vers. 19. seu 15. *ut mare;* id est, nullam habebunt pacem, ut sequente versu exponitur: *propulsum*, videlicet ventis flatibusque externis, & fluxu ac refluxu suo, tamquam Euripus. Nam hæc duo ad descriptionem improborum pertinent, qui cum ipsi per se, tum adventitio impulsu agitantur: *nam quiescere non potest; & aquæ eius expellunt cœnum & lutum;* id est, impurissima omnia & ingrata Deo improbi egerunt, ut cœnum eiicitur exagitato mari, quo magis a Deo sollicitantur ad resipiscentiam immissis calamitatum procellis. III. Leo Iudas: *Impii autem Euripi instar fremunt, qui nescit quiescere, cum aquæ eius limo & luto turbantur.* Euripi Bœotici naturam descriptam accurate habes a Tito Livio Lib. XXVIII. cap. VI. Strabone Lib. IX. pag. 403. Plinio Lib. II. cap. XCVII. Mela Lib. II. cap. VII. Seneca in Hercule Oetæo, Actu III. Vide Adagium, *Euripus homo*: Chiliadis I. Centuria IX. Adagio LXII. S. Iustinus Martyr in Cohortatione ad Græcos pag. 34. *Aristoteles certe cum neque Euripi Chalcidici naturam cognoscere posset, propter ingens probrum & pudorem in mœrorem contectus, morte vitam commutavit.* Sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione III. quæ est prima in Iulianum, pag. 79. *Laudas in Aristotele philosophiam & diutinam moram ad reciprocos Euripi æstus, quibus occubuit.* Ubi Elias Cretensis in commentariis: *Aristoteles cum reciprocationis Euripi causam cognitione assequi non potuisset, seipsum in eum præcipitem dedit, ac suffocatus est.* Et Nonnus in Expositione Profanarum Historiarum, quarum S. Gregorius meminit in priore invectiva in Iulianum Apostatam, Historia XXXIII. *Aristoteles rerum omnium, ut videtur, naturam indagare & cognoscere voluit: quam cum assequi non potuisset, in hanc maris partem se præcipitem dedit, atque interiit, his verbis utens: Quoniam Aristoteles Euripum minime cepit, Aristotelem Euripus habeat.* Vide Cælium Rhodiginum Lectionum Antiquarum Lib. XXIX. cap. VIII. Quamvis hoc de morte Aristotelis multi pro fabula habeant, quod eius non meminerit Laertius.

V. 21. NON EST PAX: id est animi tranquillitas, quies interna vel externa, aut prosperitas, seu felicitas: vide hunc eumdem versum supra cap. XLVIII. 22.

MENOCHII.

Vers. 1. IUSTUS PERIT, &c. omnes iustus generatim intelligit, potissimum tamen Christum. NON EST QUI RECOGITET CORDE: quam scilicet inique occidatur; & quam grave reipublicæ damnum sit cum viris sanctis privatur. VIRI MISERICORDIAE: viri pii. LXX. *Iusti.* COLLIGUNTUR: ad patres suos, hoc est, moriuntur. A FACIE MALITIAE: ne videant mala, & clades suæ gentis, & sæculi.

V. 2. VENIAT PAX: in pace requiescat. IN CUBILI SUO: *in sepulcro*, ut habent LXX. QUI AMBULAVIT IN DIRECTIONE, id est vitæ rectitudine.

V. 3. VOS AUTEM, &c. sermonem convertit ad Iudæos. FILII AUGURATRICIS. Ita vocat incolas Ierusalem, quod divinationibus & auguriis essent dediti. Vel, auguratricis idem est ac veneficæ; quasi dicat, Impii, seu scelesti. LXX. habent *iniqui*. SEMEN ADULTERI, ET FORNICARIAE, id est posteri, & filii synagogæ idololatræ, & superstitionibus addictæ: notum enim est, idololatriam, fornicationem & adulterium vocari in Scriptura.

V. 4. SUPER QUEM LUSISTIS? Intelligit Christum, quem irrisionibus, ludibriis, alapis, conviciis, blasphemiis &c. affecerunt Iudæi. DILATASTIS OS, ET EIECISTIS LINGUAM: significat gestum petulantis turbæ, quæ hiante ore, & exerta lingua Christum irrisit. SEMEN MENDAX, id est adulterum, & degenerans a maiorum sanctitate & pietate.

V. 5. CONSOLAMINI: gaudetis, consolationem captatis in cultu idolorum. SUBTER OMNE LIGNUM FRONDOSUM: locabant enim idola sub arbore aliqua late fundente ramos suos, aut in lucis. IMMOLANTES PARVULOS: solebant Moloch idolo, naturalis amoris obliti, proprios filios immolare: vide dicta Levit. XVIII. 21. & IV. Reg. XVI. 3. IN TORRENTIBUS: quia immane illud sacrificium præcipue peragebatur iuxta torrentem Cedron, in valle Ennon: vide IV. Reg. XXIII. 10. & ibi dicta.

V. 6. IN PARTIBUS TORRENTIS SORS TUA; quasi dicat: Sors tua, delitiæ, & divi-

divitiæ, sunt colere idola. In Hebræo est: *in lapidibus torrentis pars tua*.

V. 7. CUBILE, id est altare.

V. 8. POST OSTIUM POSUISTI MEMORIALE TUUM; id est, idolum statuisti, ut progrediens, aut domum rediens illius meminisses, & domus tua in illius esset tutela. DISCOOPERUISTI, scilicet lectum. DILATASTI CUBILE TUUM: multa admittens idola cum quibus superstitiose adulteraveris. STRATUM EORUM: adulterorum, scilicet idolorum. MANU APERTA: palam, & impudenter, vel largiter eis donans.

V. 9. REGI, id est idolo Moloch, quod Hebraice Regem significat. PIGMENTA: unguenta, odoramenta. MISISTI LEGATOS TUOS PROCUL: non contenta vicinorum idolis, ex Assyria, AEgypto, &c. idola accersivisti. HUMILIATA ES USQUE AD INFEROS, id est vilissime, & profundissime: Hebræi dicunt feminam humiliari cum cognoscitur, & violatur; Propheta autem de idololatria loquitur tamquam de adulterio.

V. 10. IN MULTITUDINE VIAE TUAE, id est in accersendis undequaque omnium gentium idolis, erigendis, colendis, ornandis, &c. NON DIXISTI, QUIESCAM. LXX. *desinam*; id est nullum idololatriæ modum fecisti. Lassata es, sed non satiata. VITAM MANUS TUAE INVENISTI. *Vitam manus* vocat idola manu facta, tum quia ab illis necessaria ad vitam sperabant, tum quia illorum erant amasii. NON ROGASTI. LXX. *non rogasti me*; sperabas enim a tuo amasio omnia te impetrare posse.

V. 11. PRO QUO SOLICITA TIMUISTI, id est quid timuisti idola, ut fidem mihi datam falleres, & mentireris? QUIA EGO TACENS, &c. licet ego taceam, & dissimulem, nec tua scelera statim puniam, non tamen propterea minus me timere debuisti.

V. 12. EGO ANNUNTIABO IUSTITIAM TUAM: dictum ironice, id est flagitia tua. OPERA TUA, scelesta.

V. 13. CUM CLAMAVERIS: afflicta ab hostibus, præsertim Chald. in Babylon captiva. CONGREGATI TUI: dii, quos undique congregasti. AUFERET VENTUS: idola scilicet, adeo sunt levia, & inania. FIDUCIAM HABET MEI: qui se, & salutem suam mihi crediderunt. HEREDITABIT TERRAM: possidebit terram patriam Ierusalem, ex captivitate postliminio restitutus. Vel significat terram viventium, patriam cælestem. MONTEM SANCTUM, scilicet Sion.

V. 14. DECLINATE DE SEMITA: sordes, saxa, ligna, & omnia impedimenta, & offendicula tollite: hoc est, quod dixit cap. XL. 3. *Parate viam Domini*.

V. 15. HABITANS AETERNITATEM, id est habitans cælum empyreum, æternum, & incorruptibile. Vel, in seipso, qui est sua æternitas. IN EXCELSO, ET IN SANCTO: in cælo, quod excelsum, & sanctum tabernaculum Dei. Excelsum etiam, & sanctum significare potest montem Sion, in quo erat templum sanctum. CONTRITO, ET HUMILI SPIRITU: corde afflicto, & humili. UT VIVIFICET SPIRITUM HUMILIUM. LXX. habent *Pusillanimis dans patientiam*; ut vivificet, erigat, restauret afflictos, pusillanimesque.

V. 16. LITIGABO. Chald. & LXX. *ulciscar*. QUIA SPIRITUS A FACIE MEA EGREDIETUR; quasi dicat: Animas enim amo, quas ego creavi, & quæ opus sunt e manu mea egressum. ET FLATUS EGO FACIAM. *Et animas ego feci*, ut vertunt Pagninus, & Vatablus.

V. 17. INIQUITATEM AVARITIAE. Hæc est avaritia, quam in Scribis reprehendit cap. præcedenti num. 11. PERCUSSI EUM, id est populum meum. ABSCONDI FACIEM MEAM: ut illi faciunt, qui indignantur. ABIIT VAGUS, &c. Hæc est gravis pœna cum quis a Deo derelictus dicitur vagari, & impune sequi concupiscentias suas, iuxta illud Psal. LXXX. 13. *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis*.

V. 18. VIAS EIUS VIDI; id est, vidi eum vagum, errantem, & ruentem in exitium. SANAVI, ET REDUXI EUM: per flagella, inspirationes, monita, prophetas. REDDIDI CONSOLATIONES IPSI: e captivitate Babylonis revocando, & ex dæmonis, & peccati servitute liberando: LUGENTIBUS EIUS: afflictis, & pœnitentibus.

V. 19. FRUCTUM LABIORUM: effectum orationis, quæ labiis proferri solet, vel confessionis peccatorum. Vel sensus est, Creavi pacem, quæ est fructus labiorum meorum, id est promissionis meæ. PACEM: quietem, tranquillitatem, prosperitatem. ET QUI LONGE EST, id est Genti-

li, qui hactenus remotus fuit a fide, Deo, & falute. ET QUI PROPE: Iudæo, qui ante habuit fidem, Deum, & fpem falutis.

V. 20. QUASI MARE FERVENS: propter æftum cupiditatum, tentationes, & afflatum dæmonum. REDUNDANT FLUCTUS EIUS IN CONCULCATIONEM. Conculcationem vocat res viles, fordidas, qualia funt maris eiectamenta. Sicut ergo turbati, & agitati maris effectus eft fordes in littus proiicere; ita cupiditates æftuantes impiorum in peccata, & fcelera erumpunt.

V. 21. NON EST PAX IMPIIS, &c. LXX. *Non eft gaudium impiis.*

T I R I N I.

Verf. 1. IUSTUS, qui tempore fua iuftitia quafi columna fulciebat, morte feu naturali, feu violenta fublatus e vita, PERIT huic mundo, ET NON EST quifpiam veftrum QUI RECOGITET, qui doleat, qui curet de tanta iactura: ita Chaldæus, S. Thomas, Sasbout, Forerius. Forfan alludit ad Ezechiam piiffimum regem recens defunctum, cuius morte gaudebant Iudæi, quod per illam porta ipfis aperiretur ad idololatriam, cuius hic mentio verf. 5. quam Ezechias femper inhibuerat. Ut ut eft, certum eft Prophetam maxime refpicere ad Ezechiæ antitypum Chriftum, qui eft iuftus iuftorum, cuius cædes per Iudæos procurata, fuit caufa excidii totius regionis per Romanos, inquiunt S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Theodoretus, Haymo, Hugo, Lyranus hic: item Tertullianus, Cyprianus, Rupertus, & alii a Leone Caftrio citati. ET VIRI MISERICORDIAE tum paffivæ, utpote ex fingulari Dei mifericordia orbi conceffi, ut inftar ftellarum illum ornarent, illuminarent, fecundarent; tum activæ, quia eximiam mifericordiam proximis fuis exhibent, eifque mifericordiam & gratiam divinam impetrant; v. g. Prophetæ, Apoftoli, Martyres, Confeffores, morbo vel martyrio COLLIGUNTUR e terreftri agro in horrea cæleftia. Nec quifquam tanto damno vel tantillum commovetur; QUIA NON EST QUI INTELLIGAT, capiat ingentia inde fuboritura mala reip. Et *iufto* quidem fic fublato ægre aut male non eft: A FACIE ENIM MALITIAE, feu miferiæ & calamitatis ingruentis, COLLECTUS EST: ne amplius videat, ne fentiat mala, feu communia toti generi humano, feu particularia gentis & populi fui. Nulla enim vis aut malitia humana quidquam amplius in mortuum poteft, inquit Haymo. Sic Ezechiam *a*, fic Iofiam *b*, fic Iacobum Alphæi *c*, fic Auguftinum *d*, fic Alphonfum Catholicum Gallæciæ regem præmatura morte e vivis ereptos legimus, ne malis reipublicæ fuæ mox obventuris involverentur.

V. 3. FILII AUGURATRICIS, id eft incolæ Ierofolymæ, auguriis *e* & divinationibus dedititiffimi: SEMEN ADULTERI ET FORNICARIAE, id eft filii parentum adulterorum, nempe idololatriæ proftitutorum.

V. 4. SUPER QUEM LUSISTIS? id eft cui putatis vos illufiffe? cui ludibria, convitia, alapas, fputa, blafphemias & mille alias iniurias intuliftis? SEMEN MENDAX, id eft filii adulteri, fpurii, & degeneres a virtute parentum, Abrahæ, Ifaac, Iacob, ceterorumque Patriarcharum.

V. 5. QUI CONSOLAMINI. Paffive, id eft confolationem quæritis & hauritis, inftar furiarum œftro percitarum, ex iugulatione propriorum natorum, in honorem nefcio cuius idoli.

V. 6. IN PARTIBUS TORRENTIS, feu vicinis torrenti, PARS TUA quafi hereditaria, id eft delitiæ & opes tibi videbantur poffe colere idola in amœnis vallibus torrente irriguis.

V. 7. SUPER MONTEM *f* POSUISTI CUBILE TUUM adulterii tui, nempe altare idolis.

V. 8. Quin ET POST OSTIUM domus tuæ, POSUISTI MEMORIALE TUUM, id eft imaginem idoli tui, ut tam intrans, quam exiens, illius memoriam haberes, eiufque tutelæ te tuaque commendares. DILATASTI quoque, id eft multiplicafti, CUBILE adulterii tui, id eft altaria plurima idolis erexifti. MANU APERTA; id eft liberali opum profufione in ornamenta altarium & templorum, in victimas, in munera, &c.

V. 9. ET UNGUENTO meretricio ORNASTI TE atque olidam reddidifti *regi*, id eft idolo *Moloch*, qui Hebraice *regem* fignificat: ita Sanchez & communiter Interpretes. Sed Forerius per *regem* hic accipi vult regem Affyriorum Teglath-phalaffar *g*, cui Iudæi tempore Achaz occurrerunt cum balfamo,

famo & aliis pretiosis muneribus, ad illum sibi devinciendum, *mittentes* ei obviam LEGATOS suos PROCUL.

V. 10. LABORASTI & fatigasti te IN MULTITUDINE VIAE TUAE, id est in multiplicatio studio & conatu tuo, nempe in idolis plurimis coacervandis, ornandis, colendis: *neque* umquam DIXISTI, Iam satis est, satur sum, QUIESCAM. Si Deo placet, INVENISTI ex voto tuo VITAM MANUS TUAE, id est amasios tuos, corcula tua, nempe idola, quæ phrasi meretricia vocas *vitam* tuam, animam tuam, corculum tuum. Et lepidum sane corculum, quod propriis manibus tuis vel tuorum servorum procudisti. PROPTEREA NON ROGASTI me amplius, nec mihi supplex facta es superba meretrix. Et vero quid fuit

V. 11. PRO QUO, seu propter quod, SOLICITA TIMUISTI idola, ne tibi forsan nocerent, ET MENTITA ES mihi? id est, fefellisti fidem coniugalem mihi ex pacto debitam, tum generali in Sinai Exodi XXIV. tum speciali circumcisionis Genes. XVII. An QUIA EGO TACENS sum & dissimulo? Sed non semper tacebo: nam brevi coram toto mundo

V. 12. EGO ANNUNTIABO IUSTITIAM TUAM; id est, quod tibi ex iustitia debetur, palam faciam; tradendo te Chaldæis publice puniendam.

V. 13. CUMQUE tradita illis CLAMAVERIS ad me pro ope & liberatione, remittam te ad idola tua: LIBERENT TE nunc CONGREGATI *h* TUI; id est, dii tanto numero, tanto pretio, tanto studio a te coacervati. Item AEgyptii & aliæ gentes tanto & sumptu & numero in auxilium tuum a te evocatæ & congregatæ. Sed heu! frustra: nam OMNES EOS AUFERET, disperget, fugabit seu timor, seu dissensio, seu cacozelia, sicut VENTUS disiicit paleas vel festucas. Non sic accidet iis QUI FIDUCIAM *habent* MEI; id est, qui se suamque salutem mihi crediderunt: illi enim TERRAM sibi a me promissam, *montemque* Sion tum terrestrem, tum cælestem, certo recuperabunt, ac secure *possidebunt*.

V. 16. QUIA SPIRITUS *i*, id est anima, ET FLATUS, id est vita hominis, EGREDIETUR A FACIE MEA, id est creatur a me, ideo amo hominem, facileque pœnitenti, humiliato & compuncto, misereor & ignosco: ita Chaldæus, S. Hieronymus, Cyrillus, Augustinus k, Theodoretus & Forerius.

V. 17. ABIIT Israel a me VAGUS *l* IN VIA CORDIS SUI; id est, sequens passim quamvis animi sui pruriginem ac cupiditatem (quam hic vocat *avaritiam*, inquit S. Hieronymus) & effrenem peccandi libidinem, nihil denegans animo suo, vel concupiscentiis suis.

V. 18. VIAS has EIUS tam periculosas, tam certo tendentes ad ruinam, VIDI oculo & animo paterno; & misertus populi mei, traxi eum in aliam viam, & flagellis Chaldæorum, aliorumque hostium eius cecidi eum, & sic SANAVI EUM: sanatum REDUXI ab exilio in patriam: ita S. Thomas, Forerius, Hugo & alii.

V. 19. FRUCTUM LABIORUM, id est mercedem & præmium orationis, qua mihi supplex factus est populus meus, CREAVI ipsi PACEM, id est liberationem, quietem & affluentiam omnium bonorum tum temporalium per Cyrum, tum spiritualium per Christum: ita Hugo & Sasbout. PACEM, inquam, tam EI QUI LONGE EST a patria, puta captivis in Babylone, quam EI QUI PROPE, id est qui in ipsa Iudæa, vel in locis Iudææ vicinis habitant, inquit S. Thomas & Hugo. Allegorice, tam Gentibus, quam Iudæis. Sed hæc, inquit Propheta, non nisi piis conveniunt & Deo fidelibus: nam *impii*, cum sint

V. 20. & 21. QUASI MARE turbatum & FERVENS, cum perpetuo æstu cupiditatum, & flatu dæmonum agitentur, *nulla* potest esse PAX aut quies: fructus enim omnis, qui ex tali agitatione sperari ipsis potest, est LUTUM IN CONCULCATIONEM, nempe sordes & quisquiliæ, quæ tam a Deo, quam ab hominibus contemnuntur & conculcantur.

(a) IV. Reg. xx. 19. & Isa. xxxix. 8.
(b) IV. Reg. xxii. 20.
(c) Hist. Abdiæ.
(d) In vita
(e) Isaiæ II. 6.
(f) Ierem. II. 20.
(g) IV. Reg. xvi. 7. &c.
(h) Deut. xxxii. 37.
(i) Genes. II. 7.
(k) August. epist. cxlvi.
(l) Psalm. lxxx. vers. 13.

GORDONI.

Vers. 1. IUSTUS PERIT, ET NON EST QUI RECOGITET, &c. Est quidem generalis querimonia de his qui iustum spernunt. Sed habita ratione eorum quæ

quæ de causis excidii Iudæorum post Christi adventum sunt insinuata, videtur hic addi alia causa excidii, nempe quod spernant Christum & iustos eius, cum increpatione spernentium. Bene etiam iustis precatur Isaias, vers. 2. quos ait futuros in pace æterna: econtra vero persecutori evenient mala, vers. 3. 4. & deinceps.

2. 5. QUI CONSOLAMINI, &c. Veniet, inquit, excidium vobis qui hæc facitis, quæ scilicet hic recensentur, a vers. 5. usque ad 13. illis, inquam, quorum consolatio & delitiæ sunt in Diis, immolatione parvulorum, impiis sacrificiis, in excelsis, in adulteriis (vers. 8.) idololatriæ, & (vers. 9.) ita ut tamquam sponsa ornaretis vos idolo, velut regi vestro.

V. 9. MISISTI LEGATOS TUOS, &c. Persistit in commemoratione malorum, & causa excidii: missis legatis etiam externarum gentium idola accepisti: en quomodo a sublimi cultu Dei descendisti ad inferos. Hic perstringit etiam vetera Iudæorum peccata, & cumulat pristina cum recentioribus.

V. 10. LABORASTI & fatigasti te in congregandis idolis, hoc studium est, hæc vita, nec tamen vis quiescere ab his malis: invenisti vitam & desiderium manuum tuarum (ut alii notant) divitias; ac propterea cessasti rogare me, propterea punieris.

V. 12. EGO ANNUNTIABO. Ironia, ac si dicat, Non proderunt, & sequetur vindicta.

V. 13. QUI AUTEM FIDUCIAM HABET MEI, &c. Econtra bonis bona promittit & salutem.

V. 17. PROPTER INIQUITATEM AVARITIAE EIUS, &c. Pergit taxando avaritiam aliaque peccata, & consolando bonos.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 1. COLLECTUS EST IUSTUS, ad Patres, ne malitia mutaret intellectum: persistit, & peribit impius.

Vers. 5. IN TORRENTIBUS, ut IV. Reg. XVI. 3. fere ad torrentem Cedron in valle Ennon.

Vers. 9. REGI, idolo Moloch, quod regem significat. LEGATOS, ut afferes ignota idola.

C A P U T LVIII.

Reprehendit Iudæorum hypocrisim, ostendens eorum ieiunium non esse Deo acceptabile: & quæ debeant illud comitari, quibus adhibitis multa præstantur hominibus beneficia: quomodo debeat sabbatum celebrari, abnegata propria voluntate, & quod sit præmium ita celebrantium.

1. Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annun-
tia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata
eorum. 2. Me etenim de die in diem quærunt, & scire
vias meas volunt: quasi gens, quæ iustitiam fecerit, &
iudicium Dei sui non dereliquerit: rogant me iudicia iustitiæ:
appropinquare Deo volunt. 3. Quare ieiunavimus, & non
aspexisti: humiliavimus animas nostras, & nescisti? Ecce
in die ieiunii vestri invenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repe-
titis. 4. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impie. No-
lite ieiunare sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester.
5. (*a*) Numquid tale est ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem a-
nimam suam? numquid contorquere quasi circulum caput suum, & saccum &
cinerem sternere? numquid istud vocabis ieiunium, & diem acceptabilem Do-
mino?

mino? 6. Nonne hoc est magis ieiunium, quod elegi? dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes: dimitte eos, qui confracti sunt, liberos, & omne onus dirumpe. 7. (*b*) Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. 8. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te. 9. Tunc invocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet: Ecce adsum, si abstuleris de medio tui catenam, & desieris extendere digitum, & loqui quod non prodest. 10. Cum effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies. 11. Et requiem tibi dabit Dominus semper, & implebit splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit, & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ. 12. [*c*] Et ædificabuntur in te deserta sæculorum: fundamenta generationis & generationis suscitabis: & vocaberis ædificator sepium, avertens semitas in quietem. 13. Si averteris a sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, & vocaveris sabbatum delicatum, & sanctum Domini gloriosum, & glorificaveris eum dum non facis vias tuas, & non invenitur voluntas tua, ut loquaris sermonem;
14. Tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hereditate Iacob patris tui, os enim Domini locutum est.

(a) Zach. VII. 5. (b) Ezech. XVIII. 16. Matth. XXV. 31. (c) Inf. LXI. 4.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. CLAMA. Heb. קרא בגרון, *clama gutture*, id est clara voce, & ut Galli dicunt, *A pleine gorge*. NE CESSES; vel, אל תחשך, *ne reprimas, ne prohibeas* (sub. clamorem, vocem;) quasi dicat, Clama totis viribus.

V. 2. ME ETENIM DE DIE IN DIEM, id est singulis diebus QUAERUNT; id est, volunt ad me quasi iure suo venire, & ad disceptandum provocare, cur non illis benefaciam, cum iusti sint; quasi dicat: Annuntia illis peccata eorum, quia iustos se putant. ET SCIRE VIAS MEAS VOLUNT: id est, exigunt a me rationem actionum mearum, ut declarat vers. 3. *Quare ieiunavimus, & non aspexisti*. ROGANT ME IUDICIA IUSTITIAE; id est, provocant me ad iustum iudicium: aut, petunt a me veluti iusto iudicio, ut ipsis benefaciam, quasi hoc illis iure debeam. ET APPROPINQUARE DEO VOLUNT, id est coram eum eo disceptare, confidentes iustitia causæ suæ: ut sup. cap. XLI. 1. *Accedant, & tunc loquantur, simul ad iudicium appropinquemus*.

V. 3. QUARE IEIUNAVIMUS; id est, cur non habuisti rationem meritorum nostrorum: ieiunium enim ponit pro omni opere bono. ECCE IN DIE IEIUNII VESTRI INVENITUR. Heb. תמצאו חפץ, *invenitis voluntatem*. Hebraismus, pro, non amittitis, aut non relinquitis voluntatem, (sub. male agendi) abstinetis a cibis, sed non a vitiis. Eamdem phrasin vidimus cap. LVII. 10. *Vitam manus tuæ invenisti*, id est non perdidisti vigorem virium tuarum. ET OMNES DEBITORES VESTROS REPETITIS, id est vexatis debita ab eis exigentes. Heb. וכל עצביכם, *& omnes facultates vestras exigitis*.

V. 4. ECCE AD LITES, id est ut melius litigetis & contendatis; vel, litigantes & contendentes ieiunatis. ET PERCUTITIS PUGNO IMPIE: באגרוף רשע, *pugno impietatis*, id est impio, iniusta de causa. UT AUDIATUR IN EXCELSO; id est, ita ut ipso ieunii tempore clamor contentionum vestrarum audiatur in excelso, id est a Deo: vel, להשמיע, *ut audire faciatis in excelso*, קולכם,

קולכם, *vocem vestram*, id est ut a Deo exaudiamini; quasi dicat: Si vultis cum oratis a Deo exaudiri, ne ieiunetis eo modo quo hactenus ieiunastis.

V. 5. NUMQUID TALE EST IEIUNIUM QUOD ELEGI, id est quod ego institui, quod mihi gratum acceptumque est. PER DIEM AFFLIGERE, id est singulis diebus ieiunare, affligere vel humiliare animam est ieiunare, ut supra vers. 3. quasi dicat: An ieiunium quod elegi, est tantum a cibis abstinere & non potius a peccatis? NUMQUID CONTORQUERE QUASI CIRCULUM. Alii הכלות, כאגם ראשו *an curvare sicut iuncum caput suum*. Solent qui nimium ieiunant, propter debilitatem inclinato esse capite. Quod ergo sancti nimio ieiunio faciunt, hoc Iudaei industria faciebant, sicut & facies suas exterminabant, ut viderentur hominibus ieiunare: Matth. VI. 16. Significat ergo se non elegisse tantum externum ieiunium, sed etiam internum. ET SACCUM ET CINEREM STERNERE. Solebant qui ieiunabant sacco indui, & cinere caput aspergere, quem morem Ecclesia in poenitentia retinuit. NUMQUID ISTUD VOCAVI: תקרא, *vocabis*, sicut & in emendatioribus codicibus Latinis legitur, sensusque est melior; quasi dicat: An hoc mihi tu ieiunium appellabis. ET DIEM ACCEPTABILEM DOMINO; id est, & existimabis te eum diem, quo ita ieiunaveris, bene & accommodate ad divinam voluntatem collocasse.

V. 6. NONNE HOC EST MAGIS... DISSOLVE, id est ut dissolvas, COLLIGATIONES IMPIETATIS, id est impios usurariosque contractus, quibus multos homines colligasti. SOLVE, ut solvas, FASCICULOS DEPRIMENTES, id est usuras & foenora quibus multos onerasti ac depressisti. Vocat fasciculos, quia dum usuras, & usurarum usuras exigebant, quasi fasciculos usurarum colligare videbantur. DIMITTE EOS QUI CONFRACTI SUNT, id est debitis a te oppressi, quosque in carcere tenes, LIBEROS.

V. 7. FRANGE. Heb. הלא פרוס, *an non frangere* ESURIENTI PANEM TUUM (sub. est ieiunium quod elegi.) ET CARNEM TUAM, id est proximum tuum, qui quasi caro tua est, NE DESPEXERIS, ומבשרך, לא תתעלם, *& a carne tua ne abscondas te*, id est ne despicias illam. Solemus enim ab iis, quos despicimus, vultum avertere.

V. 8. TUNC ERUMPET QUASI MANE, id est quasi aurora lumen tuum, id est felicitas tua. Per lumen intelliguntur omnes res prosperae, sicut per tenebras omnes adversae, inf. vers. 10. quasi dicat: Si feceris quae sup. dixi vers. 6. & 7. omnia tibi prospere succedent. ET SANITAS TUA CITIUS ORIETUR; id est, citius consequeris remissionem peccatorum, quae sanitas est animae, ut Psalm. XL. 5. *Sana animam meam quia peccavi tibi*. Aut per sanitatem intelligit pristinum rerum statum, quo olim Iudaei fruebantur ante quam captivi Babylonem ducerentur; quasi dicat, Restitueris in pristinum statum, ut Proverb. IV. 22. *Vita enim sunt invenientibus ea, & universae carnis sanitas*: & XII. 18. *Lingua sapientum, sanitas est*, id est causa pacis & felicitatis est. ET ANTEIBIT FACIEM TUAM IUSTITIA TUA; id est, secundum iustitiam tuam retribuetur tibi, vel secundum iustitiam tuam agetur tecum. ET GLORIA DOMINI COLLIGET TE; id est, eris particeps gloriae Domini, aut efficieris a Domino nobilis & gloriosus ex ignobili & non glorioso.

V. 9. SI ABSTULERIS DE MEDIO TUI, id est ex actionibus tuis, de moribus tuis. CATENAM, id est implicatos usurarum contractus, quos vers. 6. colligationes appellavit. Heb. מוטה, *onus*, *iugum*; id est, si remiseris proximis tuis debita. ET DESIERIS EXTENDERE DIGITUM, id est minari proximo tuo, vel superbe elateque loqui, ut Proverb. VI. 13. *Annuit oculis, terit pede, digito loquitur*. ET LOQUI QUOD NON PRODEST, id est stulte. Heb. און, *iniquitatem*.

V. 10. CUM EFFUDERIS ESURIENTI ANIMAM TUAM; id est, largiter ac liberaliter dederis pauperibus de victu tuo, quo anima, id est vita tua sustentatur; ut vidua illa quae de penuria sua, omnia quae habuit, *misit* (in gazophylacium) *totum victum suum*: Marc. XII. 44. ET ANIMAM AFFLICTAM; id est, hominem fame attenuatum saturaveris. ORIETUR IN TENEBRIS LUX TUA; id est, in mediis rebus adversis elucescet tibi prosper eventus. ET TENEBRAE TUAE ERUNT SICUT MERIDIES; id est, res adversae tibi convertentur in res maxime prosperas.

V. 11. ET REQUIEM DABIT TIBI: נחך. Noster Interpres legit נחך, pro הניחך. Hebraei nunc legunt ut verbum, נחה, *deducere*

ducet te. ET IMPLEBIT SPLENDORIBUS ANIMAM TUAM; id est, exsatiabit appetitum tuum secundarum rerum eventu. Heb. בצחצחות quod R. David & R. Abraham, & Chald. Paraphrast. interpretantur, *in siccitatibus*; quasi dicat, Tempore famis satiabit te. ET OSSA TUA LIBERABIT; id est, restituet tibi robur, quod fame perdideras. Hebræi omne robur ossa appellare solent, ut Psalm. L. 10. *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata*, id est erigentur deiectæ vires meæ. Hebræi interpretantur, ועצמיך יחליץ, *& ossa tua impinguabit*. ET ERIS QUASI HORTUS, &c. id est, nihil tibi rerum omnium necessariarum deerit.

V. 12. ET AEDIFICABUNTUR IN TE: ממך, *ex te*: est autem verbum activum, ובנו, *ædificabunt ex te*, id est aliqui ex populo tuo, vel ex posteris tuis. DESERTA SAECULORUM; id est, templum & urbes quæ iam olim deserta erant: vel, quæ perpetuo deserta fore videbantur, neque umquam restaurari posse. FUNDAMENTA GENERATIONIS ET GENERATIONIS SUSCITABIS: id est, in perpetuum duratura: vel, fundamenta quæ iacta inchoataque fuerunt, & ab hostibus impedita perficies. ET VOCABERIS, id est eris, AEDIFICATOR SEPIUM, פרץ *ruinarum*. AVERTENS SEMITAS IN QUIETEM; id est, convertens loca deserta per quæ angustis semitis ibatur, in habitationem, ut clarius dicitur Heb. משובב נתיבות לשבת *convertens semitas ad habitandum*.

V. 13. SI AVERTERIS A SABBATO PEDEM TUUM; id est, si te die sabbati domi continueris, ne progrediaris ad male agendum explendamque voluntatem tuam. ET VOCAVERIS, id est, si tibi fuerit sabbatum delicatum, & sanctum Domino atque gloriosum. Sæpe docuimus *vocare* apud Hebræos idem aliquando significare quod *esse*. ET GLORIFICAVERIS EUM (Dominum) observando sabbatum. UT NON FACIAS VIAS TUAS, id est peccata, quæ facere consuevisti. ET NON INVENITUR; id est, si reliqueris voluntatem tuam, qua loqui soles contra proximum quicquid tibi venit in buccam; quasi dicat uno verbo: Si recte legem meam observaveris, non solum externis ceremoniis, sed etiam animo, abstinens a vitiis, fiet tibi quod sequitur vers. 14. Sabbatum enim per synecdochen pro tota lege ponitur.

V. 14. TUNC DELECTABERIS SUPER DOMINO. In Domino, vel a Domino. ET SUSTOLLAM TE, id est ex humili miseraque conditione, in meliorem statum eveham: הרכבתיך על במותי ארץ, *equitare faciam te super excelsa terræ*; id est, reducam te in Iudæam, aut collocabo te in Iudæa, quæ altior est Babyloniorum regione. ET CIBABO TE, Heb. והאכלתיך, *& comedere te faciam hereditatem Iacob patris tui*, id est frui eius hereditate, terra Iudææ quæ illi tamquam hereditas promissa est. OS ENIM DOMINI LOCUTUM EST, id est faciam, quia dixi, non enim mentiar.

S A.

Vers. 2. DE DIE IN DIEM, id est quotidie. QUAERUNT, id est consulunt. VIAS, id est leges. VOLUNT, id est velle videntur. ROGANT, &c. quasi dicat: Velut mecum expostulant, exigentes ius, quod statim explicat.

V. 3. NESCISTI, id est videris nescire, non enim exaudis. VESTRA, scilicet non mea; quasi dicat: Facitis quod lubet.

V. 4. AD LITES, id est litigando. IMPIE. LXX. *humilem*. IN EXCELSO, id est a me. CLAMOR, scilicet contentionum; vel quasi dicat, Ut vos exaudiam.

V. 5. STERNERE; quasi dicat, In sacco & cinere iacere.

V. 6. FASCICULOS DEPRIMENTES, id est onera, quibus proximum opprimis. LXX. *obligationes violentarum cautionum*, scilicet de solvendis usuris, & huiusmodi. CONFRACTI SUNT. Chald. *vim patiuntur*. ONUS. LXX. *scripturam iniquam*.

V. 7. VAGOS. LXX. *sine tecto*. CARNEM TUAM. LXX. *Domesticos seminis tui*.

V. 8. MANE, id est sol mane. LUMEN, id est prosperitas, vel mentis illuminatio. SANITAS, id est liberatio. CITIUS. LXX. *cito*. ANTEIBIT, scilicet in cælum euntem. IUSTITIA, scilicet operum, seu meritum. COLLIGET, id est suscipiet. LXX. *circumdabit*.

V. 9. CATENAM, scilicet peccatorum. Chald. *corruptelam iudicii*. DIGITUM, scilicet minando, aut convitiando. QUOD NON PRODEST. Chald. *verba rapinæ*. LXX. *murmurationem*.

V. 10. ANIMAM, id est viscera miseri-cor-

cordiæ. REPLEVERIS. LXX. *saturaveris*. TENEBRIS, id est calamitatibus. LUX, id est prosperitas.

V. 11. LIBERABIT. LXX. *impinguabit*. Chald. *corpus tuum vivificabit in vita æterna*.

V. 12. DESERTA SAECULORUM, id est diu antea diruta & deserta. GENERATIONIS ET GENERATIONIS, id est diutissime duratura. LXX. *sempiterna*. SEPIUM; quasi dicat, Muniens vias, scilicet bono exemplo. LXX. *maceriarum*. Chald. *viæ rectæ*. IN QUIETEM; quasi dicat, Faciens quietas vias; scilicet quies est in observantia præceptorum Dei. Chald. *convertens impios ad legem*. Heb. *ad habitandum*; quasi dicat, Faciens viatores quiescere in domibus ædificatis.

V. 13. AVERTERIS, &c. quasi dicat, In sabbato non laboraveris. VOLUNTATEM, id est negotia. DELICATUM, id est delicias, scilicet cessando a negotiis, & intendendo divinis. GLORIOSUM, id est honore dignum. Chald. *honoraveris*. VIAS. LXX. *opera*. SERMONEM, scilicet qui non deceat. LXX. *verbum in ira*. Chald. *verbum violentiæ*.

V. 14. ALTITUDINES. Chald. *munitiones*. LXX. *bona*; quasi dicat, Dabo cælestia.

ESTII.

Vers. 5. NUMQUID TALE EST IEIUNIUM QUOD ELEGI, PER DIEM AFFLIGERE HOMINEM ANIMAM SUAM? Qui hoc tempore ieiunia ecclesiastica vituperant, hoc Scripturæ loco abuti solent ad ostendendum ieiunia (cuiusmodi in Ecclesia observantur) ad Deum colendum nihil habere momenti; ac nullum in iis Dei cultum constituendum esse; quia, inquiunt, illud ieiunium quo quis per diem affligit animam suam, id est ieiunat toto die usque ad vesperam (sic enim ieiunare solent) non est ieiunium illud, quod Deus eligit. Videamus ergo, quid hac sententia Propheta voluerit significare. Quod ut intelligatur, observandum, quod & quorum ieiunium ab eo reprehendatur.

Præcedit ante hæc verba vers. 3. & 4. QUARE IEIUNAVIMUS, ET NON ADSPEXISTI? Et respondet Dominus: ECCE IN DIE IEIUNII VESTRI INVENITUR VOLUNTAS VESTRA, id est indulgetis cupiditati & avaritiæ, ET OMNES DEBITORES VESTROS REPETITIS: ECCE AD LITES ET CONTENTIONES IEIUNATIS. Ac deinde subiicit, *Numquid tale est ieiunium quod elegi?* quasi dicat: Non est ieiunium quod elegi, affligere ieiunando animam suam, atque in eo sistere; neque illud referre ad virtutem, vel carnis castigationem, vel mentis puritatem. Catholici itaque dum docent ieiunium esse Dei cultum, intelligunt ieiunium ecclesiasticum, ieiunium Christianum; scilicet eo fine susceptum, ad quem ordinat Ecclesia: nam alioqui est ieiunium medicum, aut Pharisaicum. Et ieiunium illud Christianum esse Dei cultum docent illa verba de Anna prophetissa Lucæ II. *Quæ non discedebat de templo, ieiuniis, & obsecrationibus serviens nocte ac die*.

NUMQUID CONTORQUERE QUASI CIRCULUM CAPUT SUUM? ET SACCUM ET CINEREM STERNERE? Notatur hic superstitio, seu scrupulositas quorumdam qui etiam cum capitis dolore, vel certo valetudinis detrimento ieiunare volunt, quasi id sit Deo gratum: sed non probat Dominus tale ieiunium. Alii vertunt ex Hebræo: *Numquid, ut curvet quasi iuncum caput suum;* id est, ut capite in terram deflexo, ipso habitu corporis ostentet ieiunium suum? Est enim hoc hypocritarum.

MARIANAE.

Vers. 1. CLAMA, NE CESSES. Heb. *clama in gutture, ne prohibeas*, scilicet clamorem, ne cesses. Hic Isaias magis Concionatorem agit quam Vatem. *Clamare in gutture* est ex præcordiis clamare magna voce. Septuag. *clama in fortitudine*.

V. 2. ME ETENIM DE DIE IN DIEM: quotidie, omnibus diebus, QUAERUNT, scilicet consulunt me. ROGANT ME IUDICIA IUSTITIAE, id est quid iustitiæ leges exigant, quasi dicat: Externo mei cultu oblectantur, cum mentes pravæ sint.

V. 3. ECCE IN DIE IEIUNII VESTRI INVENITUR VOLUNTAS VESTRA. Heb. *invenitis voluntatem*, id est facitis quod vultis, non quod Deo placet. Gotth. *invenitur voluptas*, id est delitias in cibo captatis. Et quidem vox חפץ *hephez*, & *voluptatem* & *voluntatem* significat. ET

OMNES

OMNES DEBITORES VESTROS REPETITIS. Heb. *labores vestros exigitis*. Labores pro facultatibus, facultates exigitis, nempe aliis creditas. OMNES DEBITORES, id est sine delectu, sive pauperes sint, sive divites, repetitis.

V. 4. ECCE AD LITES ET CONTENTIONES IEIUNATIS. Abstinentia a cibo bilis exasperatur, præsertim in domesticos & familiares.

V. 5. CONTORQUERE QUASI CIRCULUM. Sic Chald. & Septuag. Alii vertunt *iuncum*. Sed *iuncus* caput non demittit, rectus semper est. Et vero אגמן *agmon* non tantum *iuncum*, sed & *hamum* & *circulum* significat; Iob XL. 21. ET SACCUM ET CINEREM STERNERE, scilicet sibi qui ieiunat, ut ibi dormiat lugentium in morem. An hoc est ieiunium quod volo?

V. 6. DISSOLVE COLLIGATIONES IMPIETATIS, id est rumpe syngraphas usurarias. SOLVE FASCICULOS DEPRIMENTES. Heb. *fasciculos iugi*, id est graves. Ii sunt fasciculi litterarum, quibus usurarum rationes continentur. DIMITTE EOS, QUI CONFRACTI SUNT, id est pauperes, iis debita remitte. ET OMNE ONUS. Heb. *omne iugum*, id est debitum, quod quasi iugum collo debitoris imponitur, rumpe.

V. 7. ET CARNEM TUAM NE DESPEXERIS. Heb. *& a carne tua ne te abscondas*; id est, ne dissimules videre propinquorum indigentiam.

V. 8. TUNC ERUMPET QUASI MANE, sicut aurora. LUMEN TUUM, eris felix. Lumen in aurora gratius apparet, nempe post tenebras noctis. ET SANITAS TUA, felicitas. Repetitio. CITIUS ORIETUR. Heb. *cito germinabit*. GLORIA DOMINI COLLIGET TE; id est, Dominus te colliget per mortem.

V. 9. CATENAM. Heb. *iugum*, scilicet fœnoris, quo opprimis alios; scilicet aufer, de quo iugo vers. 6. ET DESIERIS EXTENDERE DIGITUM, scilicet ut promittas, vel affirmes quod non oportet. ET LOQUI QUOD NON PRODEST. Heb. *loqui mendacium*; idque erecto digito confirmare.

V. 10. CUM EFFUDERIS ESURIENTI ANIMAM TUAM, id est benevolentiam tuam, si illum ex animo iuveris. ORIETUR IN TENEBRIS LUX TUA, id est afflictio prosperitate mutabitur, & quidem magna, qualis est lux in meridie.

V. 11. ET REQUIEM TIBI DABIT DOMINUS. Heb. *Ducet te Dominus semper*, *erit ductor tuus*. ET IMPLEBIT SPLENDORIBUS ANIMAM TUAM, id est eris felix. Heb. *satiabit in siccitatibus* (id est *annis siccitatis*, ut ponit Chald.) *animam tuam*, id est te, non deerit tibi annona. OSSA TUA LIBERABIT. Heb. *prosperabit ossa tua*, id est te ipsum, corpus tuum. CUIUS NON DEFICIENT AQUAE. Heb. *non mentientur aquæ*, id est non deficient fontis eius aquæ. Tali fonti similis eris.

V. 12. ET AEDIFICABUNTUR IN TE DESERTA SAECULORUM. Nepotum copia tanta erit, ut necesse sit deserta ædificare, ubi habitent. *In te*. Heb. *a te ædificabuntur*. *Deserta sæculorum*, id est quæ a multis sæculis, aut semper deserta fuerunt. FUNDAMENTA, id est urbes eversas, ubi fundamenta tantum & parietinæ supersunt. GENERATIONIS ET GENERATIONIS, id est quæ per multas generationes & sæcula sic iacuerunt, eas tu repones. AEDIFICATOR SEPIUM. Hebr. *vocaberis sepiens fracturam*, id est murorum extructor: *muros*, *sepes* vocat. AVERTENS SEMITAS IN QUIETEM. Heb. *restituens semitas ad habitandum*. Instauratis urbibus semitæ instaurantur, quibus ad illas itur.

V. 13. SI AVERTERIS A SABBATO PEDEM TUUM, id est si non feceris iter in sabbato. FACERE VOLUNTATEM TUAM, id est si non feceris in sabbato, quod tibi libitum erit, sed quod Deo placet. ET VOCAVERIS SABBATUM DELICATUM. Heb. *vocaveris sabbatum delitias*, scilicet tuas. In eo te oblectaris. VIAS TUAS, voluntatem tuam non facis, opera tua; id via vocatur. *Vias meas annuntiabo tibi*: Psal. CXVIII. 26. ET NON INVENITUR VOLUNTAS TUA. Repetitio. UT LOQUARIS SERMONEM, scilicet vanum. Heb. *& loq. verbum*; pro, & non loqui verbum, ut negatio prius posita repetatur. Prohibet autem aut verba vana, aut litium & negotiorum verba. Chald. *verbum violentiæ*. Porro per *sabbatum* totam Legem intelligo, quam observari vult.

V. 14. TUNC DELECTABERIS SUPER DOMINO, vel *in Domino*, ipse erit tui gaudii causa, illi soli vacabis. ET SUSTOLLAM TE. Heb. *equitare te faciam*. SUPER ALTITUDINES TERRAE, nempe te in Iudæam restituam, quæ sublimior est omnibus terris. Inde Syria vocatur *Aram*, id

est *sublimis*. ET CIBABO TE HEREDITATE; id est, bonis hereditatis terræ patris tui Iacob cibabo te. Aut, *ex hereditate patris tui cibabo te*.

MALVENDAE.

Vers. 1. CLAMA, NE CESSES. Alii ex Heb. I. *Clama ex gutture, ne parcas*, nimirum voci tuæ. II. *Exclama gutture, ne cohibeto*, vel *ne prohibeas*, scilicet clamorem. Huius, inquiunt, concionis, duobus capitibus comprehensæ (qua Propheta pergit explicare indignissima Iudæorum facta, & comparare cum Dei infinita misericordia) summæ partes sunt quatuor: Exordium, paucis complectens concionis argumentum, duobus versibus: Gravissimæ contestationes inter Deum & populum, reliquo capite: Confirmatio iusta confutatione, cap. LIX. usque ad vers. 21. & Conclusio a promissione magnificentissima, vers. ultimo. Est autem exordium sumptum a mandato Dei, quo Propheta instructum se & armatum esse, adeoque impulsum ostendit, ut cum malitia Iudæorum certet. Ait ergo: *Exclama gutture*, videlicet toto, pro eo quod est, plenis faucibus, quam maxima voce poteris contende; ut illud, *ne cohibeto*, quod proxime sequitur, ostendit. QUASI TUBA EXALTA VOCEM TUAM. Alii: I. *exalta instar tubæ vocem tuam*. II. *tamquam buccina extolle vocem tuam*; id est, supra modum doma: quibus melius significatur cum servorum Dei audacia, tum populi surditas obfirmata. ET ANNUNTIA POPULO MEO SCELERA EORUM. Quidam: *& indica populo meo defectionem ipsorum*, quæ describitur inde a versu. 5.

V. 2. ME ETENIM DE DIE IN DIEM QUAERUNT. Alii: *Utut*, vel *quamvis me quotidie requirant*, &c. id est, Quamvis hypocritæ sint, & viros bonos simulent externa specie: *requirant*, in speciem videlicet, non revera & ex animo: sic reliqua hoc versu. ET SCIRE VIAS MEAS VOLUNT. Alii: *& scientia viarum mearum delectantur*. ROGANT ME IUDICIA IUSTITIAE, vel *iura iustitiæ*; id est, quærunt a me, vel consulunt me de legibus meis iustis. APPROPINQUARE DEO VOLUNT. Alii ex Heb. I. *appropinquationem*, vel *accessionem Dei volunt*, vel *ad Deum optant*; id est, optare videntur ut sint prope Deum, sitque Deus illis propinquus. II. *ut Deus illis appropinquet cupiunt*. III. *accessu Dei delectantur*, id est accessu templi, in quo sedem collocaverat Deus. IV. Foersterus: *pugnam, congressum, conflictum Dei voluerunt*; id est, volunt congredi cum Deo, & contendere militariter; est enim קרבה *kerabah*, quod hic ponitur in regimine קרבת *kirbath*, femineum קרב *kerab*, quod passim in Scriptura pro *prælio, conflictu*, sumitur. Nonnulli: *appropinquationem Dei volunt*, id est appropinquare Deo ad contestationem causæ, & contentionem cum ipso, ut cap. LVII. 3.

V. 3. QUARE IEIUNAVIMUS, ET NON ASPEXISTI, &c. Hunc versum alii ex Heb. reddunt: I. *Quare, inquiunt, ieiunamus, & tu non aspicis? affligimus animas nostras, & tu ignoras?* id est, Videris ignorare, nos scilicet ieiunare; quasi dicat: Cur afflximus corpus nostrum ieiuniis, ut nos liberares a calamitate, & tamen non liberasti? *Ecce in die, quo ieiunatis, invenitis quod vultis, & omnes labores vestros exigitis*, vel *facultates vestras*, quas scilicet proximis credidistis: vox Hebræa עצבים *ghatzabim*, *labores* significat, hic autem pro *facultatibus* quæ labore acquiruntur, accipienda est; quasi dicat: Dum ieiunatis, nihil remittitis de avaritia vestra, sed curatis sedulo ut inveniatis eos, quos invenire optatis, nempe debitores vestros, etiam pauperes, ut ab his cum molestia & dolore facultates vestras exigatis. II. Forsterus: *Ut quid ieiunavimus, & non vidisti? afflximus animam nostram, & non cognovisti? Ecce in die ieiunii vestri quæritis beneplacitum*, vel *quod libet*, *& omnes labores vestros exigitis*, vel *labores vestrorum adigitis*, seu *angariatis*; hoc est, vestros omnes, seu vobis addictos adigitis, ut vobis laborent, eorum labores angariatis. III. *Quare dum ieiunamus, dicitis, non respicis?* Propositio summi argumenti a populo obiecti per expostulationem, cuius nomine deinceps cum eo contestatur Deus: est autem argumentum a præsumptione meritorum inanium, ut fuit illius Pharisæi apud Lucam XVIII. 9. & sequentibus: *dum affligimus animam nostram, non agnoscis? En quo die ieiunabitis*. Responsio Dei ad expostulationem populi duo complectitur; primum redargutionem hypocriseos popularis, usque

usque ad vers. 8. inde confirmationem promissionum Dei erga anhypocritas, ad finem usque capitis. Populi autem peccata veluti digito demonstrantur, primum quod ieiuniorum dies consumunt in maleficiis; deinde quod ieiunia ipsa ad suum usum conferunt, hoc & sequente versu: *invenitis delectationem*, vel prætatis id quod delectat, ut infra vers. 13. id est, rerum vestrarum eo commodius & diligentius satagitis: quod magis vos delectat, quam ullus cibus aut potus, tanta flagratis avaritia, ut supra cap. LVI. 11. *ut omnes labores vestros exigatis*: ut Proverbior. v. 10.

V. 4. ECCE AD LITES ET CONTENTIONES, &c. Alii hunc versum ex Heb. transferunt: I. *Ecce ad lites & iurgia ieiunatis*; id est, videmini abstinere a cibo & potu, ut liberius vacetis litibus & iurgiis, nam ne eo quidem die abstinetis a litibus: *ut percutiatis pugno adiudicatum*, seu reum aut condemnatum: *ne ieiunetis ut hodie*, *ut audiri faciatis in excelso vocem vestram*. II. *En ad contentionem & iurgium ieiunatis*, *& ad percutiendum pugno improbitatis*, seu *improbissimo*: *non ieiunatis*, *ut est hac die*, *ut audire faciatis*, sive (*prout sunt hæc tempora*) *ut efferatis in excelsum vocem vestram*: quæ germana est causa cur ieiunium Deus instituerit, Levit. XVI. 29. & XXIII. 27. III. Forsterus: *Pro lite & rixa ieiunatis*, *&c.* מצה *matztzah*, *contentio*, *pugna*, *rixa*, *velitatio*, proprie, *involutio*, ut Proverbior. XIII. 10. vide supra cap. XLI. 12.

V. 5. NUMQUID TALE EST IEIUNIUM, QUOD ELEGI, &c. Alii hunc versum ex Hebr. reddunt: I. *Num huiusmodi ieiunium est*, *quod ego elegi*, seu *probo*, *nimirum ut certo die homo affligat animam suam?* *aut curvet*, seu *retorqueat caput suum tamquam hamum*, vel *instar iunci? saccum & pulverem sternat*, sibi; id est, ut iaceat in cinere & cilicio, animo improbo & avaro nihil mutato. Externis debent respondere interna: *num istud ieiunium*, *& diem Iehovæ gratum appellabis?* II. *An huiusmodi esset ieiunium*, *quod eligo*, *dies*, *quo affligit homo animam suam? an incurvare ut iuncum caput suum? an ut quis cilicium*, *ac cinerem sibi sternat?* simulato luctu, ut Iob II. 8. & 12. *an huiusmodi vocabis ieiunium*, *& diem benevolentiæ*, seu *acceptum Iehovæ?* Exomatio præcedentis redargutionis a definitione ieiunii, tribus versibus.

V. 6. DISSOLVE COLLIGATIONES IMPIETATIS. Alii ex Heb. I *Aperire nexus addicti tibi*, id est obligationes, & alia huiusmodi creditorum. II. *ut dissolvas vincula improba*. III. *solve vincula iniuriæ*, quibus debitores per avaritiam & iniuriam constrinxisti. IV. *ut solvatis nexus improbitatis*, id est fratres vestros vobis improbissime nexui deditos, & in servitutem tractos, contra legem Levit. XXV. 39. & Deuteronom. XV. Sic Nechemiæ III. 2. De voce חרצבות *chartzubboth*, *vincula*, *nexus*, vide in Psalm. LXXII. 4. SOLVE FASCICULOS DEPRIMENTES. Alii ex Heb. I. *solvere fasciculos iugi*, id est oppressionis. II. *dissolvere fasciculos nutationis*, id est onera fratribus imposita adeo gravia, ut illos inter eundum nutare & vacillare cogant. III. *ut dissolvatis fasces lori*, seu *loris vinctos*, id est sarcinas gravissimas, quibus supra modum oneratis fratres vestros. Nam quo graviores sunt sarcinæ, eo validius compinguntur loris. Sic interdicitur inhumanitate, per synecdochen: ut contra sequente versu imperatur humanitas. IV. *transilire faciendo fasciculos oppressionis*; id est, faciendo ut transiliant, transferantur, auferantur fasciculi oppressionis. Fasciculos hic figurate appellari putant fœnora, quæ dum debitores non sunt solvendo, in dies augentur, & excrescunt quasi in fasces. V. *saltare salire facere*, *dissolvere fasces dimotionis*, vel *perticæ*, *vectis*, *temonis*, *palangæ*; id est, fasces tam graves, ut palangis, & vectibus dimovendi sint, & transferendi. De voce מוטה *motah*, quam nos *amotionem* vertimus, vide Levitic. XXVI. 13. Contra omnia exemplaria quidam hic pro אגדות *aguddoth*, legunt similitudine litterarum, אגרות *iggheroth*, id est *tractatus*, *chirographa*, *instrumenta contractus*, quibus debitores obnoxii sunt: sic enim Hebræi vocant epistolas & scripturas. ET OMNE ONUS DIRUMPE. Eadem vox *motah*, quæ paulo ante præcessit, varie reddunt: I. *atque ut omne iugum disrumpatis*. II. *& omne lorum disrumpatis*, nimirum quo iugum compingitur. Sic infra vers. 9. VAGOS. מרודים *merudim*, vel a רוד *rud*, vel a מרד *marad*, varie exponunt: *eiectos*, *expulsos*, *exules*, *extorres*, proprie, *rebellatos*, id est expulsos ac si rebelles essent, seu *defectos*; id est, qui velut ab opibus & viribus defecerunt ac desciverunt, elegante Hebraismo; vel *descensos*, *depressos*, aut *deploratos*.

Qui-

Quidam *querulos* reddunt, seu *plorantes*; alii substantivum faciunt, *afflictos adversitatibus*. ET CARNEM TUAM NE DESPEXERIS. Heb. *& a carne tua non abscondas te*, id est a fratre tuo, seu cognatis, consanguineisque, qui homini sunt tamquam eius caro: sic Nehem. V. 5.

V. 8. TUNC ERUMPET. Hebr. *discindetur*, *diffindetur*, *dissecabitur*; id est, scissa in varias partes diffundet se longe lateque, *lux tua*, id est felicitas; quasi dicat: Ut homo per beneficentiam in plures quasi se dissecat, sic prosperitas & felicitas eius latissime spargetur. Altera pars, nimirum confirmatio promissionum Dei, ut diximus in vers. 3. hypothetica, sive conditionalis, si populus integre proximis benefaceret, usque ad vers. 13. & Deum coleret vers. 13. & 14. LUMEN TUUM, vel *lux tua*, id est pax & prosperitas gloriosa, ac splendida, ut Esther VIII. 16. ET SANITAS TUA. ארכה *aruchah*, proprie, *longum*, *prolongatio*, *longævitas*, *diuturnitas*, *productio*, *incolumitas*, *qua vitæ producitur*. Aliis est *sanitas*, *curatio*, *medela*, *medicina*. Vide de hac voce in II. Paralip. XXIV. 13. & Nehem. IV. 7. CITIUS ORIETUR. Heb. *festinanter*, *cito*, *protinus germinabit*, *succrescet*, *efflorescet*. ET ANTEIBIT FACIEM TUAM IUSTITIA TUA. Alii: *& anteibit te iustitia tua*, id est Christus iustitia nostra, Ierem. XXIII. 6. & 33. 15. & I. Corinth. I. 30. vide supra cap. LII. 12. ET GLORIA DOMINI COLLIGET TE. Alii reddunt: *gloria Iehovæ extremum agmen tuum aget*, ut Numeror. XX. 25. & supra cap. LII. 12.

V. 9. SI ABSTULERIS DE MEDIO TUI CATENAM: Alii ex Heb. I. *si abstuleris de medio tui iugum*, id est omnem servitutem, & onera aliis imposita. II. *si amoveris ab animo tuo lorum*, quo iuga compinguntur; id est, si animo, opere, & sermone aversaberis inhumanitatem, & ab ea abstinebis, ut supra vers. 6. ET DESIERIS EXTENDERE DIGITUM, ET LOQUI QUOD NON PRODEST. Hebr. I. *extendere*, *exerere*; *porrigere digitum*, *& loqui vanitatem*; id est, si desieris porrecto & extenso digito interminari proximo, & probris eum afficere. II. *porrectionem digiti*, id est manus ad ullum opus improbum, aut etiam extremi digiti, emphatice, *& locutionem vanitatis*. Fortasse *extendere digitum*, sit idem quod *digito loqui*, Proverb. VI. 13. quod est superbiæ, aut arrogantiæ: vel possit exponi, *extendere digitum*, id est vel minima re aliquem lædere; unde Adagium, *Digito attingere*, apud Gilbertum Cognatum Centuria II. Adagio CLXXXII.

V. 10. CUM EFFUDERIS ESURIENTI ANIMAM TUAM. Alii: I. *Et si protuleris*, vel *& protuleris famelico animam tuam*, id est benevolentiam seu beneficentiam tuam; quasi dicat, si liberaliter & ex animo dederis de bonis tuis. II. *Exprompseris vere famelico animum tuum*, *&c.* id est, ex animo liberaliter, hilariterque communicaveris cum difficultatibus illius. ORIETUR IN TENEBRIS LUX TUA, &c. Alii: *tum*, vel *iam exorietur in tenebris lux tua*, *& in caligine tua tamquam meridiana lux*; id est, nulla tanta adversitatum caligo futura est, quin tu pace & lætitia in Domino, velut luce perfruaris: quam duo sequentes versus exponunt. SICUT MERIDIES. צהרים *tzaboraim* duale: *sicut duo meridies*, vel *sicut uterque meridies*: vide in Genes. XLIII. 16.

V. 11. ET REQUIEM DABIT TIBI DOMINUS SEMPER. *a* נוח *nuach*, deduxit: plerique a נחה *nachah*: *Nam deducet te Iehova iugiter*; id est, placide, & sensim deducet quemadmodum pastor gregem, aut pater puerum suum ducit. ET IMPLEBIT SPLENDORIBUS ANIMAM TUAM. Varie ex Heb. exponunt: I. *& saturam reddet in siccitatibus animam tuam*, id est tempore famis. II. *& exsatiabit in summa ariditate animum tuum*. III. *& satiabit in limpiditatibus animam tuam*, id est in locis aridis & glabris. צחצחות *tzachtzachoth*, geminatum, alibi non invenitur, & significat proprie *candores*, *nitores*, *limpitudines*, vel *limpiditates*, *claritates*, seu *claritudines*. Et ex notatione thematis potest accipi de splendoribus, & candoribus lucis; & de ariditatibus, siccitatibus, quæ inducunt glabritiem, & limpitudinem, ubi non sunt herbæ, nec gramina, nec germina crescunt, quæ terram convestiant. Geminatio syllabarum auget vocis significatum; quasi dicat, In maximis & summis limpiditatibus. ET OSSA TUA LIBERABIT. Alii ex Heb. I. *extrahet*, *eripiet*; *servabit* a malis. II. *relaxabit*, vel *laxiora reddet*. III. *expediet*, *expedita reddet*. IV. *impinguabit*, *saginabit*. V. *ossibusque tuis requiem dabit*.

V. 12. ET AEDIFICABUNTUR IN TE DESER-

SERTA SAECULORUM. Alii ex Heb. I. *Et aedificabunt de te sempiternas solitudines.* II. *Et instaurabunt opera tua desolationes saeculi;* id est, si sic vixeris, ea opera causa erunt ut ob frequentiam tuam cogaris instaurare urbes olim destructas & interruptas, ut in illis habites. Quod enim Hebr. dicitur *ex te*, exponunt, Id est opera tua, quae ex te proficiscentur. III. *Et erunt ex te, qui aedificabunt deserta longinqui temporis.* IV. *Et aedificabuntur a te siccitates aeternitatis*, id est civitates dirutae, seu nudatae, quasi exsiccatae habitatoribus, qui urbibus sunt veluti sanguis & vita: *aeternitatis*, id est quae a multo tempore exsiccatae & vacuatae sunt. V. *AEdificabuntque ex te geniti desolationes saeculi*, seu *antiquas*, &c. id est, omnia per te, & tuos quasi recreabuntur, utcumque fuerint conturbata. FUNDAMENTA GENERATIONIS ET GENERATIONIS SUSCITABIS. Alii: I. *fundamenta saeculorum excitabis*; id est, interrupta & imperfecta a multis saeculis. II. *fundamenta per multas generationes iacentia eriges*. ET VOCABERIS AEDIFICATOR SEPIUM. Alii ex Hebr. I. *vocaberis quoque rupturae reparator*. II. *& vocabitur tibi, Sepiens ruinam*. III. *indeturque tibi nomen Instauratoris ruinae*. IV. *denique vocaberis Instaurator ruinae*, vel *septor rupturarum*. AVERTENS SEMITAS IN QUIETEM. Alii ex Hebr. I. *seductor*, *reductor semitarum ad secure habitandum*, id est director viarum, quae ducunt ad loca antea desolata, ut in illis rursum habitent homines. II. *restituens semitas ad quiescendum*, vel *ad habitandum*. לשבת *laschabeth*, a שבת *schabath*, *ad cessandum*, vel *quiescendum*: a ישב *iaschab*, *ad manendum*, *sedendum*, *habitandum*. III. *restitutor semitarum in habitationem*. Hispanicus Interpres: *restituidor de calçadas para habitar*. IV. *convertens semitas ut ambulari possit in eis*.

V. 13. SI AVERTERIS A SABBATO PEDEM TUUM, &c. Hunc versum diversimode ex Hebr. traducunt: I. *Si reverti feceris*, vel *si reduxeris*, aut *retraxeris*, *a sabbato pedem tuum*, id est ne ambulet in sabbato. Si, inquit, itinera sabbato non confeceris, ex lege synecdoche; quasi dicat, Si legem observaveris: vel *si retraxeris in sabbato pedem tuum, ut non facias voluntatem tuam;* id est, Si sabbato abstinueris a faciendo pro libidine tua: *in die sancto meo, & vocaveris sabbatum, Delicias, sanctum Iehovae gloriosum, & honore affeceris illud, ut non facias vias tuas, neque invenias voluntatem tuam, neve loquaris verbum*. II. *Si reduxeris a sabbato pedem tuum, facere beneplacitum tuum in die sanctitatis meae, & vocaveris sabbatum, Delicium sancto Iehovae honoratum, & honoraveris eum non faciendo vias tuas, non inveniendo beneplacitum tuum, neque loquendo sermonem;* id est, abstinendo a verbis levibus, & ad mundanam sapientiam, vel voluntatem compositis. III. *Si averteris pedem tuum sabbato, quo minus facias tuam voluntatem*, id est *tua negotia in die sancto meo: tum vocabis ad sabbatum delicatum, ut sanctificetur & honoretur Iehova: si, inquam, honoraveris ipsum ita ut neque vias tuas feceris, neque voluntatem tuam inveneris, neque verbum tuum loquaris*. IV. *Si averteris a sabbato pedem tuum, ne facias id quo delectaris, die sancto meo, & vocaveris sabbatum, Delicias, sanctumque Iehovae honoratum, honoraverisque ipsum non exercendo vias tuas, non praestando id, quo delectaris, aut loquendo verbum*, de eo. SABBATUM DELICATUM. Forsterus reddit: *Sabbatum delicii, seu deliciarum: ita quoque Avenarius. Sed Mercerus: vel potius sabbatum, delicias, vel delicium; nam nomen praecedens non est in regimine*. Immo potius *Segol* in his formis indicat regimen.

V. 14. ET SUSTOLLAM TE SUPER ALTITUDINES TERRAE. Alii ex Heb. I. *& equitare faciam te super excelsa terrae*; id est, imponam te excelsae terrae, hoc est reducam te in terram sanctam, ut habites in ea. II. *& vehi faciam te super excelsa terrae*. Allusio est ad locum Deuteronom. XXXII. 13. Sed hic de caelesti & spirituali terra est sermo. III. *& veham te supra excelsa terrae*: allusit ad situm Iehudaeae, quae montosa & excelsior aliis perhibetur. OS ENIM DOMINI LOCUTUM EST. Alii: *quia os Iehovae loquitur*. AEtiologia promissionum omnium a persona Dei, transitionem comparans ad confutationem sequentem.

MENOCHII.

Verſ. 1. QUASI TUBA: clara, & alta voce.

V. 2. DE DIE IN DIEM QUAERUNT, id eſt quotidie ſimulant ſe quærere me, & voluntatem meam. SCIRE VIAS MEAS; quaſi dicat: Vocant me quodammodo in ius; allegant enim ſuam iuſtitiam, meaſque vias, id eſt conſilia accuſant infidelitatis, & iniquitatis, quod promiſſam eis pacem, & bona non præſtem. IUDICIUM DEI SUI: iudicium vocat iuſtum, & æquum quod Deus lege ſua præſcripſit, & ſanxit. ROGANT ME IUDICIA IUSTITIAE; quaſi dicant: Volumus ſcire quam iuſta ſint Dei iudicia, det ipſe nobis eorum rationem. APPROPINQUARE DEO VOLUNT: cum eo congreſſuri, & diſputaturi.

V. 3. HUMILIAVIMUS ANIMAS NOSTRAS, id eſt ieiunio noſmet afflizimus. NESCISTI, id eſt videris ieiunium noſtrum non aſpicere. VOLUNTAS VESTRA. Hebr. vox חפץ *chepts*, ſignificat *id quod libet*, quæ in Scriptura vocatur libido, concupiſcentia, voluntas carnis, voluntas propria; quaſi dicat: Ieiunatis, ſed interim avaritiæ, libidini, & cupiditatibus veſtris indulgetis. DEBITORES REPETITIS: avare, inhumaniterque illud exigendo quod propter paupertatem exhibere non poſſunt.

V. 4. AD LITES, ET CONTENTIONES IEIUNATIS: propterea non ſumitis cibum uſque ad veſperam, ut totum diem negotiis, litibuſque forenſibus dare poſſitis. PERCUTITIS PUGNO IMPIE: debitores veſtros, vel illos quibuſcum litigatis. UT AUDIATUR IN EXCELSO CLAMOR: nolite ita ieiunare, ut clamor contentionis veſtræ audiatur, aut eorum clamor, quos affligitis, & vexatis.

V. 5. CONTORQUERE QUASI CIRCULUM CAPUT SUUM. Aliqui vertunt, *quaſi hamum*, alii *quaſi iuncum*: ieiunantes enim partim ex debilitate, partim ut ſe ad pœnitentium habitum componerent, caput demittebant & collum incurvabant. SACCUM, id eſt cilicium. CINEREM STERNERE: his enim quaſi ſymbolis pœnitentiæ ornabant ieiunium.

V. 6. COLLIGATIONES IMPIETATIS, id eſt obligationes, & pacta uſuraria aut alia ratione iniqua, quibus alios præſertim pauperes violenter oppreſſiſti & exhauſiſti. FASCICULOS DEPRIMENTES: ſyngrapharum faſciculos, quibus pauperes premuntur. QUI CONFRACTI SUNT: qui oppreſſi ære alieno ſolvendo non ſunt. ONUS: debiti, diſſolve, abrumpe.

V. 7. FRANGE: diſtribue. CARNEM TUAM. LXX. habent, *& domeſticos ſeminis tui ne deſpexeris*. Itaque *caro* vocatur conſanguineus pauper.

V. 8. QUASI MANE. In Hebræo eſt, *ſicut aurora*; quaſi dicat: Tunc incipies e mediis calamitatum tenebris, verbi gratia e captivitate Babylonica, in lucem lætitiæ, & felicitatis emergere. SANITAS TUA: liberatio tua e malis, & e captivitate. ANTEIBIT FACIEM TUAM: quaſi fax præibit, ut te e malis educat. IUSTITIA TUA, id eſt miſericordia tua; ſic enim capitur iuſtitia Dan. IV. 24. Pſal. CXI. 9. Act. X. 35. & alibi. GLORIA DOMINI: glorioſa liberatio, quæ tibi Dei beneficio continget. COLLIGET TE: eripiet te e periculis, aut captivitate.

V. 9. CATENAM. In Hebræo eſt *iugum*, quo ſcilicet pauperes premis. EXTENDERE DIGITUM: qui geſtus eſt vel irridentis, vel inſultantis, & urgentis, quaſi digitis oculos velit eruere. QUOD NON PRODEST: eſt mioſis; minus enim dicitur, quam ſignificatur. In Hebræo eſt און *aven*, id eſt *iniquitatem*. Chald. *verba rapinæ*. LXX. *murmurationem*.

V. 10. EFFUDERIS ANIMAM TUAM: oſtendendo viſcera miſericordiæ. AFFLICTAM: fame, nuditate, mœrore. REPLEVERIS: cibo, veſte, conſolatione, & lætitia. ORIETUR &c. hoc eſt quod dixit num. VIII. *Erumpet quaſi mane lumen tuum*.

V. 11. SPLENDORIBUS: hilaritatis, ſerenitatis animi, & felicitatis. OSSA TUA: membra tua, & corpus tuum vexatum, & emaciatum ærumnis Babylonicæ captivitatis. QUASI HORTUS IRRIGUUS: virens, & florens, & fructibus abundans. SICUT FONS &c. nam omni bonorum genere affluces, & abundabis.

V. 12. AEDIFICABUNTUR IN TE DESERTA SAECULORUM: domus, vel urbes a multis ſæculis, deſertæ. FUNDAMENTA &c. quaſi dicat: Reſtaurabis, & reædificabis urbes, & domos a multis ſæculis dirutas,

qua-

quarum tantum fundamenta terra obruta remanserant: significat synagogam collapsam, ex cuius ruinis excitata est Ecclesia Christi, additis Gentilibus, qui de lapidibus facti sunt filii Abrahæ. AEDIFICATOR SEPIUM. Alludit, & significat instaurationem Ierusalem; hæc enim vocatur sæpe vinea, cuius muri sunt sepes. AEdificatores sepium sunt ii, qui Ecclesiasticam disciplinam, & leges statuunt, aut restituunt. AVERTENS SEMITAS IN QUIETEM: occlusor semitarum, per quas subibant bestiæ, & hostes vastantes vineas, & domos, ideoque auctor quietis.

V. 13. SI AVERTERIS A SABBATO PEDEM TUUM: si averteris pedem tuum a transgressione sabbati, quia sabbato longum iter, omneque opus servile, quod pedibus, aut manibus fit, erat prohibitum. FACERE VOLUNTATEM TUAM: repetendum, *si averteris*; sententia est: Si in sabbato non tantum quieveris ab opere, sed etiam non sequeris voluntatem tuam, & concupiscentias, indulgendo gulæ, & genio, sed vacando studiis pietatis. SABBATUM DELICATUM, id est delicate, & tenere observandum. Vel delitias tum tuas, tum Domini, quod scilicet capiat Deus magnam delectationem ex religioso sui cultu in sabbato. ET SANCTUM DOMINI GLORIOSUM: si vocaveris, æstimaveris, & colueris sabbatum, quasi diem sanctum, & gloriæ, & glorificationi Domini dedicatum. DUM NON FACIS VIAS TUAS; quasi dicat: Hoc autem præstabis dum actibus, moribus, & vitiis consuetis non insistis. VOLUNTAS TUA: quid hoc significet proxime explicatum est, hoc eodem versiculo. UT LOQUARIS SERMONEM: scilicet qui non prodest, ut dixit n. 9.

V. 14. DELECTABERIS SUPER DOMINO: spiritualibus delitiis frueris. SUSTOLLAM TE &c. id est animi celsitudinem tibi dabo. CIBABO TE &c. id est, dabo tibi insignia illa bona, quæ promisi Abrahæ, Isaac & Iacob. Alludit ad terram promissam, quæ cœlestis illius terræ viventium symbolum fuit. OS DOMINI LOCUTUM EST: itaque promissionem hanc eventus non frustrabit.

TIRINI.

Vers. 2. ME QUAERUNT, non ut iratum placent, sed quasi sibi iniurium ad causam dicendam cogant: VOLUNT enim SCIRE VIAS MEAS, id est consilia & rationes cur sic cum ipsis agam, accusantes me iniustitiæ & perfidiæ, quasi promissa ipsis pacem & pristina bona non restituam, inquit S. Cyrillus & Sanchez: & patet ex vers. 3. *Quare ieiunavimus, & non aspexisti?* ROGANT ME IUDICIA IUSTITIAE, id est deposcunt a me rationem factorum meorum, quasi inique cum eis agam: & APPROPINQUARE VOLUNT DEO, non ad illi supplicandum, sed ad litigandum cum eo coram tribunali iudicis alicuius istioris.

V. 3. HUMILIAVIMUS; Hebraice, *afflximus*, ANIMAS NOSTRAS, id est nos ipsos, id est ieiunavimus: nam Hebræi ieiunium vocant *humiliationem a* vel *afflictionem b*. Primo, quia ieiunium carnem affligit, & animi superbiam domat; secundo, quia ieiunio adiungebant *cilicium & cinerem*, ut hic insinuatur vers. 5. quæ corpus affligunt, & signa sunt animi humiliati. ET NESCISTI, id est non curasti, non remunerasti, perinde ac si ignorares. Quid ad hanc impiorum querelam Deus? IN DIE IEIUNII VESTRI INVENITUR VOLUNTAS VESTRA, id est obsequimini non divinæ voluntati mandato & imperio, sed proprio nutui ac libidini animi, v. g avaritiæ, fastui, iracundiæ, luxuriæ, aliisque vitiis, ad quæ resecanda ieiunium institutum est. OMNES DEBITORES VESTROS, etiam qui solvendo non sunt, REPETITIS, inhumane ac tyrannice cogentes solvere.

V. 4. ECCE IEIUNATIS, non ad me placandum, sed AD LITES ET CONTENTIONES pro iudicio ac tribunali prosequendas, nempe ut capite sereniore, & largiore tempore, quod ieiunantibus abundantius suppetit, vacetis instruendis litibus quibus debita vestra repetitis: ita S. Thomas, Hugo & Sanchez. Neque solo iudicio publico pro tribunali debita repetitis, sed insuper privata auctoritate cogitis & compellitis misellos solvere quod non habent, PERCUTITISQUE EOS PUGNO IMPIE & inhumane, adeo UT CLAMOR VESTER, quo & vos clamatis adversus debitores ve-

ſtros, & illos clamare atque eiulare cogitis, AUDIATUR IN EXCELSO cælo, & vindictam a me depoſcat: ita Forerius & Sasbout.

V. 6. DISSOLVE COLLIGATIONES IMPIETATIS, id eſt iniquos contractus, v. g. uſurarios, vel pauperi nimis moleſtos. Hæc eſt prima conditio ieiunii ſpiritualis mihi grati & accepti. Secundo, SOLVE FASCICULOS ſyngrapharum DEPRIMENTES pauperem; LXX. *diſſolve obligationes violentarum cautionum*, quibus fratres tuos crudeliter opprimis. Tertio, EOS QUI CONFRACTI SUNT dura ſervitute, vel adverſa fortuna, & bonis exuti foro ceſſerunt, DIMITTE LIBEROS, ET OMNE ONUS, id eſt debitum quo opprimuntur, DIRUMPE. LXX. *ſcripturam*, ſeu ſyngrapham, *iniquam conſcinde*. Quarto,

V. 7. CARNEM TUAM, id eſt cognatum, conſanguineum tuum, puta omnem Iſraelitam, NE DESPEXERIS, ne deſtituas eleemoſyna neceſſaria. Inde multiplex tibi præmium conſurget. Nam Primo,

V. 8. ERUMPET LUMEN c TUUM; id eſt, felicitas, & proſperitas tibi optata & ſperata affulgere incipiet QUASI MANE, id eſt inſtar auroræ & ſtellæ matutinæ, inquit Forerius & Sanchez. Secundo, SANITAS TUA CITIUS tibi ORIETUR; nempe tam animæ, quam corporis & fortunarum. Tertio, IUSTITIA d TUA EX miſericordia in pauperes collecta, ANTEIBIT FACIEM e TUAM quaſi fax & vitæ dux ad lætiorem fortunam, immo ad cælum. Quarto, GLORIA; id eſt, glorioſa protectio, DOMINI COLLIGET TE, & in tuto collocabit. Alludit ad Moyſen, qui, cum Iudæi Num. XIV. 10. vellent eum lapidare, protectus eſt a gloria Domini ſuper tabernaculo per nubem apparente.

V. 9. SI ABSTULERIS CATENAM, ſeu ſervitutis, ſeu debiti, quo proximus tuus tibi advincitur & obſtringitur: ET DESIERIS EXTENDERE DIGITUM, vel manum, ut LXX. puta ad irridendum vel ſubſannandum, ut S. Hieronymus, S. Thomas & Haymo exponunt: vel certe ad comminandum proximo, quaſi velles ei oculos eruere, aut aliud grave malum coquere, ut inquiunt Forerius, Vatablus, & Sa. Sic ſupra dicebat f de Sennacherib: *Agitabit manum ſuam ſuper montem filiæ Sion*.

V. 12. AEDIFICABUNTUR & inſtaurabuntur IN TE DESERTA SAECULORUM, id eſt domus, urbes, arces tuæ licet a multis ſæculis deſertæ: & FUNDAMENTA GENERATIONIS ET GENERATIONIS, id eſt multarum generationum, ſeu a multis ſæculis diruta, iterum SUSCITABIS: eriſque ET VOCABERIS paſſim AEDIFICATOR SEPIUM, ſeu inſtaurator vinetorum Iudææ, quorum ſepes deiecerant Chaldæi, ſed inſtaurarunt reduces Iudæi e Babylone, ita Sanchez. Sed Vatablus & Forerius per *ſepes* intelligunt mœnia Ieroſolymæ, quæ Nehemias inſtauravit, AVERTENS SEMITAS IN QUIETEM id eſt quieſcere, ſeu ceſſare faciens aditus omnes, per quos ſeu beſtiis, ſeu hoſtibus acceſſus patebat ad interiora urbis vel vinearum & hortorum. Hieronymus Pradus & Thomas Bozius g hæc accipiunt de collapſis olim templis Chriſtianorum rurſus inſtauratis: Procopius, de ruina hominum in primo parente, per Chriſtum inſtaurata. Poteſt etiam de reformatione ſtatuum & Ordinum tum Religioſorum, tum ſæcularium exponi; ſed ſenſu myſtico: nam ad litteram ſermo hic eſt de inſtauratione Ieroſolymæ, & ſub eius typo, Eccleſiæ Dei: ita S. Hieronymus, Hugo & alii.

V. 13. SI AVERTERIS PEDEM TUUM A SABBATO tranſgrediendo, ne longius iter pedibus facias quam ſabbato permittitur. Per ſynecdochen, ſub *ſabbato* intellige quælibet feſta, immo totum Dei cultum, ut ſupra h dixi. Item ſi averteris, ſeu caveris, FACERE VOLUNTATEM TUAM i IN DIE SANCTO MEO, id eſt ſabbato; quaſi dicat: Si obſecutus non fueris propriæ concupiſcentiæ & prurigini tuæ, feſtis diebus indulgendo gulæ & genio, ET VOCAVERIS, id eſt æſtimaveris, colueris, SABBATUM non ut diem profanum, vilem vel ſordidum, ſed DELICATUM, id eſt inſtar rei delicatiſſimæ Deo tibique carum, SANCTUM ET GLORIOSUM DOMINI, id eſt Deo ſancte colendo & glorificando deſtinatum: cariſque ne LOQUARIS SERMONEM, nempe *qui non prodeſt*, ut ſupra verſ. 9. id eſt, nihil loquaris, nihil agas quo proximo noceas. Et en tibi luculenta præmia.

V. 14. Primum, DELECTABERIS SUPER DOMINO; quaſi dicat: Pro delitiis carnis, quibus mei cauſa privas genium tuum, ego tibi ſpirituales & cæleſtes dabo delitias, quæ tantum excedunt carnales, quantum cæli terris præcellunt. Secundo, SUSTOLLAM

LAM TE SUPER ALTITUDINES TERRAE; id est, altiorem faciam omnibus terris & terrenis bonis, etiam altissimis & maximis; nempe mente fixus in cælo, in æternitate, in Deo, despicies terrena omnia quasi punctum unum, immo nihil: ita S. Hieronymus, Gregorius, & alii. Tertio, CIBABO TE HEREDITATE IACOB; id est, dabo tibi insignia illa, quæ promisi Iacobo *patri tuo*, nempe terram lacte & melle manantem in hac vita, in altera terram viventium plenam cælestibus opibus & delitiis, inquit idem S. Hieronymus, Cyrillus, Bernardus *l* & Procopius.

(a) Psal. xxxiv. 13.
(b) Levit. xvi. vers. 29.
(c) Psal. iv. 7.
(d) Psal. cxi. Actor. x. 35. & Dan. iv. 24. in Hebræo.
(e) Tobiæ iv. 11.
(f) Isaiæ x. 32.
(g) Bozius to. 11. de Notis Ecclesiæ signo 88.
(h) cap. lvi. 2.
(i) Hic vers. 2.
(k) Greg. Lib. XXXI. Moral. cap. xix. & Lib. 1. Registri epist. v.
(l) Bern. Serm. XXI. in Cant.

GORDONI.

Vers. 1. *& deinceps.* MOres Iudæorum corruptos describit: exterius videri volunt ieiunantes & interrogantes Deum, sed cor eorum longe abest a cordis puritate & vero ieiunio. Quomodo demum sit ieiunandum docet a vers. 6. ad vers. 9.

V. 9. Pergit dicere quid agendum, ut recte vivant, & Dei auxilium ac favorem obtineant. Auferte, inquit, catenam, scilicet peccatorum; & nolite digitum extendere, aut per minas, aut per murmurationem, ut habent Sept. Vers. 12. AVERTENS SEMITAS IN QUIETEM, id est restituentur semitæ securæ ad habitandum.

V. 13. SI AVERTERIS A SABBATO; hoc est, a violando sabbato, PEDEM TUUM; manum & opus servile cohibeas. Tria promittit rite colentibus Deum, vers. 14. hæc sunt, delectatio in Deo, mentis altitudo per dona gratiæ, & hereditas vitæ æternæ, designata in promissione facta antiquis Patribus. Sabbatum vocat delicatum, vers. 13. utpote sepositis laboribus.

Ex Eiusdem Auctario.

Vers. 12. AEDIFICABUNTUR, restituentur domus desertæ a multis sæculis, fundamenta urbium calcatarum reponentur. Hæc collapsam Synagogam designant, & eius ruinis excitandam Ecclesiam. AEdificator sepium dicitur hic, qui morum reparator est, & disciplinæ Ecclesiasticæ promotor



CAPUT LIX.

Potens ac benignus est Deus ad salvandum Iudæos: sed iniquitates eorum, quas Propheta persequitur, impediunt ne exaudiantur ac salventur: propter quas & ipsi confitentur se iuste a Deo desertos, & excæcatos, affligi variis malis: de furore Domini in malos, & benignitate erga pœnitentes.

1. ECce (*a*) non est abbreviata manus Domini ut salvare nequeat,
neque aggravata est auris eius ut non exaudiat: 2. Sed ini-
quitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum, &
peccata vestra absconderunt faciem eius a vobis ne exau-
diret. 3. (*b*) Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine,
& digiti vestri iniquitate: labia vestra locuta sunt men-
dacium, & lingua vestra iniquitatem fatur. 4. Non est
qui invocet iustitiam, neque est qui iudicet vere: * sed
confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates: (*c*) conceperunt laborem, & pe-
pererunt iniquitatem. 5. Ova aspidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt:
qui comederit de ovis eorum, morietur: & quod confotum est, erumpet in
regulum. 6. Telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus
suis: opera eorum opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum. 7. (*d*)
Pedes eorum ad malum currunt, & festinant ut effundant sanguinem innocen-
tem: cogitationes eorum cogitationes inutiles: vastitas & contritio in viis eo-
rum. 8. Viam pacis nescierunt, & non est iudicium in gressibus eorum, semi-
tæ eorum incurvatæ sunt eis; omnis qui calcat in eis, ignorat pacem. * 9.
Propter hoc elongatum est iudicium a nobis, & non apprehendet nos iustitia:
expectavimus lucem, & ecce tenebræ; splendorem, & in tenebris ambulavimus.
10. Palpavimus sicut cæci parietem, & quasi absque oculis attrectavimus: im-
pegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui. 11. Rugiemus
quasi ursi omnes, & quasi columbæ meditantes gememus, expectavimus iudi-
cium, & non est: salutem, & elongata est a nobis. 12. Multiplicatæ sunt
enim iniquitates nostræ coram te, & peccata nostra responderunt nobis. quia
scelera nostra nobiscum, & iniquitates nostras cognovimus, 13. peccare & men-
tiri contra Dominum: & aversi sumus ne iremus post tergum Dei nostri, ut
loqueremur calumniam & transgressionem: concepimus, & locuti sumus de cor-
de verba mendacii. 14. Et conversum est retrorsum iudicium, & iustitia lon-
ge stetit: quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi, 15. Et
facta est veritas in oblivionem: & qui recessit a malo, prædæ patuit: & vi-
dit Dominus, & malum apparuit in oculis eius, quia non est iudicium. 16.
& vidit quia non est vir: & aporiatus est, quia non est qui occurrat: & sal-
vavit sibi brachium suum, & iustitia eius ipsa confirmavit eum: 17. [*e*] In-
dutus est iustitia ut lorica, & galea salutis in capite eius: indutus est vesti-
mentis ultionis, & opertus est quasi pallio zeli. 18. Sicut ad vindictam quasi
ad retributionem indignationis hostibus suis, & vicissitudinem inimicis suis: in-

sulis

ſolis vicem reddet. 19. Et timebunt qui ab Occidente, nomen Domini; & qui
ab ortu ſolis, gloriam eius: cum venerit quaſi fluvius violentus, quem ſpiritus
Domini cogit: 20. (*f*) & venerit Sion redemptor, & eis qui redeunt ab ini-
quitate in Iacob, dicit Dominus: 21. Hoc fœdus meum cum eis, dicit Do-
minus: Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo,
non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis ſeminis
tui, dicit Dominus, amodo & uſque in ſempiternum.

(a) Num. xi. 23. Sup. l. 2. (b) Sup. 1. 15. (c) Iob xv. 35. (d) Prov. 1. 16. Rom. iii. 15. (e) Epheſ. vi. 17. I. Theſſ. v. 8. (f) Rom xi. 26.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 4. *Sed confidunt in nihilo*. Pro ablativo *nihilo*, alii ſcribunt, *nihili* indeclinabile.

Verſ. 9. *Propter hoc elongatum eſt iudicium a nobis, & non apprehendet nos iuſtitia*. Pronomina primæ perſonæ *nobis*, & *nos* mutanda non ſunt in ſecundæ perſonæ pronomina *vobis*, & *vos*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. ECCE NON EST ABBREVIATA MANUS DOMINI; id eſt, non eſt Dominus minus fortis, quam ante fuit, ut ſupra L. 2. & Num. XI. 23. NEQUE AGGRAVATA EST AURIS EIUS, id eſt non obſurduit.

V. 2. SED INIQUITATES VESTRAE DIVISERUNT; id eſt, diſſidium fecerunt inter vos & Deum, aut inſenſum vobis Deum reddiderunt.

V. 4. NON EST QUI INVOCET IUSTITIAM, id eſt qui audeat ius ſuum perſequi. Vel, קרא צדק, *qui clamet pro iuſtitia*, id eſt qui iuſtitiam defendat. Chald. *Non eſt qui oret in veritate*. Septuag. οὐχ. ἐι: λαλεῖ δίκαια. SED CONFIDUNT: בטוח, *confidere*. Omnes ſunt infinitivi pro præſentibus. *Confidunt* in rebus *nihili*, id eſt in rebus vanis. CONCEPERUNT LABOREM, id eſt iniuriam: cogitaverunt quomodo labore alios affligerent. Ita interpretandum eſt, ut verſio Interpretis noſtri cum Hebraica veritate conveniat: עָמָל enim & laborem & perverſitatem ſignificat. Noſter vero Interpres laborem ſolet convertere. ut Iob xv. 35. & Pſalm. VII. 15. & Pſalm. X. 7. Itaque ſenſus eſt, Cogitaverunt ut facerent aliis iniuriam, & revera fecerunt.

V. 5. OVA ASPIDUM RUPERUNT, id eſt excluſerunt: elegans metaphora: cogitationes perverſas vocat ova aſpidis; opera vero mala excluſionem ovorum; quaſi dicat, Sicut male cogitarunt, male egerunt. ET TELAS ARANEAE TEXUERUNT. Telæ araneæ tria ſignificare poſſunt; aut fragilitatem; quaſi dicat, Omnia eorum ſtudia ſunt inania, facileque rumpuntur: ut Iob VIII. 14. *Sicut tela aranearum fiducia eius*: aut fraudes & dolos; quaſi dicat: Inſidias proximis ſuis tetenderunt, ſicut araneæ telas ſuas extendunt ad capiendas muſcas; aut inutilitatem, ut declaratur verſ. 6. QUI COMEDERIT DE OVIS EORUM; id eſt, qui cogitationes, & conſilia eorum imitatus fuerit, MORIETUR. ET QUOD CONFOTUM EST, id eſt ovum excluſum. Heb. הזורה, *quod confractum eſt*. ERUMPET IN REGULUM; id eſt, tam eorum cogitationes, quam eorum conſilia pernicioſa ſunt.

V. 6. TELAE EORUM NON ERUNT IN VESTIMENTUM; id eſt, opera eorum nihil illis profuerunt. NEQUE OPERIENTUR OPERIBUS SUIS, id eſt non veſtientur telis quas fecerunt. OPERA EORUM, OPERA INUTILIA. Heb. און, *iniquitatis*.

V. 7. COGITATIONES EORUM, COGITATIONES INUTILES; id eſt *iniquæ* און, ut verſu præcedenti. VASTITAS ET CONTRI-

TRI-

TRITIO IN VIIS EORUM. Vias eorum vocat studia, vitæ rationes; quasi dicat, Student devastationi & contritioni aliorum.

V. 8. VIAM PACIS NESCIERUNT, id est nesciverunt pacifice vivere, & fine aliorum iniuria. ET NON EST IUDICIUM, id est iustitia, IN GRESSIBUS EORUM; quasi dicat, Non vivunt iuste, non student iustitiæ. Gressus enim vocat studia, quæ paulo ante vias appellavit. SEMITAE EORUM INCURVATAE SUNT EIS, נתיבותיהם עקשו להם, *semitas suas sibi perverterunt*, id est elegerunt sibi vias perversas; non recte ambulaverunt, non simpliciter & sincere egerunt. OMNIS QUI CALCAT IN EIS; id est, qui per eas incedit, quicumque eos imitatur, pace carebit. *Quia non est pax impiis*: supra XLVII. 21.

V. 9. PROPTER HOC (sub. dicent aliquando) ELONGATUM EST IUDICIUM A NOBIS; id est, indignatus est nobis Deus, neque iudicat iam iniurias quæ nobis fiunt, sicut solebat. ET NON APPREHENDET NOS IUSTITIA; id est iustitia Dei non suscipit nos in tutelam & defensionem: fut. pro præt. EXPECTAVIMUS LUCEM, id est res prosperas. ET ECCE TENEBRAS; id est, res adversæ nobis obvenerunt, ut sup. LVIII. 10.

V. 10. PALPAVIMUS SICUT CAECI PARIETEM; id est, in rebus adversis nescientes quo nos converteremus, humana auxilia quæsivimus. ET QUASI ABSQUE OCULIS, id est sicut homines qui oculis carent. IMPEGIMUS IN MERIDIE; id est, in rebus clarissimis & facillimis præ cæcitate erravimus, quemadmodum si difficillimæ essent. IN CALIGINOSIS. Repetenda est particula *quasi*; id est, sicut in sepulcris obscuris, in quibus mortui sunt.

V. 11. RUGIEMUS. Fut. pro præt. rugivimus, aut ululavimus כהמה *sicut ursi omnes nos*. ET QUASI COLUMBAE, הגה, נהגה *gemendo gemuimus*, id est valde gemuimus. EXPECTAVIMUS IUDICIUM; id est ut Deus nos de inimicis nostris ulcisceretur, & non est ultus, & ut salvaret nos, & non salvavit.

V. 12. MULTIPLICATAE SUNT ENIM; id est, crevit iniquitatum nostrarum numerus. CORAM TE, id est adversus te, ut Psal. L. 6. *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci*. ET PECCATA NOSTRA RESPONDERUNT NOBIS, id est accusaverunt nos, redarguerunt nos, ut supra cap. III. 9. *Agnitio vultus eorum respondebit eis*, id est arguet eos. QUIA SCELERA NOSTRA NOBISCUM, id est semper nobis ante oculos obversantur: ut Psal. L. 5. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper*.

V. 13. PECCARE ET MENTIRI: Infinitivi pro præt. Peccavimus, & mentiti sumus CONTRA DOMINUM, id est non servavimus eius pactum. ET AVERSI SUMUS NE IREMUS; id est, non sumus Deum secuti, sed recessimus ab eo. UT LOQUEREMUR. Heb. etiam est infinitivus דבר *loqui*, pro, locuti sumus, CALUMNIAM, id est fraudem & rebellionem.

V. 14. CONCEPIMUS ET LOCUTI SUMUS; id est, concepimus & peperimus; cogitavimus & protulimus EX CORDE VERBA MENDACII. ET CONVERSUM EST RETRORSUM IUDICIUM; id est, longe abiecimus a nobis iudicium, non exercuimus iudicium. ET IUSTITIA LONGE STETIT (a nobis) id est, non illam coluimus, & administravimus. QUIA CORRUIT, pro, sed corruit, כי *quin potius corruit* IN PLATEA VERITAS; id est, oppressa est a nobis veritas in loco iudicii, quod in platea exercebatur. ET AEQUITAS NON POTUIT INGREDI, (sub. in plateas) ubi causas iudicabamus.

V. 15. ET FACTA EST VERITAS IN OBLIVIONEM, id est nemo habuit rationem æquitatis ac veritatis. ET QUI RECESSIT A MALO; id est, iustus, qui nihil mali fecerat, משתולל, *prædæ fuit*; quasi dicat: Iustum iniquis iudiciis oppressimus. ET VIDIT DOMINUS, displicuitque illi, quod non esset iustum apud nos iudicium.

V. 16. ET VIDIT DEUS, QUIA NON EST VIR; id est, quod nemo esset qui iustorum iniurias ulcisceretur. ET APORIATUS EST; id est, expectavit num esset aliquis qui occurreret tantis malis, & neminem vidit: ויש תום כי אין מפגיע, *& obstupuit quod nemo esset qui occurreret*. ET SALVAVIT SIBI (pro illi) BRACHIUM SUUM: non est accusativus, sed nominativus, ותושע לו זרועו, *& salutem illi attulit brachium suum*, quod active intelligendum est, non passive; quasi dicat: Ipse sibi innocentes salvavit brachio suo, id est suis viribus, sine cuiusquam auxilio, cum animadverteret neminem esse qui id faceret. ET IUSTITIA

EIUS

EIUS IPSA CONFIRMAVIT EUM. Hebraismus; id est, sola ipsius iustitia illi fuit auxilio, non punivit homines vi, sed iure.

V. 17. INDUTUS EST (Deus) IUSTITIA UT LORICA. Describit arma, quibus Deus utitur in ulciscendis innocentium iniuriis. Non autem utitur aliis armis, quam iustitia, salutis studio, ultionis zelo: atque his indutus armis contra hostes procedit.

V. 18. SICUT AD VINDICTAM: (sub. Deus his armis indutus est:) quia ad sumendam de hostibus vindictam accommodatissima sunt. QUASI AD RETRIBUTIONEM INDIGNATIONIS; id est, ut quemadmodum hostes sui populum suum magna indignatione furoreque vexarunt, ita ipse eos vexet. Hoc idem significat quod statim ait, ET VICISSITUDINEM INIMICIS SUIS. INSULIS VICEM REDDET, id est remotissimis quibusque hostibus; non enim locorum intervallo impedietur.

V. 19. CUM VENERIT (Dominus) QUASI FLUVIUS VIOLENTUS, QUEM SPIRITUS DOMINI, id est ventus vehemens impellit. Alii sic: *Cum venerit quasi fluvius*, צר, *hostis*: רוח יהוה כוססה בו, *spiritus Domini fugabit illum*. Melius noster Interpres meo quidem iudicio, *Cum venerit quasi fluvius*, צר, *angustus*, id est quasi torrens, quem spiritus Domini fugat; id est, facit magno impetu praecipitari, ita ut nihil illi possit resistere, ut statim declarat.

V. 20. ET VENERIT SION (in dativo, Sioni) REDEMPTOR (Deus,) id est ut redimat Sion. ET EIS QUI REDEUNT AB INIQUITATE, id est volentibus poenitentiam agere, ex iis qui sunt ex Iacob.

V. 21. HOC FOEDUS MEUM .... SPIRITUS MEUS; id est, prophetia haec, quae tibi, o Iacob, declarata est. ET VERBA MEA QUAE POSUI IN ORE TUO, id est in ore Isaiae, qui e genere tuo est, aut qui persona tua loquitur. NON RECEDENT DE ORE TUO, id est non erunt falsa, implebuntur in te, & in semine tuo: salvabo te & posteros tuos.

S A.

Vers. 1. ABBREVIATA, id est debilitata. AGGRAVATA EST, id est obsurduit.

V. 2. DIVISERUNT, scilicet velut pariete interposito, quem deinde Christus solvit. EXAUDIRET. LXX. *misereatur*.

V. 3. SANGUINE, id est homicidiis. Chald. *sanguine innocentum*.

V. 4. INVOCET IUSTITIAM. Chald. *oret in veritate*. LXX. *loquatur iusta*. NIHILO. Chald. & LXX. *vanitate*. LABOREM, id est molestiam, scilicet proximi. LXX. *caedem*.

V. 5. RUPERUNT; quasi dicat: Parant noxia, & plena veneno. TELAS ARANEAE, id est inutilia, seu non duratura.

V. 7. INUTILES. Chald. *iniquae*. LXX. *stultorum*.

V. 8. IUDICIUM, id est iustitia. INCURVATAE, id est depravatae. LXX. *perversae*. IGNORAT, id est non curat, negligit.

V. 9. ELONGATUM, &c. quasi dicat: Longe recessimus a iudicio & iustitia, id est rebus iustis. Not. quod possunt haec omnia ad Christi tempora referri, scilicet ad Iudaeos, qui illum sunt persecuti. LUCEM, id est prosperitatem.

V. 11. MEDITANTES, id est cogitabunbi. Heb. *gemendo*. IUDICIUM, id est iustitiam, scilicet in hominibus; quasi dicat: Ne quisquam alii noceret.

V. 12. RESPONDERUNT. Chald. *contra nos testificati sunt*. LXX. *restiterunt*. COGNOVIMUS; quasi dicat, Negare non possumus.

V. 14. RETRORSUM; quasi dicat, Recessit, seu deseruit nos. IUDICIUM, id est recta vivendi ratio. INGREDI, scilicet ad nos, quia nolebamus.

V. 16. VIR, scilicet iustus, dignusque viri nomine. APORIATUS EST, scilicet qui indigebat auxilio; quasi dicat: Ad summam inopiam & angustiam redactus. SALVAVIT, scilicet inopem. SIBI: abundat, more Hebraico. IUSTITIA. LXX. *misericordia*. EUM, scilicet ope indigentem.

V. 17. ZELI, id est indignationis.

V. 18. QUASI; pro, & quasi. VICISSITUDINEM, id est retributionem. INSULIS; pro, etiam insulis, id est remote habitantibus.

V. 19. SPIRITUS DOMINI, id est vehemens ventus.

V. 20. SION: dativus est; quasi dicat, Ecclesiae, scilicet in die iudicii.

V. 21. IN TE, scilicet o Christe.

ESTH.

ESTII.

Verſ. 4. CONCEPERUNT LABOREM, ET PEPERERUNT INIQUITATEM. Quæritur quæ ſit connexio, ut dicatur concipi labor, & deinde pariatur iniquitas? Ad hoc intelligendum, ſciendum eſt, eſſe etiam alia ſimilia loca: ſic Iob xv. de impio: *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem*. Et Pſalm. vii. *Ecce parturiit iniuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem*. Et in primis notandum, quod utroque iam citato loco vertit Hieron. *dolorem*, cum in Hebræo ſit idem vocabulum, quod hic. Quod quidem vocabulum Hebræum ſignificat *laborem*, ut hic vertit, ſed non tamen qualemcumque laborem, ſed talem qualis eſt vel parientium, vel eorum qui ſe fatigarunt nimium laborando, id eſt laborem cum dolore, & moleſtia coniunctum; ſicut & lingua noſtra Teutonica dicimus parientes feminas eſſe in labore. Hinc ergo factum eſt, ut vox iſta etiam uſurpetur pro dolore; quin etiam tandem tranſlata eſt ad ſignificandam malitiam & iniquitatem, quod ea doloris ſit cauſa. Atque adeo eo modo accipitur vox illa tribus iam dictis locis, ut ſenſus ſit: Meditantur malum & iniquitatem, & eamdem paulo poſt pariunt, & proferunt in opus. Quidam tamen per dolorem vel laborem intelligunt iniuriam proximo illatam, ut ſit ſenſus: Meditantur, quomodo lædere poſſint proximum, idemque paulo poſt perficiunt.

V. 7. PEDES EORUM AD MALUM CURRUNT, ET FESTINANT, UT EFFUNDANT SANGUINEM INNOCENTEM, &c. Apoſtolus Paulus ad Rom. iii. inter alias ſcripturas quas citat, dicit etiam ſic: *Venenum aſpidum ſub labiis eorum. Quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt. Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem*, &c. Non ex Pſalm. xiii. ut quidam putaverunt, ſed ut apparet, ex hoc loco. De qua re ita Hieron. in præfat. Lib. XVI. in Iſaiam: Arbitror Apoſtolum non tam de Pſalm. xiii. quod in Hebræo non habetur, quam eos, qui artem contexendarum inter ſe ſcripturarum Apoſtoli neſciebant, quæſiviſſe aptum locum, ubi aſſumptum ab eo teſtimonium ponerent. Et addit: Græci tractatores hos verſus in Pſal. xiii. veru quoque adnotant, atque prætereunt; liquido confitentes in Hebræo non haberi, nec eſſe etiam in Septuaginta Interp. ſed in editione tantum Vulgata, quæ Græce communis dicitur. Vide plenius ad Rom. iii.

MARIANAE.

Verſ. 1. ECCE NON EST ABBREVIATA. Bene poteſt Deus præſtare quæ beneficia promittit. Quod ſi non facit, ac contra malis punit, veſtra id peccata merentur. NEQUE AGGRAVATA EST AURIS, id eſt obſurduit, ut audire preces non poſſit.

V. 3. MANUS ENIM VESTRAE POLLUTAE SUNT SANGUINE, quem fudiſtis. Heb. *ſed manus veſtræ*. DIGITI VESTRI INIQUITATE; id eſt, manus uſque ad digitos omni ex parte delibutæ ſunt ſanguine.

V. 4. NON EST QUI INVOCET IUSTITIAM; id eſt, patrocinetur iuſtitiæ adverſus eos, qui alios iniuſte opprimunt. NEQUE EST QUI IUDICET VERE. Heb. *Et non eſt qui iudicetur in veritate*, aut *in fide*, id eſt Iudices prave iudicant. SED CONFIDUNT, ſcilicet ii Iudices, aut omnis populus, confidunt in re vana. Quis ex eo fructus?

V. 5. OVA ASPIDUM RUPERUNT. Per *ova aſpidum* res noxias, per *telas araneæ* res inutiles intelligit. ET QUOD CONFOTUM EST, ut gallina fovet ova, ex eo fomento regulus naſcetur. Heb. *compreſſum frangetur* (in) *viperam*.

V. 6. TELAE EORUM, id quæ faciunt, omnia erunt inutilia. OPERA INUTILIA. Heb. *opera mendacii*, id eſt quæ videntur eſſe aliquid, & nihil ſunt. ET OPUS INIQUITATIS, ſeu *rapinæ*, ſeu *violentiæ* eſt in eorum manibus.

V. 7. COGITATIONES INUTILES; vel *mendaces*, iniquæ. Id ſignificat *aven*. VASTITAS. Eo ſtudia eorum referuntur, ut vaſtent & diripiant alios.

V. 8. NON EST IUDICIUM, id eſt iuſtitia. SEMITAE EORUM INCURVATAE SUNT EIS, id eſt in ſeipſis. Hebræus להם לעצמם *ipſis*, id eſt in ſeipſis, ſcilicet diſtortæ.

V. 10. MERIDIE QUASI IN TENEBRIS. Heb. *quaſi in crepuſculo*, ſcilicet veſpertino, per quod noctem intelligit. IN CALI-

CI-

GINOSIS QUASI MORTUI. Heb. *in desolatis quasi mortui*. Sed per *desolata* Hebræi intelligunt sepulcra. Sic etiam Chald. Ergo in sepulcris versamur quasi mortui; nihil ex ratione & prudentia facimus, ut mortui in sepulcris.

V. 11. RUGIEMUS, vel *rugiebamus*, malis scilicet oppressi, & in captivitate. EXPECTAVIMUS IUDICIUM, ut scilicet Deus nos liberaret vindicatis hostibus.

V. 12. ET PECCATA NOSTRA RESPONDERUNT NOBIS. Paria meritis retulimus, aut testimonium contra nos dicunt, accusant nos. QUIA; pro, certe, SCELERA NOSTRA, id est pœnæ scelerum, NOBISCUM. Digna patimur. INIQUITATES NOSTRAS COGNOVIMUS; pro, cognoscimus nos peccasse.

V. 13. PECCARE ET MENTIRI; pro, peccavimus & mentiti sumus contra Dominum. ET AVERSI SUMUS. Heb. *retrocedere*; pro, retrocessimus. NE IREMUS POST. Heb. *de post Deum nostrum*, ne scilicet eum sequeremur. UT LOQUEREMUR. Heb. *loqui*, pro, locuti sumus calumniam. ET TRANSGRESSIONEM, seu *defectionem*. CONCEPIMUS, ET LOCUTI SUMUS. Heb. *concipere & loqui*. DE CORDE, sive *ex corde*, serio verba mendacii.

V. 14. QUIA CORRUIT IN PLATEA, id est publice, palam. Heb. *offendit in platea veritas*, non prævalet. INGREDI, seu *ambulare*, nimirum ex offensione pedibus læsis non potest veritas.

V. 15. VERITAS IN OBLIVIONEM. Heb. *& fuit veritas* sublata, id est homines veraces de medio sublati sunt. ET QUI RECESSIT A MALO, PRAEDAE PATUIT. Heb. *deprædatus est*, id est sublatus de vita, ita ut non inveniatur.

V. 16. QUIA NON EST VIR, id est quisquam, scilicet qui bene faciat, aut oret. ET APORIATUS EST. Obstupuit, Deus, seu homo afflictus est, qui egebat auxilio. QUIA NON EST QUI OCCURRAT: seu *intercedat*, deprecetur. ET SALVAVIT SIBI BRACHIUM SUUM; id est, Deus decrevit vindicare & punire homines, sua potentia & iustitia. Vindictam vocat salutem. Vox *sibi* redundat.

V. 17. ET OPERTUS EST, induit se. QUASI PALLIO ZELI, seu *zelo*, aut *zelum induit*, id est indignationem.

V. 18. SICUT AD VINDICTAM. Locus implicitus. Heb. sic verto: *Sicut retributiones, sic reddet iram hostibus suis* (pro meritis cuiusque reddet vindictam) *retributionem hostibus suis*, *insulis retributionem reddet*. Gentes remotas, quoniam ad eas mari ibatur, vocat insulas. Verba Vulgatæ ad hunc sensum referantur.

V. 19. QUASI FLUVIUS VIOLENTUS. Sic Septuag. צר *Zar* pro adiectivo sumunt. Alii vertunt: *Cum venerit quasi fluvius hostis*, scilicet ut per eum Deus puniat peccata. QUEM SPIRITUS DOMINI COGIT, id est impellit. Heb. *spiritus Domini vexillum ponit in eo*: scilicet ipse ductor est & antesignanus hostilis exercitus. Hieronymi verba eamdem sententiam admittunt.

V. 20. ET VENERIT. Repete, & cum venerit Sioni redemptor, & iis qui ab iniquitate recedunt, scilicet timebunt gentes Dominum. Heb. *& veniet redemptor Sioni*, scilicet qui ab iis periculis liberet.

V. 21. HOC FOEDUS MEUM. Hac conditione eos liberabo. SPIRITUS MEUS, id est voluntas mea, lex mea, quam tibi dedi, non recedet a te ullo tempore. Hæc est conditio.

MALVENDAE.

Vers. 1. ECCE NON EST ABREVIATA MANUS DOMINI, &c. Tertia pars concionis, ut dictum est cap. LVIII. 1. nimirum confirmatio redargutionis, promissionumque præcedentium, qua Propheta primum potentiam Dei, & voluntatem asserens vers. 1. peccata & calamitatum causas populo exprobrat, usque ad versum 9. deinde cum suo ipsius, tum populi totius nomine confitetur illa coram Deo, usque ad versum 16. postremo confirmat, Deum potentia sua propter se promissiones suas nihilominus effecturum in Christo, usque ad versum 21. denique conclusio concionis, vers. 21. Hunc versum dilucidius alii ex Hebræo transfundunt: I. *Ecce manus Iehovæ non est mutila, quo minus servare possit; neque aggravata auris eius ut non exaudiat*. II. *Et non est brevior manus Iehovæ quam ut servet, neque gravior auris eius quam ut audiat*.

V. 2. SED INIQUITATES VESTRAE DIVISERUNT, &c. Alii hunc versum ex Heb. I. *Sed iniquitates vestræ divellunt inter vos, & inter Deum vestrum: & peccata vestra* ab-

abſcondunt vultum eius a vobis, ne exaudiat. II. *Sed iniquitates veſtræ diſterminant*, velut interiectus paries, ut Exechiel. XLIII. 8. *inter vos & inter Deum veſtrum; & peccata veſtra faciunt ut occultet faciem a vobis ne exaudiat*.

V. 3. POLLUTAE SUNT. נגאלו *negoalu*. Eſt tamen, inquit Forſterus, hoc verbum irregulare, & compoſitum ex præterito paſſivæ vocis primæ coniugationis irregulari, nempe ex Niphal, & ex præterito paſſivæ ſecundæ coniugationis, ſcilicet ex Puhal, vel Pohal; & communicat ſignificatione cum verbo geminato גלל *ghalal*, *devolvit*. Et quia res, quæ volutantur vel in ſanguine, vel in ſtercore, aut re alia immunda, contaminantur; quare volutationem cum contaminatione, & e diverſo contaminationem ex volutatione ſimul importat, atque hanc viciſſitudinem ſeu conſequentiam prophetas voluiſſe ſignificare hac compoſitione arbitror, ut hic: *Quoniam manus veſtræ volutatione contaminatæ ſunt in ſanguine*. Et Lamentation. IV. 14. Marinus exiſtimat, hanc compoſitionem ad augendam ſignificationem adhibitam; quaſi dicat: Vehementer, mirum in modum volutatione pollutæ ſunt ſanguine. LINGUA VESTRA INIQUITATEM FATUR. Alii: I. *& lingua veſtra iniquitatem concinnat*. II. *& lingua veſtra iniuriam ſonat*. III. *& lingua veſtra perverſitatem meditatam effert*.

V. 4. NON EST QUI INVOCET IUSTITIAM. Alii: I. *Non eſt qui clamet pro iuſtitia*, vel *ad iuſtitiam*; id eſt, iuſte increpet proximum ſuum errantem. II. *Nemo eſt, qui clamet pro iuſtitia*; id eſt, cauſam iuſtam agendam ſuſcipiat. NEQUE EST QUI IUDICET VERE. Heb. *& non iudicatus in fide*, ſeu *fideliter*. נשפט *niſchaphat*, participium Niphal, exponunt: *Nemo in ius vocatur*, ſeu *iudicio contendit cum fidelitate*. Alii: I. *neque eſt, qui iudicet pro veritate*. II. *nemo iudicatur ex fide & veritate*, a iudicibus. III. *& nemo, qui diſceptet pro fide*, id eſt qui propugnet fidem & integritatem. SED CONFIDUNT IN NIHILO, &c. Alii ex Heb. I. *confidere ſuper inordinatione, & loqui mendacium; concipere laborem, & parere vim*. II. *confidere rebus vanis, & loqui vana; concipere laborem, & parturire vanitatem*. III. *confidere ſuper inanitate, & loqui vanum; concipere laborem, & parere mendacium*. Infinitivi pro finitis modis; unde quidam reddunt: *quiſque confidit rei inani, & loquitur vanum; concipit laborem, & parit mendacium*: ut Pſal. VII. 15. IN NIHILO. Heb. *ſuper inordinationem*, ſeu *indigeſtionem*, vel *incompoſitionem*, ubi nihil ex ordine aut ex diſpoſitione fit: ſic ſe res habet ubi nulla eſt iuſtitia aut veritas. Forſterus reddit: *confiditur ſuper inordinatione*. Quo nomine putat intelligi idola ipſa & falſam, atque impiam, idololatricamque doctrinam: ut ſupra cap. XXIX. 21. VANITATES. Heb. *præcipitantiam, temeritatem*. Alii: *vanitatem, vanum, falſitatem: falſum, mendacium*; vel adverbialiter, *fruſtra, in vanum*. LABOREM. Heb. *moleſtiam, erumnam, perverſitatem, miſeriam*: nec abſurde hic quidam ſumunt pro prava doctrina, & impio cultu. INIQUITATEM. Heb. *concupiſcentiam, pravam cupiditatem, vim, iniuriam*. Et poſſit hic accipi pro falſo cultu & idololatria, ut alibi ſæpius: ſic infra verſ. 6. & 7.

V. 5. OVA ASPIDUM RUPERUNT. De voce צפעוני *tziphghoni*, quam hic *aſpidem* plerique ſecuti LXX. & Noſtrum exponunt, vide ſupra cap. XI. 8. & Proverb. XXIII. 32. Quidam hic reddunt: I. *Ova aſpidis rumpunt*. Qui ova aſpidum frangunt, noxium ſibi opus faciunt: nam rupto ovo erumpit aſpis, quæ venenum infligit effractori ovi. II. *Ova hæmorrhoi excludunt*, &c. Allegoriæ vehementiſſimæ ad figurandam malitiam animorum, & vanitatem operum, atque perniciem, quibus nedum aliis, ſed etiam ſibimet ipſis exitium accerſunt. ET TELAS ARANEAE TEXUERUNT. Heb. *& foramina aranei texent*, id eſt telas ipſas, quibus araneæ ora foraminum ſuorum pertexunt: ut Iob VIII. 14. quæ ſimilitudo in verſ. 6. exponitur. QUI COMEDERIT DE OVIS EORUM, MORIETUR; ET QUOD CONFOTUM EST, ERUMPET IN REGULUM. Alii ex Heb. I. *qui de ovis eorum ederit, morietur: ſi vero quis conculcaverit, egredietur vipera*. II. *& compreſſum frangetur, & egredietur aſpis*. III. *etiam qui aſpergitur, quaſi irrumpat vipera*. Gradatio elegantiſſima; quaſi dicat: Etiam cui aſperguntur guttæ iſtorum venenatorum ovorum ſeu operum, is perinde afficitur, ac ſi parente in ipſum vipera irrueret: tanta ineſt vis malo. QUOD CONFOTUM EST. הזורה *hazzureh*, a זור *zur*, *compreſſum*; a זרה *zarah*, *ſparſum*. Eſt enim Pahul. Forſterus red-

reddit: *& si unumquodque compressum fuerit, ex eo erumpet regulus*, vel *& si comprimantur, erumpet vipera*. אפעה *epgheh, vipera*, ut Iob XX. 16. vide supra cap. XLII. 14.

V. 6. TELAE EORUM NON ERUNT IN VESTIMENTUM, &c. Alii hunc versum ex Heb. efferunt: I. *Ex telis eorum non confit vestis, ut operibus suis sese tegant: opera eorum eorum opera sunt vana, & opus violentiæ in manibus eorum*. II. *Telæ eorum non erunt pro panno, neque operient se factis suis*; id est, utcumque aliis sint damnosi, nihil tamen utilitatis ad ipsos perventurum est: *facta illorum sunt facta iniqua, & opus violentiæ in manibus eorum*.

V. 7. PEDES EORUM AD MALUM CURRUNT, &c. Hæc verba, inquiunt, non tantum ad Iudæos istius temporis pertinuisse ostendit Apostolus Romanor. III. 15. & sequentibus; sed etiam ad omnes homines, quatenus deficiuntur gloria Dei, & considerantur extra Christum. Quapropter etiam Propheta ipse cum populo suo communiter peccata sua confitetur. vers. 9. & sequentibus. VASTITAS ET CONTRITIO IN VIIS EORUM. Exponunt: Id est, studia eorum sunt in eo composita, ut diripiant & conterant. Alii: *vastitas & contritio in aggeribus illorum est*, id est in viis aggestis ipsorum studio.

V. 8. VIAM PACIS NESCIERUNT, &c. Hunc versum quidam ex Heb. reddunt: *Viam pacis ignorant, & nullum est ius in orbitis illorum*; id est, neque apud se, neque cum aliis sciunt pacem colere, ut supr. cap. LVII. 20. & 21. *semitas suas depravant sibi, quisquis incedit per eam, sive per aliquam earum, expers est pacis*; id est, per illorum importunitatem nemo degit in pace & prosperitate, ut sequens confessio peccatorum ostendit: de voce מעגל *maghgal*, quam nos *magale* exponimus, vide supra cap. XXVI. 7.

V. 9. PROPTER HOC ELONGATUM EST IUDICIUM, &c. Varie hunc versum ex Heb. efferunt: I. *Idcirco longe exulat a nobis iudicium*; id est, finit nos Dominus iniuste affligi, *ut iustitia ad nos non possit pertingere*, vel *neque apprehendet nos iustitia*; id est, neque secundum iustitiam ulciscetur Dominus iniuriam nobis illatam: *expectabamus lucem, & ecce tenebræ; splendorem, in caligine versamur*; id est, pro felicitate quam expectabamus, calamitatem sumus consecuti. II. *Idcirco procul existente iure a nobis*: secunda pars confirmationis, qua Propheta & populus confitentur iustitiam castigantis Dei, & peccata sua, ut dictum est in vers. 1. *& non assequentes nos iustitia*, nimirum quamvis nos ea persecutus sit misericors Dominus; *dum expectamus lucem, ecce tenebræ*, id est omnis adversitas, ut contra lucis nomine prosperitatem significari diximus, supr. cap. LVIII. 8. *splendores, in caliginibus ambulamus*; aut *summum splendorem expectantes, in caliginibus ambulamus*.

V. 10. PALPAVIMUS SICUT CAECI PARIETEM, &c. Alii: *Palpamus, attrectamus velut cæci parietem, velut defecti oculis palpamus, inquam: offendimus ipso meridie, tamquam intempesta nocte, in rebus pinguissimis similes mortuis sumus*; id est, ita conturbati sumus iusto Dei iudicio, ut ne præsentibus quidem commodis iisque amplissimis sciamus uti. PALPAVIMUS. Verbum גשש *gaschasch*, cuius hic futurum plurale bis ponitur, non alibi in Scriptura invenitur; aiunt esse, admovere manum tentandi seu experiendi causa, attrectare, quod Latini dicunt *palpare*; neque dubitant ad hunc locum Isaiæ respexisse Petrum Epistola II. cap. I. 9. illis verbis: *Nam cui non sunt hæc, is cæcus est, & manu viam tentans*. Sed istud, *manu viam tentans*, Interpretis Latini est, nam Græca Petri illic expendemus. QUASI IN TENEBRIS. Heb. *sicut crepusculo nocturno*. Alii: *tamquam intempesta nocte*; sed nimium differt a crepusculo intempesta nox. Servius in III. AEneidos, ad versum: *Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat*, has noctis partes ponit: *crepusculum*, quod & *vespex*; *fax*, qua lumina inconduntur; *concubium*, quo nos quieti damus; *intempesta*, id est media; *gallicinium*, quo galli cantant; *conticinium*, post cantum gallorum; *silentium*, *aurora*, vel *crepusculum*; *matutinum*, tempus, quod ante solem est: vide eumdem in II. AEneidos, ad versum:

Tempus erat quo prima quies &c.

& Varronem Lib. V. de Lingua §. 2. Idem Servius noctem intempestam exponit, altam, densam, crassam, inactuosam, mediam, nimium obscuram, carentem tempore ad agendum. IN CALIGINOSIS. באשמנים *ba-*

baaschmannim, in *asmannim*, quidam faciunt *Aleph* addititium, & *Nun* radicale, exponuntque: *in pinguedinibus*, *oleis*, *unguentis*, vel *in rebus pinguissimis*, hoc est rorum omnium affluentia. Alii ab אשמ *ascham*, ut *Aleph* sit radicale, & *Nun* adventitium; varieque reddunt: *in desolationibus*, *desertis*; *in locis desertis ac sordidis spurcisque*; *in locis desolatis*, *solitariis*; *in sepulcris*. Forsterus: *Plurale aschmannim*, *sepulcra*, *loca super quibus afflatur*, *damnata & rea mortuorum*, *Iesaiæ* LIX. In afflandis sicut mortui, *id est in locis damnatis*, *quæ propter immunditiem nefas erat attingere*. *Existimo autem non levi coniectura illam esse vocem*, *qua Christus lingua sua est usus Math.* XXIII. 27. Væ, *inquiens*, vobis Scribis & Pharisæis, hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ foris quidem apparent speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, καὶ πάσῃ ἀκαθαρσίᾳ: omnique impuritate, spurcitia, immunditia. *Ubi Interpres hoc nomen pluralis numeri aschmannim*, *voce universali*. *Omnis*, *deinde ipsum nomen*, *nomine* ἀκαθαρσία, *quo non potuit invenire significatione magis proprium*, *reddere studuit*. Hæc Forsterus, a cuius coniectura non absunt Forerius & Mercerus. Qui ait *aschmannim* esse *loca damnata a quibus abhorretur*, quæ fletu abominamur. Avenarius, *desolationes*, *turpitudines*, *loca turpia*, *& omnibus spurcitiis plena interpretatur*, Reuchlinus, *loca immunda & desolata*; sensumque huius loci ita concipiunt: Quemadmodum mortui locis illis tetris, & abominandis alligati non inde exeunt, ita nos nostris flagitiis & immunditiis dediti, vel squalore & situ calamitatum adobruti, in eis hæremus, volutamur, impingimus, ruimus, labimur, ut numquam nobis illucescat, sicut neque mortuis.

V. 11. RUGIEMUS QUASI URSI OMNES. Alii: I. *Vociferati sumus velut ursi omnes nos*. II. *Fremimus sicut ursi quotquot sumus*. III. *Fremebamus omnes ut ursi*. ET QUASI COLUMBAE MEDITANTES GEMEMUS. Alii: I. *gemendo gememus*. II. *susurrando susurrabimus*. III. *garriendo garriemus*. IV. *& velut columbæ indesinenter gemimus*. V. *& sicut columbæ incessanter gemebamus*. EXPECTAVIMUS IUDICIUM; &c. Alii: *I. expectabamus iudicium*, *at nusquam erat; salutem*, *& longe abstitit a nobis*. II. *expectamus ius*, nimirum a Domino, qui populi sui salutem curæ sibi futuram promisit, *sed nullum adest*; *salutem*, *sed procul abest a nobis*.

V. 12. MULTIPLICATAE SUNT ENIM, &c. Alii hunc versum ex Heb. reddunt: I. *Quia multiplicatæ sunt prævaricationes nostræ coram te*, *& peccata nostra respondent nobis*, vel *testimonium dicunt contra nos*, accusant nos: *nam prævaricationes nostræ super nos sunt*, *& iniquitates nostras agnoscimus*. II. *Nam multiplicatæ sunt defectiones nostræ coram te*, *& peccatorum nostrorum quodque testatur contra nos*: *defectiones enim nostræ sunt penes nos*, *& iniquitates nostræ*, *agnoscimus ista*.

V. 13. PECCARE ET MENTIRI CONTRA DOMINUM, &c. Alii ex Heb. hunc versum elucidant: I. *Videlicet prævaricari & mentiri adversus Iehovam*, *deficere post tergum a Deo nostro*, *loqui calumniam & defectionem*, *eiaculari & concinnare ex corde de falso sermones*. II. *Nempe nos deficere*, *& mentiri in Iehovam*, *& avertere nos a sequendo Deo nostro*: *loqui oppressionem & apostasiam*, *concipere & meditari ex animo verba falsa*. III. *Transgredi & abnegando contradicere in Iehovæ*, *& retrocedere post Deum nostrum*, *loqui fraudem & defectionem*, *concipere & sanare ex corde verba fallaciæ*. CALUMNIAM. עושק *ghoschek*, *sycophantiam*, *fraudem*, *fraudulentiam*, *oppressionem*, *imposturam*. ET TRANSGRESSIONEM. סרה *sarah*, *discessionem*, *recessionem*, *dimotionem*, *aversionem*, *apostasiam*, *rebellionem*, *contumaciam*, *inobedientiam*, *defectionem*: vide supra cap. I. 5. CONCEPIMUS. הורו *horo* infinitum quidam a ירה *iarah* deducunt, *iacere*, *eiaculari*, *profundere*. Alii, a הרה *harah*, *concipere*.

V. 14. ET CONVERSUM EST RETRORSUM IUDICIUM, &c. Alii hunc versum ex Heb. transferunt: I. *Et retroactum est iudicium*, *& iustitia a longe stat*; *quia concidit in platea veritas*, *& æquitas nequit prodire*, vel *ingredi*, subaudi, cœtum nostrum; quasi dicat: Idcirco Deus suo iudicio nobis non subvenit, neque iustitiam, seu salutem nobis impendit; quia nullum locum apud nos habet iustitia, veritas, æquitas, rectitudo: labor in medio civitatis & iniustitia; non deficit de plateis eius iniquitas & dolus, & cetera. II. *Sic aversum est retrorsum ius*, *& iustitia e longinquo consistit*: *quia corruit*

ia

in platea veritas, & aequitas non potest incedere, nimirum per plateam; id est, quia ne in publico quidem veritatem & aequitatem colimus, ut sequente versu confirmat.

V. 15. ET FACTA EST VERITAS IN OBLIVIONEM. Participium, נעדרת *neghdereth*, ita exponit Forsterus: *Et fuit veritas redacta*, scilicet in angustum: ut grex aliquis in caulam coarctatur, ita veritas in troclusa est, ne passim in publico doceatur. Forerius: *Et est veritas collecta*. Verbum, inquit, notat veritatem in angustum redactam, & veluti domi reclusam, vel evanuisse, & de medio sublatam. Sanctes & alii: *Et fuit veritas deficiens*. Tremellius, Iunius, Buxtorfius: *Immo est ipsa veritas de esse facta, sublata, detracta, desiderata.* Nam hunc usum esse verbi עדר *ghadar*, in Niphal & Pihel, exempla passim obvia confirmant. Vide Lexicon Forsteri Pag. 571. Nos diximus, *decongregata*, quasi disiecta, & a coetibus & congregationibus hominum eiecta. Quidam reddunt: *Factum est ut veritate exulante*. PRAEDAE PATUIT. Participium Hithpahel משתולל *mischtholel*, significatum auget: *despoliare sese faciens*, vel *despoliat se*; id est, praebet se aliis despoliandum: *spoliat seipsum*, certissime & quam maxime. Aliqui reddunt: *praeda fuit expositus*, vel *praedae exponit seipsum*. R. Scelomoh; Tremellius, & Iunius: *facit ut aberrans stultus, fatuus, & insanus, habeatur*, a שלה *schal*; id est, propinat se deridendum omnibus cum suo iustitiae & aequitatis studio, adeo corrupta sunt tempora: ut II. Reg. IX. 11. & Sapient. V. 4. ET VIDIT DOMINUS, ET MALUM, &c. Alii ex Heb. I. *haec cum videret Iehova, displicuit in oculis eius quod non esset iudicium*. II. *quod videt Iehova, & malum videtur in oculis eius nullum esse ius*. Conclusio confessionis anantapodotos; quasi dicat, Ac proinde nos ita severe castigat Deus.

V. 16. ET VIDIT QUIA NON EST VIR, &c. Hunc versum alii ex Heb. explanant: I. *Vidit quoque (idque obstupescens & admirans) quod nemo esset*, subaudi vir iustus, *nemo, inquam, esset qui se apponeret*, id est qui Deum deprecaretur: *tunc salutem attulit ei brachium eius, & iustitia eius fulcivit eum*; id est, Tunc, quia mundus iustificari non poterat sua iustitia, Deus sua potentia & bonitate motus & adductus, statuit mittere servatorem. Innixus est sua bonitate, id est movit eum, & produxit ad opus bonitas eius: ducta significatione ab iis, qui dum iter faciunt, humeris aliorum inituntur & fulciuntur. II. *Cum itaque vidit nullum esse virum*. Tertium confirmationis membrum, quo Deus misero populo & peccata sua confitenti (ut ante vidimus) asserit se nihilominus praestiturum promissiones suas, ut dictum est in vers. 1. Itaque primum Dei potentiam velut armatam figurat, humanitus, duobus versibus; deinde effecta, nimirum publica ipsius iudicia in adversarios, conservationem Ecclesiae, tribus aliis sequentibus: *& obstupuit nullum esse interventorem*, seu *intercessorem*, id est hominem ullum pium, qui posset intercedere ad servandam Ecclesiam, nisi idem fuisset Deus: *salutem attulit ei*, nimirum viro, qui neque seipsum poterat sistere coram Deo, neque pro altero intercedere, sed iam erat in peccatis mortuus, Ephesior. II. 1. *brachium ipsius*, id est Christus, potentia Dei, & sapientia Dei I. Corinthior. I. 24. *& iustitia ipsius*, id est idem Christus, qui factus est nobis sapientia a Deo, iustitiaque, & sanctificatio, & redemptio I. Corinth. I. 30. *haec fulcivit eum*, nempe virum, de quo paulo ante. ET APORIATUS EST. De verbo Ἀπορία vide Interpretes hic & in II. Corinth. IV. 8. & seorsim Henricianum Thesaurum Tomo III. Colum. CLXVII. & sequentibus. Hebraicum futurum ישתומם *iischthomem*, ex formula Hithpahel, varie exponunt. Sanctes: *& admiratus est*. Leo Iudas: *idque obstupescens &, admirans*. Marinus, Avenarius, Schindlerus, Tremellius, Iunius, Buxtorfius, ac passim alii: *& obstupuit*. Mercerus: *& obstupuit, attonitus fuit, & veluti desolatus*, quod vernacule, inquit, dicimus *esperdu*, vel *estourdy*, nempe Gallice: nam Hispanice diceremus: *quedo aturdido*. Possis reddere: *& stupende desolatus fuit*. Forsterus: *& afflavit se*; id est, velut flatu quodam exhorruit. Interpres Hispanicus: *abominatus est*. Forerius: *& devovit seipsum*. Hebraicum verbum, inquit, hoc in loco est seipsum tamquam culpabilem damnare, veluti qui negligentiam suam incusant, & sibi maledicunt ob malum rei successum; quasi dicat, *seipsum afflavit*: humanitus dictum, quo significat

Deum

Deum sortem nostram vehementer doluisse. Sed unde hic *devovendi* significatio? quæ si vera fuisset, erat sane instituto aptissima, ut se Deus, suumque caput pro salute humani generis devoveret: de prisco Romanorum ritu devotionis satis constat, ac multa de eo Iacobus Gutherius Lib. IV. de Veteri iure pontificio, cap. xv. Sed Hebræi in devotionibus potius usurpant verbum החרים *becherim*, quam השתומם *hischthomem*. ET IUSTITIA EIUS IPSA CONFIRMAVIT EUM. Heb. ista omnia complectunt: *& iustitia eius ipsa sustinuit, sustentavit, fulcivit eum*, ne caderet; vel *iustitia eius ipsa innixus fuit, incubuit*.

V. 17. INDUTUS EST IUSTITIA UT LORICA, &c. Ex Heb. ita alii hunc versum explanant: *Nam induit iustitiam*, videlicet Christus interventor noster, regnum satanæ, potestatemque tenebrarum debellaturus, *quasi loricam*, ut Ephesior. vi. 14. *& galeam salutis capiti suo imposuit*, ut Ephes. vi. 17. & I. Thessalon. v. 8. *induit*, inquam, *vestium ultionis indumentum, & amicuit se zelo quasi pallio*. GALEA SALUTIS: *galea* ישועה *ieschughah*; quo sane alluditur ad nomen servatoris nostri *Iesuah*. ET OPERTUS EST QUASI PALLIO ZELI. Alii: I. *& indignatione*, vel *studio ultionis, amictus est vice pallii*. II. *& induit sese æmulatione tamquam pallio*.

V. 18. QUASI AD VINDICTAM, &c. Alii ex Heb. versum reddunt: I. *Quasi propter retributiones, quasi ad reddendam vindictam hostibus suis, retributionem inimicis suis, insulis*, seu *insularibus retributionem reddet*. II. *Ut propter retributiones, & sicut olim fecit, ut sic retribueret iram hostibus suis; sic reddet retributionem inimicis suis, insularibus retributionem reddet*; id est, Quemadmodum olim Dominus ultus est iniuriam filiorum Israel, quam acceperant ab AEgyptiis, ita perdet inimicos Christi sui, etiam insulares, hoc est remotissimos. III. *Ut propter retributiones, & ut vicem rependeret, sic retribuet hostibus suis retributionem, & inimicis suis insularibus retributionem reddet*; quasi dicat: ut olim perdidit AEgyptios, qui iniuria affecerant Israelitas ut illis rependeret eam iniuriam; ita funditus perditurus est hostes Christi quoscumque, etiam procul habitantes a terra Sancta. IV. *Sicut vir zelat retributiones, sicut zelat ut reddat iram hostibus suis, retributionem inimicis suis: insularibus retributionem reddet*. V. *Ac omnino talis erit fervor, qualis esse solet cum redditur & rependitur hostibus suis & inimicis suis, ut vicissitudinem reddat insulis*. VI. *Iuxta retributiones, sic reddet ardorem hostibus suis, retributionem inimicis suis*; id est, iuxta ea, quæ in hostes fieri solent, sic reddet hostibus suis; vel iuxta ea, quæ hostes ipsi intulerunt, rependet eis: spoliaverant, spoliabuntur; captivos abduxerant, captivi abducentur; servitute presserant, illam experientur; occiderant, occidentur: *reddet ardorem*, seu *furorem*, & ea, quæ furor ministrare solet, damna, mortem: *hostibus, inimicis suis*, & hominis; mortem, diabolum, peccatum intelligit: nam mortem destruxit, peccatum enervavit, diabolum delumbavit: *insulis retributionem reddet*, nempe aliud genus retributionnis; id est, pro falso deorum cultu, verum Dei; pro turpibus & depravatis moribus, sanctos, & puros, &c. VII. *Plane secundum facta, plane secundum ea rependet, excandescentiam hostibus suis, retributionem inimicis suis; insulis ipsis retributionem rependet*; id est, omnibus ad unum rependet, etiam longinquissimis. VIII. Hispanicus Interpres: *Como para dar pagos, como para pagar*, seu *tomar vengança desus enemigos, dar el pago asus adversarios: alos Islas dara el pago*; quasi dicat, Omnes æque adversarios in hostium numero habebit.

V. 19. ET TIMEBUNT QUI AB OCCIDENTE, &c. Hunc versum alii ita reddunt: *Ut revereantur inde ab occasu nomen Iehovæ, & inde ab ortu solis gloriam eius: cum invadente tanquam fluvio hoste, spiritus Iehovæ contra eum incurrit*; id est, cum exundantem summo impetu contra Ecclesiam ipsius, non tantum stiterit suo spiritu, ut vento vehementissimo, sed etiam perdomuerit atque expulerit hostem. Comparatio aquarum exundantium cum hostibus Ecclesiæ, ut Psal. CXXIII. CUM VENERIT QUASI FLUVIUS VIOLENTUS, QUEM SPIRITUS DOMINI COGIT. Alii ex Heb. I. *cum venerit sicut fluvius, hostis, spiritus Iehovæ fugabit eum*: II. *quando veniet velut flumen arctum*, seu *arctatum, in quod ventus Iehovæ fugat illud*, id est impellit. III. *quoniam veniet sicut fluvius, hostis, quem ventus Iehovæ impellit*. IV. *cum venerit velut fluvius, hostis, Spiritus Iehova erigens*

gens

gens vexillum in eum, vel *exaltabit vexillum contra eum*; quasi dicat, Instruet aciem, & exercitum sub signis habebit contra hostes Ecclesiæ. נוססה *nosesah*, potest esse præteritum aut participium quadratum a נוס *nus*, *fugavit*, vel *fugans*. Vel a נסס *nasas*, vel a נס *nes*; quasi dicas, *vexillavit*, *errexit vexillum*, vel *erigens vexillum*. Forerius non tam recte exponit: *cum veniet quasi fluvius arctatus*, *spiritus Iehovæ fugit cum eo*. Nam hoc experimento didicimus, si cum fluvius præceps decurrit, ventus quoque validus ab eadem parte emissus, quasi cum aquis ipse fugiat, multo vehementiorem esse aquarum impetum, quam si ex opposito, aut nullus flaret. Sic adventus Iehovæ rapidissimo flumini comparatur, cuius impetus vento adiutus omnia quæque rapit ac prosternit. Impetum & cursum Evangelii intelligit, qui omnem mundi gloriam straverit, per Spiritum Sanctum. Spiritus Domini, seu *Iehovæ*; vel ipse Deus, seu Spiritus sanctus; vel ventus vehemens immissus a Deo.

V. 20. Et venerit Sion redemptor, &c. Hunc versum alii ex Heb. reddunt: I. *porro ipsi Tzioni*, *& eis qui de Iahakob a perfidia transgressionis resipuerint*, *veniet redemptor*, *dictum Iehovæ*. II. *& advenerit Tzioni*, id est Ecclesiæ, ut sequentia sonant: *vindex*, *& conversis a defectione in Iahakobo; dictum Iehovæ*. Citat hunc locum Paulus Romanor. 11. 26. Forerius reddit: *& captivitati transgressionis in Iahakobo*; manifesta allucinatione pro שבי *schabe*, cum *Cametz* & *Tzeri*, legens שבי *schebi*, cum *sceva*, *&* *Chirik*. Ex verbo: *Et revertentibus transgressionis*, pro, conversis a transgressione, defectione, iniquitate, &c.

V. 21. Hoc foedus meum cum eis. Heb. *Et ego*, *istud fœdus meum ad eos*. Illud *Et ego*, putant vel esse iurantis per reticentiam, vel quasi dicat: *Et ego ferio istud fœdus meum cum eis*, aut *ego sum qui loquor*. Alii volunt esse expletivam particulam, & augere significatum; quasi dicat: Et hoc est fœdus meum, fœdus, inquam, meum. Vide in Genes. XXVII. 34. Quidam reddunt: *De me autem*, subaudi, dico, vel affirmo, seu *ait Iehova*, quod mox additur; vel *quod ad me attinet*, *hoc erit fœdus meum cum istis*. Ait Iehova: *Spiritus meus*, *qui est in te*, subaudi, o Christi Ecclesia, &c. Conclusio ab elegantissima promissione Spiritus Dei & Christi mansuri in æternum cum Ecclesia eius, & docturi omnia, quæ dixit Christus, Ioann. XIV. 16. 17. & 26. & capitibus sequentibus. Illud autem: *de ore seminis tui*, *& de ore seminis*, *seminis tui*, *ait Iehovah*, *de hoc tempore usque in æternum*; perspicue docet perpetuam fore in Ecclesia Christi successionem episcoporum ac singulariter Romanorum Pontificum, in quibus iugiter maneat Spiritus Dei, & certa ac infallibilis divinorum dogmatum doctrina.

MENOCHII.

Vers. 1. Abbreviata: facta minus potens. Neque aggravata est: neque obsurduit.

V. 2. Diviserunt: quasi pariete interposito.

V. 3. Sanguine, id est homicidiis. Iniquitate: cædibus, rapinis, omnique violentia.

V. 4. Qui invocet iustitiam. In Hebræo est, *Non est qui vocet in iustitia*; id est, nemo est qui alium iuste in ius vocet. Confidunt in nihilo: licet nullo iustitiæ fundamento nitantur, sperant tamen se eos quibuscum litigant circumventuros in iudicio. Vanitates: mendacia, dolos. Conceperunt laborem, id est molestiam proximi. LXX. *eadem*. Vel nomine laboris, ut & doloris, peccatum significatur, quod multos labores, molestias, curas, anxietates, & calamitates afferat. Pepererunt iniquitatem: scilicet peccati, & iniustitiæ, qua vexant innocentes.

V. 5. Ova aspidum ruperunt, id est suos malignos iræ, rapinæ, & homicidii conceptus, & machinationes executi sunt. Telas araneae texuerunt: dum perituras, & nulli usui futuras opes, & potentiam quærunt, per aliorum iniuriam. Qui comederit de ovis eorum morietur; quasi dicat: Qui se eorum machinationibus impiis iungunt, & sociant, exitium sibi parabunt. Et quod confotum est erumpet in regulum; id est, plane noxia sunt hæc ova impiorum: nam si frangas, in iis invenies basiliscum. In Hebræo est, *Quod fractum est erumpet in regulum*.

V. 6. Non erunt investimentum: quia

quia sunt aranearum telæ. OPUS INIQUITATIS: opus iniquum.

V. 7. VASTITAS, ET CONTRITIO IN VIIS EORUM; quasi dicat: Quocumque vadunt, omnia vastant, & conterunt: sunt instar pestis, quæ omnia perdit.

V. 8. IUDICIUM: iustitia, rectitudo, æquitas. GRESSIBUS EORUM; viis eorum, actionibus, & studiis eorum. INCURVATAE: depravatæ, perversæ, obliquæ. QUI CALCAT IN EIS: qui illis insistit. IGNORAT PACEM: bene illi non erit. Hebr. *Nesciet pacem*.

V. 9. ELONGATUM EST IUDICIUM A NOBIS, id est recessit a nobis vera iustitia. NON APPREHENDET NOS IUSTITIA: eiusdem sententiæ repetitio. Iustitiæ compotes non erimus. LUCEM: prosperitatis. TENEBRAE: calamitatum.

V. 10. IN CALIGINOSIS QUASI MORTUI. Aliqui ex Hebræo vertunt: *In sepulcris versamur quasi cadavera*: qui loquendi modus significat summam cæcitatem, & calamitatem.

V. 11. RUGIEMUS QUASI URSI: cum ereptis catulis ex summo dolore horrende rugiunt. ET QUASI COLUMBAE MEDITANTES GEMEMUS. In Hebræo est, *& tamquam columbæ gemendo gememus*: itaque meditari est gemere. EXPECTAVIMUS IUDICIUM, &c. Repetit more dolentium, & gementium quæ dixit num. 9.

V. 12. PECCATA NOSTRA RESPONDERUNT NOBIS: nam peccati nostri pœna, quasi echo, culpæ respondit. NOBISCUM: apud nos, immo ante oculos nostros perpetuo versantur. Ita dicebat David Psal. L. *Peccatum meum contra me est semper*. Vel, scelera posuit pro scelerum pœnis.

V. 13. PECCARE, ET MENTIRI, &c. enumerat scelera: mentiri est fidem Deo datam fallere, & vero Dei cultu relicto, idolis, & vitiis servire. TRANSGRESSIONEM. In Hebræo est *perversitatem*.

V. 14. CONVERSUM EST RETRORSUM IUDICIUM. Vatabl. & Forer. vertunt: *Retroactum est*; id est, iustitia a nobis abacta est. CORRUIT IN PLATEA VERITAS: eversa est veritas, & iustitia in foro, in tribunalibus iudicum, & in mercatorum conventibus. NON POTUIT INGREDI: quasi nostro scelere vexata, & debilitata.

V. 15. QUI RECESSIT A MALO: vir scilicet rectus, & simplex. PRAEDAE PATUIT: impiorum, & iniustorum. MALUM APPARUIT IN OCULIS EIUS: idem est quod dixit, vidit Dominus. IUDICIUM: iustitia.

V. 16. NON EST VIR: non est quisquam, qui sectetur iustitiam. APORIATUS EST; id est, anxius & perplexus hæsit Deus: loquitur de Deo humano more. QUI OCCURAT: qui orando iræ eius se opponat. Pagnin. vertit: *Quia non erat qui oraret*. Vatabl. *Qui intercederet*. SALVAVIT SIBI BRACHIUM SUUM; id est, *de salute fuit brachium suum*, cum res essent desperatæ, & mundus rueret in omne scelus, brachia potentiæ suæ Deus tanto malo remedium attulit, Christum dando. IUSTITIA EIUS, id est sanctitas, bonitas, & misericordia. Vel iustitiam proprie intellige, cui incarnatione, & passione Christi plene satisfactum est. CONFIRMAVIT EUM: corroboravit, & quasi animos addidit, ne ab incœpto desisteret, sed filium suum daret, ut redemptor noster esset.

V. 17. INDUTUS EST IUSTITIA, UT LORICA. Iustitia totum Dei pectus & cor obarmavit, & corroboravit, ut pro iustitia, iustoque suo dominio contra tyrannos, hoc est, contra dæmones dimicaret, qui hominem iniuste captivum detinebant. GALEA SALUTIS. Hæc caput & mentem Dei obarmavit, ut tota eius intentio ferretur in hominum salutem. VESTIMENTO ULTIONIS. Vestis totum corpus tegens fuit ultio; nam totus, totoque quasi corpore ferebatur in hostes, hoc est, in peccata, ut ea exterminaret. PALLIO ZELI: zelus cumulavit, obtexit, & ornavit arma eius iam dicta; zelus nimirum honoris, & gloriæ suæ, iræ in dæmonem, & peccatum, & amoris erga homines.

V. 18. SICUT AD VINDICTAM. Pagnin. vertit, *sicut vir zelat retributiones*; quasi dicat: Ut vir zelotypus indignatur contra uxoris suæ procos, & pro iniuria, quam accipit, vindictam conatur rependere, & ad hunc finem arma induit. INSULIS VICEM REDDET. Insulas vocat gentes remotas in insulis, & ultra insulas habitantes; hisce vicem, id est talionem ultionis reddidit, dum ipsarum impietatem, & idololatriam destruxit, easque Christianas, & pias effecit.

V. 19. TIMEBUNT: colent, reverebuntur. QUI AB OCCIDENTE, &c. id est omnes

mnes gentes, tam quæ occidentem, quam quæ ad orientem habitant. CUM VENERIT QUASI FLUVIUS VIOLENTUS: significat impetum, vim, copiam, & efficacitatem Evangelii, & prædicationis Christi, & Apostolorum. QUEM SPIRITUS DOMINI COGIT: quem vehemens ventus impellit. Agebantur Apostoli spiritu divino, quem in die Pentecostes copiose acceperant. COGIT: *impellit*, ut aliqui vertunt.

V. 20. SION: est dativi casus, Sioni, id est Ecclesiæ. EIS QUI REDEUNT AB INIQUITATE: qui e captivitate peccati ad Dominum redeunt. IN IACOB: qui scilicet ad Israelem pertinent.

V. 21. HOC FOEDUS MEUM. Fœdus nimirum, quod proxime sequentibus verbis exprimitur. SPIRITUS MEUS, &c. Sunt verba Dei ad Ecclesiam. Per spiritum suum, intelligit Spiritum sanctum, qui per fidem, & caritatem diffusus est in tota Ecclesia, hoc est, in cordibus fidelium. VERBA MEA, id est præcepta mea. DE ORE TUO, &c. de ore, & corde tuo, & filiorum, & nepotum tuorum.

T I R I N I.

Vers. 4. NON EST QUI INVOCET IUSTITIAM, supple, in consilium, ut secundum eam iudicet: SED *omnes* CONFIDUNT IN NIHILO, id est in inani specie & larva iustitiæ, qua velant avaritam suam vel odium, vel alios animi motus. CONCEPERUNT LABOREM; quasi dicat: Animo nil aliud versant quam violentam proximi oppressionem: in hoc perpetuo laborant, ut proximum laborare, gemere, dolere faciant, nihil aliud *parientes* quam INIQUITATEM, iniuriam, calumniam, cædem innocentium: ita S. Cyrillus, S. Thomas, Forerius & Sanchez.

V. 5. OVA ASPIDUM RUPERUNT. Est proverbium, quo significat, malignos impiorum conceptus & machinationes, ubi executioni mandantur, perniciem creare tum iis in quos destinati sunt, tum iis a quibus tamquam auctoribus ac parentibus processerunt: sicut rupto ovo erumpens aspis mordet tum alios præsentes, tum ipsum ovi ruptorem: ita S. Hieronymus, Procopius, Haymo, Hugo & alii. Igitur non cibum inde sibi, sed mortem hauriunt: neque opes, ut sperabant, hac via parant, sed vilissimas ARANEAE TELAS, quæ nulli sunt usui, quæ texentem eviscerant, & vix muscis captandis idoneæ sunt.

V. 8. SEMITAE EORUM INCURVATAE; id est, studia & actiones omnes depravatæ sunt; LXX. *perversæ*, non rectæ. OMNIS QUI CALCAT IN EIS; id est, qui insistit semitis eorum, & actus pravos sequitur, IGNORAT PACEM, seu felicitatem, id est involvetur miseriis, inquietudine, adversitate, & mille doloribus. Neque vero dabitur, diu frui iniuste partis: neque sine dolore iis spoliari continget: quin potius excruciabimur tanta iactura, &

V. 11. RUGIEMUS OMNES horrende QUASI URSI raptis catulis: quibus primo pariendis, dein lambendo formandis, tertio nutriendis tam solicite studuerunt: ET QUASI COLUMBAE, seu turtures, amisso compare suo, perpetuo velut MEDITANTES gemunt; ita & nos GEMEMUS subtractis per Chaldæos & alios hostes omnibus rebus nobis charissimis & optatissimis, quibus antea tanto studio insudaveramus: ita S. Cyrillus. EXPECTAVIMUS quidem IUDICIUM, id est ut aliquis nobis adesset iusto iudicio, & hostes & hostiles iniurias a nobis depelleret: sed NON EST neque in cælo, neque in terra repertus qui nobis patrocinaretur.

V. 12. PECCATA NOSTRA RESPONDERUNT *a* NOBIS, nos dignos esse talibus pœnis, tali desertione, & promerito talione. Notat enim Forerius & Sanchez, quod peccata, quasi echo respondeant peccanti, referantque eamdem vocem quam a clamante acceperunt; quasi dicat: Sicut in fratres vestros fuistis impii & crudeles, ita iustum est, Chaldæos aliosque hostes sentiatis vicissim in vos sævire.

V. 16. ET VIDIT Deus, QUIA NON EST VIR; id est, non est quispiam, seu hominum, seu angelorum, QUI irato Deo & flagellis armato OCCURRAT, vel prece, vel pretio, ad imminentia mala, seu depellenda, seu redimenda: ET APORIATUS *b* EST, id est anxius & perplexus hæsit, obstupescens, admirans, & quasi inops consilii in re desperata: ita Chaldæus & S. Hieronymus. Interim condolens & compatiens populo suo tam afflicto, tam ab omnibus deserto, consilium in arena cepit, & remedium a seipso petiit: ET SALVAVIT SIBI BRACHIUM SUUM, id est opem sibi & salutem mundo quæsivit a suamet

met potentia, rem totam propriis viribus conficiens: ita Forerius, Vatablus & alii. ET IUSTITIA CONFIRMAVIT EUM; quasi dicat: Destitutus iustitia aliena, usus est propria; iustum lytrum ac satisfactionem repetens ex meritis filii sui incarnati, quibus pro peccatis totius mundi ex rigore iustitiæ ad ultimum terruncium satisfieret: ita S. Cyrillus, Forerius, Sasbout & alii. Hoc fixo consilio, en adest filius Dei, instar archistrategi prosilit in arenam, armatur a capite ad talos, mundum, peccatum, dæmonem, tyrannos, & hostes omnes populi Dei propria manu debellaturus.

V. 17. UT LORICA INDUTUS EST IUSTITIA, proprie dicta; vel, si mavis, innocentia vitæ, qua totum pectus obarmavit & corroboravit: eadem quoque *caput* suum communivit, quasi GALEA SALUTIS, seu salutifera: reliquo etiam corpore INDUTUS EST VESTIMENTIS ULTIONIS, id est cinctus est telis & armis ad ultionem sumendam idoneis, circumquaque OPERTUS ardenti ZELO QUASI PALLIO militari.

V. 18. Sic accinctus, INIMICIS SUIS, diabolo, inferno, &c. VICEM REDDET, id est talionem ultionis, etiam INSULIS, id est Gentibus a Iudæa remotis, & ultra insulas habitantibus. Subiget enim omnes sibi suæque Ecclesiæ, sicut illi ante subegerant populum Dei. Unde

V. 19. ET TIMEBUNT NOMEN DOMINI ET GLORIAM EIUS, id est maiestatem & potentiam tum Dei, tum Christi colent, reverebuntur & suspicient omnes gentes, tam quæ ad Orientem, quam quæ ad Occidentem habitant: nempe quando Christus armis suis quæ iam vidimus, & militum discipulorum suorum phalangibus instructus, ad gentes illas debellandas VENERIT QUASI FLUVIUS VIOLENTUS & rapidus, QUEM SPIRITUS DOMINI, id est ventus ingens & validus, COGIT ac propellit. Huius enim in præceps ruentis cursum nemo sistere, nemo præpedire potest, quin exundans omnia obruat & pessumdet. Ita nec Christum quis impedire poterit, cum

V. 20. VENERIT SIONI, id est Ecclesiæ suæ, REDEMPTOR, & salvator EIS QUI IACOB, seu in Israele, REDEUNT AB INIQUITATE ad iustitiam, a vanis ceremoniis ad sinceram religionem, a diabolo ad Deum: ita S. Hieronymus, Cyrillus & Procopius; immo S. Paulus ad Rom. XI. 26. Porro quod iam dixi, de Messia mittendo Iudæis fidelibus redemptore,

V. 21. Hoc (ut explicat ibid. S. Paulus) FOEDUS MEUM est CUM EIS, id est iam pridem ipsis sancte promisi, & vi promissi istius ex asse complebo, donando illum mundo non secundum carnem solam, vel præsentiam carnalem, ut vobiscum conversetur; sed etiam quoad spiritum & spiritalia dona, quibus vos iustificabit & sanctificabit. Erit autem SPIRITUS eius idem qui MEUS, nempe Spiritus sanctus, non minus ab illo, quam a me procedens. Et hic *spiritus meus*, qui per Christum donatur tibi, o Ecclesia, & iam EST IN TE; item VERBA MEA, id est dona Spiritus sancti a me tibi promissa, QUAE POSUI IN ORE TUO, id est quæ me revelante tibi iam innotuerunt, tibi obvenerunt, & grato animo passim deprædicantur a te, NON RECEDENT DE ORE TUO, ET DE ORE SEMINIS TUI; id est, numquam desinent tibi tuisque filiis inhærere, & ab illis deprædicari in æternum.

(a) Isaiæ III. 9.
(b) II. Cor. IV. 8.
(c) Gen. XXXIII. 10. Psalm. XXXV. 7. Ezec. I. 4.

GORDONI.

Vers. 1. ECCE NON EST ABBREVIATA MANUS DOMINI, &c. Pergit Isaias Iudæorum reprehendere peccata, eorum qui partim tempore Isaiæ, partim tempore Christi fuerunt, ut interpretatur Hieronymus, apud quos omnia fuerunt fucata; & tempore Christi sine fide & pietate. Non est ergo abbreviata manus Domini quasi non posset iuvare; sed multiplicata est iniquitas, ut hic late depingit fere usque ad vers. 16.

V. 5. Rumpunt ova aspidum, ut exeant reguli: parant noxia & venenata texuerunt telas aranearum; hoc est, inutiliter laborant, ut declarant insequentia.

V. 12. & 13. PECCATA NOSTRA RESPONDERUNT NOBIS, scilicet nos esse reos: COGNOVIMUS: hoc est, cognoscimus nos peccasse: PECCARE ET MENTIRI, pro peccavimus & mentiti sumus.

V. 16. ET VIDIT DOMINUS, &c. Tandem Dominus misertus populi sui, accingit se armis ut eum liberet, per adventum Redemptoris qui statuet fœdus sempiternum.

V. 17. VIDIT ET NON EST VIR, ET APO-

PORIATUS EST, &c. Vidit quod non esset vir qui faceret iudicium, & aporiatus atque anxius factus est Deus. Sane vidit Deus non esse in populo hoc virum, scilicet ex Synagoga; hoc est, aut nullos, aut paucos esse. Quod vero ait Deum quasi sollicitum fuisse, aperit propensionem Dei ad misericordiam, & ad inveniendum remedium a se, seu per Christum quando homines adeo sibi deessent. Quod denique hic est aporiatus explicant Græci per ἀπορεῖσθαι apud Paulum I. Cor. IV. 8. *animi pendeo*, & hic apud Septuag. κατενόησε, *consideravit*. Heb. est שמם *obstupescere*: משתומם *tomem*, *in hithpael*, *obstupuit*.

V. 19. & 20. Hæc clara sunt de venturo Christo & remedio, quod Deus ipse paravit.

Ex Eiusdem Auctario.

Vers. 9. IUDICIUM: vera iustitia.

Vers. 16. SALVAVIT SIBI Loquitur de Deo humano modo; quasi diceret: Cum rem desperatam cerneret, salvavit, tunc brachio suo interposito attulit remedium, misso in mundum Christo.

Vers. 17. INDUTUS EST: sic de Messia armato contra hostis tyrannidem.

C A P U T LX.

Ecclesia ad exultationem excitatur, quod in ea Domini gloria reluceat, ad quam accessuræ sunt plurimæ nationes, & quæ ad eam non venerint peribunt: in qua pax, iustitia & laus Dei invenientur, ablata iniquitate: eritque Dominus ei in lucem sempiternam & gloriam.

1. Surge †, illuminare Ierusalem: quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. 2. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos; super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. 3. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. 4. (*a*) Leva in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filii tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere surgent. 5. Tunc videbis, & afflues, * & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. 6. Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian & Epha: omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes. 7. Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabaioth ministrabunt tibi: offerentur super placabili altari meo, & domum maiestatis meæ glorificabo. 8. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas? 9. Me enim insulæ expectant, & naves maris in principio, ut adducam filios tuos de longe; argentum eorum, & aurum eorum cum eis, nomini Domini Dei tui, & sancto Israel, quia glorificavit te. 10. Et ædificabunt filii peregrinorum muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi; in indignatione enim mea percussi te: & in reconciliatione mea misertus sum tui. 11. (*b*) Et aperientur portæ tuæ iugiter: die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo Gentium, & reges earum adducantur. 12. Gens enim & regnum, quod non servierit tibi, peribit: & Gentes solitudine vastabuntur. 13. Gloria Libani ad te veniet, abies & buxus, & pinus simul, ad

ornandum locum sanctificationis meæ ; & locum pedum meorum glorificabo.
14. Et venient ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt te, & adorabunt
vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi, & vocabunt te Civitatem Domini, Sion sancti Israel. 15. Pro eo quod fuisti derelicta, & odio
habita, & non erat qui per te transiret, ponam te in superbiam sæculorum,
gaudium in generationem & generationem : & 16. suges lac Gentium, &
mamilla regum lactaberis : & scies quia ego Dominus salvans te, & redemptor tuus fortis Iacob. 17. Pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam
argentum ; & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum : & ponam visitationem
tuam pacem, & præpositos tuos iustitiam. 18. Non audietur ultra iniquitas
in terra tua, vastitas & contritio in terminis tuis, & occupabit salus muros
tuos, & portas tuas laudatio. 19. (c) Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te : sed erit tibi Dominus in
lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. 20 Non occidet
ultra sol tuus, & luna tua non minuetur : quia erit tibi Dominus in lucem
sempiternam, * & complebuntur dies luctus tui. 21. Populus autem tuus omnes iusti, in perpetuum hereditabunt terram, germen plantationis meæ,
opus manus meæ ad glorificandum. 22. Minimus erit in mille, & parvulus
in gentem fortissimam : ego Dominus in tempore eius subito faciam istud.

(a) Sup. xlix. 18. (b) Apoc. xxi. 25. (c) Apoc. xxi. 23. & xxii. 5.

BRUGENSIS.

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 5. *Et mirabitur & dilatabitur cor tuum.* Non est omittendum prius &.

Vers. 20. *Et complebuntur dies luctus tui.* Cave scribas *luminis* sive lucis, pro *luctus*, quod est mœroris.

LECTIONUM VARIETAS.

Vers. 1. *Surge, illuminare Ierusalem, quia venit.* Vetus corrector annotat : „Hebræus „ & antiqui & Hieronymus non interponunt *Ierusalem*." Sed suppletur a Græcis & Chaldæo.

COMMENTARIA.

MALDONATI.

Vers. 1. SURGE, ILLUMINARE ; id est, parata esto, ut illumineris. QUIA VENIT LUMEN TUUM, id est Christus *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Et secundum historiam, quia res prosperæ tibi contingent, quas lumen vocat, ut cap. LVIII. 8. 11. & cap. LIX. 9.

V. 2. QUIA ECCE TENEBRAE ; id est, quo tempore omnes gentes in tenebris erunt, hoc tibi singulare beneficium Deus conferet, ut Christus vera lux in te nascatur.

V. 3. ET AMBULABUNT GENTES. Aliæ nationes quæ prius Deum non cognoscebant, ex te eius notitiam quasi lumen accipiant, quo ambulent, id est vitam suam moderentur. ET REGES. Per reges varia regna intelligit. IN SPLENDORE ORTUS TUI. Ortum solis vocat Iudæam, quia in ea Christus verus sol ortus est, qui omnes gentes splendore veritatis illustravit.

V. 4. OMNES ISTI (sub. quos vides, cum enim dixit ; LEVA IN CIRCUITU OCULOS TUOS, omnes illi gentes ostendit) CONGREGATI SUNT pro, congregabuntur, venient ad Ecclesiam, ut statim dixit, FILII TUI DE LONGE VENIENT ; id est, Gentiles ex longissimis terræ plagis venient, ut baptizentur, & filii tui fiant :

ut.

ut sup. cap. XLIX. 22. *Et afferent filios tuos in ulnis*. ET FILIAE TUAE DE LATERE SURGENT, id est undique ad te venient: qui sensus multo magis mihi placet, quam eorum qui vertunt, *Et filiæ tuæ ad latus nutrientur*. Chald. & Septuag. *Super humeros portabuntur*, quod convenit cum simili sententia cap. XLIX. 22. *Et filias tuas super humeros portabunt*. Vide quæ illic adnotavimus.

V. 5. TUNC VIDEBIS ET AFFLUES (lætitia) ונהרת, *& illuminaberis*. QUANDO CONVERSA FUERIT; id est, cum ad te confluent omnes insulæ maris. ET FORTITUDO GENTIUM, id est, multitudo, robur, *exercitus*, חיל; quasi dicat: Et insulæ & terræ continentes ad te confluent.

V. 6. INUNDATIO CAMELORUM, id est multitudo שפעת *camelorum*, quibus gentes vehentur, ut ad te veniant. DROMEDARII, בכורי, *primogeniti* (camelorum, quos aliqui dromedarios esse dicunt) MADIAN, ea civitas est trans Arabiam. EPHA vero ipsa Arabia dicta est ab Ephah filio Madian. OMNES DE SABA. Ethiopiæ civitas est regalis: III. Reg. x. 1. AURUM ET THUS DEFERENTES. Non dubium est per hæc loca, omnes terræ partes, & per hæc munera, omnia munerum genera intelligi debere; sed male inde Hæretici colligunt non pertinere hunc locum ad tres reges, qui Christum adoraturi ab oriente venerunt; cum illi primi fuerint qui cum muneribus ex gentibus venerunt ad Ecclesiam.

V. 7. OMNE PECUS CEDAR, id est Arabiæ. Cedar enim, ut Hieron. ait, Arabiæ regio est in Agarenorum solitudine. ARIETES NABAIOTH, repetitio est: nam Nabaioth pars etiam Arabiæ est, quæ nabathena dicitur, inter fluvium Euphratem & mare rubrum. MINISTRABUNT TIBI, servient tibi. Gallice, *Seront a ton commandement*. OFFERENTUR, vel, יעלו; *ascendent in placabile altare meum*; id est, offerentur in eleemosynam Ecclesiæ, quo sacrificii genere maxime placari soleo. Per arietes autem omnis generis facultates intelligit, quas qui Evangelio credebant, ponebant ad pedes Apostolorum, Act. IV. 35. ET DOMUM MAIESTATIS MEAE, id est Ecclesiam. GLORIFICABO, decorabo opibus, & amplificabo.

V. 8. QUI SUNT ISTI (Gentiles:) qui celeriter ut nubes ad Ecclesiam convolant. ET QUASI COLUMBAE AD FENESTRAS SUAS, id est columbarii sui. Significat ita gentes ad Ecclesiam aggregatum iri, quemadmodum columbæ ad columbarium suum aggregantur.

V. 9. ME ENIM INSULAE EXPECTANT; id est, insulares homines iam præparari sunt ad recipiendum Evangelium; quasi dicat: Iam tempus prope est, ut omnes gentes etiam quæ in insulis remotissimis degunt, Evangelium recipiant. Quod alia metaphora Christus dixit Luc. x. 2. *Videte regiones quia albæ sunt iam ad messem*. ET NAVES MARIS. Heb. תרשיש, *Tarsis*, IN PRINCIPIO, id est sicut in principio (intellecta Hebræorum more particula similitudinis) quasi dicat: Sicut olim ad ædificandum Salomonis templum, quod Ecclesiæ figura erat, naves maris ligna & aurum apportabant: III. Reg. v. 9. sic ad ædificandam Christi Ecclesiam naves ex ultimis usque insulis homines advehent. UT ADDUCAM FILIOS TUOS, id est qui futuri sunt filii tui. NOMINI DOMINI; id est, ut ipsi cum suis facultatibus Deo consecrentur. QUIA GLORIFICAVIT TE; id est, decrevit hac ratione te illustrem reddere.

V. 10. ET AEDIFICABUNT FILII PEREGRINORUM, id est Gentiles, MUROS TUOS, munitissimam partem tui: præcipua enim Ecclesiæ pars constat ex gentibus. ET REGES EORUM MINISTRABUNT TIBI. Sicut olim Hiram cum Iudæus non esset, materiem tamen suppeditavit ad struendum Salomonis templum. Sic Ethnici reges facti Christiani suis facultatibus Ecclesiam fundabunt, quod Constantinum & alios fecisse legimus. IN INDIGNATIONE ENIM MEA. Phrasis Hebraica comparationem significans; id est, multo magis afficiam te beneficiis placatus, quam affeci iratus pœnis. MISERTUS SUM, pro, miserebor.

V. 11. ET APERIENTUR. Significat semper futuras esse apertas portas Ecclesiæ, ad recipiendos Gentiles qui ad eam venient. Portæ Ecclesiæ sunt Catechesis & Baptismus: fortitudinem gentium vocat reges, principes, divites, sapientes, ut statim explicat, ET REGES EARUM ADDUCANTUR.

V. 12. GENS ENIM. Nemo enim extra Ecclesiam salvus esse potest. ET GENTES SOLITUDINE, חרב יחרבו, *vastando* VASTABUNTUR, id est omnino delebuntur.

V. 13.

V. 13. Gloria Libani. Gloriam Libani vocat praecipuas eius montis arbores, quibus ornabatur, ut statim exponit, Abies et buxus et pinus. Per Libanum, quia desertus & incultus mons erat, intelligit reges & principes gentium, ut dixit versu praecedenti, qui in spirituali aedificatione Ecclesiae sunt, veluti abietes, buxus & pini in aedificatione templi Salomonis, ad quam alludit. Ad ornandum locum sanctificationis meae, id est Ecclesiam, quam ego sanctificavi. Et locum pedum meorum. Eamdem Ecclesiam vocat locum pedum suorum, quia in terris est: terra autem est scabellum pedum eius, ut ait inf. cap. LXVI. 1.

V. 14. Et venient ad te curvi, id est adorabundi: שחוח, *curvando se*. Filii eorum qui humiliaverunt te, id est Gentilium, qui te olim afflixerunt. Et adorabunt vestigia pedum tuorum, qui detrahebant tibi; id est, reges & tyranni, qui te prius persequebantur, osculabuntur pedes tuos; sicut hodie reges Romani Pontificis tamquam Christi pedes osculantur.

V. 15. Pro eo; id est, quemadmodum ante fuisti derelicta, et odio habita, et non erat qui per te transiret, id est deserta. Ponam te in superbiam: לגאון, *in magnificentiam*; id est, dabo tibi magnificentiam & laetitiam sempiternam.

V. 16. Et suges lac gentium; id est, nutrieris Gentilium facultatibus, quas, ut dixit supra vers. 7. & 9. Ecclesiae consecraturus est, & factum videmus Act. IV. 35. Et mamilla regum; id est regum bonis nutrieris.

V. 17. Pro aere afferam aurum. Sensus totius versus est, fore ut Deus Ecclesiam in meliorem statum mutet, melioribusque donis ornet post Christi adventum, & Spiritus sancti effusionem. Et ponam visitationem tuam pacem; id est, pro afflictione tua, qua te prius exercui, dabo tibi pacem. Visitatio est punitio & afflictio, sicut visitare, punire & affligere. Quidam Hebraeorum interpretantur, פקדתך, *tributum tuum pacem*; id est, pro tributo quod prius Babyloniis solvebas, dabo tibi pacem. Et praepositos tuos iustitiam, id est pro tyrannis qui iniquam in te dominationem exercebant. Vel, נגשיך, *pro exactoribus*, qui iniqua a te vectigalia extorquebant dabo alios qui iustitiam administrantes tua tibi restituant.

V. 18. Non audietur ultra iniquitas: חמס, *rapina*, *violentia* in terra tua; id est, ubicumque fuerit Ecclesia, quamquam iste status qui hoc loco describitur, inchoatur quidem in terra, sed non perficitur nisi in caelo. Et occupabit salus, &c. id est, omnia plena erunt salutis hoc est, felicitatis & laudis. Alii, וקראת, *& vocabis salutem muros tuos, & portas tuas laudem*; id est, muri tui erunt salus, & portae tuae laus; quasi dicat: Non aliis muris te te defendes, quam salute, id est divino auxilio salutem tibi afferente, *Et laudibus*, id est precibus: hi enim sunt Ecclesiae Chatholicae muri.

V. 19. Non erit tibi amplius sol; id est; non indigebis amplius humano auxilio; Deus enim tibi auxiliabitur: aut, non erit tibi amplius temporaria & peritura gloria, qualis splendor solis est, sed sempiterna, qualis est Deus: ut Apoc. XXI. 23. *Et civitas non eget sole, neque luna ut luceant in ea: nam claritas Dei illuminavit eam: & lucerna eius est agnus.*

V. 21. Populus autem tuus omnes iusti. *Non enim intrabit* in illam sanctam civitatem *aliquid coinquinatum, & abominationem faciens, aut mendacium*: Apocal. XXI. 27. Hereditabunt terram, id est beatitudinem, quae per terram promissionis significabatur, quod Christus regnum appellat: Matth. XXV. 34. *Venite benedicti patris mei.* κληρονομήσατε, *hereditate percipite paratum vobis regnum.* Sicut hic dicitur, *Hereditabunt terram.* Germen plantationis meae, id est qui ex plantatione mea nati sunt: sic vocat praedestinatos, ut Matth. XIII. 13: *Omnis plantatio quam non plantavit pater meus eradicabitur.* Alii legunt, מטעו, *plantationis eius*, minus bene, cum statim sequatur, Opus manus meae ad glorificandum, id est ut glorificent me in illis: eosdem praedestinatos vocat Deus opus manuum suarum, quia ipse *operatur in eis velle & perficere pro bona voluntate*: Philip. II. 13.

V. 22. Minimus; id est, qui minimam familiam habet, erit in mille, id est multiplicabitur in mille. Et parvulus in gentem fortissimam. Idem significat. Sensus autem est, fore ut Ecclesia ex minimis initiis duodecim Apostolorum in in-

gen-

gentem multitudinem excrescat. Ego Dominus in tempore eius; id est, suo tempore hoc accelerabo, faciam ut suo fiat tempore, neque ultra retardetur.

S A.

Verf. 1. ILLUMINARE. Chald. & LXX. *illuminare Ierusalem*. Heb. deest *Ierusalem*. LUMEN, scilicet Christus, qui lux mundi, & Dei gloria.

V. 2. ORIETUR. LXX. *apparebit*. GLORIA, scilicet per miracula.

V. 3. TUO, scilicet o Ecclesia. ORTUS TUI; pro, orto in te. Chald. & LXX. *tuo*.

V. 4. DE LATERE SURGENT. Quidam legunt, *sugent*. Heb. *iuxta latus nutrientur*. Chald. *super latera portabuntur*. LXX. *super humeros portabuntur*.

V. 5. VIDEBIS, scilicet multitudinem filiorum. AFFLUES, scilicet gaudio. LXX. *timebis*. MULTITUDO. Chald. & LXX. *divitiæ*. FORTITUDO, id est reges & principes. Chald. *substantiæ*.

V. 6. INUNDATIO. Chald. *turba*. LXX. *greges*. CAMELORUM. Chald. *Arabum*. OMNES, id est plurimi. Chald. *omnes hi*.

V. 7. CEDAR. Regio est Arabiæ, itemque *Nabaioth*. MINISTRABUNT, id est inservient. Intellige vero per hoc conversionem Gentium, & sacrificia spiritualia. PLACABILI, id est ubi placor. MAIESTATIS. Chald. *laudis*. LXX. *orationis*.

V. 8. FENESTRAS, scilicet columbarii; quasi dicat, Suo quisque loco & gradu. Chald. *quæ revertuntur ad columbaria sua*. Not. per nubium volatum, & columbarum, significari velocitatem ad Ecclesiam venientum.

V. 9. INSULAE, id est etiam remotissimæ gentes. IN PRINCIPIO. LXX. *in primis*. TUOS, scilicet, o Ecclesia. CUM EIS, scilicet offerendum. QUIA. Chald. *qui*.

V. 10. MUROS, id est templa. RECONCILIATIONE. Chald. *voluntate*. Heb. *beneplacito*. LXX. *misericordia*. MISERTUS SUM TUI. LXX. *dilexi te*.

V. 11. FORTITUDO, id est potentissimi quique. Chald. *divitiæ*.

V. 13. GLORIA LIBANI, id est pulcherrima quæque. LOCUM PEDUM, id est Ecclesiam, in qua habito.

V. 14. CURVI, id est humiles. LXX. *timentes*. HUMILIAVERUNT, id est affligerunt, scilicet antea. VESTIGIA, &c. quasi dicat, Ad pedes tuos se inclinantes. Fit hoc Papæ. DETRAHEBANT TIBI. LXX. & Chald. *irritabant te*.

V. 15. NON ERAT, scilicet ex Gentilibus. SUPERBIAM SAECULORUM, id est gloriam æternam. Chald. *gloriam sæculi*. LXX. *exultationem æternam*.

V. 16. SUGES LAC GENTIUM. Chald. *satiaberis divitiis populorum*. MAMILLA, &c. LXX. *divitias Regum comedes*. FORTIS. LXX. *Deus*.

V. 17. PRO AERE, &c. quasi dicat: Pro paupertate succedent divitiæ, pro afflictione lætitia, &c. PONAM, &c. LXX. *dabo principes tuos in pace* (id est pacifice regentes) *& Episcopos tuos in iustitia*, id est iuste præsidentes.

V. 18. LAUDATIO, id est laus Dei.

V. 19. NON ERIT, &c. Hæc præcipue ad cælestem beatitudinem referenda.

V. 19. NON ERIT, &c. Hæc præcipue ad cælestem beatitudinem referenda.

V. 20. SOL, id est prosperitas. MINUETUR. LXX. *deficiet*. Chald. per *solem* regnum intelligit, per *lunam* gloriam. COMPLEBUNTUR, id est cessabunt.

V. 21. TERRAM, scilicet viventium, id est cælum. AD GLORIFICANDUM, id est evadet in gloriam.

V. 22. MINIMUS, id est parva familia. MILLE, id est referta plurimis fidelibus. PARVULUS, id est parva domus. FORTISSIMAM. LXX. *magnam*. EIUS; pro, suo.

E S T I I.

Verf. 13. GENS ENIM, ET REGNUM, QUOD NON SERVIERIT TIBI, PERIBIT. Manifestum est hoc de terrena Ierusalem intelligi non posse: numquam enim factum est, ut omnes gentes & regna servierint illi Ierusalem; neque etiam ullum indicium est id aliquando futurum, quamvis Iudæi carnales hoc aliquando futurum expectent, crasse & carnaliter hanc prophetiam, sicut & alias intelligentes. Multo autem minus verum esse potest, gentes & regna paritura, quæ illi terrenæ civitati non servierint. Sed sicut totum hoc caput, ita & ista sententia sine ulla dubitatione de Ecclesia Christi intelli-

gen-

genda est, de ea nimirum Ierusalem, quæ sursum est, & hic usque in finem sæculi collecta illuc transmittitur. Sensus ergo est: Quicumque in quacumque gente, aut regno non servierit Ecclesiæ, id est non se ei subiecerit per fidem & fidei sacramenta, peribit ea perditione, quæ omnibus impiis parata est. Unde liquet non sufficere sanam fidem de capite Christo, nisi & de corpore eius, quod est Ecclesia, sana & integra fides retineatur; & in eius unitate atque obedientia permaneatur: non enim habebit Deum patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem, ait Cypr.

V. 20. NON OCCIDET ULTRA SOL TUUS, ET LUNA TUA NON MINUETUR. Prophetia est de eo quod futurum est post iudicium; & sensus est: Non tunc amplius opus erit motu solis, nam tempus tunc non erit, ut est Apoc. x. sed immota persistent singula in loco & ordine suo, ut etiam est Abacuc. III. Et luna ergo tunc non minuetur; id est, luna semper erit soli opposita, ut semper sit plena & perfecta. Licet enim lux eius erit tunc, ut lux solis, eam ipsam tamen lucem, ut modo, a sole mutuabitur. Recte autem motus cæli cessaturus dicitur, tum quia cessabit causa eius finalis, id est rerum ortus atque interitus; tum quia quies simpliciter motu perfectior est, utpote terminus eius, & per quam primæ causæ immobili res unaquæque magis assimilatur. Vide nostra in Lib. IV. sent. distinct. XLVIII.

M A R I A N AE.

Vers. I. ILLUMINARE, oblatam lucem suscipe. Et per *lucem*, salutem intelligit, quæ per Christum est data. ET GLORIA DOMINI, id est opera eius gloriosa & admiranda. ORTA EST; pro, orietur continuo.

V. 2. TENEBRAE OPERIENT TERRAM, ut in AEgypto: ceteros res adversæ prement, tu Dei donis persunderis.

V. 3. ET AMBULARUNT GENTES IN LUMINE TUO. Se tibi adiungent.

Cum fueris felix, multos numerabis amicos.

Heb. *ad lumen tuum*. ET REGES IN SPLENDORE ORTUS TUI. Heb. *ad splendorem exorientem tibi*. Current Reges, ut eius felicitatis sint participes.

V. 4. OMNES ISTI CONGREGATI SUNT, scilicet filii, & filiæ. FILII TUI DE LONGE VENIENT, scilicet suis pedibus. ET FILIAE TUAE DE LATERE SURGENT, scilicet portabuntur brachiis & in sinu aliorum. Hieronymus in Comment. & Regia, *fugent*. Heb. *super latus nutrientur*. Chald. & Septuag. *super humeros*, aut *latera portabuntur*: quod scilicet dixerat cap. XLIX. 22. In ea varietate Vulgatæ lectionem retineo: *De latere surgent*, id est venient, portabuntur: nam *fugendi* aut *nutriendi* voces non video quomodo hic locum habeant, ubi filios & filias ex variis locis congregari ait: & credam verbum אמן *aman* inter alia *surgere* aut *portare* significare, quantumvis Dictionaria sileant.

V. 5. TUNC VIDEBIS, ET AFFLUES. Chald. *& illuminaberis*. Pagn. *inundabis*. ET MIRABITUR. Pagn. *obstupescet*. Chald. *timebis*: ne scilicet ea felicitas turbetur. QUANDO CONVERSA FUERIT AD TE MULTITUDO MARIS. Heb. *tumultus maris*. Prædicit, fore ut commercium ad Iudæos transferatur, ibique sit emporium, ad quod mari mercatores conveniant. FORTITUDO GENTIUM. *Substantia*, *divitiæ*, *merces*: id vox חיל *haiil* significat hoc loco, & *fortitudo* in Vulgata.

V. 6. INUNDATIO CAMELORUM, id est multitudo camelorum; quasi dicat: Non tantum mari merces venient, sed terra etiam camelis impositæ. Mercatores etiam dromedariis vecti. Id est quod ait, DROMEDARII MADIAN ET EPHA; iis in regionibus alebantur. Porro *dromedarii*, cameli cursores sunt. Heb. pro *dromedariis*, *pullos camelorum* exponunt; idque significare vocem בכרה *bichrah*. De quo non contendo. OMNES DE SABA VENIENT, scilicet omnes mercatores. Porro Saba hic per ש scribitur, quomodo solet Saba AEthiopiæ. ET LAUDEM DOMINO ANNUNTIANTES, sive quia convertentur ad fidem, sive quia tanta frequentia cedet in laudem Dei. Hæc de Ierusalem dicta, ad Ecclesiam referantur, cuius illa typus erat.

V. 7. ARIETES NABAIOTH; pro, in arietibus Nabaioth MINISTRABUNT TIBI, id est eos tibi offerent in sacrificia. *Cedar* & *Nabaioth* Arabiæ regiones. SUPER PLACABILI ALTARI MEO. Heb. *ascendent super beneplacitum altare meum*, id est mihi placebunt ea sacrificia,

V. 8.

V. 8. QUI SUNT ISTI. De navibus loquitur, quas nubibus similes ait ob velocitatem. Columbas vocat nautas & vectores, qui in navibus veniebant. AD FENESTRAS SUAS, scilicet columbarii.

V. 9. ME ENIM INSULAE EXPECTANT, id est ad me respiciunt, ex me lucra sua captant. ET NAVES MARIS. Heb. *naves Tharsis*, id est Carthaginis. Ex etiam sunt naves maris. IN PRINCIPIO. Deest nota similitudinis. Sicut in principio; id est, sicut olim veniebant ad me, ita nunc venire volunt. UT ADDUCAM. Septuag. & Chald. *ut adducant* in tertia persona, Heb. *ad adducendam*. FILIOS TUOS DE LONGE. Erant per omnes terras dissipati Iudæi, quo Deus in patriam restituere vult. ARGENTUM EORUM ET AURUM EORUM CUM EIS. *Eorum*, id est filiorum, non venient inopes, sed divitiis onusti. Aut *eorum* scilicet mercatorum, ut offerant illud Deo.

V. 10. IN INDIGNATIONE. Hoc est, cum essem iratus, ad tempus afflixi te: nunc rebus mutatis tibi favebo.

V. 11. ET APERIENTUR. Portæ semper patebunt, sive propter pacem, sive ob frequentiam advenarum. UT AFFERATUR AD TE FORTITUDO GENTIUM, substantia, opes. ET REGES EARUM ADDUCANTUR, id est veniant ipsi: tanta tui nominis celebritas erit.

V. 12. ET GENTES, scilicet quæ non servierint tibi, non se tibi subiecerint, vastando vastabuntur. Quod Noster dixit, SOLITUDINE VASTABUNTUR.

V. 13. GLORIA LIBANI. Optime quæque trabes ad templi instaurationem. Quæ vero sint illæ trabes & cædua materia, mox declarat. ABIES ET BUXUS. De nominibus harum arborum non oportet laborare. Chald. & Pagn. cum nostro Interprete consentiunt. Septuag. *cupressum*, *pinum*, & *cedrum* ponunt. ET LOCUM PEDUM MEORUM GLORIFICABO: novis scilicet structuris. In templo habitare putabatur Deus, & pedes super propitiatorium ponere.

V. 14. CURVI, id est demisso in terram vultu venient, qui HUMILIAVERUNT TE. Heb. *afflixerunt te*, scilicet in captivitate. ET ADORABUNT VESTIGIA. Sic Septuag. Heb. & *adorabunt ad plantas pedum tuorum*, aut *incurvabunt se ad plantas*, id est ad tuos pedes se abiicient. QUI DETRAHEBANT TIBI. Heb. *spernentes te*.

V. 15. PONAM TE IN SUPERBIAM; in gloriam, in celsitudinem, illustrem reddam. GAUDIUM, id est lætam in perpetuum efficiam in generationem & generationem.

V. 16. SUGES LAC GENTIUM, id est divitiis & bonis earum frueris. ET MAMILLA REGUM. In mamilla seu ubere est lac. Ergo Regum opes concedam, tibi cedent.

V. 17. ET PONAM VISITATIONEM TUAM PACEM; pro, visitatores, gubernatores, pacificos tibi præficiam. ET PRAEPOSITOS TUOS. Heb. *exactores tuos*, id est publicanos, qui solent esse iniqui, ponam IUSTITIAM, id est iustos.

V. 18. ET OCCUPABIT SALUS MUROS TUOS. Heb. *clamabis salutem* (e) *muris tuis*. Salvos fore, qui ad te se receperint. ET PORTAS TUAS LAUDATIO; pro, in portis tuis erit laus, iubilus, tripudia. Memento forum fuisse ad portas. Ergo festos dies ages, sublato omni metu & tumultu bellico.

V. 19. NON ERIT TIBI AMPLIUS SOL AD LUCENDUM. *Lucem* vocat lætitiam. Eam Sol non dabit, neque res aliæ: solus Deus erit causa lætitiæ tuæ, in nulla alia re oblectaberis. Ipse erit lux tua, id est decor tuus, id est ipse gloria tua, id est honos. Propter eum te honorabunt aliæ gentes.

V. 20. ET LUNA TUA NON MINUETUR. Non patietur vicissitudines quas solet, semper erit plena. Heb. *non colligetur*, senescet, deficiet. ET COMPLEBUNTUR, id est finientur DIES LUCTUS TUI. Non lugebis amplius.

V. 21. POPULUS AUTEM TUUS OMNES IUSTI, scilicet erunt quippe. GERMEN PLANTATIONIS MEAE, seu *virgultum plantationis meæ*. Opus manuum mearum, scilicet populus hic, quem ego plantavi & feci, iustus erit. AD GLORIFICANDUM. Heb. *ad gloriam*, scilicet erit, scilicet gloriosus, illustris.

V. 22. MINIMUS, parvus ERIT IN MILLE, id est magna filiorum erit procreatio; e parvis & ignobilibus orientur mille, id est multi, & gens fortis. IN TEMPORE EIUS, in tempore suo faciam hæc. SUBITO FACIAM ISTUD. Heb. *accelerabo istud*. Non tardabit hæc felicitas quam promitto, cum tempus promissionum advenerit, non procrastinabo.

MALVENDAE.

Verſ. 1. SURGE, ILLUMINARE IERUSALEM, &c. S. Hieronymus: *Porro nomen Ieruſalem, quod hic a LXX. ponitur, in Hebraico non habetur, & obelo prænotandum eſt*. Verum Ecclesia ex LXX. in Latina Editione, quam authenticam decrevit, hactenus retinuit, eamque in Officio divino publice decantat. Postquam Deus, inquiunt, ſe unum auctorem ſalutis Eccleſiæ fore confirmavit propter gloriam ſuam præcedente capite, nunc demum Eccleſiam comparata hac ſalute excitat, ut Dei beneficia erga ſe agnoſcat, & iis in ſempiternum perfruatur. Sunt itaque huius capitis tres partes in univerſum: prima, qua Deus Eccleſiam ad lucem Evangelii perfundendam excitat, tribus verſibus: ſecunda, qua narrat vocationem efficacem, miniſterium, & officia gentium ad Eccleſiam confluentium, a verſ. 4. ad 15. tertia, qua narrantur beneficia, quæ Deus ipſe in Eccleſiam ex Iudæis & gentibus adunatam collaturus eſt, inde ad finem uſque capitis. Quidam reddunt: I. *Surge, luceſce, ſplendeſce, lucida eſto;* id eſt, o Eccleſia, da operam ut vera luce Evangelii perfundaris. II. *Surge, illuminare*, id eſt ædificare; nam ædificatio & propagatio Eccleſiæ, eſt lux & gloria, quæ eam illuſtrat. III. *Surge luce;* id eſt, lucernam ſive facem Evangelii, qua tu illuſtrata es, gentibus præfer. Illud *ſurge*, vel eſt adhortantis, pro Eia, agedum, &c. more Hebraico; vel Surge a ſomno peccati & infidelitatis, aut a tenebris calamitatum, & afflictionum, ad lucem fidei, gratiæ & glorioſæ felicitatis. QUIA VENIT LUMEN TUUM. Alii: *quandoquidem advenit lux tua:* Chriſtus, qui idem lux vera eſt, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum. Ioann. I. 9. ET GLORIA DOMINI, ſeu *Iehovæ*, SUPER TE ORTA EST; id eſt, glorioſum miniſterium Evangelii per Chriſtum, ut oſtendit Apoſtolus II. Corinth. III. 7. & ſequentibus, & cap. IV. 4. Alii *gloriam Iehovæ* hic Chriſtum accipiunt, qui eſt gloria Patris.

V. 2. QUIA ECCE TENEBRAE OPERIENT TERRAM, ET CALIGO POPULOS. Quidam hæc parentheſi includunt: (*Nam ecce tenebræ operiunt terram, & caligo nationes*) *& ſuper te orietur Iehova*, &c. id eſt, adhuc gentes ſedent in tenebris ignorationis Dei, SUPER TE AUTEM ORIETUR DOMINUS, &c. Alii: *& ſuper te orietur Iehova, & gloria eius ſuper te conſpicua erit;* id eſt, hic exortus perluſtrabit gentes alias illuſtratione Evangelii Chriſti, ut ſupra cap. II. 2. & ſequentibus: quod ſequente verſu explicatur. *Gloriam Iehovæ*, gloriam miraculorum Chriſti intelligunt.

V. 3. ET AMBULABUNT GENTES IN LUMINE TUO, &c. Alii hunc verſum reddunt: I. *venientque gentes ad lucem tuam, & reges ad ſplendorem tibi exorientem;* id eſt, ad lucem & ſplendorem Evangelii. II. *ut accedant gentes ad lucem tuam, & reges ad ſplendorem exortum tibi*.

V. 4. LEVA IN CIRCUITU OCULOS TUOS. Alii: *Attolle circumquaque oculos tuos, & aſpice*. Secunda pars, ut diximus in verſ. 1. qua Deus per hypotypoſin demonſtrat quantus repente futurus ſit fructus prædicationis Evangelii, nimirum quod concurſuræ ſunt gentes infinito numero, hoc verſu & ſequente; Deumque in Eccleſia culturæ, & ei miniſtraturæ, a verſ. 6. ad 15. OMNES ISTI CONGREGATI SUNT, VENERUNT TIBI. Alii: I. *omnes iſti congregantur venientes tibi*. II. *omnes iſti congregantes ſe accedunt tibi:* vide hoc hemiſtychium ſupra cap. XLIX. 18. ET FILIAE TUAE DE LATERE SURGENT. S. Hieronymus: *& filiæ tuæ lac ſugent;* unde non dubitant quidam in noſtro legere *ſugent*, & ita ab ipſo ſcriptum putant. Ex Heb. ad verbum; *& filiæ tuæ ſuper latus credentur:* תאמנה *theamanah*, quidam plurale, alii ſingulare faciunt, *credetur;* id eſt, unaquæque filiarum tuarum credetur. Alii reddunt: *& filiæ tuæ ad latus*, vel *iuxta latus*, *nutrientur*, *nutricabuntur*, *educabuntur*, vel *ad latus confirmabuntur*, *ſtabilientur*, ſeu *ad latus* reginarum fovebuntur. Tremellius, & Iunius: *ad latus nutricantur*, vel *ad latus tamquam a nutritiis apportantur;* ut ſupra cap. XLIX. 22. Poſſis reddere: *& filiæ tuæ ad latus fideliter nutrientur*.

V. 5. TUNC VIDEBIS. תארי *thiri*, ſi a ראה *raah*, *videbis*: ſi a ירא *iara*, *timebis*. Quidam exponunt: *Tunc timebis*, &c. Amplificatio elegantiſſima ad figurandum maximam concurſationem gentium, ab eo quod fere evenit humanitus: Quemadmodum, inquit, ſi repente maximas turbas concur-

ſan-

fantes viderit, primum commovetur animus illius, deinde magis illis confirmatur: ita futurum est ut commovearis præ multitudine hominum se adunantium tibi, & obstupescat animus tuus admiratione, ut Actor. x. 45. Alii: *Tunc videbis*, scilicet multitudinem filiorum. ET AFFLUES. Alii: I. *deinde confluet*; id est, deposito tandem timore, vicissim populis concursantibus, officiose gratulatura, atque exceptura, ut Actor. x. 45. & 11. 1. & sequentibus. II. *& diffiues*, seu *affluet*, omni copia bonorum; vel instar fluminis, qui ripas suas transgreditur, & effluit, late amplificaberis. III. *& illuminaberis*, *splendebis*, id est, vultu splendido & hilari eris: nam tristes & mœsti dicuntur Hebræis obscuri; vel magno splendore & gloria eris. ET MIRABITUR, ET DILATABITUR COR TUUM. Alii: I. *obstupescet*, *& latum erit cor tuum*. II. *expavescet quidem*, *sed dilatabitur cor tuum*; id est lætitia & caritate erga illos, ut II. Corinth. vi. 11. & vii. 13. QUANDO CONVERSA FUERIT AD TE MULTITUDO MARIS. Alii ex Heb. I. *quod copia maris ad te conversa fuerit*. II. *quando mutabitur erga te fremitus maris*; id est, quando gentes, quæ prius tamquam furens mare perniciem tibi minari videbantur, mutatis animis accedent tibi: ut sequentia verba explicant. Quidam *multitudinem maris*, exponunt multitudinem insularum, & transmarinarum gentium, quæ ad Ecclesiam confluxuræ erant, ut Afros, Græcos, Italos, Hispanos, Gallos, Germanos &c. Nec desunt, qui copiam, divitias maris interpretentur: sic enim vox המון *hamon*, sumi videtur Psalm. xxxvi. 16. & Eccles. v. 9. quasi dicat, Transmarinas divitias invehendas in Ecclesiam. FORTITUDO GENTIUM VENERIT TIBI. Hebr. *strenuitas gentium venient tibi*; vox חיל *chaïl*, omnia ista præfert: *vis*, *vires*, *robur*, *exercitus*, *copiæ*, *acies*, *opes*, *facultates*, *opulentia gentium accedent tibi*. Quidam exponunt: Præclarissimi & præstantissimi quique gentium, ad te venient: sic vers. 11.

V. 6. INUNDATIO CAMELORUM OPERIET TE. Alii: I. *Abundantia camelorum obruet te*. II. *Agmen camelorum operiet te*, id est terram tuam: sunt autem omnia hæc allegorice dicta ratione Judææ, ubi tunc stabat Ecclesia, & ex vicinis regionibus ad eam confluebant. DROMEDARII. בכרה *bichrah*, femineum, cuius hoc loco ponitur plurale masculeum syntacticum, *Bicre*. *Nomen animalis*, inquit Forsterus, *sic appellati a velocitate*, *qua alia omnia antevertit*; *Græci Dromedarium vocant*. *Chaldæus paraphrastes vertit*, יָנקאי *ianeka*, *lactentem*, *id est* camelum; *alii volunt esse* nabin, *alii* camelopardalim, *alii* iuvenem *camelum*, *qui postquam ablactatus est*, *dicatur* גמל *ghamal*. De nabi & camelopardale, vide Plinium Lib. VIII. cap. XVIII. Quidam reddunt: *dromades*. Livius Lib. XXXVII. cap. XL. *Et cameli quos appellant dromades*, id est cursorios. Aristoteles Lib. IX. de Historia animalium, cap. L. vel LXXIX. *Cameli currunt celerius quam Nisæi equi*. Suidas: *Nisæum locus est Persidis*, *ubi nascuntur equi celerrimi*, *qui vocantur Nisæi*. *Alii vero dicunt esse magnum Mediæ campum*, *cui nomen est Nisæum*. *Hic igitur campus equos magnos producit*. Horum equorum meminit Lucianus de conscribenda Historia. Diodorus Siculus Lib. III. Numero 125. *Camelorum armentis Arabes pascendis vacant*, *quorum usus ad maxima vitæ negotia illis paratus est*. *Ex his contra hostem pugnant*: *horum tergis onera vectant*, *& expedite cuncta peragunt*: *horum lac bibunt*, *ii nutrimenta eis præstant*. *Dromedariis quoque camelis totam regionem percursitant*. Philostratus Lib. II. de vita Apollonii cap. III. *Camelis ad cursum utuntur Indii*, *iisque uno die mille stadiorum iter conficiunt*. Scaliger Exercitatione 209. ad Cardanum, §. 2. *Camelorum species tres*: *prima dicitur ab Arabibus*, *hugiun*: *proceri sunt ii ac bene surrecti*, *beneque habiti*: *ante quadrimatum inutiles*: *tum mille pondo Italica ferit*, *qui probatissimus septingentorum iusta sarcina est*. *Altera species vocatur bechet*; *ii sunt*, *quos Aristoteles ait*, *geminos habere gibbos*, *Bactrianos agnoscit ille*. *Nonnisi in Asia inveniri*, *docent historiæ Africanæ*. *Tertia species*, *raguaihil*; *parvi sunt*, *atque ad sarcinas inepti*, *quare pro equis utuntur*, *tanta velocitate ac potentia*, *ut amplius centum milliaria uno die conficere dicantur*: *idque paucissimo cibo*, *nullo potu contenti*. *Dromedarios vocant nostri mercatores*. Ergo hic *bicre*,

camelos parvos, *pullos camelorum*, *dromadas*, *dromedarios* exponunt, a cursus velocitate; quasi dicat: E variis regionibus Asiaticis, camelis adultis & minoribus ad te munera deferentur. MADIAN. Heb. *Midian*: de quo vide in Genes. XXV. 2. ET EPHA. Heb. *Ghephah*: populi inter Madianitas a primo Madianis filio dicti, de quo Genes. XXV. 4. DE SABA. Heb. *Scheba*, cum *Schin* dextro: vide in Genes. X. 7. OMNE PECUS CEDAR CONGREGABITUR TIBI: vel *omnes greges Kedaris*, *congregabuntur ad te*: de Kedare, vide in Psalm. XIX. 5. ARIETES NABAIOTH, vel *Nebaiothi*, qui Nabathæis in Arabia Petræa nomen dedit, primogenitus Ischmaëlis, Genes. XXV. 13. OFFERENTUR SUPER PLACABILI ALTARI MEO, ET DOMUM MAIESTATIS MEAE GLORIFICABO. Alii ex Heb. I. *Et ascendent super*, *in beneplacito*, *altare meum*; id est, sacrificabuntur mihi oves illæ, & erunt mihi grata illa sacrificia: vel *Et sacrificabunt super aram*, *quæ mihi placet*, *Et domum magnificentiæ meæ decorabo*. II. *ascendent in benevolentia altare meum*, *accepti erunt*, *cum domum ornatus mei ornabo*. III. Forerius: *ascendent iuxta acceptionem altaris mei*, &c. id est, quantum quantum altari meo placuerit, vel quantum cupierit, ut voluntas figuratæ rei inanimatæ tribuatur: vel *super acceptionem altaris mei*; id est, super altare mihi acceptissimum & gratissimum: hypallage: sed רצון *ratzon*, non est in regimine. Aliqui *Ratzon* hic adiectivum faciunt: *ascendent ad beneplacitum*, vel *ad bene gratum*, *altare meum*, id est ad altare meum mihi beneplacitum & gratum; vel substantive: *ad beneplacitum*, *pro suo beneplacito Et bona voluntate*: ut exponitur hæc vox Lucæ II. 14.

V. 8. QUI SUNT ISTI, QUI UT NUBES VOLANT, &c. Alii ex Hebr. *Cuius sunt*, *inquies*, *isti*: verba sunt mimetica velut mirantis Ecclesiæ & obstupescentis ad aspectum tantæ propagationis, ut supra cap. XLIX. 21. *qui ut densa nubes convolant*, id est confertis agminibus, atque levissime: nam levitas nubium est propria, ut supra cap. XIX. 1. *Et velut columbæ ad fenestras suas*: id est columbarii sui; nam columbæ quæ natura sociales sunt, cum piis, & columbarium cum Ecclesia comparatur.

V. 9. ME ENIM INSULAE EXPECTANT, ET NAVES MARIS IN PRINCIPIO. Alii ex Heb. I. *Quia insulæ me expectant*, vel *in me spem collocabunt*, *Et naves marinæ ut ab initio*; id est ut primum tempore Salomonis deferebant aurum ex Ophir. II. *Nam me insulæ expectabunt*, *Et classes Oceani in primis*. Exornatio præcedentis promissionis vers. 7. qua allegorice demonstrat Deus primum, pios omnes operam consumpturos in ornanda Ecclesia, duobus versibus: deinde Ecclesiam vicissim omnibus apertam fore, vers. 11. postremo hostium alios iudicio Dei perituros, vers. 12. alios vero Deo se tandem, & Ecclesiæ ipsius submissuros, utcumque fuerint magnifici, vers. 13. & 14. *Et classes Oceani in primis*; id est, primum quidem in me habebunt fidem, deinde vero propter me in ornanda Ecclesia mea laborabunt; & quidem ornanda personis ac rebus suis omnibus pro facultate sua, ut sequentibus versibus explicatur. III. *Quoniam mihi insulæ spe intentæ erunt*, *Et naves Tharsis*, hoc est magnæ & onerariæ, *cum prima*, seu *primaria*, seu *prætoria navi*, quæ solet alias præcedere, & maior esse, ac ducem totius classis portare; quasi dicat: Non una aut altera navis, sed multæ & integra classis cum sua prætoria, mihi erunt intentæ, & parebunt, ad adducendum &c. NAVES MARIS. Heb. *naves Tharsis*: vide supra cap. II. 16. IN PRINCIPIO. Exponunt, *A multo iam tempore*. QUIA GLORIFICAVIT TE. Quidam: *quando ornabit te*, præsentia sua & sanctificatione spiritus per verbum.

V. 10. IN INDIGNATIONE ENIM MEA PERCUSSI TE; ET IN RECONCILIATIONE MEA MISERTUS SUM TUI. Alii: *cum fervore meo percussero te*, *Et benevolentia mea miserebor tui*: ut supra cap. LIV. 8. & LVII. 16.

V. 11. ET APERIENTUR PORTAE TUAE IUGITER, &c. Alii: *Nam apertas tenebunt portas tuas iugiter*, &c. nimirum ministri Ecclesiæ, quorum opera Deus utitur, ut singulis horis animas lucrifiant Christo, & intromittantur in Ecclesiam. UT AFFERATUR AD TE FORTITUDO GENTIUM, ET REGES EORUM ADDUCANTUR. Alii: I. *ut adducant ad te opes gentium*, id est bellicosissimas gentes. Hoc impletum est cum Romani adiuncti sunt Ecclesiæ. II. *ut intro-*

traducant ad te copias gentium, etiam regibus earum adductis. Vide supra vers. 5. ET REGES EORUM ADDUCANTUR. Hebr. *& reges eorum abducti, abacti*, subaudi erunt, ut more gregum in caulam Domini abigantur, & sancta, liberaque vis vocationis insinuetur, iuxta illud Evangelii: *Compelle eos intrare*.

V. 12. GENS ENIM ET REGNUM, &c. Alii hunc versum ex Hebr. exponunt: *Nam gens ipsa & regnum, quæ non servient tibi, peribunt, & hæ gentes penitus desolabuntur*. Anticipatio obiectionis, quæ oritur ex præcedente versu: At periculum est, dixerit quispiam, ne si portæ iugiter pateant, hostes Ecclesiæ eo facilius in ipsam involent. Minime vero, inquit Propheta, nam aut peribunt illi divinitus, hoc versu; aut sub iugum missi ministrabunt tibi, vers. 13. & 14.

V. 13. GLORIA LIBANI AD TE VENIET, seu *perveniet*, &c. Exponunt: Id est, per istos tamquam mancipia & serviles operas, præstabuntur tibi ministeria omnia, quæ opus erunt ad excolendum te: allegoria sumpta a Nethinæis servis Schelomonis, & aliis, quorum fit mentio I. Paralipom. IX. 2. & Ezræ II. 43. & VIII. 20. & Nehem. III. 26. Alii allegoriam esse volunt a pulcherrimis arboribus, quæ adhibentur ad ornandum ædificium; quasi dicat, Extruetur Ecclesia ex præstantissimis gentibus. AD ORNANDUM LOCUM SANCTIFICATIONIS MEAE, &c. Alii: *ad ornandum*, seu *decorandum locum sanctuarii mei*, id est templum meum, quod est Ecclesia, *ut locum pedum meorum cohonestem*, vel *ut gloriose prædicem locum pedum meorum*, id est Ecclesiam, in qua habito, & ambulo, quæ est scabellum pedum meorum.

V. 14. ET VENIENT AD TE CURVI FILII EORUM, QUI HUMILIAVERUNT TE. Alii: I. *Venient autem ad te incurvi*, id est demisso in terram vultu, *filii eorum, qui te afflixerunt*. II. *Et adibunt te demittendo*, seu *demisse filii affligentium te*. ET ADORABUNT VESTIGIA PEDUM TUORUM OMNES QUI DETRAHEBANT TIBI. Alii ex Hebr. I. *& procident ad plantas pedum tuorum, quicumque te blasphemaverunt*, vel *qui ante te spernebant*. II. *& incurvabunt se ad plantas pedum tuorum quicumque spernebant te*. III. *& prosternentur ad plantas pedes tuorum omnes incessentes, insectantes te*, vel *insectatores tui*. IV. *& supplicabunt super vestigia pedum tuorum omnes qui te insectabantur*.

V. 15. PRO EO QUOD FUISTI DERELICTA, ET ODIO HABITA, sive *exosa*, &c. Tertia pars, exponens beneficia quibus Deus ipse Catholicam Ecclesiam suam prosecuturus est, ut diximus in vers. 1. quæ beneficia generatim promissa hoc versu, sequentibus exornantur. ET NON ERAT QUI PER TE TRANSIRET. Alii: *adeo ut nullus pertransiret*, per te, quod penitus devastata & deserta esses. PONAM TE IN SUPERBIAM SAECULORUM, GAUDIUM IN GENERATIONEM ET GENERATIONEM. Alii I. *ponam te excellentiæ sæculi*: hypallage, pro, contra disponam tibi excellentiam perpetuam, *gaudium cuiusque generationis*. II. *claram te reddam in perpetuum, & lætam in omnem posteritatem*.

V. 16. ET SUGES LAC GENTIUM: id est, quidquid pingue, opimum, dulce, suave, optimum fuit in gentibus, obtinebis, eo frueris, &c. ET MAMILLA REGUM LACTABERIS. Heb. *& mammas regum suges*. Vide supra cap. XLIX. 23. contra nunc reges, o dedecus! Ecclesiam emungunt & exsugunt. FORTIS IACOB. *Abir Iahakobi*. *Robustissimus, Potentissimus*; hic proprium epithetum Dei: vide in Genes. XLIX. 24.

V. 17. ET PONAM VISITATIONEM TUAM PACEM. Varie ex Hebr. transferunt: I. *& ponam pro præfectura tua, pacem*; id est, pro illis qui præficientur tibi, pro præfectis tuis, dabo tibi homines amantissimos pacis; quasi dicat, Præficiam tibi homines pacificos. II. *& ponam oppressionem tuam pacem*, id est vertam in prosperitatem. III. *& ponam requisitionem tuam pacem*, vel *inquisitionem, officium inquisitionis*, quo præfecti tui & rebus, & actionibus tuis anquirent, cum primis pacificum, rectum, integrum. Quid si recte ad Officium sanctæ inquisitionis salubriter in Ecclesia institutum respiciat? IV. *& ponam tributum tuum pacem*; id est, non solves ultra tributum. V. *& imponam præfecturam tuam pacis*, seu *tibi præfectos pacis*. VI. *& ponam præfecturam tuam*, vel *episcopatum tuum*; sic enim hæc vox redditur Psalm. CVIII. 8. & id proprie significat, *pacem*; id est, munus & officium pastorum, episco-

ſcoporum, magiſtratuum tuorum, pacificum, tranquillum, pacatum, ſalutare. Quantus ſane fuit hactenus numerus ſanctiſſimorum Epiſcoporum Eccleſiæ, qui rem eccleſiaſticam diviniùs adminiſtrarunt! Et ſi hæc de magiſtratibus Eccleſiaſticis, & politicis univerſe accipi queant, ſingulariter tamen in Pontificatum ſeu Epiſcopatum Romanum mirifice competunt, quem poſuit Deus in Eccleſia *pacem;* id eſt, ut pacem inter diſſidentes principes, & fideles Eccleſiæ componat, ut omnia in pace & tranquillitate contineat, tueatur, conſervet; quaſi dicat, Supremum Iudicem controverſiarum religionis: vel *pacem*, id eſt opulentiſſimum, proſperrimum, fortunatiſſimum, feliciſſimum, hæc enim nomine pacis in Scriptura ſolent deſignari, adverſus quem portæ inferi numquam ſunt prævalituræ. Et praepositos tuos iustitiam. Hebr. *& adactores, exactores, angariatores tuos iuſtitiam*, id eſt iuſtiſſimos & æquiſſimos. Alii: *exactoreſque iuſtitiæ tibi*, ſubaudi, *imponam*. Prælati Eccleſiæ non debent eſſe exactores tributorum, ſed iuſtitiæ a ſuis ſubditis, ut ab iis exigant opera iuſtitiæ, & ut vitam in ſanctitate & iuſtitia agant.

V. 18. Et occupabit salus muros tuos, &c. ישועה *Ieſughah*, *ſalus* alludit ad nomen Ieſuah. Alii reddunt: I. *& vocabis ſalutem muros tuos, & portas tuas laudem;* quaſi dicat: In muris tuis erit ſumma pax, in portis vero canentur laudes Deo, non enim audientur clamores hoſtium. II. *ſed prædicabis ſalutem in muris tuis, & in portis tuis laudem.*

V. 19. Non erit tibi amplius sol, &c. Alii hunc verſum ex Hebr. reddunt: *Non erit tibi amplius ſol in lucem diurnam, & quod ad ſplendorem noctis, luna non illuſtrabit te: ſed erit tibi Iehova luci perpetuæ, & Deus tuus ornamento tibi:*

V. 20. Non occidet ultra sol tuus, &c. id eſt, proſperitas tua illuſtrior futura eſt luce ipſa ſolis & lunæ, quam allatura eſt tibi perpetua præſentia Domini, ut altera pars verſus indicat. Et luna tua non minuetur. Heb. *non colligetur, abſcondetur, deficiet, recipiet ſe, auferetur*. Quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam, &c. Vide Apocalyp. xxi. 23. Et complebuntur dies luctus tui. Heb. *& pacificabuntur*, vel *finientur, abſolventur, perficientur dies luctus tui*. Non male alii: *rependentur;* nam pro diebus luctus rependetur tibi æternum gaudium.

V. 21. Populus autem tuus omnes iusti, in perpetuum hereditabunt terram. Alii ex Heb. *Et populares tui, quotquot erunt iuſti, in ſæculum hereditario iure poſſidebunt terram*, viventium. Germen plantationis meae. Varie alii: I. *Virgultum plantationum mearum;* id eſt, filii tui, ſeu populares tui edent opera bona, producent fructus bonos, unde homines cognoſcent illos eſſe a me plantatos. II. *ut ſurculus plantarum eius*. Exponunt, *ut ſurculus*, id eſt Chriſtus, cui tamquam ſurculo a ſtirpe Davidis, ſupra. cap. xi. 1. inſita ſunt Eccleſiæ membra a Domino: *plantarum*, id eſt piorum Eccleſiæ membrorum, qui tamquam malleoli aut taleæ inoculantur aut emplaſtrantur in Chriſto per Spiritum, ut ſit Eccleſia una glorioſa in ipſo: ſic infra cap. lxi. 3. *eius*, nimirum populi, qui nominatus eſt principio verſ. Hebraice eſt duplex lectio, in textu legitur cum *Vau*, מטעו *mataghau*, *plantationum eius*: in margine vero מטעי *matteghai*, *plantationum mearum*. Opus manus meae ad glorificandum. Alii: I. *opus manuum mearum, ad glorificandum me*, ſive *ut glorificer*. II. *opus manuum mearum ad ornandum me ipſum*. III. iungunt ſuperioribus: *ut ſurculus plantarum eius opere manuum mearum glorietur;* id eſt, ut Chriſtus, cui tamquam ſurculo inſertæ ſunt plantæ fidelium, benedictione mea glorietur, ſequente verſu.

V. 22. Minimus erit in mille, &c. Hunc verſum alii ex Heb. I. *Parva familia credentium creſcet*, vel *ſoboleſcet in mille, & exigua domus in gentem robuſtam: ego Iehova accelerabo iſtud tempore ſuo*. II. *Parvus erit in millenos, & exiguus in gentem numeroſam*. Explicatio præcedentis allegoriæ, fore ut quemadmodum inoculata planta in ramos plurimos diffunditur admirabili Dei operatione, ſic piorum etiam minimus in infinitum propagetur: *ego Iehova tempore ſuo accelerabo iſtud*; id eſt, efficiam ut quamcelerrime Chriſtiana Eccleſia propagetur. Hoc quam vere in unoquoque Apoſtolorum, & miniſtrorum verbi, & in ſacrarum Religionum fundatoribus completum fuerit, facile intelligitur; minimus enim quiſque eorum infinitos Chriſto filios genuit.

MI-

MENOCHII.

Verf. 1. SURGE; id eft, o Ecclefia, o popule in Chrifto credentium, qui hactenus fedifti in tenebris infidelitatis, & ignorantiæ, excitare, furge. ILLUMINARE: Orientem iuftitiæ folem excipe. LUMEN TUUM, &c. Per *lumen*, & *gloriam* intelligit Chrifti præfentiam, doctrinam, gratiam, & univerfam gloriam Evangelii.

V. 2. TENEBRAE: Paganifmi, idololatriæ, & aliorum errorum, vitiorum etiam, & peccatorum omnis generis. AMBULABUNT GENTES IN LUMINE TUO: *Venient gentes ad lucem tuam*, ut vertit Vatablus, ut qui funt in mari, & fluctibus de nocte iactantur, ad facem quam afpiciunt iuxta portum accenfam curfum dirigunt. IN SPENDORE ORTUS TUI: in fplendore folis iuftitiæ, qui tibi orietur.

V. 4. LEVA: quafi ex fpecula, ex edito loco, ex monte Sion, in quo pofita es. IN CIRCUITU: omnes mundi plagas circumfpice. FILII TUI DE LONGE VENIENT, &c. id eft, filii, & filiæ tuæ ex omnibus plagis longe, lateque parentibus ad te venient. SURGENT: ut ad te veniant: quidam legunt *fugent*. In Hebræo eft, *iuxta latus nutrientur*. Chald. *fuper latera portabuntur*. LXX. *fuper humeros portabuntur*.

V. 5. VIDEBIS: cum voluptate. AFFLUES: gaudio, & copia tam numerofæ fobolis. DILATABITUR COR TUUM; præ lætitia. MULTITUDO MARIS: multæ infulares, & transfmarinæ Gentes, ut Græci, Afri, Hifpani, Galli, Itali. FORTITUDO GENTIUM: gentes fortes, & validæ, five præclariffimi & præftantiffimi quique Gentium.

V. 6. INUNDATIO: abundantia camelorum, Gentes ad Ecclefiam confluentes portantium, & earum divitias. DROMEDARII: cameli fpecies ita dicta a curfu velociffimo; curfus enim Græcis δρόμος dicitur. Livius Lib. VII. de bello Macedonico *dromadas* appellat. MADIAN, ET EPHA: regiones funt trans Arabiam, camelorum feraces. OMNES DE SABA VENIENT: *omnes*, id eft plurimi, quorum primi fuere tres Magi Matth. III. 1. Saba regio eft fita inter mare rubrum, & finum Perficum, abundatque auro, thure, cinnamomo, balfamo, myrrha, palma, calamo; quare appellatur etiam Arabia felix. THUS: quod proprium eft huius Regionis, quare Virgilius canit:

India mittit ebur, molles fua thura Sabæi.

V. 7. OMNE PECUS CEDAR, &c. Cedar, & Nabaioth regiones funt Arabiæ, ovibus, & pecore abundantes, ita dictæ a filiis Ifmaelis eiufdem nominis. MINISTRABUNT: fervient tuis ufibus, offerentur tibi. OFFERENTUR SUPER PLACABILI ALTARI MEO: non tamquam facrificia iuxta ritum Mofaicum; hæc enim Ecclefiæ tempore erunt abolita, fed tamquam oblationes, & munera. Alludit tamen ad vetus altare, & victimas Iudaicas. PLACABILI ALTARI, id eft placente mihi, & me placante per fuas victimas, & oblationes. DOMUM MAIESTATIS MEAE: domus maieftatis Dei olim erat templum, nunc autem eft Chrifti Ecclefia.

V. 8. QUI SUNT ISTI, &c. Sunt verba Prophetæ admirantis; quafi dicat: Quam denfæ flante vento nubes volant per aera, & quam denfæ columbæ ad nidos revolant, cum ingruit tempeftas, tam denfæ confluent ad te, o Ecclefia, Gentes, & populi. Ita explicat D. Hieronymus. Alii per nubes & columbas accipiunt Apoftolos, & prædicatores. Unde LXX. vertunt, *ficut columbæ cum pullis fuis*; quafi dicant: Sicut Apoftoli cum fuis difcipulis, & fidelibus. Prædicatores appellantur nubes, quia nubes a terra elevatæ roridæ, tonitruque refonant, & fulmina emittunt, &c. Appellantur columbæ propter fimplicitatem intentionis, & propter celeritatem volatus, qua fe huc illuc conferunt. AD FENESTRAS SUAS: columbaria enim in quibus degunt columbæ feneftellis abundant. S. Ambrof. Lib. de Ifaac & anima cap. IV. per feneftras accipit Prophetas. Columbæ enim, id eft fanctæ animæ per Prophetas, & facram Scripturam, quafi per ænigmata intuentur Deum.

V. 9. ME ENIM INSULAE EXPECTANT; quafi dicat: Dixi undequaque ad Ecclefiam advolaturos populos, quia infulani, & tranfmarini audita Chrifti, & Ecclefiæ fama, ac gloria ad eam anhelabunt. ET NAVES MARIS IN PRINCIPIO, id eft, cum primum infulani audierint de Chrifto, & Ecclefia ad eum advolabunt. Vel in *princi-*

pio

pio idem est quod *præcipue*; LXX. enim vertunt *in primis*; quasi dicat: Præ Iudæis in primis, magisque ardenter expectabunt me naves Tharsis, id est Gentes transmarinæ.

V. 10. ET AEDIFICABUNT, &c. alludit ad muros Ierusalem, quos Persarum Reges post captivitatem Babylonicam ædificari curarunt, sed sub his intelligit principes Gentiles, qui Ecclesiæ faverent. PERCUSSI TE: o Ierusalem, relinquendo te ante Christum impiam, & post Christum percutiens per Romanos. Vel, generatim alloquitur Ecclesiam, quam ob peccata fidelium, qui in ea sunt, percussit, & percutit, per vexationes infidelium tyrannorum, & hæreticos illi infestos. IN RECORDATIONE MEA; quasi dicat, Tibi tamen subinde reconcilior, cum te per pœnitentia afflictam video.

V. 11. APERIENTUR PORTAE TUAE IUGITER, &c. Est periphrasis altissimæ pacis, & summæ frequentiæ advenientium ad Ecclesiam. FORTITUDO GENTIUM: vide dicta supra n. 5.

V. 12. SOLITUDINE, id est usque ad solitudinem.

V. 13. GLORIA LIBANI, &c. Alludit ad fabricam templi Salomonis, in cuius usum ligna petita sunt ex monte Libano. Allegoria vero harum arborum intelligit omnia, quæ ad decorem, splendorem, & stabilitatem Ecclesiæ pertinent. LOCUM PEDUM MEORUM; hoc est, Ecclesiam in terris militantem, quæ est quasi scabellum pedum Dei, in cælesti throno residentis super alas Cherubim: Exod. XXV. 12. & I. Paral. XXVIII. 2.

V. 14. CURVI, id est humiles, & venerabundi, supplices, & pœnitentes.

V. 15. DERELICTA: contempta, despecta. QUI PER TE TRANSIRET, id est qui ad te accedere, & tibi aggregari auderet. IN SUPERBIAM SAECULORUM, id est gloriam æternam. LXX. vertunt, *exultationem æternam*. Alii *magnificentiam perpetuam*. GAUDIUM IN GENERATIONEM ET GENERATIONEM: ut scilicet omnes generationes, & sæcula gaudeant se esse in Ecclesia, eiusque bonis frui.

V. 16. SUGES LAC GENTIUM, id est, ut Chaldæus vertit, *satiaberis divitiis populorum*. MAMMILLA REGUM LACTABERIS. LXX. habent, *divitias regum comedes*. FORTIS. LXX. *Deus Iacob*. Vel *fortis Iacob*, quia Iacobum, id est Israelem fortem efficit, ut luctans cum Angelo ei prævaleret.

V. 17. PRO AERE AFFERAM AURUM, &c. id est, faciam te longe locupletiorem quam antea. PONAM VISITATIONEM TUAM PACEM. Per visitationem intelligit paternam curam pastoris, sive Principis; hic enim quasi pastor sæpe visitare, & curare debet gregem suum. Immo intelligit ipsum Principem visitantem. Sensus ergo est is quem LXX. expresserunt, *Dabo Principes tuos in pace*, id est pacifice regnantes. IUSTITIAM: iuste præsidentes, & gubernantes.

V. 18. INIQUITAS: iniustitia, avaritia, iniqua iudicia. VASTITAS ET CONTRITIO: vastatio, & confractio ab hostibus illata. IN TERMINIS TUIS: in finibus, in ditione tua. OCCUPABIT SALUS MUROS TUOS: salus, & securitas muros tuos tenebit, nec erunt necessariæ excubiæ militares in alta pace degenti. ET PORTAS TUAS LAUDATIO: laudatio Dei, festusque sonus, & cantus. NON ERIT TIBI AMPLIUS SOL, &c. Hoc est, quod dicitur Apocal. XXI. 23. *Civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea, nam claritas Dei illuminavit eam.*

V. 20. COMPLEBUNTUR, id est cessabunt.

V. 21. OMNES IUSTI: in cælo enim omnes erunt sancti. IN PERPETUUM HEREDITABUNT TERRAM: nemo enim ex cælesti hereditate excidet. GERMEN PLANTATIONIS MEAE: quia ipsi sunt germen in cælo a Deo plantatum. AD GLORIFICANDUM: ut scilicet eos Deus glorificet, & glorificetur in eis.

V. 22. MINIMUS, id est *parva familia erit in mille*, ut vertit Pagnin. id est, parvulus Ecclesiæ surculus plurimos alios germinabit, & producet. ET PARVULUS, &c. est eiusdem sententiæ repetitio. FORTISSIMAM. LXX. *magnam*. EIUS, id est suo. SUBITO FACIAM ILLUD. In Hebræo est, *Festinare faciam*, vel *accelerabo illud*; quasi dicat: Brevi hæc Ecclesiæ præstabo, simulque faciam, ut cum fieri cœperint, brevi tempore compleantur.

TI-

TIRINI.

Verf. I. SURGE O IERUSALEM e fordibus fcelerum, e tenebris ignorantiæ & errorum; ILLUMINARE; id eft, excipe lumen fidei & gratiæ, Chriftum folem iuftitiæ: age, fruere cæleſti luce, qua irradiaris tu fola in univerfo orbe: ita Tertullianus, S. Ambrofius, Auguftinus, Cyrillus, Procopius, Theodoretus, & alii a Leone Caftrio citati.

V. 3. ET AMBULABUNT GENTES IN LUMINE TUO; nempe, tu inftar fpeculi hauries prima cæleftem hanc lucem; quam deinde vibrabis in reliquum orbem, ipfumque totum illuminabis, & quafi pharus illuftri face corufca, Gentes undique e mari, e terra ad te trahes, & ad Chriftum deduces. Ita infinuat S. Paulus ad Ephef. v. 14. & II. ad Corinth. III. verf. ult.

V. 6. DROMEDARII; vel, ut alii, *dromades*, pulli funt camelorum, a velocitate curfu fic dicti: nam δρόμος curfum fignificat: ita Livius, Plinius *a*, & alii. MADIAN ET EPHA regiones funt trans Arabiam, camelis abundantes, ita dictæ a *Madian* filio Abrabæ ex Cetura *b*, & *Epha* filio Madiam *c*. Totaque regio vocatur SABA, e qua tres Magi duce ftella ad Chriftum venerunt, Matth. II. ut alibi *d* dixi.

V. 7. CEDAR & NABAIOTH regiones funt Arabiæ inter mare Rubrum & finum Perficum, ovibus & alio pecore abundantes, quarum incolæ dicti funt Cedareni & Nabathæi, a filiis Ifmaelis e eiufdem nominis, inquit S. Hieronymus: qui per hafce gentes hic nominatas vult intelligi quafvis alias, quantumvis vagas, barbaras & agreftes: ficut per *aurum*, *thus & pecora*, quafvis opes, divitias, merces, munera, aptæ ad cultum Dei cohoneftandum, non quidem ut victimæ carnales (iam pridem abolitæ) fed ut piæ oblationes fidelium dicantur Deo, & Ecclefiæ donantur, SUPER ALTARI PLACABILI, id eft placente & grato Deo. Nam ad altare & facrificium Euchariſticum pro dignitate inftruendum tendunt omnia fidelium munera quæ Ecclefiis fiunt. Et per ea *glorificatur domus* MAIESTATIS Dei, id eft Ecclefia, in qua Deus gloriam, potentiam, maieftatem fuam peculiarius oftendit per tot gratias, miracula & dona fpiritualia: ita S. Hieronymus, Procopius & alii.

V. 8. QUI SUNT ISTI tam multi, tam remoti, tam incogniti populi, QUI ad Ecclefiæ gremium UT NUBES VOLANT? ET QUASI COLUMBAE AD FENESTRAS SUAS: Chaldaice, ad *columbaria fua*, quæ foraminibus, feu feneftris plena funt: ita S. Hieronymus, Ambrofius & alii. Sed idem Hieronymus, itemque S. Auguftinus, Gregorius, Rupertus per nubes & columbas accipiunt Apoftolos & Apoftolicos verbi divini prædicatores, maxime ad Indos, inquit Thomas Bozius: & Fredericus Lumnius de Patribus Societatis Iefu nominatim exponit. Ulyffes Aldrovandus putat, nomine *columbæ* etiam alludi ad Chriftophorum *Columbum*, qui Europæis iter in Americam primus aperuit.

V. 9. ME ENIM IN PRINCIPIO; LXX. *in primis*, feu præcipue, avidiffime, EXSPECTANT INSULAE, id eft infulani, tranfmarini, & qui incolunt & tractant NAVES MARIS.

V. 10. ET AEDIFICABUNT FILII PEREGRINORUM MUROS TUOS; nempe Cyrus, Darius & Artaxerxes muros Ierofolymæ. I. Efdræ VI. & VII. *Et* Conftantinus, Theodofius, Carolus, aliique principes Gentiles opibus fuis inftruent urbes tuas & templa. Et Allegorice, viri Apoftolici verbo, exemplo, fanguine fuo conftruent, propagabunt, tuebuntur Ecclefiam Chrifti.

V. 11. APERIENTUR PORTAE TUAE IUGITER: primo, propter pacem & tranquillitatem Ecclefiæ, quæ nullius hoftis metu quemquam excludet, aut portas occludet. Secundo, propter ingentem & continuum populorum affluxum tam nocte adverfitatis, quam die profperitatis. Hoc Anagogice applicat Ierofolymæ cælefti S. Ioannes Apoc. XXI. 25.

V. 12. GENS ET REGNUM QUOD NON SERVIERIT TIBI, PERIBIT, ET SOLITUDINE, id eft ufque ad folitudinem, *vaftabitur*: non raro etiam in hac vita: alludit ad arcam Noe. Exempla fuggeret Bozius & Ecclefiafticæ Hiftoriæ, etiam noftrorum temporum.

V. 13. GLORIA LIBANI, nempe cedri, abietes, pini, aliæque arbores odoratæ & folidæ, AD TE VENIET SIMUL, AD ORNANDUM LOCUM SANCTIFICATIONIS MEAE, id eft quem mihi meoque cultui fpeciatim dedi-

dedicavi, ET LOCUM, seu scabellum, PEDUM MEORUM; nempe Ecclesiam meam militantem in terris, quæ est quasi scabellum pedum Dei, in cælesti throno residentis. Alludit ad arcam fœderis, Exodi xxv. 22.

V. 15. PONAM TE IN SUPERBIAM, id est magnificam sublimitatem *f* SAECULORUM, seu omnibus sæculis, cui nihil simile visum fuerit ullo sæculo: ita Vatablus. Hæc Constantino, Theodosio, Honorio & aliis Imperatoribus Christianis applicat S. Augustinus *g*, Theodosio iuniori eiusque sorori Pulcheriæ Socrates *h*, Iustiniano Evagrius *i*, Heraclio Zonaras k, Godefrido Bullonio Tyrius *l*, aliis alii.

V. 16. SUGES LAC GENTIUM; Chaldæus, *satiaberis divitiis populorum*, ET MAMILLA REGUM, id est, deliciis, opibus, splendore affluens, ut solent reges, qui etiam erunt nutritii tui, ut dixi cap. XLIX. 23. ita Cyrillus & Procopius.

V. 17. PRO AERE AFFERAM tibi AURUM. Alludit ad Salomonem *m*, sub quo auri & argenti tanta fuit copia, quanta æris, ferri & lapidum; quasi dicat: Ecclesia Christi gaudebit affluentia opum Salomonicarum, non solum materialium (quas per universum orbem sparsa Ecclesia longe ampliores possidet;) sed & spiritualium, sapientiæ, doctrinæ, donorum, virtutum, talentorum, quibus multum superat opes Synagogæ, inquit S. Hieronymus & Cyrillus. ET VISITATIONEM TUAM; id est, principes qui te visitant & pascunt, PONAM PACEM, id est faciam pacifice regnare: ET PRAEPOSITOS; LXX. *Episcopos tuos* ponam IUSTITIAM; id est, curabo iuste tibi præsidere; quasi dicat: Loco turbulentorum & iniquorum exactorum, qui solent emungere subditos, præficiam tibi Superiores æquissimos & pacis studiosissimos, ut videantur esse ipsa pax & iustitia. Vide, quales velit Deus Episcopos, Pastores & Prælatos suæ Ecclesiæ. Porro ex his fontibus promanabit toti Ecclesiæ sanctitas.

V. 18. NON AUDIETUR ULTRA INIQUITAS IN TERRA TUA: nempe quæ liceat, & publicis legibus imperetur, suadeatur, permittatur, ut ante fiebat. Quamquam hæc, ut & omnia sequentia, magis spectent statum Ecclesiæ triumphantis, ad quem hic Propheta assurgit.

V. 19. NON ERIT TIBI AMPLIUS SOL PER DIEM, NEC SPLENDOR LUNAE per noctem; id est, non erunt alternantes in te vices *solis & lunæ*, neque eclipses, neque decrementa, neque recessus, neque occasus, SED *lux* TIBI *erit sempiterna*, nempe DEUS TUUS, hic radiis suæ doctrinæ, favoris & gratiæ continuo te illuminans; in cælo vero lumine gloriæ & beatificæ visionis æternum recreans: ita S. Ioannes Apoc. XXI. 4. & 23.

V. 21. POPULUS TUUS OMNES IUSTI: nemo enim potest esse iustus nisi qui re, vel saltem voto sit de Ecclesia Christi: ita Gabriel Alvarez, qui in hoc distinguit Ecclesiam Christi a Synagoga: quod huius cæremoniis ac ritibus nemo teneretur, nisi qui esset ex posteris Abrahæ: ceteri si legem solam naturalem observarent, poterant esse iusti & salvari: at publicato Evangelio, ad iustitiam & salutem requiritur etiam observatio legis positivæ a Christo additæ, & ingressus in eius Ecclesiam, saltem desiderio, ut iam dixi. IN PERPETUUM HEREDITABUNT TERRAM, etiam hanc materialem: nam Ecclesia Christi durabit non per pauca sæcula, uti Synagoga, sed usque ad consummationem sæculi, & deinceps in æternum.

V. 22. MINIMUS Ecclesiæ surculus ERIT excrescens IN MILLE alios surculos. Unus Petrus, unus Paulus, unus Antonius, unus Benedictus in quot millia? ita S. Hieronymus: & Cyrillus. SUBITO, id est brevi, FACIAM ILLUD; Hebraice, *festinare faciam illud*, IN TEMPORE EIUS, id est ei Ecclesiæ a me præstituto.

(a) Livius Lib. VII. in Bello Macedon. Plin. Lib. VIII. cap. XVIII.
(b) Genes. XXV. 2.
(c) Ibid. vers 4.
(d) III. Reg. X. 1.
(e) Genes. XXV. 13.
(f) Prov. VIII. 18. & Isaiæ LXI. 6.
(g) August. Lib. V. de Civ. Dei cap. XXIII. XXV. XXVI.
(h) Socrat. Lib. VII Hist. cap. XVIII.
(i) Evagri. Lib. IV. cap. XVI. &c.
(k) Zonaras III. Annal. Byzantin.
(l) Tyrius de Bello sacro Lib. VI. &c.
(m) III. Reg. X. 27.

GORDONI.

Vers. 1. SURGE, ILLUMINARE IERUSALEM, &c. φωτίζου Ἱερουσαλήμ, apud Septuaginta, & quamvis vox Ierusalem non sit in Hebræo, tamen habetur etiam

etiam ex fine capitis LX. verſ. 20. & uſu Eccleſiæ in die Epiphaniæ. Ceterum hæc dici de Eccleſia conſenſus eſt Patrum, Hieronymi, Procopii, Cyrilli, Tertulliani, Auguſt. Ambroſ. Clementis &. aliorum, cum recentioribus: nec debent hæc in ſenſu litterali aliter exponi; quaſi dicat: Poſt tenebras en lucem admirabilem per Chriſti præſentiam, doctrinam, gratiam & Evangelii gloriam: tenebræ operiant terram &. Paganos; ſuper te aliter, &c.

V. 6. Dromedarii Madian et Epha, &c. Dromedarii ſunt camelorum pulli, dicti dromedarii a velocitate curſus. δρόμος *curſus*. Heb. in plurali בכרי *bichre*; גמל *gamal*, *camelus*. Sunt vero horum camelorum regiones feraces. Madian & Epha: de his regionibus, Arabia, & Saba, dixi III. Regum, cap. x. Cedar eſt Arabiæ pars: item & Nabaioth: offerent, inquit. Cedareni & Nabathæi: alluſio eſt ad oblationes Moſaicas: vide Matth. II. Hæc de vocibus.

V. 8. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, &c. Velocitatem gentium confluentium explicat per advolantes nubes & columbas. Cetera de regibus & opibus clara ſunt: auguſtiora ſane quam ut conveniant regno Iudæorum.

V. 12. Gens enim et regnum, &c. Gentes Evangelio rebelles caſtigabit Dominus: hiſtoriæ plenæ ſunt exemplis, de excidio perſequentium. Eccleſiam. E contra vero (verſ. 13.) aliunde bona, decor & gloria, quæ ſignificantur per arbores adoratas, &c.

V. 15. Pro eo quod fuisti derelicta, &c. Verba ſunt ad Eccleſiam, & ſicut priora, ita nec iſta poſſunt alteri aptari quam Chriſtianæ, initio quidem contemptæ, ſed exurgenti tandem ad immenſam gratiam, gloriam, & potentiam. Quod eſt hic ſuperbia ſæculorum, Heb. habet *celſitudinem ſæculorum*, גאון *geon*.

V. 18. &. 19. Non audietur ultra iniquitas in terra tua, &c. Hic ſanctitatem Eccleſiæ declarat & ſtabilem, ut vere ſancta eſt: atque ſenſim aſſurgit ad deſcriptionem Eccleſiæ triumphantis uſque ad finem capitis. Illud etiam verſ. 9. de ſublatis tenebris, de ſole & luna poteſt ſuo modo ad Eccleſiam referri militantem, ubi non deficiet lumen fidei, nec gratia & ſanctitas; aut etiam ad lumen gloriæ in beatis referri poteſt.

Ex Eiusdem Auctario.

Verſ. 6. Omnes de Saba: *Omnes*, plurimi: ita de Magis: Matth. cap. XI. I. Saba aromatum ferax, dicta Arabia felix. Eſt inter ſinum Perſicum, & mare rubrum.

V. 7. Placabili altari; hoc eſt, placante Deum: domus Dei ut olim templum, ſic nunc Eccleſia.

V. 10. Filii peregrinorum, gentium, ut olim Perſarum reges poſt ſolutam captivitatem.

V. 13. Locum pedum, Eccleſiam militantem in terris.

V. 22. Minimus erit in mille. Sic ſane Eccleſia a parvis initiis, & ex grano Synapis arbores proceræ, & pertingunt uſque ad cælum, & ſedem beatorum.



C A P U T LXI.

Christi Salvatoris officium, & humani generis reparationem pulchre explicat; prædicatione quoque ministrorum Christi gentes ad fidem convertendas: additur de consolatione credentium & gloria ministrorum: Ecclesia læta-bunda suam felicitatem mire sibi gratulatur.

SPiritus (*a*) Domini super me, eo quod unxerit Dominus me:
ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis
corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis a-
pertionem: 2. ut prædicarem annum placabilem Domino,
& diem ultionis Deo nostro: (*b*) ut consolarer omnes lu-
gentes; 3. ut ponerem lugentibus Sion; & darem eis co-
1 ronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium lau-
dis pro spiritu mœroris: & vocabuntur in ea fortes iusti-
tiæ, plantatio Domini ad glorificandum. 4. (*c*) Et ædificabunt deserta a sæ-
culo, & ruinas antiquas erigent, & instaurabunt civitates desertas, dissipatas
in generationem & generationem. 5. Et stabunt alieni, & pascent pecora ve-
stra: & filii peregrinorum, agricolæ & vinitores vestri erunt. 6. Vos autem
Sacerdotes Domini vocabimini: Ministri Dei nostri, dicetur vobis: Fortitu-
dinem Gentium comedetis, & in gloria earum superbietis. 7. Pro confusione
vestra duplici & rubore, * laudabunt partem suam: propter hoc in terra sua
duplicia possidebunt, lætitia sempiterna erit eis. 8. Quia ego Dominus diligens
iudicium, & odio habens rapinam in holocausto: & dabo opus eorum in veritate,
& fœdus perpetuum feriam eis. 9. Et scient in Gentibus semen eorum, & ger-
men eorum in medio populorum: omnes qui viderint eos, cognoscent illos,
quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus. 10. Gaudens gaudebo in Domi-
no, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis:
& indumento iustitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, &
quasi sponsam ornatam monilibus suis. 11. Sicut enim terra profert germen
suum, & sicut hortus semen suum germinat; sic Dominus Deus germinabit iu-
stitiam & laudem coram universis Gentibus.

(a) Luc. iv. 18. (b) Matth. v. 5. (c) Sup. lviii. 12.

B R U G E N S I S.

ROMANA CORRECTIO.

Vers. 7. *Laudabunt partem suam*. Correctores dederunt pronomen reciprocum *suam*, pro eo quod alii legunt eorum.

COM-

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verf. 1. SPIRITUS DOMINI SUPER ME: ut fupra cap. XI. 2. *Et requiefcet fuper eum fpiritus Domini, fpiritus fapientiæ, & intellectus*. EO QUOD UNXERIT ME, unxit enim me: יען, vel, *ut ungeret me;* quafi dicat, Non uxit me Deus oleo, fed Spiritu fancto, ut veteres interpretantur, & D. ipfe Petrus Act. X. 38. *Vos fcitis quomodo unxit eum Deus Spiritu fancto & virtute*. AD ANNUNTIANDUM MANSUETIS. Septuag. εὐαγγελίσασθαι πτωχοῖς: quorum verfionem fecutus eft Chriftus, aut certe Lucas Græce loquens cap. IV. 8. *Evangelizare pauperibus mifit me*. Sed idem eft fenfus; pauperes enim manfueti vocantur, quia mitiores effe folent, nifi dicamus Septuag. legiffe ענים, *pauperes*, pro ענוים, *manfueti*. UT MEDERER: לחבש, *ad alligandos contritos corde*, id eft ad curandos, ad confolandos; metaphora fumpta ex plagis, quæ ut curentur ligari folent. UT PRAEDICAREM CAPTIVIS INDULGENTIAM, id eft libertatem, facultatem abeundi: דרר. ET CLAUSIS APERTIONEM. ולאסירים פקח קוח, *& vinctis apertionem carceris*. Hoc Chriftus fecit, qui & iis qui in carcere erant fpiritibus prædicavit, ut ait Petrus I. Epift. cap. III. 19.

V. 2. UT PRAEDICAREM ANNUM PLACABILEM, id eft tempus redemptionis humanæ, quo tempore per Chrifti mortem Deus hominibus placatus eft: quam D. Paulus vocat plenitudinem temporis, Gal. IV. 4. *Et tempus acceptabile, & dies falutis*. II. Cor. VI. 2. ET DIEM ULTIONIS DOMINO: diem ultionis vocat eumdem, quem placabilem, quia quo die hominibus Deus placatus eft, eo die adverfarium diabolum ultus eft.

V. 3. UT PONEREM, id eft darem, CONSOLATIONEM LUGENTIBUS SION. Sionis in genitivo, ut Hebraice eft. ET DAREM EIS CORONAM, vel, *gloriam*, פאר PRO CINERE, id eft lætitiam pro luctu. Scitum eft confueviffe Iudæos in rebus adverfis einere caput afpergere; in rebus autem lætis corona redimiri: atque hoc eft quod dicit, fe illis pro einere coronam daturum. Eft autem Hebraice pulchra paranomafia, quæ Latine exprimi non poteft, inter אפר, *cinerem*, & פאר, *coronam*, qua ipfa litterarum tranfpofitione fignificat rerum converfionem in melius. OLEUM GAUDII. Idem alia periphrafi declarat: folebant enim in lætitia ungi oleo. PALLIUM LAUDIS, id eft intimam animi voluptatem: hac enim phrafi intimam coniunctionem fignificare folent Hebræi, ut cum dicunt, indui confufione, Pfal. XXXIV. 26. indui fortitudine, Pfal. XCII. 1. & *Induit maledictionem ficut veftimentum:* Pfal. CVIII. 18. ET VOCABUNTUR IN EA; להם, *inter eos*, aut *vocabunt eos*. FORTES IUSTITIAE, id eft qui in iuftitia conftantes funt. Alii, *& vocabuntur*, אלי הצדק, *arbores iuftitiæ*, ET PLANTATIO DOMINI, id eft homines proferentes iuftitiæ fructus, quos Dominus primum prædeftinando, deinde vocando quodam modo plantavit, ut fup. cap. LX. 21. AD GLORIFICANDUM, id eft ut Dominus glorificetur, quia *Mirabilis Deus in fanctis fuis*: Pfal. LXVII. 36.

V. 4. ET AEDIFICABUNT DESERTA A SAECULO, id eft loca iam olim deferta: vel, חרבות עלם, *deferta fæculi*, id eft videbantur reædificari non poffe, fed perpetuo deferta futura effe, ut fup. cap. LVIII. 12. Prior fenfus melior, quia continuo fequitur, ET RUINAS ANTIQUAS ERIGENT, quæ omnia hiftorice quidem ad reftaurationem templi & Ierofolymitanæ urbis poft captivitatem Babylonicam referri debent; myftice vero, ad fpiritualem per Chriftum Ecclefiæ renovationem. ET DISSIPATAS, שממות דור והור, *& diffipationes generationis & generationis*, id eft multorum fæculorum ruinas.

V. 5. ET STABUNT ALIENI; id eft exiftent, præfto erunt, reperientur alieni. Significat Gentiles, qui prius alieni inimicique Ecclefiæ erant, futuros effe obfequentes Ecclefiæ: quod obfequium corporalis minifterii exemplo declarat.

V. 6. VOS AUTEM; id eft, omnes Iudæi facti Chriftiani, ut ait D. Petrus I. Epift. cap. II. 9. *Vos autem gens fancta, regale facerdotium*. Prædicit ergo fore ut omnes Chriftiani facerdotes fint; non quod

non

non sint aliqui a ceteris distincti, quibus hoc nomen proprie conveniat, quique incruentum corporis & sanguinis Christi sacrificium offerant; sed quod omnes Christiani accepto Spiritu sancto in Sacerdotes quodam modo uncti sint, ut laudis offerant sacrificia: Gentiles autem in rebus temporalibus illis asserviant. MINISTRI DEI NOSTRI, DICETUR VOBIS; id est, nomen vestrum erit, Ministri Domini. FORTITUDINEM GENTIUM COMEDETIS, id est substantiam, optima quæque, sicut supra cap. LX. 16. *Et suges lac gentium & mammilla regum lactaberis*. ET IN GLORIA EORUM, id est eorum divitiis gloriabimini: תתימרו, *exultabitis*.

V. 7. PRO CONFUSIONE VESTRA DUPLICI ET RUBORE, LAUDABUNT. Mutatio personæ, pro, laudabitis, id est, gloriabimini parte eorum, id est Gentilium possessione; quasi dicat, Pro duplici, id est multiplici ignominia, qua a gentibus affecti estis, eorum possessionibus fruemini. Alii, *Pro confusione vestra*, משנה *duplex* (sub. præmium recipietis) *&* (pro) *rubore exultabitis parte eorum*; quod valde convenit cum sequentibus: PROPTER HOC IN TERRA SUA; pro, eorum, id est Gentilium, DUPLICIA, id est multiplices opes, possidebunt, pro, possidebitis. LAETITIA SEMPITERNA ERIT EIS, id est vobis.

V. 8. DILIGENS IUDICIUM, id est iustitiam. ET ODIO HABENS RAPINAM, id est iniustitiam, rem omnem iniustè acquisitam: opponit enim rapinam iudicio. IN HOLOCAUSTUM, id est quamvis mihi in sacrificium offeratur. ET DABO OPUS EORUM; id est, reddam debitam operi eorum mercedem, quia iudicium & iustitiam diligo. IN VERITATE, id est sine ulla fraude. ET FOEDUS PERPETUUM FERIAM; id est, renovabo aut perpetuabo fœdus quod iam olim pepigi cum Abrahamo, Gen. XXVI. 4. fore, ut in semine eius benedicerentur omnes gentes, ut statim explicat.

V. 9. ET SCIETUR; id est, nobile erit inter gentes semen eorum, ET GERMEN EORUM, id est posteri, nepotes.

V. 10. GAUDENS GAUDEBO. Heb. id est, valde gaudebo: epiphonema est, quo Propheta utitur Ecclesiæ persona. QUIA INDUIT ME VESTIMENTIS SALUTIS; id est, contulit mihi perpetuam & numquam perituram salutem, quemadmodum vestimentum numquam a nobis separatur: hanc metaphoram indumenti sup. vers. 3. & multis aliis locis explicavimus.

V. 11. GERMINABIT IUSTITIAM: יצמיח, *germinare faciet iustitiam*, id est crescere, abundare. ET LAUDEM (passive) id est, laudationem sui, materiam laudandi sui hominibus suppeditabit.

S. A.

Vers. 1. SUPER ME. Vox Christi. EO QUOD. LXX. *cuius causa*. UNXERIT, id est replevit gratia. AD ANNUNTIANDUM, &c. LXX. *Evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, & cæcis visum, & vocare annum Domini acceptum, & diem retributionis*, &c. Vide Lucæ IV. INDULGENTIAM. Chald. *libertatem*. CLAUSIS. Chald. *vinctis*. LXX. *cæcis*. APERTIONEM, scilicet carceris peccati. LXX. *visum*, seu *visus restitutionem*.

V. 2. PLACABILEM, id est reconciliationis. DOMINO; pro, Domini. ULTIONIS, scilicet in reprobos die iudicii. DEO NOSTRO; pro, Dei nostri.

V. 3. SION, id est Sionis, vel in Sion, vel Sionem; quasi dicat, Ex desiderio cælestis patriæ. CORONAM PRO CINERE, id est gloriam pro abiectione. OLEUM; quasi dicat perfusionem. PALLIUM LAUDIS; quasi dicat, Operiam, seu ornabo laude. LXX. *habitum gloriæ*. FORTES. Chald. *principes*. IUSTITIAE, id est per iustitiam. GLORIFICANDUM, scilicet Deum. LXX. *gloriam*.

V. 4. DESERTA, scilicet Dei cultu. A SAECULO, id est longo tempore. IN GENERATIONEM ET GENERATIONEM, id est diutissime.

V. 5. ALIENI, scilicet olim a fide. PASCENT, &c. quasi dicat, Erunt prælati vestri.

V. 6. Vos, scilicet o Apostoli, seu prælati. FORTITUDINEM. Chald. *divitias*. SUPERBIETIS, id est eritis gloriosi. Chald. *lætabimini*. LXX. *eritis admirabiles*.

V. 7. DUPLICI, id est magna. PARTEM, id est sortem, scilicet ministerium prælatorum, & gradum. TERRA SUA, id est cælo. DUPLICIA, id est corporis & animæ bona, vel quasi dicat, maxima.

V. 8. OPUS. Chald. *mercedem operum*. IN VERITATE, id est fideliter.

V. 9.

V. 9. SCIENT. Chald. *magnificabitur.* SEMEN, id est filii. GERMEN. Chald. & LXX. *nepotes.*

V. 10. GAUDENS, &c. Vox Ecclesiæ. IUSTITIAE. LXX. *lætitia.*

V. 11. GERMINABIT. Chald. *revelabit.* LXX. *proferet.*

ESTII.

Verf. 1. SPIRITUS DOMINI SUPER ME, EO QUOD UNXERIT DOMINUS ME. Quo pertineat hæc prophetia, manifestissime docemur ex Evangelio: nam Lucæ IV. legimus Christum in synagoga accepto libro Isaiæ, incidisse in hunc locum, ubi scriptum erat: *Spiritus Domini super me*, &c. eoque testamento perlecto, dixisse: *Quia hodie impleta est hæc scriptura auribus vestris: & omnes testimonium ipsi dabant.* Certum igitur est testimonio ipsius veritatis hanc prophetiam ad Christum pertinere. Estque hoc totum: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me Dominus*, intelligendum, secundum hominem assumptum: nam secundum divinitatem neque unctus erat, neque spiritus Domini super eum erat; sed potius a Patre & Filio procedit ab æterno ipse Spiritus sanctus, & temporaliter ad homines mittitur ab iisdem. Notandum vero quod unum hic sit alterius expositio: nam ideo dicitur spiritus Domini super eum, quia unctus est spiritu sancto, sicut Petrus Act. x. de Christo loquens ait: *Hunc unxit Deus spiritu sancto & virtute.* Hoc ergo ista phrasi significatur, Christum hominem gratia Spiritus sancti largissime & copiosissime fuisse perfusum, de cuius tamquam capitis plenitudine cetera omnia membra participarent, sicut Ioannes dixit cap. I. sui Evangelii: *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus.*

AD ANNUNTIANDUM MANSUETIS MISIT ME. Septuaginta verterunt, *evangelizare pauperibus misit me*, quomodo etiam citat hunc locum Lucas dicto cap. IV. secutus versionem Septuaginta. Igitur per mansuetos & pauperes iidem sunt intelligendi, illi videlicet, qui spiritu pauperes, id est humiles miseriam suam, iniquitatem, & ignorantiam agnoscunt, & consolatorem ac liberatorem expectant: non quod gratiam Christi in homine præcedat aliqua mansuetudo vel paupertas spiritus, quæ non sit ab hac gratia; sed quod prædicatio exterior ipsius Evangelii sine hac occulta animi præparatione non fructificet. Pendet enim hæc occulta præparatio etiam ex munere Dei. Simile quid est Psalm. XXIV. *Diriget mansuetos in iudicio, docebit mites vias suas.* Quidam dicunt vocem Hebræam etiam significare afflictos. Quod verum est de afflictione cordis, id est tristitia de suis malis; ut in proposito, de servitute peccati. Hos Scriptura etiam vocat contritos corde.

MARIANAE.

Verf. 1. SPIRITUS DOMINI SUPER ME. Hoc Christus de se explicat Lucæ IV. 18. EO QUOD UNXERIT DOMINUS ME. Hebr. *ideo unxit me.* Cum unctione venit Spiritus. AD ANNUNTIANDUM MANSUETIS. Quare mansuetis? quia in tumultu verbum Dei non auditur. UT MEDERER. Hebr. *ut alligem*, scilicet vulnera: id est *mederi contritos corde.* ET PRAEDICAREM CAPTIVIS INDULGENTIAM. Hebr. *libertatem.* ET CLAUSIS APERTIONEM. Hebr. *vinctis apertionem carceris.*

V. 2. UT PRAEDICAREM ANNUM PLACABILEM DOMINO. Hebr. *annum voluntatis Domini*, id est quo Deus facit suam voluntatem vindicando iniquos. Aut *placabilem*, id est reconciliationis. UT CONSOLARER OMNES LUGENTES, id est oppressos. Solamen miseris est, iniquorum vindicta.

V. 3. UT PONEREM LUGENTIBUS SION; pro, in Sion. Quid poneret? quod sequitur. ET DAREM EIS CORONAM PRO CINERE. Sic Chald. alii *gloriam pro cinere*, id est ornamentum. Coniunctio & Heb. non est. OLEUM GAUDII, id est mentis gaudium. PALLIUM LAUDIS. Hic *laus* sumitur pro iubilo. Iubilo ut pallio operietur. ET VOCABUNTUR IN EA. Hebr. *vocabitur eis.* FORTES IUSTITIAE, aut *arbores iustitiæ*, id est homines iusti. PLANTATIO DOMINI AD GLORIFICANDUM, ad gloriam, id est gloriosa, decora plantatio: nempe, manu Dei: sic vocabitur.

V. 4. ET AEDIFICABUNT DESERTA A SAECULO, id est ubi nulla umquam fuerunt ædificia, ibi urbes construent propter hominum multitudinem. ET INSTAURABUNT

BUNT

BUNT CIVITATES DESERTAS. Hebr. *desolatas*, *eversas per multa sæcula*. Id significat, DISSIPATAS IN GENERATIONEM ET GENERATIONEM.

V. 5. ET STABUNT ALIENI. Alienigenæ vestri ministri erunt.

V. 6. SACERDOTES DOMINI. Alia cura soluti solum vacabitis Deo. DICETUR VOBIS, id est vocabimini Ministri Domini. FORTITUDINEM GENTIUM COMEDETIS, divitias. ET IN GLORIA EARUM. Ornamentum, ædificia vocat gloriam gentium. SUPERBIETIS. Chald. *lætabimini*, seu *exultabitis*.

V. 7. PRO CONFUSIONE, id est pudore. DUPLICI, id est ingenti. ET RUBORE, LAUDABUNT PARTEM SUAM. Locus difficilis. Sic Hebr. verto: *Et pro ignominia* (ob quam) *iubilarunt* (in) *parte sua* (id est in regione sua hostes) *propter hoc duplicia* (id est multa) *possidebunt* (Israelitæ) *in terra sua* (id est Gentium.) Hoc refertur ad id quod dixerat: *Divitias Gentium comedetis*.

V. 8. IN HOLOCAUSTO; pro, etiam in holocausto, odi rapinam iniquorum, etiamsi is qui rapuit, illam mihi offerat. ET DABO OPUS EORUM Israelis, id est mercedem operis eorum, iustorum scilicet. IN VERITATE, seu *in fide*, vere & fideliter, dabo quæ merentur.

V. 9. CUI BENEDIXIT DOMINUS, id est magnis beneficiis affectus. Ex iis donis cognoscentur inter Gentes quasi notis quibusdam signati.

V. 10. GAUDENS GAUDEBO. Verba sunt populi, cui Deus tanta beneficia contulit. QUIA INDUIT ME VESTIMENTIS SALUTIS, id est salute, ut vestimento: copiosam salutem contulit. QUASI SPONSUM DECORATUM CORONA. Hebr. *quasi sponsus magnificat gloriam*, id est vestes sumit pretiosas nuptiarum tempore. ET QUASI SPONSAM ORNATAM MONILIBUS SUIS. Hebr. *quasi sponsa ornat vasa sua*. *Vasa* pro monilibus. Hieronymus sententiam expressit.

V. 11. DEUS GERMINABIT IUSTITIAM, id est opera iusta & laudabilia per suos faciet Deus coram omnibus. Is est ornatus populi, ea est Dei gloria, id germen, & semen.

MALVENDAE.

Vers. 1. SPIRITUS DOMINI SUPER ME, EO QUOD UNXERIT DOMINUS ME, &c. Quidam reddunt: *Spiritus Domini Iehovi est super me, eo quod unxit Iehova me ad evangelizandum mansuetis*, &c. Hac concione, inquiunt, quæ duobus capitibus comprehenditur, quam Christus per Prophetam habuit, exponuntur tria: primum est, quæ fuerint dona & vocatio Christi, versibus quatuor primis huius capitis; secundum, quæ operatio, reliquo hoc capite, sive usque ad vers. 10. tertium, quæ functio sive administratio ad præstandum operationes suas, ex dono, & vocatione Dei, toto capite LXII. sive a vers. 10. huius capitis, usque ad finem capitis LXII. Quæ tria ab uno & eodem Spiritu præstari docet Apostolus I. Corinth. XII. 4. & sequentibus: in Christo quidem absolutissime, ut qui Spiritum sine mensura acceperit; in aliis vero pro demenso donationis Dei. Hæc autem de Christi persona esse, non de alio propheta ullo, res ipsa commonstrat meridie clarius: nam his verbis, *Spiitus Domini est super me*, plenitudinem Spiritus sibi asserit, ex qua accipiunt omnes, Ioan. 1. 16. illis vero, *eo quod unxit me*, &c. vocationem plenam similiter arrogat sibi, qua singulares aliorum omnium vocationes nituntur, ut ipse Christus docuit Matth. XXVIII. 18. Vide Lucæ IV. 18. & sequentibus, ubi Christus hanc prophetiam de seipso diserte interpretatur. Quod vero hic nomen *Iehovi* quidam efferant, vide in Genes. XV. 8. EO QUOD UNXERIT ME: Hebr. *eo quod unxit Iehovah me*. Exponunt, quasi dicat: Non me inermem, aut imparatum a rebus necessariis mittit Deus, sed ut mitteret, prius instruxit spiritus plenitudine. Est enim *ungendi* verbum hic sumptum metonymice, ut Psalm. XLIV. 8. & alibi sæpe. AD ANNUNTIANDUM MANSUETIS MISIT ME. Illud, *misit me*, quidam superioribus nectunt; alii sequentibus, quod commodius videtur: *misit me ad alligandum confractos*, &c. Quidam hic vertunt: *ad annuntiandum*, seu *evangelizandum mansuetis*; vel *ut evangelizem inopibus*, seu *ope & auxilio destitutis*. Alii: *misit me ut læta annuntiem mansuetis*. Constructio Hebrai-

braica est cum accusativo: *ad evangelizandum afflictos*, vel *mansuetos*; id est, ad donandum, vel impertiendum, seu ornandum afflictos Evangelio ipso: qui est augustior sensus. Quo respexisse videtur Interpres Græcus Matth. XI. 5. *Pauperes evangelizantur*; id est, donantur Evangelio. UT MEDERER CONTRITIS CORDE. Varie alii ex Hebr. I. *ad obligandum contritos corde*. II. *ut oblinirem*. III. *ad superalligandum fractis corde*, subaudi, vulnera, vel ulcera. IV. *ut inducerem superalligationes confractis corde*. V. *ad ligandum fascia fractos corde*. VI. *ut obligem vulnera corde contritorum*. VII. *ad obligandum fractos animos*; id est, ad curandum mortales, liberandum, & reconciliandum Deo: quo spectant omnes illæ allegoricæ loquendi formæ, quæ mox sequuntur. Nam præsens allegoria sumpta est a chirurgis, qui fasciolis fracta & contusa curationis causa alligant. ET CLAUSIS APERTIONEM. Heb. *& ligatis, vinctis, apertionem*. פקח קוח *phekach koach*, plerique unam dictionem faciunt, geminatis duabus radicalibus *Koph*, & *Cheth*, qua duplicatione *omnimoda*, *plena*, & *latissima apertio*, seu *liberatio* significetur, qua omnia patent, quaqua oculos verteris. Alii distinctam vocem faciunt קוח *koach*, id est *carcer*, *captura*, a לקח *lakach*; redduntque: *& vinctis apertionem carceris*. Quidam reddunt: *& vinctis*, sive *constrictis apertionem ergastuli*.

V. 2. UT PRAEDICAREM ANNUM PLACABILEM DOMINO. Hebr. *ad proclamandum annum beneplaciti*, *benevolentiæ*, *bonæ voluntatis*, *acceptationis*, *gratiæ*, *favoris ipsi Iehovah*; id est, annum Deo acceptissimum, gratissimum, iucundissimum, hoc est tempus Evangelii, redemptionis, gratiæ per Christum. Lucas IV. 19. reddidit, *annum Domini acceptum*: secutus nimirum LXX. Interpretes. ET DIEM ULTIONIS DEO NOSTRO. De qua cap. LIX. 18. & 19.

V. 3. UT PONEREM LUGENTIBUS SION. Quidam subaudiunt: *ad consolationem adhibendam lugentibus Tziionis*. ET DAREM EIS CORONAM PRO CINERE. Hebr. *ad dandum eis decorem*, *ornatum*, *gloriam*, *pro cinere*, vel *loco cineris*, id est luctus, metonymice a signo, ut supra cap. LVIII. 5. Est autem paronomasia, פאר *pheer*, *epher*, אפר *epher*, *cinis*: quibus solet uti Isaias. PALLIUM LAUDIS, vel *amictum laudis*; id est, splendidum, gloriosum, elegans, pretiosum opertorium, seu indumentum. PRO SPIRITU MOERORIS. Hebr. *pro spiritu obscuro*, *caligante*, *caliginoso*, id est perturbato; vel *pro spiritu constricto*, *restricto*, *rugoso*, *breviato*, *debili*. Quidam: *loco spiritus contracti*; id est, qui præ conscientia malorum suorum angustus atque abiectus est: contra cum liberatur ex angustiis animus, dicitur dilatari, ut Psalm. CXVIII. 32. ET VOCABUNTUR IN EA FORTES IUSTITIAE. Hebr. *& vocabitur eis*, vel *ut vocentur illi*, *ilices*, seu *quercus iustitiæ*; id est, Tamquam arbores, in Christo insiti firme radicentur per fidem, & in iustitia ac sanctificatione Spiritus ambulantes per Christum, in Ecclesia pro plantis Dei habeantur, & ab exteris quoque prædicentur, fructuum, quos protulerint, nomine; ut I. Timoth. III. 7. אילים *elim*, *fortes*, & *quercus*, *ilices*, seu *alnos*, aut *ulmos* possumus accipere: vide supra cap. LVII. 5. quæ significatio sequentibus magis convenit. Potes vertere: *& indetur nomen eis*, *Dii iustitiæ*; id est dicentur dii & filii Dei, Ioan. I. 12. & 13. PLANTATIO DOMINI AD GLORIFICANDUM. Alii ex Hebr. I. *plantatio Iehovæ ad glorificandum me*, vel *ut glorificem me in illis*. II. *ut planta Iehovæ glorietur*; quæ in Christum tamquam in truncum educatum ex surculo, fuerit insita a Deo; ut supra cap. LX. 21.

V. 4. ET AEDIFICABUNT DESERTA A SAECULO, &c. Alii hunc versum ex Heb. convertunt: I. *Et ædificabunt desolationes perpetuas*, vel *longi temporis*, *priscas solitudines erigent*, *urbesque vastatas reficient*, *solitudines ætatis & ætatis*, seu *multorum seculorum*. II. *Ut ædificent desolationes antiquas*; id est, ut instaurent Ecclesiam Dei, allegorice: quo etiam spectant allegoriæ sequentes: *solitudines priscas restituant*, *renoventque civitates desolatas*, *solitudines multarum generationum*.

V. 5. ET STABUNT ALIENI, ET PASCENT PECORA VESTRA, &c. Sensum huius versus ita quidam concipiunt: Id est, Surgent, qui prius alieni erant a fide, & venient ad fidem, eruntque vicarii vestri, o Apostoli, in pascendo grege dominico, colendoque agro & vinea Dei. Alii: *Nam astan-*

astantes extranei pascent greges vestros , & alienigenæ agricolæ erunt vestri , & vinitores vestri. Secunda pars capitis, ut dictum est in vers. 1. de operatione Christi in Ecclesia , nimirum fore ut hostes ipsi ministrent Ecclesiæ, & Ecclesia ministret Deo, ac proinde omnia bonorum genera benedictione Dei consequatur : sic I. Corinth. III. 22.

V. 6. FORTITUDINEM GENTIUM COMEDETIS. Hebr. *Strenuitatem , virtutem , robur , copias , facultates , opes gentium comedetis*. Quidam : *Opibus gentium fruemini*. Primum benedictionis genus, nimirum ius & auctoritas Ecclesiæ vindicata per Christum in res omnes creatas , quæ per antithesim miseri & ignominiosi status præcedentis illustratur sequente versu. ET IN GLORIA EARUM SUPERBIETIS. Alii ex Hebr. *& in gloria eorum exaltabimini*, vel *gloriabimini*, vel *prædicabitis vos*, seu *oblectabitis vos ipsos*. Nonnulli : *& gloria earum summe efferetis vos*.

V. 7. PRO CONFUSIONE VESTRA DUPLICI , &c. Diversimode hunc versum ex Heb. efferunt : I. *Pro pudore vestro duplici, & ignominia laudabunt partem eorum*, vel *gloria inquam*, e præcedente versu, *ad pudorem vestrum duplicata , & loco ignominiæ extollent portionem eorum : ideo in terra eorum duplicia possidebunt , lætitia sempiterna erit eis*. II. *Pro pudore vestro* erit vobis *duplex* , vel *duplicia , duplicem mercedem recipietis , & pro ignominia exultabunt de portione eorum*. Enallage personæ, pro , *exultabitis de portione vestra*, vel *vocem lætam edetis in parte vestra*, id est in possessione vestra . III. *Pro confusione vestra* , qua scilicet afficiemini ab hostibus, *duplex erit præmium* , vel *duplicem honorem consequemini , & pro ignominia vestra iubilabunt de portione* sua, vel *in sorte sua*, seu *parte*, id est in episcopatu suo , seu diœcesi aut regione , quam formandam & instituendam susceperint : *propterea in terra sua*, cælesti Ierusalem , *duplicia possidebunt , & sempiternum gaudium erit eis*. IV. *Pro eo, quod pudorem vestrum duplum*, id est, quo plus satis perfusi estis : sic blande parcit Deus Ecclesiæ suæ, & honorifice loquitur, ut supra cap. IV. 2. *& ignominiam cantabant horum portionem esse* , scilicet Iudæorum, qui tum erant Ecclesiæ Dei : apostrophe a secunda persona ad tertiam : *idcirco in terra illarum* , gentium , *duplum hæreditario iure possidebunt*, id est abunde , plus satis : numerus finitus pro infinito : *lætitia perpetua iis futura est*. V. Hispanicus Interpres : *En lungar de vuestra verguença doble , y de vuestra deshonra , os alabaran en sus heredades : por aqual en sus tierras posseeran doblado , y auran gozo perpetuo*. LAUDABUNT. Heb. *gratulatorie acclamabunt , iubilabunt , exultabunt , ovabunt , præconizabunt* , seu *præconia dicent , cantabunt*.

V. 8. QUIA EGO DOMINUS DILIGENS IUDICIUM , &c. Alii : *Quia ego Iehova amo ius* , &c. Secundum benedictionum genus , fore ut Deus fœdus perpetuum in Christo ineat cum Ecclesia, & omissis cæremoniis legis cultum spiritualem & verum instituat in Ecclesia sua, adeoque inscribat utrumque , fœdus , inquam , & cultum spiritualem in cordibus populi sui, ut Hebræor. VIII. ex Ieremiæ loco exponitur. *Amo*, inquit, *ius*, ac proinde non possum amare Ecclesiam iniustam, servientem Deo non in novitate spiritus, sed vetustate litteræ . ODIO HABENS RAPINAM IN HOLOCAUSTO. Alii : *odi rapinam coniunctam holocausto* , id est veteri legi , ac cæremoniis, synecdochice, & toti ministerio litteræ , quod ministerium mortis & condemnationis appellatur : II. Corinth. III. 7. & sequentibus. Alii : *odi rapinam in holocausto* ; id est , nolo mihi sacrificia offerri ex rapina, vel cum aliis sceleribus coniuncta : synecdoche . ET DABO OPUS EORUM IN VERITATE . Alii : I. *& reddam opus eorum* , id est mercedem operis eorum, ut supra cap. XL. 10. *firmum* , id est, vere & sine fraude. II. *disponam opus eorum in veritate , & fœdus perpetuum pangam eis* ; id est, renovabo spiritum mentis eorum, & induam eis novum hominem , qui secundum Deum conditus est ad iustitiam & sanctimoniam veritatis , Ephesior. IV. 23. unde me colant in spiritu & veritate : Ioan. IV. 23. Quidam exponunt : *& dabo opus eorum in veritate* ; id est, faciam ut opera eorum sint vera , sincera , non fucata aut hypocritica ; vel faciam ut sint firmi, constantes in opere Dei, nec ab incœpto desistant . ET FOEDUS PERPETUUM FERIAM EIS : id est Evangelium , & Novum Fœdus, seu Testamentum.

V. 9. ET SCIENT IN GENTIBUS SEMEN EORUM ,

EORUM, &c. Aliqui: *Et innotescet in gentibus semen eorum*, &c. Tertium benedictionis genus, nimirum gloria Ecclesiæ per sanctificationem spiritus, & sic intergerini parietis septum solutum erit, & lex cæremonialis per carnem Christi abolita, ut ait Paulus Ephesior. II. 14. ET GERMEN EORUM. Hebr. *exitus*, *egressiones*, *genimina*, *germina*, *propagina*, *propagines*, *progenies*, *prognati eorum*: vide supra cap. XLVIII. 19. Quidam reddunt: *& prognati eorum inter populos*. OMNES QUI VIDERINT EOS, &c. Alii: *omnes videntes eos*, *agnoscent eos esse semen, cui benedicit Iehova*.

V. 10. GAUDENS GAUDEBO IN DOMINO. Alii: *Omnino gaudeo in Iehova*, &c. Hinc quidam ordiuntur caput LXII. nam est tertia pars concionis, ut diximus in vers. 1. de administratione, in qua Christus velut exultabundus gratulatur Deo de beneficio in se, & in Ecclesiam suam sponsam collato, per prolepsin, hoc versu: deinde speciatim administrationem explicat, primum suam ipsius erga Ecclesiam, usque ad versum 6. cap. LXII. deinde ministrorum Ecclesiæ quibus dat mandata sua, inde ad finem usque. ET INDUMENTO IUSTITIAE CIRCUMDEDIT ME. Aliqui: *pallio iustitiæ amicivit me*: Christum videlicet mysticum; hoc est, primum prophetam illum nostrum, sacerdotem, & regem plenissime; deinde Ecclesiam totam per ipsum, ut sequentia verba explicant. QUASI SPONSUM DECORATUM CORONA. Varie alii ex Heb. I. *tamquam sponsum magnificabit gloria*. II. *tamquam sponsum ornabit sacerdotali decore*. III. *tamquam sponsum consecrabit gloria*. IV. *tamquam sponsum sacerdotali more ornabit magnificentia*. V. Forlerus: *veluti sponsus sacerdotabitur magnificentia*; id est, decorabitur ornatu sacerdotali certo. VI. Marinus: *tamquam sponsus serviet decori*: id est, studebit ut elegans appareat. VII. Schindlerus: *sicut sponsus, qui ministrabit decorem*, id est, augebit ornatum in vestibus pulchris: qui opus habet ornatu, seu decore. VIII. *tamquam sponsus, qui magnificat gloriam*; id est, instar sponsi, qui elegantissime, & splendidissime ornat se. IX. Buxtorfius: *sicut sponsus sacerdotem aget ornatu*, id est magnifice, ut sacerdos ornatum parat. X. Tremellius, & Iunius: *tamquam sponsum, qui administrat ornatum*, iustitiæ & vitæ, quam Christus sponsus exhibet Ecclesiæ. XI. Forerius: *veluti sponsum, qui decoratur ornatu*. Verbum כהן *cihen*, in Pihel, est proprie *sacerdotare*, *sacerdotio fungi*, *rem sacram operari*, *ministrare in sacris*, *ordinari ad sacra facienda*. Hic aliqui transitive, alii intransitive accipiunt, & ad Deum quidam referunt: *& tamquam sponsum sacerdotabit decore*, vel ad sponsum: *& tamquam sponsus sacerdotabit decorem*, vel *sacerdotabitur decore*. Sed constructio transitiva aptior est verbo. Possis exponere: *& tamquam sponsus sacrabit*, *consecrabit decorem*, vel *sacrificabit*, *litabit decori*, seu *ornatui*: erit mystes & sacerdos decoris; id est, erit pulcherrimus, decentissimus, ornatissimus, elegantissimus, quammaxime decorus. ET QUASI SPONSAM ORNATAM MONILIBUS SUIS. Hebr. *& sicut sponsa adornabit vasa sua*, id est præparabit. Alii: I. *& tamquam sponsa, quæ ornat se monilibus suis*. II. *& sicut sponsa applicabit mundum suum*. III. *& veluti sponsam, quæ ad ornatum applicat mundum suum*. IV. *& veluti sponsam ornantem se instrumentis suis*. Sponsus hic proculdubio Christus, & sponsa Ecclesia.

V. 11. SICUT ENIM TERRA PROFERT GERMEN SUUM, &c. Prior pars, inquiunt, administrationis, qua Christus erga Ecclesiam utitur, duabus partibus continetur, nimirum quod Deus per Christum iustitiam daturus est Ecclesiæ; deinde quod laudem & gloriam amplissimam, quæ duo proleptice hoc versu posita, sequentibus exornantur. SIC DOMINUS DEUS GERMINABIT IUSTITIAM, &c. Alii: *ita Dominus Iehovi producturus est iustitiam, & laudem coram omnibus gentibus*: id est, Christus, æternus Deus cum Patre & Spiritu sancto, per Spiritum suum intus secundum divinam naturam operans, & per verbum suum, quod secundum naturam humanam prædicavit, initio sequentis capitis, abunde iustitiam communicabit Ecclesiæ, & gloriam amplissimam. De *Iehovi*, vide supra vers. 1.

MENOCHII.

Verf. 1. SUPER ME, id eſt ſuper mea humanitate requievit ſpiritus Domini, & vox Chriſti. EO QUOD, &c. LXX. habent, *Propter quod*, & ſenſus eſſe poteſt: Spiritus ſanctus deſcendit in me, idcirco ſuis donis, quaſi effectibus unxit, & replevit me. Vel, ſignificatur cauſa finalis, ut ſenſus ſit: Spiritus ſanctus deſcendit in me, quia iam ab initio unxit, & deputavit me ad Meſſiæ, & ſalvatoris munus. ANNUNTIANDUM: evangelizandum. MANSUETIS, id eſt humilibus, & pauperibus. CONTRITIS CORDE: Iudæis, & Gentilibus, qui onere tum peccatorum, tum legis Moſaicæ, tum infidelitatis, & ignorantiæ rerum divinarum preſſi, ac pene oppreſſi, & obtriti, afflictiſſimo erant corde & animo. CAPTIVIS: ſub poteſtate dæmonis, & peccati. INDULGENTIAM, id eſt *remiſſionem*, ut habet S. Lucas cap. IV. 9. CLAUSIS, carcere. APERTIONEM; ſcilicet *carceris*, ut eſt in Hebræo.

V. 2. ANNUM PLACABILEM, id eſt reconciliationis; in Hebræo eſt, *beneplaciti*: divinæ ſcilicet benevolentiæ, & placabilis in homines voluntatis. DIEM ULTIONIS: Chriſti hoſtibus. UT CONSOLARER OMNES LUGENTES. Hoc præſtitit Chriſtus pertranſiens benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos a diabolo, dicenſque, *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, Matth. XI.

V. 3. UT PONEREM: ſcilicet coronam pro cinere, ut ſequitur, id eſt gloriam pro abiectione. OLEUM; quaſi dicat, Perfuſionem; ſignificatur unguentum odoratum, quo ſenſus recreantur. PALLIUM LAUDIS; quaſi dicat, Se operturum, ſeu ornaturum laude. LXX. habent, *ſtolam gloriæ*. IN EA: in Sion, id eſt in Eccleſia. FORTES JUSTITIAE, id eſt potentes, & eximii in iuſtitia, præſertim eius præpoſiti, & Principes, puta Apoſtoli. PLANTATIO DOMINI: plantæ, arbores a Domino plantatæ ad eius gloriam celebrandam.

V. 4. DESERTA: urbes, aut provincias deſertas ædificabunt, in cultu, & religione Chriſti. A SAECULO: a multis ſæculis. IN GENERATIONEM, ET GENERATIONEM: eſt idem, quod dixerat, *a ſæculo*. ALIENI: Iudæi, & Gentiles, qui vos antea duro miniſterio premebant. PASCENT PECORA VESTRA: famuli veſtri erunt.

V. 6. SACERDOTES DOMINI: qui ſcilicet Deo iugiter aſſiſtatis, agroſque & vineas non per vos, ſed per miniſtros veſtros colatis. FORTITUDINEM. Chald. *divitias*; nam Hebraicum חיל *chel* ſignificat opes, & robur. IN GLORIA EORUM SUPERBIETIS, id eſt eritis glorioſi, & invidendi eorum divitiis, & opibus. Aquila vertit, *in gloria eorum purpura veſtiemini*.

V. 7. PRO CONFUSIONE VESTRA DUPLICI, id eſt pro magna & multiplici confuſione, quam vos o Iudæi, & Gentiles intuliſtis fidelibus. LAUDABUNT PARTEM SUAM: in ſinu gaudebunt Apoſtoli ea probra aut etiam verbera ſibi contigiſſe. Ita ſane fuit; nam Apoſtoli *ibant gaudentes a conſpectu concilii, quod digni habiti eſſent pro nomine Ieſu contumeliam pati*: Actorum v. 41. IN TERRA SUA: in Eccleſia, vel in Cælo. DUPLICIA: magna, & multiplicia dona Spiritus ſancti, ingens præmium, & gloriam. Vel nomine duplicia ſignificantur animæ, & corporis bona.

V. 8. IUDICIUM, id eſt iuſtitiam. ODIO HABENS RAPINAM IN HOLOCAUSTO. Paginus, & Vatablus ex Hebræo vertunt, *in holocauſtum*. Per rapinam omnem dolum, fraudem, & iniquitatem intelligit; hæc enim æque ac bona per ea parta, diſplicent Deo, etiamſi in eius vertantur holocauſtum. DABO OPUS EORUM IN VERITATE, id eſt faciam ut ſincere agant, & non hypocritice. Vel, faciam ut opus, id eſt fructus operis eorum firmum ſit, & ſtabile, nec ab illo excidant. Aliqui ex Hebræo vertunt, *reddat opus eorum firmum*.

V. 9. SCIENT IN GENTIBUS, &c. quaſi dicat: Conſpicuum, nobile, & illuſtre erit etiam apud Gentiles ſemen, & germen ſpirituale Apoſtolorum, fideles ſcilicet ab eis converſi. IN MEDIO POPULORUM: erunt inclyti. BENEDIXIT: multis, & eximiis beneficiis ornavit.

V. 10. GAUDENS, GAUDEBO, &c. Videntur eſſe verba chori totius Eccleſiæ exultantis, iubilantis, & gratias agentis pro acceptis beneficiis. INDUIT ME VESTIMENTIS SALUTIS: hoc eſt, ſalute quaſi veſte induit, & obtexit me. ET INDUMENTO, &c. repetitio eiuſdem ſententiæ Hebræis uſitata. QUASI SPONSUM, &c. omni genere or-

ornamenti decorata sum, qualia sponsi gestant, aut sponsæ.

V. 11. GERMINABIT: significatur copia, & abundantia iustitiæ, & sanctitatis. ET LAUDEM, &c. quæ nimirum sequitur ex sanctitate vitæ, & admiratione beneficiorum a Deo in Ecclesiam collatorum.

TIRINI.

Vers. 1. SPIRITUS DOMINI sanctus descendit, & requievit SUPER ME, primum occulte in conceptione mei, dein palam & publice in baptismo, cum ad munus docendi & prædicandi a Patre mihi impositum accingerer: EO QUOD DOMINUS ME ad id munus UNXERIT, constituendo me caput, regem, doctorem, & redemptorem universi. Ita hæc de seipso diserte explicat ipse Christus Lucæ IV. 18. & Petrus Actor. x. 38.

V. 2. UT PRAEDICAREM toti orbi ANNUM DOMINO PLACABILEM; LXX. & ex iis S. Lucas, *acceptum*, id est tempus gratissimum & iucundissimum Deo & hominibus. Hebraice, *annum divinæ benevolentiæ* ac propensi affectus. Alludit ad annum iubileum *b*, in quo omnes servi fiebant liberi, omniaque debita dissolvebantur & condonabantur. Et hæc pro populo Dei: hostibus vero DIEM ULTIONIS, quo Deus per Christum ulciscetur sese & amicos suos de impio & crudeli tyranno diabolo, & omnibus asseclis eius. Alludit ad annum liberationis Iudæorum e Babylonica captivitate per Cyrum: nam idem ille erat annus ultionis Chaldæus, ut supra vidimus. Hanc ultionem cœpit Christus dum nobiscum viveret, continuabitque usque ad diem extremi iudicii, immo in omnem æternitatem: ita S. Cyrillus, Beda, Toletus *c*, & alii.

V. 3. IN EA Sione, id est in Ecclesia Christi, erunt & VOCABUNTUR, & publice celebrabuntur FORTES IUSTITIAE ministri, inquit Forerius, sicut erant olim *fortes Davidis d*, milites & duces. Hi sunt Apostoli, Martyres, & tot alii sancti Patres, Doctores, Virigines, fortissimi iustitiæ propugnatores, & adversus dæmonem pugiles acerrimi. PLANTATIO DOMINI AD GLORIFICANDUM; id est, plantæ, seu arbores a Deo plantatæ ad eius gloriam ubique celebrandam.

V. 4. Hi REAEDIFICABUNT DESERTA SAECULORUM, ut supra LVIII. 12. Neque tamen ex sola Sione, seu Iudæa, sed &

V. 5. EX ALIENIS, seu alienigenis, & *peregrinis*, id est ex Gentilibus ad Christum conversis, STABUNT in Ecclesia Pastores, Episcopi, Doctores: ita S. Hieronymus, Procopius, Forerius, Vatabl. & Sasbout.

V. 6. VOS AUTEM, o Sionitæ, id est ex Iudæis ad Christum conversi, vos nempe Apostoli, SACERDOTES DOMINI VOCABIMINI, per antonomasiam, id est hierarchæ & principes sacrorum, MINISTRI DEI primarii, intimi ac familiares regi Christo: ita S. Hieronymus, a Lapide & Gabriel Alvarez. Hoc ad solatium simul & ad gloriam spectabat Iudæorum ad Christum conversorum, quod primos ac primarios Ecclesiæ Hierarchas haberent ex sua gente. FORTITUDINEM GENTIUM; id est, quidquid Gentes reddit fortes, puta divitias, robur, ingenium, eloquentiam, industriam, vos *comeditis*, id est in usus vestros convertitis cum gustu & gaudio: ET IN GLORIA EARUM SUPERBIETIS, id est eritis gloriosi, & *admirabiles*, ut LXX. vertunt; Aquila, *in gloria earum purpura vestiemini*; quasi dicat: Reges eritis, regio ornatu illustres, non tamen sine cruce. Sed

V. 7. PRO CONFUSIONE VESTRA DUPLICI, id est multiplici, cum probra & verbera a tyrannis patiemini, LAUDABUNT PARTEM SUAM. Enallage *f* est personæ tertiæ pro secunda: dicendum enim, *Laudabitis partem vestram*, id est gratulabimini vobis ob talem ministerii sortem, quæ vobis quasi primogenitis Christi filiis obvenit, una cum tanto fructu & honore crucis: ita S. Hieronymus, Haymo, Forerius, Vatablus & alii. PROPTER HOC DUPLICIA, id est multiplicia & maxima præmia, nempe dona Spiritus sancti, POSSIDEBUNT, non solum in cælo, sed & IN TERRA hac SUA. Alludit ad *duplicem spiritum* Eliæ, *g* quam sibi tamquam primogenito filio Eliseus deposcebat.

V. 8. EGO DOMINUS sic statui de meis Apostolis, quos principes Ecclesiæ meæ esse volo, loco impiorum pontificum Iudæorum, quia horum sacrilegia ODIO *habeo*, quibus mihi offerunt IN HOLOCAUSTO RAPINAM, id est rapto acquisita, avara & iniusta lucra, viduis, orphanis, aliisque pau-

pauperibus extorta : ita S. Hieronymus. At OPUS Apostolorum, quo ipsi me colent, DABO (id est, efficiam ut sit) IN VERITATE, id est ut ab ipsis fiat non dolose, ut a Pharisæis & Pontificibus. Iudæis, non iniuste, non ex hypocrisi, sed fideliter, sincere, iuste & pie: ita S. Hieronymus, Forerius & Vatablus. Sed Chaldæus, LXX. Osorius, Mariana, Sa, & Sanctius per *opus* intelligunt fructum & mercedem operis, quam & amplissimam daturus sit Deus, & stabilem, firmam ac perpetuam redditurus. Nec solis hæc Apostolis promittit Deus, sed

V. 9. Etiam *semini* EORUM ET *germini*, id est filiis spiritualibus Apostolorum, puta fidelibus per eos Christo genitis. Hos enim SCIENT passim IN GENTIBUS, id est toto terrarum orbe, esse SEMEN CUI *h* BENEDIXIT DOMINUS, nempe filios & heredes Patriarchiarum, quibus tam amplas benedictiones impertivit Deus. Porro ob tam eximia beneficia mihi a sponso meo collata

V. 10. GAUDENS GAUDEBO, inquit Ecclesia, quia exornor ab illo copiosa gratia, *iustitia & salute*, quasi cyclade regia & *veste* nuptiali, inquit S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius & Rupertus.

(a) Isaiæ II. 2.
(b) Exodi XXIII. II. Levit. XXV. 2. &c.
(c) Toletus in Lucæ IV.
(d) II. Reg. XXIII. 8.
(e) II. Reg. VIII. 18. & cap. XX. 26. & I. Per. XVIII. 27.
(f) Prolegom. de Idiotism. Hebr. num. 44.
(g) IV. Reg. II. 9.
(h) Genes. XXVII. 27.

G O R D O N I.

Vers. 1. ISaias introducit Christum loquentem & aperientem a quo, quomodo & ad quos sit missus: atque hæc omnia in Christo ab instanti conceptionis, & unctione hypostaticæ unionis factæ in Incarnatione invisibiliter: postea in Baptismo Spiritus Sanctus descendit visibiliter: vide Luc. IV. citatum hunc locum.

V. 2. UT PRAEDICAREM ANNUM PLACABILEM: seu annum divinæ benevolentiæ. Et Paul. II. Corinth. VI. vers. 2. *Ecce nunc tempus acceptabile*. Heb. שנה רצון *sonah ratsion*, *annus placationis*, & vere annus Iubilei, de quo Levit. cap. XXV. *accipe totum tempus Christi & novæ legis*. Hostibus vero Christi est annus ultionis, nempe quo Deus ultus est genus humanum de inimicis, dæmonibus scilicet: fuit enim adventus Cyri annus ultionis.

V. 3. UT PONEREM LUGENTIBUS SION, &c. Ut reponerem & rependerem lugentibus in Sione coronam, &c. Heb. *ut darem cidarim pro cinere*. Heb. פאר תחת אפר *peer tachat epher*: corona pro cinere, est allusio vocis.

V. 7. PRO CONFUSIONE VESTRA DUPLICI, &c. Multa sunt passi Apostoli & socii opprobria, & contumelias. Sed laudabunt sortem suam, & gaudebunt, quia digni habiti sunt pro Christo pati contumeliam. Hæc dicit Dominus (vers. 8.) qui diligit iustitiam, & odit rapinam, etiam habentem secum holocaustum; ubi obiter taxat avaritiam.

V. 10. GAUDENS GAUDEBO, &c. Recte Hieronymus notat hinc usque ad finem capitis esse velut canticum exultantis Ecclesiæ, quæ gratia & salute est decorata a Deo, velut sponsa monilibus.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 1. EO QUOD. Sept. habent, *propter quod*. Commode tamen ex nostro vulgato sensus erit; quia unxit me ab initio, & per incarnationem destinavit Messiam, ideo spiritus Domini mecum, & super me, cumulans donis humanitatem.

V. 5. STABUNT ALIENI: alloquitur Ecclesiam. Alienos hic intellige Iudæos, & Gentiles; sic colla subdent iugo Ecclesiæ, & vestra omnia erunt duplicia.

CAPUT



C A P U T LXII.

Propheta non cessat propter impios Christum annuntiare, prophetans de Christi adventu & conversione Gentium: de felicitate, gloria & exaltatione Ecclesiae ex Dei gratuito beneplacito erga ipsam: de praedicatoribus Ecclesiae, & Evangelio per orbem divulgando.



1. PRopter Sion non tacebo, & propter Ierusalem non quie-
scam, donec egrediatur ut splendor iustus eius, & salva-
tor eius ut lampas accendatur. 2. Et videbunt Gentes iu-
stum tuum, & cuncti reges inclytum tuum: & vocabitur tibi
nomen novum, * quod os Domini nominabit. 3. Et eris
corona gloriae in manu Domini, & diadema regni in ma-
nu Dei tui. 4. Non vocaberis ultra Derelicta: & terra
tua non vocabitur amplius Desolata: * sed vocaberis Vo-
luntas mea in ea, & terra tua Inhabitata: quia complacuit Domino in te: &
terra tua inhabitabitur. 5. Habitabit enim iuvenis cum virgine, & habitabunt
in te filii tui. Et gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus
tuus. 6. Super muros tuos Ierusalem constitui custodes, tota die & tota no-
cte in perpetuum non tacebunt. Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, 7. &
ne detis silentium ei, donec stabiliat, & donec ponat Ierusalem laudem in ter-
ra. 8. Iuravit Dominus in dextera sua, & in brachio fortitudinis suae: Si de-
dero triticum tuum ultra cibum inimicis tuis: & si biberint filii alieni vinum
tuum, in quo laborasti. * 9. Quia qui congregant illud, comedent, & lauda-
bunt Dominum; & qui comportant illud, bibent in atriis sanctis meis. 10.
Transite, transite per portas, (a) praeparate viam populo, planum facite iter, *
eligite lapides, & elevate signum ad Populos. 11. (b) Ecce Dominus auditum
fecit in extremis terrae, dicite filiae Sion: Ecce salvator tuus venit: ecce mer-
ces eius cum eo, & opus eius coram illo. 12. Et vocabunt eos, Populus san-
ctus, redempti a Domino. Tu autem vocaberis: Quaesita civitas, & non De-
relicta.

(a) Sup. lvii. 45. (b) Matth. xxi. 5. Zach. ix. 9.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 2. *Quod os Domini nominabit*. Non mutes futurum *nominabit* in praeteritum *nominavit*.

Vers. 4. *Sed vocaberis Voluntas mea in ea, & terra tua inhabitata*. Cave scribas verbum *inhabitabitur* pro participio *inhabitata*: participium enim est huius loci, verbum vero eius loci, ubi sequitur hoc ipso versu: *Quia complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur*.

Vers. 9. *Quia qui congregant illud, comedent*. Non mutes praesens *congregant* in futurum *congregabunt*.

Vers. 10. *Eligite lapides*. Non praeponas his verbis & coniunctionem.

COM-

C O M M E N T A R I A

MALDONATI.

Verf. 1 PROPTER SION, id eft ad confolandam Sion, quæ Ecclefiam fignificat, non defiftam de Chrifti adventu vaticinari donec veniat: non quod Ifaias ufque ad Chrifti adventum victurus effet; fed eft oratio conditionalis; quafi dicat: fi ufque ad Chriftum viverem, non defifterem eius adventum prædicere. Aut loquitur nomine omnium Prophetarum, qui ufque ad tempus Chrifti vaticinaturi erant. DONEC EGREDIATUR; id eft, donec oriatur Chriftus fol iuftitiæ.

V. 2. ET VIDEBUNT (tunc) GENTES: omnis terrarum orbis. IUSTUM TUUM, id eft Chriftum qui te iuftificabit, aut צדקך, *iuftitiam tuam*, id eft felicitatem tuam, quæ fructus erit iuftificationis tuæ, ut ftatim explicat vocans, כבודך, *gloriam tuam*. ET CUNCTI REGES, id eft omnia regna, omnes gentes, ficut ante dixit, repetitio enim eft, qua per fynecdochem per præcipuam partem totum intelligit, id eft per regem regnum. ET VOCABITUR; id eft, vocabunt te tunc nomine novo, hoc eft, nomen Chriftianorum, quod primum Antiochiæ ufurpatum eft: Act. XI. 26. QUOD OS DOMINI NOMINAVIT; id eft, quod tibi Dominus imponet, aut decrevit, imponere.

V. 3. ET ERIS CORONA GLORIAE, id eft gloriofa. IN MANU DOMINI; id eft, quam Dominus veluti cum diabolo pro hominibus certans, victor manu apprehendet: fumpta metaphora ab iis qui curfu certantes manu coronam percipiunt. Propterea dicit, in manu Domini, & non in capite, cum corona in capite, non in manu effe foleat, quia Chriftus Ecclefiam quafi coronam acquifivit fanguine fuo: Act. XX. 18. *Et exhibuit eam fibi gloriofam, non habentem maculam aut rugam*: Ephef. V. 27. ET DIADEMA REGNI: idem fignificat fimili metaphora.

V. 4. NON VOCABERIS DERELICTA, id eft vidua, ficut fupra vocavit fterilem & defertam, cap. LIV. 1. Id conftat ex antitheto Hebraico, quod ftatim fequitur, בעלה, *maritata*. SED VOCABERIS, VOLUNTAS MEA IN EA, id eft amata, dilecta mea. ET TERRA TUA INHABITABITUR; id eft, tu ipfa eris, בעלה, *maritum habens*; id eft, eris mihi uxor, (dicit Dominus) aut habebis habitatorem tamquam maritum, ut videtur nofter Interpres expofuiffe. QUIA COMPLACUIT DOMINO IN TE; id eft, quia amavit te Dominus ficut vir uxorem fuam, ut ait D. Paulus, *Viri diligite uxores veftras ficut Chriftus dilexit Ecclefiam*: Eph. V. 25. ET TERRA TUA INHABITABITUR, id eft eris plena Chriftianorum.

V. 5. HABITABIT ENIM IUVENIS; id eft, ficut habitat iuvenis cum virgine, ita habitabunt in te Chriftiani filii tui, aut ficut iuvenis maritat fibi virginem; יבעל *ita maritabunt te fibi filii tui*. Eft enim phrafis Hebraica comparationem fignificans, quales in Proverbiis Salomonis paffim notavimus. ET GAUDEBIT: Heb. כמשוש, *gaudio fponfi fuper fponfam*; id eft, ficut gaudet fponfus fuper fponfa, ita gaudebit fuper te Deus tuus.

V. 6. SUPER MUROS TUOS IERUSALEM. Ierufalem, vocat totam Ecclefiam, ut fæpe diximus: muros vero Epifcopatus, aliafque Ecclefiafticas dignitates, quibus qui præfunt, quafi excubias agunt, unde & ipfum Epifcoporum nomen ductum eft. Significat ergo fore ut femper fint in Ecclefia Epifcopi ac Doctores, qui eam ab hæreticis defendant. QUI REMINISCIMINI. Heb. המזכירים, *qui facitis recordari Domini*; id eft, qui eius Evangelium annuntiatis, ne taceatis. Verba funt Dei præcipientis Doctoribus ne taceant, ut fup. LVIII. 1. *Clama, ne ceffes, quafi turba exalta vocem tuam*.

V. 7. ET NE DETIS SILIENTIUM EI: Deo; id eft, ne defiftatis eum affiduis follicitare precibus, donec reftauret Ecclefiam, & eam laudabilem ac illuftrem reddat omni terrarum orbe.

V. 8. IURAVIT DOMINUS. Satis erat dixiffe, fed iuravit etiam, ut per duas res immobiles, quibus impoffibile eft mentiri Deum, firmiffimum folatium haberemus, ut ait D. Paulus Heb. VI. 18. IN DEXTERA, id eft per dexteram fuam & per fortiffi-

tissimum brachium suum. Iurat per dexteram & brachium, ut ostendat se posse facere quod dicit; dextera enim & brachio potentia significatur; quasi dicat, Nolo potens haberi si hoc non fecero. SI DEDERO, id est quod non dabo. Sæpe adnotavimus particulam אם *si*, apud Hebræos post verba iurandi significare *quod non*. Per triticum & vinum mystice intelligit verbum Evangelicum, aut omnia gratiarum genera quibus nos pascit; quasi dicat: Non auferam amplius a vobis regnum Dei, ut dem illud gentibus: non dabo panem filiorum canibus.

V. 9. QUIA QUI CONGREGABUNT ILLUD (triticum de quo ante dixerat) COMEDENT, ET LAUDABUNT, id est gratias agent. ET QUI COMPORTANT ILLUD (vinum) מקבציו, *qui colligunt illud*; id est, qui vindemiarunt, ipsi bibent. Congregandi & portandi verbo significat, nos nostro labore (per Dei gratiam) & nostro sæpe sanguine religionem comparare, comparatamque conservare. Verbo autem laudandi indicat id sine Dei gratia fieri non posse, quare illi esse gratias agendas. Hoc est quod Catholici docent nos cum gratia Dei cooperari. Contrarium prima fronte videtur; quod Christus dicit Ioan. IV. 38. *Alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis*. Sed illic loquitur de laboribus Prophetarum & Iudæorum, hic de nostris: nos enim in labores Iudæorum introivimus; in nostros autem labores nemo introibit.

V. 10. TRANSITE, TRANSITE PER PORTAS; id est, aperite portas Ecclesiæ omnibus gentibus, ut ingrediantur, quæ antea ita clausæ erant, ut nemo per eas transiret. PRAEPARATE VIAM POPULO: sing. pro plur. id est, omnibus populis, ut ad Ecclesiam veniant. *Exite in vias & sepes, & compellite intrare, ut impleatur domus mea*: Luc. XIV. 23. ET ELIGITE LAPIDES: סקלו מאבן, *sternite, & exaggerate viam lapidibus, ne quis aberrare possit*. Significat viam qua ad Ecclesiam Catholicam venitur, editam esse atque conspicuam, neque ignorari posse. Sicut Ecclesia ipsa comparatur civitati supra montem positæ, quæ abscondi non potest: Matth. V. 14. Hoc est quod sequitur, ET ELEVATE SIGNUM AD POPULOS. Similis locus supra dissimili sententia: cap. LVII. 14.

V. 11. ECCE DOMINUS AUDITUM FECIT; id est, divulgavit usque ad fines terræ præconium Evangelii: quod sequitur. DICITE FILIAE SION, id est Ecclesiæ. ECCE SALVATOR TUUS (Iesus Christus, *ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*: Matth. I. 21.) VENIT: hoc verbo primum simul & secundum adventum comprehendit, ut declarat quod sequitur, MERCES EIUS CUM EO. Videtur autem primo aspectu nomen mercedis passive accipi pro præmio quod Christo datum est. *Ut Deus exaltavit eum, & dederit illi nomen quod est super omne nomen*: Phil. II. 9. quia sequitur, ET OPUS EIUS CORAM ILLO, pro eodem enim videtur accipere, opus, & mercedem. Opus autem solet accipi pro præmio operis, ut Levit. XIX. 13. *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane*: & Iacob. I. 4. *Patientia autem opus perfectum habet*. Sed malo active interpretari pro præmio quod nobis Christus iudex pro nostris operibus daturus est, propter Ioanis testimonium Apoc. XXII. 12. *Ecce venio cito, & merces mea mecum est redere unicuique secundum opera sua*. *Et opus eius coram eo*; id est, merces eius, quam nobis daturus est præcedit eum. Alludit ad eos qui militibus stipendia solvunt: agunt enim ante se mulos pecunia onustos.

V. 12. ET VOCABUNT EOS POPULUS. Relativum sine antecedente Hebræorum consuetudine, & nominativus materialiter positus, pro, *Vocabunt Christianos populum sanctum*. Hoc enim epithetum D. Paulus tribuit omnibus Christianis. TU AUTEM, o Sion, id est Ecclesia, VOCABERIS, QUAESITA CIVITAS, id est petita ad nuptias Dei, ET NON DERELICTA, id est vidua, ut supra vers. 4. Loquitur de Ecclesia tamquam de muliere, cuius nuptias multi proci vehementer ambiunt.

S A.

Vers. 1. TACEBO, id est cessabo, scilicet Deum orare, vel optare. IUSTUS, scilicet Christus.

V. 2. TUUM, scilicet o Deus, vel potius, o Ecclesia: est enim Hebr. pronomen femineum, ut etiam supra. Chald. & LXX. *iustitiam tuam*. INCLYTUM TUUM. Chald. & LXX. *gloriam tuam*. Vo-

CABITUR, id est imponetur. NOVUM, scilicet Ecclesia Christi. NOMINABIT, id est declarabit.

V. 3. CORONA, &c. quasi dicat: Plurimi fies a Domino.

V. 4. VOLUNTAS, &c. quasi dicat, Mihi gratissima. INHABITATA, scilicet a fidelibus.

V. 5. HABITABIT ENIM. Chald. & LXX. *sicut habitat*. VIRGINE, id est sponsa. ET HABITABUNT. Chald. & LXX. *sic habitabunt*, scilicet cum magna lætitia. ET GAUDEBIT. Chald. & LXX. *& sicut lætatur*. ET GAUDEBIT. LXX. *sic lætabitur*.

V. 6. CUSTODES, scilicet Angelos, vel Doctores, vel Pastores. TACEBUNT, id est cessabunt, scilicet custodire, vel laudare Deum. TACEATIS, id est cessetis, scilicet recordari, vel laudare.

V. 7. EI, id est eius laudibus, seu orationi ad Deum. IERUSALEM LAUDEM, id est Ecclesiam laudabilem.

V. 8. IN DEXTERA, id est per dexteram. IN BRACHIO, &c. LXX. *per fortitudinem brachii sui*. SI DEDERO, &c. quasi dicat, Non eritis ultra sub hostium potestate.

V. 10. PER PORTAS, scilicet monendo singulos, ut se præparent. POPULO, scilicet ad Ecclesiam confluenti. ELIGITE, id est removete, seu colligite. LXX. *eiicite de via*. SIGNUM, id est vexillum, scilicet Crucis prædicationem. POPULOS, scilicet congregandos.

V. 11. AUDITUM FECIT, id est faciet audiri, seu divulgari. IN EXTREMIS. LXX. *usque ad extremum*. MERCES EIUS. Chald. *merces facientibus verbum eius*. OPUS; id est præmium, vel opus redemptionis humanæ. CORAM ILLO, id est promptum, vel magnæ ei curæ.

V. 12. EOS, scilicet fideles Christi. TU, scilicet o Ecclesia. QUAESITA, scilicet ad habitandum.

E S T I I.

Vers. 1. PROPTER SION NON TACEBO, ET PROPTER IERUSALEM NON QUIESCAM, DONEC EGREDIATUR UT SPLENDOR IUSTUS EIUS. Quidam hoc sensu dictum accipiunt: Non tacebo, neque cessabo a prædicatione mea, etiamsi carnalis Sion & Ierusalem obstrepat, quamvis loqui prohibeat, quamvis mortem minetur. Ita vulgo solemus dicere; propter contradictionem & ludibria improborum, non esse omittendum opus pium, & sanctum. Et hic sensus refert hæc verba ad carnalem Sion, & Ierusalem. Sed magis apparet ex consequentibus in bonam partem accipiendum esse, quod dicitur: *Propter Sion, & Ierusalem*, & de spirituali Sione, id est ecclesia Christi, ut sensus sit: In gratiam Sionis, id est sanctæ societatis fidelium non cessabo ab annuntiando Christi adventu; per quem in omnibus gentibus ecclesia ædificanda est. Potest etiam de populo Iudaico, id est carnali Israële intelligi hoc modo: In gratiam populi mei non quiescam, sed iugiter precabor Dominum, ut tandem aliquando ei exhibeat Messiam promissum, iustum & salvatorem, qui ut splendor & lampas quædam clarissima totum orbem illustret lumine veritatis. Hoc enim est quod ait; *donec egrediatur ut splendor, iustus eius*.

V. 2. & 4. ET VOCABITUR TIBI NOMEN NOVUM, QUOD OS DOMINI NOMINABIT. Putant quidam hoc nomen esse, *Ecclesia*; sed Propheta ipse mox addit, quod sit illud nomen, cum dicit: NON VOCABERIS ULTRA DERELICTA, ET TERRA TUA NON VOCABITUR AMPLIUS DESOLATA; SED VOCABERIS VOLUNTAS MEA IN EA, ET TERRA TUA INHABITATA, id est valde & bene habitata. Nomen tamen vocat Propheta, non vocabulum rei impositum, quo ab omnibus appelletur: nam certum est ecclesiam non significari passim hoc vocabulo, *voluntas mea in ea*; sed insignem scilicet aliquam proprietatem, qua res merito appellari possit. Nempe Hebræi rebus ex suis proprietatibus vel adiunctis significantia nomina semper indere solent. Sic & de Christo dicitur: *Et vocabitur nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus*: Matth. 1. cui tamen hoc nomen non fuit impositum. Sed eo vocabulo magnum mysterium significatum fuit; quod videlicet sit Deus & homo; eoque nomine utraque simul Christi natura aptissime intimata fuit. Sic hoc loco: *voluntas mea in ea*, vocatur ecclesia, id est in qua mihi complacui, hoc est mihi dilecta sponsa.

MA-

MARIANAE.

Verſ. 1. **P**ROPTER SION NON TACEBO. Sionis amor me loqui compellit. NON QUIESCAM, id eſt non deſiſtam a loquendo, id eſt non ſilebo. DONEC EGREDIATUR UT SPLENDOR IUSTUS EIUS. Heb. *iuſtitia eius ſit ut ſplendor*, id eſt palam manifeſtetur. SALVATOR EIUS. Heb. *ſalus eius*. UT LAMPAS ACCENDATUR. Quæ lampas a longe videtur: ſic ſalus & liberatio populi omnibus Gentibus nota fiat.

V. 2. ET VIDEBUNT GENTES IUSTUM TUUM. Heb. *iuſtitiam tuam*, id eſt te iniuſte premi omnes cognoſcant: Id eſt egredi, ut ſplendorem, iuſtitiam eius. INCLYTUM TUUM videbunt Reges. Heb. *gloriam tuam*, *divitias*, *potentiam*. ET VOCABITUR TIBI NOMEN NOVUM. Quod ſit hoc nomen, verſ. 4. ponitur, ſcilicet *Voluntas mea in ea*. QUOD OS DOMINI NOMINABIT, ſeu *declarabit*.

V. 3. ET ERIS CORONA GLORIAE IN MANU DOMINI. Corona non eſt in manu, ſed in capite. Significat fore, ut ſua manu Deus texat coronam pulcherrimam, quam capiti tuo imponat. *Eris* ergo *corona*, id eſt occaſio coronæ conficiendæ.

V. 4. SED VOCABERIS VOLUNTAS MEA IN EA, id eſt mihi gratiſſima erit. ET TERRA TUA INHABITATA. Heb. *maritata*, ſcilicet vocabitur. Sed bene Hieronymus: hoc retulit ad habitationem. ET TERRA TUA INHABITABITUR, ſeu *maritabitur*.

V. 5. HABITABIT ENIM IUVENIS. Septuag. *ſicut habitans iuvenis*. Deeſt in noſtra editione nota ſimilitudinis, quam Chald. & Septuag. ſupplent. Heb. ſic verto: *Sicut iuvenis maritat virginem*, *filii tui maritant te*, id eſt: in te habitant, & (ſicut) *gaudium ſponſi ſuper ſponſam*, *gaudebit ſuper te Deus tuus*. Senſus: Sicut ſponſus oblectatur cum ſponſa, ſic filii tui in te lætabuntur; & tecum lætabitur Deus. Ideo mirum non eſt, ſi tantis te donis cumulat.

V. 6. CUSTODES; id eſt vigilias in mœnibus CONSTITUI; pro, conſtituam, diſponam, quæ nocte & die ſemper renuntiabunt quæ viderint, aut clamore mutuo, ut fit, ſe excitabunt. Per *cuſtodes* Prophetas & Sacerdotes intellige. QUI REMINISCIMINI DOMINI. Vertit ſermonem ad cuſtodias, quas, quando a Deo ſunt conſtitutæ, eum ſemper reminiſci & ſolicitare precibus vult.

V. 7. ET NE DETIS SILENTIUM EI, id eſt ſolicitate eum aſſiduis precibus. DONEC PONAT IERUSALEM LAUDEM IN TERRA, id eſt faciat, ut omnes eam laudent, propter copiam bonorum, quæ in illam congerct Deus.

V. 8. IURAVIT DOMINUS IN DEXTERA SUA, id eſt per dexteram. ET IN BRACHIO, id eſt per brachium ſuum fortiſſimum. SI DEDERO TRITICUM TUUM, id eſt hoſtis contra te non prævalebit, non veſcetur tuo tritico. Quod in Eccleſiam convenit, non in Synagogam, quam hoſtes tandem oppreſſerunt. VINUM TUUM. Heb. *muſtum tuum*. Sed *vinum* pro *muſto* omnes Interpretes ponunt. Fructus tuos hoſti non dabo. SI DEDERO; pro, non dabo.

V. 9. ET QUI COMPORTANT. Heb. *qui congregant*, colligunt illud vinum. IN ATRIIS SANCTIS MEIS, ſive *in templo* bibent illud, cum poſt ſacrificia inſtruent convivia, ſive in urbe ſancta Ieruſalem, & in Eccleſia bibent, non rapiet hoſtis.

V. 10. TRANSITE, TRANSITE PER PORTAS, ut obviam eatis venientibus ad Chriſtum. PRAEPARATE, &c. Heb. *complanate*, ſeu *purgate viam populi*, pro *populo*. PLANUM FACITE ITER. Heb. *munite*, *munite iter*. ELIGITE LAPIDES; pro, legite, colligite, elapidate viam; ne ſit ubi pes offendat. ELEVATE SIGNUM AD POPULOS. Vexillum ſuper populos, ſcilicet ut more militiæ ſciant ubique electi, quo debeant convenire, quos duces itineris ſequi.

V. 11. AUDITUM FECIT IN EXTREMIS TERRAE. Quid nuntiavit Deus? fore ut ex locis omnibus ſuos convocaret. Itaque & ſublato vexillo, & præconis voce fideles undique vocabit. SALVATOR TUUS. Heb. *Salus tua*, id eſt Chriſtus. ECCE MERCES EIUS; id eſt, bona quæ conferet, præſto ſunt. ET OPUS EIUS CORAM ILLO, id eſt merces operis ab eo præcepti; & propter Deum facti coram illo, id eſt cum illo: aut *opus* pro divitiis, ut I. Regum xxv. 2. Repetitio eſt.

V. 12. VOCABERIS: QUAESITA CIVITAS. Propter multos & innumeros, qui ad te confluent, ſic vocaberis.

MALVENDAE.

Verſ. 1. **P**ROPTER SION NON TACEBO, &c. Quidam exponunt: In gratiam Tziionis, numquam deſinam orare Deum Patrem donec Chriſtus vera Iuſtitia & ſalus noſtra oriatur ex virgine, ut ſint verba Prophetæ. Alii verba Chriſti eſſe volunt. Propter amorem, quem erga Eccleſiam gero, non deſinam agere prophetam & prædicare Evangelium, & opus redemptionis procurare. NON QUIESCAM: vel *non tranquillabor*, *non ceſſabo*, *non deſiſtam*. Quidam: *non vacabo*. DONEC EGREDIATUR, ſeu *prodeat*, UT SPLENDOR IUSTUS EIUS. Heb. *iuſtitia eius*: ET SALVATOR EIUS. Heb. *ſalus eius*: & voce ישועה *ieſughah*, alluditur ad nome IESUAH, ſeu Ieſu. UT LAMPAS: Heb. *ut tæda*, *fax* ACCENDATUR, ſeu *ardeat*. Noſter & alii Iuſtitiam & ſalutem concrete pro ipſo iuſto & Salvatore antonomaſtice, id eſt Chriſto AEterno Filio Dei, accipiunt; quaſi dicat, Donec adveniat Chriſtus. Alii, id eſt, donec totum opus iuſtitiæ, ſalutiſque fuerit conſummatum.

V. 2. ET VIDEBUNT GENTES IUSTUM TUUM. Heb. *Iuſtitiam tuam*. ET CUNCTI REGES INCLYTUM TUUM. Heb. *gloriam tuam*, ut ſuperiore verſu; vel Chriſtum ipſum, qui eſt iuſtitia & gloria Patris: vel opus ſalutis, in quo Deus ſummam ſuam iuſtitiam & gloriam oſtendit. ET VOCABITUR, vel *imponetur*, *indetur*, TIBI: Tziioni & Ieruſalaim, id eſt Eccleſiæ, nam eſt affixum femineum. NOMEN NOVUM: ſcilicet, quando Chriſtus Deus & ſervator tuus te adiunget ſibi, & coronam atque ornamentum ſuum tibi impoſuerit, ut ſupra cap. LXI. 10. & hic, verſu ſequente: *nomen novum*, id eſt quod explicatur infra verſ. 4. QUOD OS DOMINI NOMINABIT. Verbum נקב *nakab*, hæc omnia complectitur, *quod os Iehovah*, *cavabit*, *excavabit*, *perforabit*, *punget*, *diſpunget*, *exarabit*, *notabit*: quod nomina olim quibuſdam puncturis, & exarationibus ceræ, vel æri, aut tabulis incavarentur. Vide in Geneſ. XXX. 28. Quidam reddunt: *quod os Iehovæ præfixerit*, vel *exprimet*, *denuntiabit*, *declarabit*, *nuncupabit illud*. Relativum geminatum auget ſignificatum: quod ipſum IHUH præfiget.

V. 3. ET ERIS CORONA GLORIAE &c. Hunc verſum alii apte reddunt: I. *Et eris tamquam corona magnificentiæ in manu Iehovæ*; id eſt, eris inclyta apud Deum, habebit te in magno pretio; *& diadema regni* &c. II. *Cum eris corona ornatus*, ſeu *coronatæ*, *ornata manu Iehovæ*: vide verſu præcedente: *& cidari regia*, *manu Dei tui*. De צניף *tzaniph*, ſeu *cidari*, vide ſupra cap. VIII. 23. & Exod. XXVIII. 4.

V. 4. DERELICTA. Quidam vocem Hebræam עזבה *ghazubah*, ininterpretatam relinquunt, quod vicem nominis proprii hic induat, ut etiam ſequentia. DESOLATA. שממה *ſchemamah*, *Afflatio*, &c. VOLUNTAS MEA IN EA. חפצי־בה *chephtzibah*, etiam ut nomen proprium relinquunt, id eſt, *oblectatio mea*, *deliciæ meæ in ea*; quaſi dicat, Mihi gratiſſima. Alii: *voluntas mea in ea*. INHABITATA. בעולה *beghulah*, omnia iſta includit: *Potita*, paſſive, *qua vir*, ſeu *maritus potitur*; *ſubagitata*, *adamata*, *poſſeſſa*, *maritata*: vide ſupra cap. LIV. I. QUIA COMPLACUIT DOMINO IN TE. Alii ex Heb: I: *quia diligit te Iehova*. II. *quia Iehova propenſus eſt tibi*; vel *in te*. III. *quia delectabitur Iehova te*. INHABITABITUR. Heb. *poſita erit*, paſſive, *adamabitur*, *ſubagitabitur*, *maritabitur*, *nubet viro*, *poſſidebitur*: ſic ſumitur id verbum bis verſu ſequente.

V. 5. HABITABIT ENIM IUVENIS CUM VIRGINE. Heb: *Quia potietur*, *poſſidebit*, *adamabit*, *deperibit*, *ambiet*, *ſubagitabit*, *uxorem ducet electus*, vel *iuvenis*, *virginem*. HABITABUNT IN TE FILII TUI. Idem verbum, *poſſidebunt*, *potientur*, *adamabunt*, *te filii tui*; vel *quaſi nubent tibi filii tui*. Hunc verſum alii ex Heb. transfundunt: I. *Uxorem enim ducet iuvenis virginem*; id eſt, maturæ erunt nuptiæ, vel erit ſumma pax: nam tempore belli iuventus non vacat nuptiis, ſed delectibus: *& fruentur te filii tui*: *& gaudium erit ſponſi de ſponſa*; *gaudebit de te Deus tuus*. II. *Sicut enim ducit in uxorem iuvenis virginem*, *ita quaſi ducent te in uxorem filii tui*: *ut eſt gaudium ſponſo ſuper ſponſam*, *ſic gaudebit ſuper te Deus tuus*. III. *Sicut enim adoleſcens virginem ſibi maritat*, *ſic maritabunt ſe tibi filii tui*: *& ſicut ſponſus gaudet ſuper ſponſa ſua*, *ita gaudebit ſuper te Deus tuus*. IV. *Ut cum ducit iuvenis virginem*, *cum uxores tibi ducunt filii tui*,

gau-

gaudio, *inquam*, *sponsi eum sponsa*, *gaudebit tecum Deus tuus*. SUPER MUROS TUOS IERUSALEM CONSTITUI CUSTODES, &c. Alii: *super muros tuos urbs Ieruschalaimorum praeficio custodes*, seu *excubitores*, &c. Altera pars administrationis Christi per servos suos in Ecclesiam, ut dictum est cap. LXI. 10. qua primum iubentur usque ad consummationem saeculi praedicare promissiones Dei iuramento confirmatas, quatuor versibus: deinde Ecclesiam totam ex Iudaeis & gentibus, cum disciplina sancta, tum Evangelii promulgatione colligere, ut Matth. XXVIII. 18. & sequentibus; *Custodes*, id est pastores & doctores, allegorice. QUI REMINISCIMINI DOMINI, NE TACEATIS. Alii ex Heb. I. *o vos*, *qui in memoriam revocatis Iehovam*, id est res gestas & beneficia eius, *nullo pacto sileatis*. II. *qui commemoratis Iehovam*, *ne esto silentium vobis*. Apostrophe ad servos & ministros Christi, continens mandatum administrationis ipsorum. III. *qui celebratis*, *praedicatis Iehovam*, &c.

V. 7. ET NE DETIS SILENTIUM EI. Exponunt: Neque vobis a vestro ministerio verbi, neque Deo ipsi ullam quietem detis, aut cessationem seu vacationem; sed eum assidue interpellate, & precibus fatigate, ut stet promissis &c. Quidam: *& ne permittatis silentium esse de illo*, Christo Iehova, quem commemoratis. DONEC STABILIAT, *firmet*, *apparet*, *ratificet*: ET PONAT IERUSALEM LAUDEM IN TERRA; id est, ut ipsi Ierusalem det statum permanentem, eamque reddat illustrem & laudabilem. Quidam: donec stabiliat, & donec disponat Ieruschalaimis laudem in terra; id est, faciat Ecclesiam suam gloriosam in universa terra.

V. 8. IURAVIT IEHOVA PER DEXTERAM SUAM, &c. Hunc versum alii ex Heb. ita exponunt: *Sed dicite: Iuravit Iehova per dexteram suam*, *& per brachium roboris sui*; seu per brachium robustissimum suum: *Ne vivam*, *si dabo frumentum tuum amplius cibo inimicis tuis*, *& si bibent alienigenae mustum tuum*, *in quo laboraveris*. Initio versus eclipsis contrarii, ut Genes. XXXIII. 10. Est autem hic summa Evangelii, salus ab omnibus inimicis, & vita, gloriaque aeterna, versu sequente.

V. 9. IN ATRIIS SANCTIS MEIS. Heb. *in atriis sanctitatis meae*; id est, coram Deo, gratias ei agentes tamquam sacerdotes Iehovae, ut supra cap. LXI. 6. Alludit ad legalem ritum, Levit. VI.

V. 10. TRANSITE, TRANSITE PER PORTAS. Heb. *in portis*, vel *in portas*, id est per totam ditionem, quam late patet Ecclesia. Alii, *per portas* singulas huius civitatis seu Ecclesiae, ut commode sint apertae, & exornatae, ad excipiendos eos qui in eam intraturi sunt. PRAEPARATE VIAM POPULO. Heb. *faciate viam populi*. Vide supra cap. XL. 3. & cap. LVII. 14. Quidam: *parate viam populi*, &c. id est, singulis membris Christi & Ecclesiae prospicite pro facultate vestra, venientes adiuvando, dormientes excitando, nihil cogitantes, & ignorantes accersendo, & si quae sunt huiusmodi, allegorice. PLANUM FACITE ITER. Varie alii ex Heb. I. *elevate*, *elevate viam*. II. *munite*, *munite iter*. III. *sternite*, *sternite stratam viam*. IV. *aggerate*, *aggerate aggerem*. ET ELIGITE LAPIDES. Heb. *delapidate*, vel *elapidate*. Alii: I. *purgate eam lapidibus*. II. *liberate*, *repurgate a lapide*. III. *atque a saxis repurgate*. IV. *amovete lapides*. Mihi interpretatio quorumdam Hebraeorum cum primis placet: *librate lapidate*; hoc est, sternite viam stratim e lapide. Viae enim magnis lapidibus sternebantur, ut videmus in viis Romanis. Hispanice, *empedrad de piedra*, vel *enlosad de losas*.

V. 11. ECCE DOMINUS AUDITUM FECIT IN EXTREMIS TERRAE. Alii: *Ecce Iehova pronuntiat*, vel *divulgat*, *clamat*, *proclamat ad extremum usque terrae*, &c. Confirmatio praecedentis propositionis, a continuis documentis, quae Christus Ecclesiae suae ubique locorum tradit per Spiritum suum, qui operatur omnia in omnibus. DICITE FILIAE TZIIONIS: id est Ecclesiae genitae per doctrinam, quae Tziione professa est, ut supra cap. II. 3. ECCE SALVATOR TUUS VENIT. Ex Heb. *Ecce salus tua*, id est Christus salutis auctor, *advenit* בא *ba*, potest esse praeteritum, vel ob certitudinem prophetiae, vel de eo tempore quo Christus venit; & participium praesens, *veniens*. ECCE MERCES EIUS CUM EO, ET OPUS EIUS CORAM ILLO. Alii: *ecce merces huius penes ipsum*, *& opera pretium huius ante ipsum est*; id est, iam reipsa obtinet mercedem suam pro operibus & perpessionibus suis, nimirum salutem Ecclesiae, quam redemit

demit, sanguine suo. Vide hæc verba supra cap. XL. 10.

V. 12. ET VOCABUNT EOS, POPULUS SANCTUS, &c. Alii: *Ut vocent hos, Populum sanctum, vindicatos Iehovæ*, id est filios tuos, o Ecclesia: nam verba sunt doctorum Ecclesiam compellantium, & servatos quasi digito commonstrantium. TU AUTEM VOCABERIS. Alii: *& tu voceris*. QUAESITA, דרושה *deruschah*, velut nomen proprium; aliqui: *Requisita*; id est, quæ a multis requiratur; quasi dicat: Erit in te magna frequentia fidelium, requirentque te multi, ut tibi nomen dent. Alii: *Requisita*, cum a Christo redimente, tum ab electis omnibus, a quibus relicta videbatur, ut supra cap. XLIX. & cap. LX. Porro accentus Hebraici docent hanc partem ita esse distinguendam: *& indetur tibi nomen, Requisita: civitas non derelicta*.

MENOCHII.

Vers. 1. PROPTER SION: Ecclesiam Christi. NON TACEBO: non cessabo orare, & clamare. DONEC EGREDIATUR, &c. donec Christus quasi lampas lucens, & ardens orbi præfulgeat.

V. 2. VOCABITUR TIBI NOMEN NOVUM: nam cum olim populus fidelis Israel vocaretur, iam vocabitur, Populus Christianus. Vel (quod verius est) hoc nomen novum est *voluntas mea in ea*, hoc enim exprimitur num. 4.

V. 3. CORONA GLORIAE IN MANU DOMINI: quam scilicet Dominus manu sua imponet Christi capiti: sic dicebat D. Paulus: *gaudium, & corona mea*, ad Philip. IV. 1. ET DIADEMA REGNI, id est *regale*: est repetitio.

V. 4. VOLUNTAS MEA IN EA, id est beneplacitum, complacentia, delectatio, & delitiæ meæ; quasi dicat: Hæc est Ecclesia sponsa mea, in qua complacuit animæ meæ. TERRA TUA, &c. scilicet, vocabitur, non ut prius *desolata*, sed *inhabitata*, & frequens numero fidelium.

V. 5. HABITABIT IUVENIS CUM VIRGINE; quasi dicat: Sicut habitat iucundissime iuvenis cum uxore sua, quam virginem duxit; ita pacifice, & iucundissime in uno spiritu vivent fideles in Ecclesia, licet natura, & moribus dissimiles. GAUDEBIT SUPER TE: in te erunt delitiæ illius.

V. 6. CUSTODES: prædicatores, prophetas, pastores, & Angelos. NON TACEBUNT: vigilantes, & si quid hostile appareat, te monentes, ut scilicet insidias dæmonis caveas, &c. QUI REMINISCIMINI DOMINI. In Heb. מזכירים *malchirim*. Vide quæ dixi de hac voce II. Reg. VIII. 16. Vos quorum officium est iugiter Deum, Deique beneficia populo proponere, & in memoriam revocare, vos scilicet pastores, & prophetæ. NON DETIS SILENTIUM EI: *τὸ ei*, in Hebræo est masculini generis, & ad Deum refertur, hoc sensu: Non detis quietem Deo, iugiter ad Deum clamate, & precibus vestris aures eius pulsate. LAUDEM: laudabilem.

V. 8. IN DEXTERA SUA, &c. id est per dexteram & brachium suum. SI DEDERO, &c. Particula *si* adhiberi solet in iuramento execratorio; quasi dicat: Si permisero te ab hostibus spoliari, non existimer omnipotens. IN QUO LABORASTI: in quo colligendo.

V. 9. IN ATRIIS SANCTIS MEIS: alludit ad decimas, & hostias pacificas, quas Iudæi comedebant in atrio Domini, ut patet Deut. XIV. 22.

V. 10. TRANSITE PER PORTAS, id est prodite ex portis. POPULO: gentibus ad Ecclesiam confluentibus. ELIGITE: colligite, &c. submovete, ut via sit sine offendiculis. SIGNUM: vexillum crucis, ad quod omnes convolent.

V. 11. AUDITUM FECIT: quid auditum fecerit Apostolorum, & prædicatorum præconio subditur, cum dicitur, *dicite*, &c. FILIAE SION: Ecclesiæ. ECCE SALVATOR TUUS VENIT, &c. Christus Dominus devictis gentibus quasi triumphator adducens ad te, o Ecclesia, magnam captivorum, id est subditorum multitudinem. MERCES EIUS CUM EO: merces eius sunt gentes ab eo devictæ, & subactæ quas adducit ad Ecclesiam. ET OPUS EIUS, &c. est repetitio proxime dictorum.

V. 12. QUAESITA CIVITAS: ad habitandum; civitas in qua multi sibi sedes quærunt.

TU-

TIRINI.

Verf. 1. PROPTER SION ET IERUSALEM, id est propter Ecclesiam Dei; cuius, utpote summe mihi dilectæ, salus adeo mihi curæ & cordi est, ut a precibus *cessare* non decreverim, donec depulsis longæ noctis tenebris, tandem aliquando emergat & EGREDIATUR? UT SPLENDOR solis, IUSTUS EIUS, ET SALVATOR Messias, qui UT LAMPAS cælestis universum orbem iulluminabit, accendet, fœcundabit.

V. 2. ET VOCABITUR TIBI, o Ecclesia, NOMEN NOVUM, quod exprimitur verf. 4.

V. 3. ERIS CORONA GLORIAE, seu gloriosa, ET DIADEMA REGNI, seu regium, IN MANU DEI, id est, non tua, sed divina virtute partum, adeo in pretio & deliciis ipsi Deo, ut tamquam rem iucundissimam sibique gratissimam, simul & honorificentissimam semper manibus teneat, ob oculos verset, & coram aliis ostentet. Sicut enim *corona*, seu *diadema*, insigne est honoris & potestatis, seu pontificiæ, seu regiæ, item victoriæ vel nuptiarum; ita Ecclesia dæmoni erepta, & Christo desponsata, insigne est Dei & Christi, quo palam ubique fit ipsum esse sponsum, victorem, regem, pontificem, redemptorem gloriosissimum, augustissimum, splendidissimum. Simili sensu Proverb. XVII. *filii* probi vocantur *corona* parentum: & Paulus ad Thessalonicenses *a* vocat *coronam* suam *gloriæ*.

V. 4. VOCABERIS, id est non solum eris, sed & publice cognosceris esse, & passim appellaberis, VOLUNTAS MEA IN EA. En novum Ecclesiæ nomen de quo verf. 2. Hebraice, est *chepsi ba*, id est beneplacitum meum, complacentia, delectatio, delitiæ meæ. Sic Lucæ II. 14. angeli pacem appreeantur *hominibus bonæ voluntatis*, id est quibus Deus suam bonam voluntatem & affectum exhibet: ita S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Forerius & alii.

V. 5. HABITABIT IUVENIS sponsus CUM VIRGINE sponsa; quasi dicat: Pacifice contrahentur connubia, quæ tempore belli, iuvenibus in castra abductis præpediri solent. Chaldæus & LXX. addunt voculam, *sicut*; quasi dicat: Sicut iucundissime cohabitat sponsus cum sponsa, ita convivent fideles in Ecclesia Christi: ita S. Hieronymus & Cyrillus.

V. 6. & 7. SUPER MUROS TUOS CONSTITUI CUSTODES. Id de SS. angelis tutelaribus exponunt S. Hieronymus, Hugo & Bernardus *b*: alii, ut S. Cyrillus & S. Thomas, Prophetas, Pastores, Doctores intelligi volunt. NOCTE TOTA NON TACEBUNT; id est, numquam cessabunt invigilare custodiæ & protectioni tuæ, hostiumque insidias vel insultus detegere. Vos ergo o fidi custodes, QUI REMINISCIMINI DOMINI, id est qui admonitores estis, & quasi mediatores apud Deum & populum, quorum officium est interpellare Deum pro populo, & populum monere quid sui sit officii; NE DETIS SILENTIUM EI, nempe Deo id est ne sinatis quiescere Deum, sed meo exemplo *c* iugiter clamate ad aures eius, DONEC misso in orbem Messia STABILIAT IERUSALEM, id est erigat, corroboret, propaget ubique Ecclesiam suam, PONATQUE eam toti mundo in LAUDEM & gloriam, ut ab omnibus populis laudetur & glorificetur.

V. 10. TRANSITE, o vos custodes Sionis, PER PORTAS etiam aliarum urbium & regionum, PRAEPARATE omni POPULO VIAM ad Christum, ut plana, facilis & amœna sit: ELIGITE LAPIDES & e via semovete, ut habent LXX. nempe ne pedes adcurrentium offendant: ELEVATE SIGNUM, id est vexillum militare, quo POPULOS omnes quasi milites ad Christum evocetis. Quod de vexillo crucis exponunt S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Forerius & alii.

V. 11. ECCE DOMINUS per tubam Evangelii AUDITUM FECIT clangorem etiam IN EXTREMIS finibus TERRAE. Quis hic clangor? DICITE, o vos custodes Sionis, nuntiatum cælitus FILIAE, id est *cœtui*, *Sionis*, inquit Chaldæus: ECCE SALVATOR TUUS, tibi a tot sæculis promissus, iam VENIT *d* in mundum, iam adest debellaturus omnes hostes tum suos, tum vestros. Ad eum ergo properate omnes gentes, ut salutis ab eo procurandæ fiatis participes. Unde Matth. XXI. 5. aptantur hæc verba Christo cum in die palmarum inveheretur Ierosolymam. ECCE MERCES EIUS, id est præmium quod sibi obsequentibus dabit, CUM EO est: ET OPUS EIUS

CORAM

CORAM ILLO. Explicui cap. XL. vers. 10. Porro accurrentes ad vexillum Christi

V. 12. VOCABUNTUR, POPULUS SANCTUS, utpote REDEMPTI A DOMINO *e* ex unguibus peccati, dæmonis, inferni. Et TU, o Ecclesia, eris & ubique VOCABERIS CIVITAS QUAESITA ab omnibus, exoptata, expetita a toto orbe. Ex quo patet, Ecclesiam Christi non modo conspicuam & visibilem esse, sed & Catholicam, seu universalem, ab omnibus populis quæsitam, repertam, inhabitatam.

(a) I. Thess. II. 19.
(b) Bern. Serm. IV. de Dedic. Ecclesiæ.
(c) Sup. vers. 1.
(d) Zach. ix. 9.
(e) Psal. cvi. vers. 1.


GORDONI.

Vers. 1. PROPTER SION NON TACEBO, &c. Sion Ecclesia est: preces, ut dicebam, pollicetur & nomen novum. De hoc nomine quodnam sit, varii varia: verum est illud de quo vers. 4.

V. 4. NON VOCABERIS ULTRA, &c. חפצי בה *chepts̆i ba*, *voluntas mea in ea*, חפץ *chephets*, *voluntas*; hoc est, novum nomen Ecclesiæ promissum vers. 2. ac si diceret, Complacentia, & delectatio mea: terra eris habitata multum, idque in magna pace & tranquillitate, quod explicatur similitudine coniugii sancti, ubi sponsus & desponsata virgo in pace vivunt iucunda.

V. 6. SUPER MUROS TUOS, &c. En promissos Ecclesiæ Prophetas & pastores, qui non cessabunt vigilare pro salute gregis; quos etiam vult instanter orare Deum (ex vers. 7. NE DETIS SILENTIUM) ut Ecclesiam augeat felici incremento.

V. 8. IURAVIT, &c. Promittit Ecclesiæ securitatem per allusionem ad reditum a captivitate Babylonica.



CAPUT

CAPUT LXIII.

Dicit se Dominus sanguine aspersum dum solus vicisset hostes : Deus multa præstitit Israelitis beneficia , sed propter iniquitates suas sunt ab eo derelicti : propheta autem miserationum Domini memor , invocat ipsius misericordiam super populum suum , quem a Deo desertum conqueritur.

1. QUis est iste , qui venit de Edom , tinctis vestibus de Bosra ? iste formosus in stola sua , gradiens in multitudine fortitudinis suæ . Ego , qui loquor iustitiam , & propugnator sum ad salvandum. 2. (*a*) Quare ergo rubrum est indumentum tuum , & vestimenta tua sicut calcantium in torculari ? 3. Torcular calcavi solus , & de Gentibus non est vir mecum : calcavi eos in furore meo , & conculcavi eos in ira mea : & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea , & omnia indumenta mea inquinavi . 4.
(*b*) Dies enim ultionis in corde meo , * annus redemptionis meæ venit . 5.
Circumspexi , & non erat auxiliator : quæsivi , & non fuit qui adiuvaret :
& salvavit mihi brachium meum , & indignatio mea ipsa auxiliata est mihi .
6. Et conculcavi populos in furore meo, & inebriavi eos in indignatione mea,
& detraxi in terram virtutem eorum . 7. Miserationum Domini recordabor ,
laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Dominus , & super multitudinem bonorum domui Israel , quæ largitus est eis secundum indulgentiam suam , & secundum multitudinem misericordiarum suarum . 8. Et dixit : Verumtamen populus meus est , filii non negantes : & factus est eis salvator. 9.
In omni tribulatione eorum non est tribulatus , & angelus faciei eius salvavit eos : in dilectione sua , & in indulgentia sua ipse redemit eos , & portavit eos , & elevavit eos cunctis diebus sæculi . 10. Ipsi autem ad iracundiam provocaverunt , * & afflixerunt spiritum sancti eius : & conversus est eis in inimicum , & ipse debellavit eos . 11. Et recordatus est dierum sæculi Moysi ,
& populi sui : (*c*) Ubi est qui eduxit eos de mari cum pastoribus gregis sui?
ubi est qui posuit in medio eius spiritum sancti sui ? 12. Qui eduxit ad dexteram Moysen brachio maiestatis suæ, qui scidit aquas ante eos, ut faceret sibi nomen sempiternum . 13. Qui eduxit eos per abyssos , quasi equum in deserto non impingentem. 14. Quasi animal in campo descendens , spiritus Domini ductor eius fuit : sic adduxisti populum tuum , ut faceres tibi nomen gloriæ . 15. (*d*) Attende de cælo , & vide de habitaculo sancto tuo , * & gloriæ tuæ : ubi est zelus tuus & fortitudo tua , multitudo viscerum tuorum ,
& miserationum tuarum ? super me continuerunt se . 16. Tu enim pater noster , & Abraham nescivit nos , & Israel ignoravit nos : tu Domine pater noster , redemptor noster , a sæculo nomen tuum . 17. Quare errare nos fecisti Domine de viis tuis : indurasti cor nostrum ne timeremus te ? convertere propter servos tuos , tribus hereditatis tuæ . 18. Quasi nihilum possederunt populum sanctum tuum : hostes nostri conculcaverunt sanctificationem tuam.

tuam. 19. Facti sumus quasi in principio, cum non dominâreris nostri, neque invocaretur nomen tuum super nos.

(a) Apoc. xix. 13. (b) Sap. xxxiv. 8. (c) Exod. xiv. 29. (d) Deut. xxvi. 15. Baruch ii. 16.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 4. *Annus redemptionis meae venit*. Retinenda est vox *redemptionis* a redimo, non substituenda *retributionis* a retribuo.

Vers. 10. *Et afflixerunt spiritum sancti eius*. Non mutes genitivum *sancti* in accusativum *sanctum*.

Vers. 15. *Et gloriae tuae*. Non interponas *solio*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. QUIS EST ISTE. Emphasin habet interrogatio. Interrogat autem hoc aut Propheta, aut, ut Dionysius & omnes veteres auctores tradiderunt, Angeli, & interrogant de Christo: quod impudenter contra omnium veterum auctorum interpretationem hæretici quidam negant. Interrogant autem vel ignorantes, ut plerique dixerunt, vel, ut ego arbitror, admirantes, ut Psal. XXIII. 8. 10. *Quis est iste rex gloriae*. DE EDOM. Per Idumæos qui Iudæorum hostes erant, omnes Dei hostes intelligit. Alludit etiam ad nominis significationem: Edom enim rubrum significat, quas Christi vestes fuisse dicit. TINCTIS VESTIBUS. חמוץ בגדים, *rubicundus vestibus*, id est sanguinolentus, quales venire solent qui ex prælio redeunt. DE BOSRA, id est ex Edom; repetitio, & synecdoche, qua ponitur pars pro toto: Bosra enim civitas erat Idumææ, Genes. XXXVI. 33. ISTE FORMOSUS. Depingit triumphantis habitum & incessum. EGO QUI LOQUOR IUSTITIAM. Introducit Deum ipsum respondentem, quod maiorem habeat oratio auctoritatem. Loqui iustitiam, significat vera dicere: iustitia enim sæpe pro veritate, & veritas pro iustitia ponitur: quæ propterea Deus hoc loco commemorat, ut ostendat se non esse mentitum, sed venisse, & hostes superasse, sicut per Prophetas promiserat. ET PROPUGNATOR. Hebr. רב להושיע, *multus ad salvandum*, id est liberalis, qui maiorem etiam salutem præsto, quam promiserim. Septuag. videntur legisse ריב κρίσιν.

V. 2. QUARE ERGO. Interrogat Propheta, vel, Angeli.

V. 3. TORCULAR CALCAVI SOLUS. Locum certaminis per metaphoram vocat torcular; is autem fuit Crux: hostes vero comparat uvis rubeis; ita enim eos conculcavit. Quod non solum historice (ut quidam interpretantur) de Idumæis intelligendum est; sed etiam mystice de Christo & omnibus Satanæ ministris, quos in cruce conculcavit. *Solus*, id est nullo humano auxilio: nemo enim Christum iuvare poterat, *quia omnes peccaverant, & egebant gloria Dei*: Rom. III. 23. CALCAVI EOS. Melius noster Interpres per præterita reddidit, quam alii per futura: sic enim locutus fuerat ante, *Torcular calcavi*, & oratio per præteritum maiorem vim habet.

V. 4. DIES ENIM ULTIONIS IN CORDE MEO (venit,) id est quem ego apud animum meum designaveram ad hostes meos ulciscendos. ANNUS REDEMPTIONIS MEAE, id est quo decreveram populum meum ab hostibus redimere ac liberare. Aut, ut nunc Hebræi legunt גאולי, *redemptorum meorum*, id est quo ii qui mei erant redimerentur. Noster Interpres & Sept. videntur legisse גאולי.

V. 5. CIRCUMSPEXI, ET NON ERAT AUXILIATOR. Sic Psalm. LXVIII. 21. *Et sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit, & qui consolaretur, & non inveni*: & Psal. XXI. 9. *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti*. QUAESIVI. Melius noster Inter-

Interpres quam qui vertunt, *Admiratus sum*: quamvis verbum Hebraicum שמם proprie significet *admirari*; respexit enim noster Interpres ad sensum, non ad verbum. Sensus autem est Christum attente more admirantis considerasse, ecquis esset qui opem ferret: sicut Sept. verterunt προσενόησα. ET SALVAVIT MIHI; id est, sola fortitudo mea sine cuiusquam auxilio salutem mihi attulit & victoriam.

V. 6. ET CONCULCAVI POPULOS, id est diabolum & eius ministros. ET INEBRIAVI EOS, id est attonitos reddidi sicut ebrios, & eorum vires prostravi.

V. 7. MISERATIONUM DOMINI RECORDABOR; id est, miserationes & beneficia Dei commemorabo (inquit Propheta) ut est Heb. אזכיר.

V. 8. ET DIXIT (Deus,) id est considcravit apud se. VERUMTAMEN, אך, *tamen* POPULUS MEUS EST; id est, quamvis peccatores sint, liberabo tamen eos, quia populus meus sunt. FILII NON NEGANTES, qui non negant me esse patrem, qui se filios meos esse profitentur. *Filii*, ישקרו, *qui non mentiuntur*, id est non spurii, phrasi Hebraica, ut Psal. XVII. 46. *Filii alieni mentiti sunt mihi*. IN OMNI TRIBULATIONE EORUM NON EST TRIBULATUS, id est non est fatigatus, non destitit illis opem ferre. Sept. non legunt, *Non est tribulatus*. Chaldæus vero interpretatur active, *In omni tribulatione eorum*; id est, cum illi tribularent eum peccatis suis, non tribulavit eos. Hebræi putant legi לא pro לו *non*, pro, *illi*; id est, in omni tribulatione eorum, fuit illi tribulatio: sicut ait D. Paulus II. Corinth. XI. 29. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?* ET ANGELUS FACIEI EIUS, id est ab eo missus, aut eum præcedens, aut eius personam gerens. Hebraismus.

V. 9. IN DILECTIONE, id est propter amorem quo eos prosequebatur. REDEMIT EOS, ET PORTAVIT humeris suis, sicut ovem quæ perierat & inventa est: Luc. XV. 4. sic loquitur Moses Deut. XXXII. 11. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit super eos alas suas, atque portavit in humeris suis*.

V. 10. IPSI AUTEM AD IRACUNDIAM PROVOCAVERUNT. Hebr. מרו, *defecerunt* (ab eo) *rebelles fuerunt*. ET AFFLIXERUNT SPIRITUM SANCTI EIUS. קדשו, *sanctitatis eius*, aut *sanctum eius*, ut in aliis exemplaribus legitur. Tunc autem dicimur Spiritum sanctum Dei affligere, cum eius beneficia peccatis compensamus: ut Psal. CV. 32. *Et irritaverunt eum ad aquas contradictionis, & vexatus est Moyses propter eos, qui exacerbaverunt spiritum eius*: & apud D. Paulum ad Ephes. IV. 30. *Nolite contristare spiritum sanctum Dei, in quo signati estis*.

V. 11. ET RECORDATUS EST (populus, vel, Israel) DIERUM SAECULI, id est antiquorum. MOSIS ET POPULI EIUS; quasi dicat: Cum Deus factus esset illis inimicus, cœperunt priscorum temporum recordari, & desiderare beneficia, quæ Deus in patres eorum contulisset (sub. dicentes quod sequitur) UBI EST QUI EDUXIT EOS, (patres nostros, relativum sine antecedente.) CUM PASTORIBUS, id est per pastores populi sui Moysen & Aaron. Aut, ut Hebr. legitur את רעה, *cum pastore*. UBI EST QUI POSUIT IN MEDIO EIUS (populi) SPIRITUM SANCTI, id est sanctitatis suæ, vel, spiritum sanctum suum, ut ante, id est qui spiritum sanctum suum fecit eius ductorem.

V. 12. QUI EDUXIT (eos) BRACHIO MAIESTATIS SUAE, id est glorioso, ad dexteram Moysi (assistens) ut Psal. LXXII. 24. *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me*. Videtur alludere ad virgam quam Moyses manu tenebat.

V. 13. NON IMPINGENTEM. Hebr. לא יכשלו, *ita ut non impingerent* (sicut equus per desertum non impingit.)

V. 14. QUASI ANIMAL IN CAMPO: בבקעה תרד, *quod per vallem descendit*.

V. 15. SUPER ME CONTINUERUNT SE, id est cohibuerunt se, non sese ostendunt viscera tua, & miserationes tuæ erga me sicut ante.

V. 16. TU ENIM PATER NOSTER. Quasi iure petunt Deo auxilium tamquam a patre suo filii. ABRAHAM NESCIVIT NOS, ET ISRAEL (Iacob) IGNORAVIT NOS. Inepte ex hoc loco hæretici colligunt, sanctos neque pro nobis orare, neque invocando a nobis esse. Non enim est sensus, Abraham & Iacob ignorare quid apud nos agatur, quod non erat ad rem, cum II. Mach. XV. 14. Ieremias Propheta vi-

sus in cælo fuerit pro populo orans; sed sensus est, *nescivit nos*, id est non est pater noster, sed tu solus. Opponit enim hæc duo, patrem esse, &, nescire, atque, ignorare nos. Cum autem negant Abraham & Iacob non esse patrem suum, non omnino negant, sed comparate; quasi dicat: Quamvis Abraham & Iacob patres nostri sint, tamen si tecum compararentur, non sunt patres nostri, sed tu solus pater noster es, ut statim sequitur. Sicut Christus præcipit Matth. XXIII. 9. *Et patrem nolite vocare vobis super terram, unus enim est pater vester qui in cælis est*. Non enim vetat vocare patrem super terram, sed comparatione Dei vocare. Ex quo sensu potius colligitur Abraham & Iacob patres nostros esse, ac proinde curam nostri gerere, & pro nobis orare.

V. 17. QUARE ERRARE NOS FECISTI, id est permisisti ut erraremus. Sæpe enim Deus dicitur facere in Scriptura, quod non ipse facit, sed permittit, ut Damascenus ait, immo non solum facere, sed etiam imperare, ut Ioan. XIII. 27. *Quod facis, fac citius;* & II. Reg. XVI. 10. *Dimitte eum, ut maledicat*. Dominus enim præcepit ei ut malediceret David. Inepte ergo ex hoc loco hæretici colligunt, Deum nos ad male etiam agendum impellere: *Deus enim neminem tentat*: Iacob. I. 13. Eodem modo intelligendum quod sequitur, INDURASTI COR NOSTRUM. Indurat enim Deus, ut August. ait, auferendo gratiam, non impertiendo malitiam. Heb. תקשיח verti potest, *avertisti*, aut *discedere fecisti cor nostrum a timore tuo*. CONVERTERE PROPTER SERVOS TUOS, id est propter Abraham & Iacob: non solum propter fœdus cum illis pactum, ut Hæretici interpretantur, sed etiam propter eorum merita, ut constat ex simili locutione: III. Reg. XV. 4. *Sed propter David dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Ierusalem*. Eo quod fecisset David rectum in oculis Domini, & non declinasset ab omnibus quæ præceperat ei omnibus diebus vitæ suæ. Hic enim non allegatur fœdus cum Davide initum, sed eius merita.

V. 18. QUASI NIHILUM, id est facile, & sine ullo negotio adversarii nostri subiugarunt nos populum sanctum tuum, quemadmodum si non esses protector noster. Hebræi aliter legunt & interpretantur: *Ad modicum possedit populus sanctus tuus* (subhereditatem, quam illi dedisti) HOSTES (enim) NOSTRI CONCULCAVERUNT SANCTIFICATIONEM TUAM, id est populum, quem tu sanctificaveras.

V. 19. FACTI SUMUS QUASI IN PRINCIPIO; id est, non videris maiorem curam habuisse nostri, quam habebas olim ante quam essemus populus tuus. Hebræi legunt היכו מעלם לא משלת בם: ad verbum: *Fuimus quibus a sæculo non es dominatus*, id est similes ceteris gentibus, quarum numquam dominus fuisti. לא נקרא שימך עליהם *non est invocatum nomen tuum in eis*, id est in quibus non est invocatum nomen tuum; quasi dicat: Non maiorem curam gessisti nostri, quam ceterarum gentium: expostulatio est hyperbolica.

S A.

Vers. I. QUIS, &c. Vox Angelorum. EDOM, scilicet Idumæa, scilicet mundo, vel Iudæa; vel quasi dicat, De sanguine, id est passione. *Edom* enim *rubrum*. TINCTIS, scilicet sanguine. BOSRA. Metropolis est Idumææ; hic autem accipitur pro Ierusalem. (*Bosra* enim *munitio*, seu *munita*) vel pro *passione*. *Bosra* enim etiam *tribulatio*, & *vindemia*, cui Christi passio assimilata, paulo inferius. STOLA, scilicet humanitate. LOQUOR, id est prædico, doceo.

V. 3. TORCULAR, scilicet passionis. GENTIBUS, scilicet hominibus. VIR, id est quisquam; quasi dicat: Ego solus per passionem mundum liberavi; vel, ego solus hostes vici: id enim etiam in Scriptura est *calcare torcular*, scilicet hostes premere. Eos, scilicet hostes, peccata, & dæmones. IN FURORE, id est valde iratus. SANGUIS, id est peccata; quasi dicat: Passus sum pro mundi peccatis, quæ suscepi delenda.

V. 4. ULTIONIS, scilicet contra peccata. IN CORDE MEO, id est animo meo statutus olim.

V. 5. MIHI; pro, me: vel abundat, & subauditur hic & inf. *eos*, scilicet quos volui eripere; atque ita Chald. & LXX. Vide Psal. XCVII. INDIGNATIO, id est ulciscendi studium.

V. 6. CONCULCAVI, id est vici, & mihi subieci, scilicet expulsis erroribus. VIRTUTEM, id est robur; quasi dicat, Superavi,

V. 7.

V. 7. LAUDEM, scilicet cantabo, vel recordabor. INDULGENTIAM. Chald. & LXX. *misericordiam*. MISERICORDIARUM SUARUM. LXX. *iustitiæ suæ*.

V. 8. VERUMTAMEN, id est utique. NEGANTES. Chald. *mentientes*; quasi dicat, Fidem servantes. EST, scilicet Deus.

V. 9. IN OMNI. LXX. *ex omni*, scilicet iungunt cum superioribus. NON EST TRIBULATUS? per interrogationem legendum; quasi dicat: Nonne ita sensit eorum afflictiones, ac si propriæ essent? At LXX. ita legunt, ut sensus sit, neminem pro ipsis tribulatum, id est passum, nec Angelum, aut alium quemquam, nisi Deum, salvasse eos: secundum quam lectionem repetenda negatio sic, *& non Angelus*; id est nec Angelus. FACIEI EIUS, id est ab eo missus: secundum vero nostram lectionem, Christus intelligendus Angelus scilicet magni consilii. PORTAVIT. LXX. *suscepit*. Chald *tulit*. ELEVAIT. LXX. *exaltavit*. Chald. *sustinuit*.

V. 10. SANCTI, scilicet Moysis; vel pro, sanctitatis. LXX. *sanctum*.

V. 11. RECORDATUS, scilicet Israel tandem aliquando. SUI, id est eius. UBI EST. Vox Israelis, vel Prophetæ. QUI EDUXIT, &c. LXX. *qui eduxit de terra pastorem ovium*, quod citatur Heb. XIII. ubi pro *terra*, est, *mortuis*; pro *pastorem*, *pastorem magnum*. PASTORIBUS, scilicet Moyse & Aaron. SANCTI SUI, scilicet Moysis. Chald. *sanctorum suorum*. LXX. *sanctum*. Vide supra.

V. 14. IN CAMPO; pro, in campum; quasi dicat, Lente, seu pedetentim.

V. 15. ATTENDE, scilicet ad afflictionem nostram, & inopiam. ZELUS, id est vehemens amor. CONTINUERUNT, scilicet non ferentes opem.

V. 16. NESCIVIT; pro, nescit; quasi dicat, Non potest liberare. Hieron. *non habet pro filiis, quia a te recessimus*. Chald. *non eduxit nos de AEgypto*. NOMEN TUUM, scilicet celebre. LXX. *nomen tuum super nos*.

V. 17. FECISTI, id est permisisti. TRIBUS; pro, ob tribus.

V. 18. NIHILUM, id est rem vilem. SANCTIFICATIONEM, id est templum.

V. 19. NEQUE INVOCARETUR, &c. quasi dicat, Nec te agnosceremus, vel non diceremur populus tuus.

E S T I I.

Vers. 16. ABRAHAM NESCIVIT NOS. ET ISRAEL IGNORAVIT NOS, Utuntur novatores hoc loco Scripturæ contra invocationem sanctorum, quasi sancti ignorent res mortalium. Sed respondetur cum Hieronymo commentante in hunc locum, significari ignorantiam oppositam notitiæ amoris seu approbationis; ut sit sensus: O Domine miserere tu; quia Abraham & Iacob aspernantur nos tamquam degeneres filios; quia sciunt nos dereliquisse Dominum. Et ad eumdem modum Christus comminatur Matth. XXV. se quibusdam dicturum: *Nescio vos*. Unde ex hoc loco potius contrarium colligitur, nempe Abraham & Iacob cognovisse illorum improbos mores; & certum quoque est Ieremiam & Oniam sollicitos de statu populi Dei pro illo orasse, II. Machab. ult.

V. 17. QUARE ERRARE NOS FECISTI DOMINE DE VIIS TUIS: INDURASTI COR NOSTRUM NE TIMEREMUS TE? Dicitur Deus facere nos errare, & cor nostrum indurare, non quod errorem aut duritiam animi in nobis efficiat, sed quia illa in nobis vel circa nos agit quæ nobis ex nostra malitia, vel ignorantia, vel infirmitate fiunt occasiones erroris vel indurationis in peccato. Sensus autem est; Ne quæso diutius sinas nos aberrare a viis tuis, & indurari corde; sed aufer a nobis errorem, & duritiam cordis, fac ut te timeamus. Loquitur autem Propheta in persona populi; & est precatio, sicut illud quod sequitur: CONVERTERE, &c: Vide plenius supra VI. 10. & loca ibi citata.

M A R I A N AE.

Vers. 1. QUIS EST ISTE, QUI VENIT DE EDOM. Vox Angelorum. *Edom*, id est Idumæa. Sumitur pro mundo, quo victo Christus ascendit in cælum. TINCTIS VESTIBUS. Heb. *ruber vestibus*, scilicet sanguine suo. DE BOSRA? *Bosra* erat Idumææ caput; sed hic sumitur pro Ierusalem, ubi Christus est passus. IN STOLA SUA. *Stola* pro natura humana. GRADIENS, id est discurrens (per populos) IN MULTITUDINE VIRTUTIS SUAE. Omnes scilicet debellans. Respondet Christus.

stus. EGO QUI LOQUOR JUSTITIAM, id est qui iuste eos debello. ET PROPUGNATOR SUM AD SALVANDUM. Heb. *magnus*, seu *Princeps*, *ut* (meos) *liberem*.

V. 3. TORCULAR CALCAVI SOLUS, scilicet mortis. ET DE GENTIBUS NON EST VIR MECUM, id est quisquam, omnes me deseruerunt. CALCAVI EOS; id est peccata. SANGUIS EORUM, id est peccatis debita supplicia ego pertuli.

V. 4. DIES ENIM ULTIONIS IN CORDE MEO, id est dies quo decrevi in corde hostes ulcisci. ANNUS REDEMPTIONIS MEAE VENIT. Sic Chald. & Septuag. Pagn. *annus redemptorum meorum venit*. Parum refert. Sed varietatem puncta Heb. fecerunt. Ubi nunc, גאולי *redemptorum meorum*, olim legebatur גאולי *gheuli*, id est *redempti*, seu *redemptionis*, aut *retributionis meae*. *Dies* & *annus* pro tempore. Ergo venit tempus, quo impios ulciscar, pios redimam.

V. 5. ET NON ERAT AUXILIATOR. Omnes me deseruere. QUAESIVI. Septuag. *consideravi*. Heb. *admiratus sum*, scilicet quod nemo mihi praesto esset. ET NON FUIT QUI ADIUVARET. Hebr. *qui fulciret*; sed perinde est. ET SALVAVIT MIHI; pro, me. ET INDIGNATIO MEA. Aliquando desperatio & furor in periculo victoriam parit.

V. 6. ET INEBRIAVI EOS IN INDIGNATIONE MEA, scilicet hostes calice furoris mei. VIRTUTEM EORUM, id est robur detraxi in terram. Septuag. *sanguinem*. Vox *nezah* & *robur* & *sanguinem* potest significare. Sane vers. 3. pro eadem voce *sanguinem* posuimus, scilicet *Et aspersus est sanguis eorum*.

V. 7. MISERATIONUM DOMINI RECORDABOR. Heb. *miserationes Domini memorabo*. Prophetae verba sunt commemorantis pluribus verbis in modum cantici, quae Deus beneficia contulit. SUPER OMNIBUS. Heb. *sicut super omnibus*; id est laudabo Deum pro hoc beneficio, ut pro aliis quae nobis contulit. QUAE LARGITUS EST EIS SECUNDUM INDULGENTIAM SUAM. Heb. *secundum miserationes suas*.

V. 8. ET DIXIT, Deus scilicet. Hic canticum incipit, superior versus titulus fuit. VERUMTAMEN. Vere, profecto populus meus hic est. FILII NON NEGANTES. Heb. *filii non mentientur*; id est, non spurii, qui facile patres commutant.

V. 9. IN OMNI TRIBULATIONE EORUM NON EST TRIBULATUS. Duplex lectio apud Heb. altera cum negatione, ut est in Vulgata; quomodo sic vertas: *In omni tribulatione eorum non tribulatio*, scilicet eis. Non desperarunt. In Massoreth est altera lectio; dempta negatione, & pro לא substituto לו hoc sensu: *In omni afflictione eorum, ei* (scilicet Deo) *afflictio*, scilicet videbatur affligi. In Gotth. detrahitur negatio: *In tribulatione eorum est tribulatus*. Contra Septuag. & Chald. cum negatione legerunt. ET ANGELUS FACIEI EIUS, id est ab eo missus, e numero eorum qui astant ei. CUNCTIS DIEBUS SAECULI, id est praeteritis temporibus salvavit eos.

V. 10. SPIRITUM SANCTI EIUS irritaverunt. Heb. *spiritum sanctitatis eius*, id est Spiritum sanctum suum. DEBELLAVIT EOS Deus. Heb. *bellavit in eos*, scilicet cum excitavit Gentes, quae Israelitis bellum inferrent.

V. 11. ET RECORDATUS EST, scilicet Israelis. QUI EDUXIT. Heb. *ascendere fecit eos de mari*; scilicet rubro. CUM PASTORIBUS GREGIS SUI. Fecit eos ascendere de mari populum & duces. IN MEDIO EIUS, scilicet pastoris, Moysis posuit SPIRITUM SANCTI SUI; pro, Spiritum sanctum suum, scilicet, spiritum Prophetiae Moysi tribuit.

V. 12. QUI EDUXIT. Heb. *deduxit*. AD DEXTERAM MOYSEN. Heb. *ad dexteram Moysis*, id est ad virgam, quam dextra gerebat. BRACHIO, seu *brachium*, scilicet posuit in ea virga fortitudinem maiestatis suae. UT FACERET; pro, quare fecit sibi nomen aeternum.

V. 13. QUASI EQUUM IN DESERTO NON IMPINGENTEM. Ubi nulli sunt lapides, ad quos offendat. Deduxit ergo populum de mari sine ullo offendiculo.

V. 14. QUASI ANIMAL, aut iumentum. IN CAMPO. Heb. *per vallem*. DESCENDENS, descendit scilicet lente & pedetentim. SPIRITUS DOMINI DUCTOR EIUS FUIT. Heb. *deduxit illum*, scilicet populum, lente, sine labore. SIC ADDUXISTI, deduxisti populum. Vertit ad Deum sermonem. UT FACERES, quo factum est tibi. NOMEN GLORIAE, id est gloriosum.

V. 15. ATTENDE, seu *respice*. DE CAELO, scilicet afflictionem quam patimur. UBI EST ZELUS TUUS, id est amor vehemens in nos. MULTITUDO VISCERUM TUORUM, id.

id est amoris, benignitatis incensæ. SUPER ME. SIC Chald. Heb. *ad me*. pro erga me. CONTINUERUNT SE. Chald. *confortatæ sunt*, id est induratæ sunt miserationes tuæ? Ea est vis vocis *hithapheku*.

V. 16. TU ENIM PATER NOSTER; quasi dicat, Pater non induratur erga filios. ABRAHAM NESCIVIT NOS. Etsi maiores nostri obliti fuerint, tu tamen es noster pater. A SAECULO NOMEN TUUM. Hoc scilicet patris & redemptoris nomen ab antiquo habes.

V. 17. ERRARE NOS FECISTI, permisisti. CONVERTERE PROPTER SERVOS TUOS, TRIBUS HEREDITATIS TUAE; id est, propter tribus hereditatis tuæ convertere. Coniunctio *propter* geminari debet: sic Septuag.

V. 18. QUASI NIHILUM POSSEDERUNT POPULUM, scilicet contempserunt, quos captivos tenebant. Heb. *ad modicum* (tempus) *possederunt populus*, scilicet hereditatem, quam dixit, brevi tempore tenuerunt Israelitæ. HOSTES NOSTRI, illi omnia occuparunt, & sanctuarium conculcarunt.

V. 19. FACTI SUMUS QUASI IN PRINCIPIO. Ita nos deseris, quomodo olim priusquam nos eligeres in populum tuum. Heb. longe aliter, *facti sumus* (tui) *a sæculo*. *Non es dominatus in eis*, scilicet hostibus. *Non invocatum est nomen tuum super illos*. Ergo nobis favere debes ut tuis, hostes aversari ut alienos a te.

MALVENDAE.

Vers. 1. QUIS EST ISTE, QUI VENIT DE EDOM. Alii: *Quis hic est veniens ex Edomæa*. Tota hæc, inquiunt, prophetia (in qua tria capita coniungenda esse putavimus) est dialogistica, ac proinde tribus quæstionibus, responsionibusque continetur. Quæstiones proponit Ecclesia Iudæorum, responsa Christus. Prima quæstione Ecclesia Christum tamquam ex improviso advenientem, & hostes suos ulciscentem non agnoscens, quærit quis ille sit, & cognoscit ex Christo, hoc versu. Secunda, cruentatas illius vestes admirans, quærit illius rei causam, vers. 2. cui respondet Christus versibus quatuor. Tertia denique, Ecclesia repente adducta partim in admirationem antegressorum Dei operum, reliquo capite, vel usque ad versum 15. partimque in metum, ex peccatorum suorum conscientia, implorat misericordiam Christi, toto cap. LXIV. vel a vers. 15. huius capitis, usque ad finem cap. LXIV. cui respondet Christus cap. LXV. Quidam non tam apte volunt hæc esse Prophetæ verba de Christo redeunte in cœlum, victis satana, morte, & peccato, versis Ecclesiæ Idumæis, id est hostibus. Aliqui hic perspicuitatis causa traiiciunt verba: *Quis est hic veniens ex Edomæa, Botzrah, madefactus vestibus?* Exponunt: *Ex Edomæa*, id est ex regione hostium Ecclesiæ, synecdochice. Edomæa autem potius quam ulla alia regio nominatur, cum propinquitatis, tum gravissimæ ac hæreditariæ hostilitatis nomine, ut Psal. CXXXVI. 7. & Lament. IV. 21. *Botzrah*, Edomæorum metropoli, ut sup. cap. XXXIV. 6. & I. Machabæor. V. 26. *madefactus vestibus*, non tam sudore suo, quam hostium sanguine, ut secunda quæstione explicatur, vers. 2. Recte monent aliqui, consulto Prophetam usurpasse hæc duo nomina אדום *edom*, & *botzrah*, quod eorum significatio apte congrueret instituto: nam *Edom rubrum* significat; cui respondet, quod vers. 2. dicitur: *Quare rubrum est indumentum tuum?* & בצרה *botzrah*, a *vindemia* dicitur; cui respondet illud, *veluti calcantis in torculari*. TINCTIS VESTIBUS. Heb. est regimen, *infectus*, *fermentatus*, *conspersus*, *tinctus vestium*; vel *vestibus*, aut *vestes*: metaphora a massa conspersa. Quidam: *rubefactus vestes*, seu *rubras vestes habens*. Alii: *coloratus vestibus*. ISTE FORMOSUS IN STOLA SUA. Alii: I. *iste*, *inquam*, *decorus in veste sua*. II. *iste honoratus*, seu *honorifice ornatus in indumento suo*. III. *ille tam honorifice paludatus*. Paludamentum propria vestis ducum & Imperatorum exercituum. IV. *iste decorus veste sua*; id est, cuius decorem & gloriam ex ipsius veste sanguine conspersa, & reportatam victoriam agnoscimus. GRADIENS IN MULTITUDINE FORTITUDINIS SUAE. Alii ex Hebræo I. *volutabat se in multitudine virium suarum*. II. *festinus tanto robore suo*. III. *discurrens magna potentia*. IV. *peregre agens amplitudine virium suarum*; id est, peragrans & pervadens secure omnes hostium regiones, non alienis copiis aut collecta manu, sed sola potentia sua. V. *demigrare faciens in multitudine potentia suæ*; id est vel hostes Ecclesiæ abigens & transferens; vel filios Dei ex captivitate satanæ in Ecclesiam traducens.

cens. Ego, qui loquor iustitiam, et propugnator sum ad salvandum. Alii ex Heb. I. *Ego sum qui loquor iustitia, & ad servandum satis dives sum*. II. *Ego, qui loquor iuste, sufficiens ad servandum*. Responsum Christi, quo se verum Ecclesiæ prophetam, sacerdotem & regem profitetur; quasi dicat: Ego is sum, qui prædico Evangelium, quod homines iustificat, qui polleo omnipotentia in danda gratia & vita æterna.

V. 2. Quare ergo rubrum est, &c. Alii: *Quare rubidus es vestibus tuis, & vestimenta tua ut calcantis in torcularis lacu?* Secunda quæstio.

V. 3. Torcular. פורה *phurah*, plerique fecuti Chaldæum, *torcular* interpretantur, nimirum vas, in quod uvæ calcandæ & confringendæ iniiciuntur. Sed ex loco Haggæi II. 17. videtur potius *dolium* esse, aut vas in quod illabitur vinum, quod huic instituto recte congruit: *Dolium viavi solus*; id est, vinum in dolium viavi, & duxi seu influere feci solus. Varle exponunt: I. *Torcular calcavi solus*. Victoriam significat, quam Christus sola sua virtute peperit, de gentibus, allegorice; quasi dicat: Magna cædes & strages spiritualis fuit hostium, qualis uvarum in torculari; id est cæsis peccato & culpis, & vivificatis, gratiæ Dei & Christo. II. quasi dicat: Peperi mihi hanc victoriam meis viribus, sine ope hominum. III. *Torcular calcavi solus*. Responsum Christi ad quæstionem accommodatum allegorice explicat victoriam Christi de hostibus, ut suam Ecclesiam potenter fervet. Hanc autem victoriam commendat duobus modis, primum, quod nemo hostium tam fortis fuit, qui posset ipsi obsistere, duobus versibus: deinde, quod solus eam comparaverit nemine adiuvante, duobus alteris: quæ duo proleptice his tribus primis verbis exposuit. Et ex gentibus non est vir mecum. Alii: I. *& ex populis nemo mihi adfuit*; id est, vici sine ullius alterius ope. II. *nam ex populis nullus vir potuit certare mecum*; id est, mihi obsistere, & contra repugnare. Et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea. Alii ex Heb. I. *& aspersum est robur illorum*, id est sanguis roboris eorum, vel *sanguis cuiusque robustissimi illorum, vestimentis meis*. II. Forerius: *& aspersit excellentiam suam super vestem meam*; id est, *Quod conculcavi eum, aspersit vestem meam, vici ipsum cum infamia nominis & periculo vitæ*. Quod ego non capio: an cum periculo vitæ & infamiæ hostis, vel mei. III. Forsterus: *& aspersa est excellentia, victoria, eorum super vestimenta mea*, ut sit figuratus sermo; quasi dicat: Acupingere feci vestimentis meis victorias, nomina insignia gentium a me devictarum ac debellatarum. Quod reges facere solent in his, quos vulgo *reyes de armas* appellant: sic infra vers. 6. *Hoc alii*, inquit Forsterus, *in istis duobus locis pro sanguine reddiderunt, eo nimirum, quod robur & prævalescentia, seu vita hominis consistat in sanguine: sed videtur remotius esse a simplicitate*. IV. Avenarius: *& aspergetur continuatio, continuitas*, id est sanguis, qui continuat membra, *super vestimenta mea*. Frigide. V. Mercerus: *& aspergetur, stillabit, sanguis eorum super vestes meas*. Inquinavi. אגאלתי *eghalthi*, præteritum Hiphil, in quo scribitur *Aleph* pro *He*: & coniugatio & anomalia magnam coinquinationem significant. Quidam reddunt: *volutando contaminavi*.

V. 4. Dies enim ultionis in corde meo, &c. Alii ex Heb. I. *Dies enim ultionis in corde meo, annus redemptorum*, vel *vindicandorum meorum venit*; id est iam olim statueram ulcisci genus humanum de inimicis suis, satana, morte, peccato: id tempus iam adest, quo meos redempturus sum. II. *Quando dies ultionis ex animo meo venit*; id est, cum exoptata mihi plenitudo temporum advenit, ut vocat Paulus Galat. IV. 4. *& annus vindicandorum meorum venit*; id est, verus ille Iubilæus, quem legalis ritus figuraverat. Levit. XXV. & XXVII.

V. 5. Circumspexi, et non erat, &c. Hunc versum alii ex Heb. reddunt. I. *Et aspexi, & non erat adiutor: me ipsum devovi, neque fuit sustentator: & opem mihi tulit brachium meum, & ardor meus ipse me sustentavit*. II. *Cum autem intuerer nullum esse adiutorem*; id est, ne Ecclesiam quidem ipsam ad salutem suam & liberationem ab hostibus conferre aliq id posse: *& obstupescerem quod nemo fulciret; salutem attulit mihi*, id est Ecclesiæ meæ, quæ est corpus Christi, & complementum eius, qui omnia implet in omnibus, Ephesiorum I. 23. *brachium meum, & excandescentia mea ipsa*

ipsa fulcivit me; id est, sola virtus mea, & zelus Iehovæ, supra cap. IX. 7. & 37. 32. & 59. 17. ET INDIGNATIO MEA IPSA AUXILIATA EST MIHI. Quidam: *æstusque meus fulcivit me*; id est, animum mihi & vires suppeditavit vehemens ulciscendi studium. Habes hunc versum supra cap. LIX. 16. nonnullis immutatis.

V. 6. ET CONCULCAVI POPULOS IN FURORE MEO. Alii: *Ita*, vel *itaque calcavi populos in ira mea*. ET INEBRIAVI EOS IN INDIGNATIONE MEA. Quidam: *& inebriavi eos excandescentia mea*; id est, magna pocula atque insolita afflictionum & iræ meæ epotanda præbui eis, ut Psalm. LXXIV. 9. & supra cap. LI. 22. ET DETRAXI IN TERRAM VIRTUTEM EORUM. Alii ex Heb. I. *ita ut sanguinem eorum in terram derivarim*. II. *& deieci in terram excellentiam eorum*, id est divitias, potentiam, gloriam, pulcherrimum statum eorum: ut Lament. III. 18. III. *& deducam ad terram continuationem eorum*, id est sanguinem continuantem membra. IV. *& prosternam in terram fortitudinem*, seu *potentiam eorum*. V. *denique deieci in terram robur eorum*, sive *robustissimum quemque eorum*. Eadem vox נצח *netzach*, quæ supra vers. 3.

V. 7. MISERATIONUM DOMINI RECORDABOR, &c. Hunc versum alii ex Heb. exponunt: I. *Misericordias Iehovæ commemorabo, laudes Iehovæ iuxta omnia, quæ retribuit nobis Iehova: & multiplex bonum domui Israelis, quod retribuit eis secundum commiserationes suas, & multitudinem misericordiarum suarum*. II. *Beneficentias Iehovæ memorabo, laudes, inquam, Iehovæ, veluti super omnibus aliis, quæ donavit*, seu *rependit nobis Iehova; & de innumeris bonis domus Israelis, quæ pro miserationibus suis, & pro immensa bonitate sua largitus est eis*. III. *Benignitates Iehovæ commemorabo, laudes Iehovæ, plane pro omnibus, quæ contulit nobis Iehova: & amplitudinem bonitatis erga domum Israelis, quam contulit eis secundum misericordias suas, & secundum amplitudinem benignitatum suarum*. Hac tertia parte concionis, ut dictum est in vers. 1. Ecclesiam admirans magnificentiam præsentem Christi, orat ipsum pro salute sua, usque ad cap. LXV. Huius autem orationis partes sunt quatuor: prima est exordium, quo Ecclesia Deum adducit ad continuandam promissionum veritatem, & confirmat seipsam in expectatione earum, per laudativam narrationem anteactæ Dei beneficentiæ, usque ad versum 15. sive ut alii distinguunt, toto hoc capite: secunda est, propositio postulati, a vers. 15. usque ad quintum capitis LXIV. sive a principio cap. LXIV. usque ad vers. 9. tertia est, confirmatio postulati, tribus versibus: quarta, conclusio, a vers. 9. seu 12. ad finem.

V. 8. ET DIXIT, &c. Quidam: *Nam dixit*, &c. Narratio benignitatis & beneficentiæ Dei erga populum, hoc versu: quæ deinde amplificatur ab ingratis populi factis, & Dei constantia in benignitate præstanda propter gloriam suam, versu sequente: atque hæc duo reliquis exornantur, usque ad vers. 15. *dixit*, Iehova; id est, humanitus secum reputavit, tamquam bonus parens bene sperans de liberorum fide atque obsequio. FILII NON NEGANTES. Heb. *filii non fallent*. Alii: I. *filii, qui non mentientur*. II. *filii non fallaces erunt*. III. *& filii, qui nequaquam fallent*. IV. *filii non mendaciter acturi*; quasi dicat: Non erunt tam impii atque impudentes, ut degenerent a me: humanitus dictum.

V. 9. IN OMNI TRIBULATIONE EORUM NON EST TRIBULATUS. Heb. scribitur לא *lo* cum *Aleph*, *non*: sed plerique Hebræorum volunt unum esse de locis in quibus *Aleph* ponitur pro *Vau*, *ei*; unde varie reddunt: I. *In omni angustia eorum ei fuit angustia*; id est, cum angustiarentur, ipsemet angustiari videbatur. II. *In omni afflictione eorum, non afflictio*, fuit eis; id est, cum maxime videbantur affligi, tum non vere affligebantur, levante Deo afflictiones eorum. III. *In omni angustia eorum non coarctavit eos*; id est, quantacumque in eos ingruerent mala, non sinebat eos succumbere, aut penitus opprimi, ut sit illud II. Corinth. IV. 8. *In omnibus affligimur, sed non coarctamur*: aut certe illud II. Corinth. I. 5. *Sicut exundant perpessiones Christi*, id est ærumnæ quas ob Christum perpetimur; *ita per Christum exundat etiam consolatio nostra*. IV. *In omni angustia eorum non affecit eos angustia*; id est, In omni angustia, qua Deum indignissime affecerunt (humanitus dictum, ut sequente versu) non malum, sed bonum rependit pro malo. ET ANGELUS FACIEI EIUS SALVAVIT EOS. Alii: *sed angelus faciei eius servavit eos*; id est, Christus mediator Dei & hominum, ve-

verus angelus fœderis, de quo Exod. XXIII. 20. Propterea autem angelus faciei appellatur, cum quia tamquam sacerdos æternus ministrat coram facie Dei, & intercedit pro nobis, atque adeo est in sinu Patris Ioann. I. 18. tum quia nobis est a Patre imago Dei invisibilis, Colossens. I. 15. quem qui vidit, vidit Patrem Ioann. XIV. 9. Quidam: *Angelus faciei eius*, id est missus ab ipso, vel unus ex angelis eius, qui solent coram ipso altare ad iussa capessenda, vel qui faciem & præsentiam Dei refert, eiusque personam agit. ET PORTAVIT EOS, ET ELEVAVIT EOS CUNCTIS DIEBUS SAECULI. Alii ex Heb. I. *baiulavit eos, portavit eos omni tempore prisco*. II. *& imponens eos sibi, baiulavit eos omnibus diebus saeculi*: ut Exod. XIX. 4. & Deuteron. XXXII. 11. & supra cap. XLVI. 4.

V. 10. IPSI AUTEM AD IRACUNDIAM PROVOCAVERUNT, &c. Alii hunc versum ex Heb. reddunt: I. *Porro ipsi cum rebellarent & exasperarent Spiritum eius sanctum, in hostem conversus est, ita ut ipse pugnaret contra eos*. II. *Nam ipsis rebellantibus, & dolore afficientibus*, ut Psalm. LXXVII. 40. *Spiritum sanctitatis eius*, quem ex communicatis donis ipsius agnoscebant: nam qui repugnante luce verbi Dei & spiritus accensa in conscientia ipsius, aliquid perpetrat, is *Spiritum* dicitur *extinguere*, I. Thessalonicens. V. 19. *Spiritui mentiri*, Actor. V. 3. *& dolore eum afficere*, ut hoc loco. Est autem hæc tota narratio in primis evidens (si qua in Veteri Testamento) ad confirmandum doctrinam Christianam de uno Deo, & tribus personis: *mutabatur quidem ipsis in inimicum, ipse repugnabat eis*; id est, certabat contra ipsorum improbitatem, & reprimebat afflictionibus, tamquam si fuisset hostis: humanitus dictum, ut Psalm. XVII. 27. AD IRACUNDIAM PROVOCAVERUNT, מרו *maru*, *mutaverunt in peius*, *rebellarunt*, *non obtemperaverunt*, *amaricaverunt*, *exacerbaverunt*. ET AFFLIXERUNT SPIRITUM SANCTI EIUS. עצבו *ghitzebbu*, *dolere fecerunt*, *dolore fauciarunt*, *discruciarunt*, *contristaverunt*, *irasci fecerunt*, *exasperarunt*, *Spiritum sanctitatis eius*. Putant ad hunc Isaiæ locum allusisse Paulum Ephesior. IV. 30. *Et ne contristate Spiritum sanctum Dei, per quem obsignati estis in diem redemptionis*, &c. & verbo Græco reddidisse λυπεῖτε.

V. 11. ET RECORDATUS EST, &c. Hunc versum alii ex Heb. varie explanant: I. *Et recordatus est*, vel *ad memoriam reduxit dies longi temporis*, seu *priscos*; cum Deus ad memoriam reduceret priora, ad eum Propheta ita exclamat: *Ubi est, qui ascendere fecit eos de mari, cum pastoribus gregis sui? ubi est, qui posuit in medio eius Spiritum sanctitatis suæ?* II. *Et recordatus est Israel retro temporum, Mosis, & populi eius, dicens: Ubi est qui fecit eos ascendere de mari* rubro, *cum his, qui pascebant gregem suum? ubi est, qui dedit in medium eius*, scilicet Mosis, *Spiritum suum sanctum?* III. *Sed recordabatur dierum priscorum Moschis, populi sui, dicens: Ubi esset, qui eduxit istos e mari*. Prosopopœia summe pathetica, qua figuratur Deus disceptaturus cum animo suo, & se ad misericordiam revocans propter gloriam suam: quo argumento utebatur Mosche, Exod. XXXII. 11. & seq. quasi dicat, Ubi amplius videretur gloria Dei? ubi extaret, sublato populo ipsius? *cum pastore gregis sui?* id est Mosche: *ubi esset, qui posuit in medio istius Spiritum Sanctitatis suæ?* id est, Deum ipsum Patrem & Filium præsentem in Spiritu sancto, quem illi quodam modo extinguebant, ut dictum est vers. 10. Quidam exponunt: *Et recordatus est dierum saeculi Mosis, populus eius*; id est, cum populus eius variis temporibus opprimebatur, vel ab Assyriis, vel a Babyloniis, &c. recordabatur temporum priscorum Mosis, & eas mirificas liberationes in memoriam reducebat, expostulans cur & nunc non similiter liberaretur. Qui sensus non placet, quod alienus videatur ab instituto.

V. 12. QUI EDUXIT AD DEXTERAM MOYSEN BRACHIO MAIESTATIS SUAE. Alii: I. *Deducens eos ad dexteram Mosis brachio gloriæ suæ*, seu *glorioso suo*. Hispanicus Interpres: *El qual los guio por la diestra de Moysen con el braço de su gloria?* id est, *por la conducta*. II. *Qui ducebat ad dexteram Mosis, & ad brachium decoris sui*; id est, qui ducebat eos duce Mose gestante in dextera sua virgam. III. *Qui ducebat brachio suo magnifico Mosen, apprehensa dextera eius*. IV. *Qui deduxit istos ad dexteram Moschis existens, brachio ornatus sui?* id est, Moschem quasi manu ducens, & dexteram illius agens ad perficien-

ficiendum opus suum. QUI SCIDIT AQUAS ANTE EOS, &c. Alii evidentius reddunt: *qui diffidit, dissecavit aquas propter istos, ut compararet sibi nomen perpetuum*, seu *aeternum*, aut *sempiternum*.

V. 13. QUI EDUXIT EOS PER ABYSSOS, &c. Alii ex Heb. I. *Qui ducebat eos per abyssos veluti equum in deserto, neque corruerunt*, vel *quo minus impingerent*. II. *Qui egit istos per abyssos, tamquam equum per desertum, adeo ut non impingerent*. III. *Qui ambulare*, seu *incedere fecit eos per voragines: sicut equus non impingit per desertum, non impegerunt*.

V. 14. QUASI ANIMAL IN CAMPO DESCENDENS, SPIRITUS DOMINI DUCTOR EIUS FUIT. Alii ex Heb. I. *Velut iumentum, quod per vallem descendit, Spiritus Iehovae deduxit eum*. II. *Quasi iumentum, quod in campo graditur, Spiritus Iehovae sensim & placide deduxit eum*. III. *Quasi animal, quod per vallem descendit, quod Spiritus Iehovae dimittit*, id est relinquit, ut libere scilicet incedat quo libuerit. Forsterus reddit: *Spiritus Iehova quietat illud*. IV. *Ut iumentum in convalle descendens, Spiritus Iehovae quiete egit eum*; id est, leniter & commode duxit, ut solet iumentum duci in descensu montis ardui. Futurum femineum ex Hiphil תניחנו *tenichennu*, quidam a ינח *ianach*, deducunt, *deponet, dimittet eum*: Alii, a נ ח *nuach*, *quiescere faciet, pausare faciet eum*. Nonnulli, a נחה *naehah*, *sensim & placide deducet eum*, vel *illud*: sunt cognatae radices, & eodem sensum ducunt. SIC ADDUXISTI POPULUM TUUM, UT FACERES, &c. Alii: *ita deduxisti populum tuum, ad comparandum tibi nomen ornatus*, id est ornatissimum & pulcherrimum. Apostrophe ad Deum metabatica, seu transitoria ad secundam orationis partem.

V. 15. ATTENDE DE CAELO, ET VIDE, &c. Alii: *Intuere e caelis, & vide*, &c. Altera pars orationis, nimirum propositio postulati, ut diximus supra in vers. 7. qua Ecclesia salutem a Christo petit, primum propter foedus cum ipsa initum, officiaque iam olim promissa & praestita Ecclesiae a Deo in Christo, his tribus versibus: deinde propter intolerantiam hostium Deo & Ecclesiae adversantium, vers. 18. & 19. quibus causis expositis, postulatum, quod fuerat coeptum, vers. 15. copiose explicatur, quatuor primis versibus, cap. LXIV. DE HABITACULO SANCTO TUO, ET GLORIAE TUAE. Alii: *ex habitaculo sanctitatis tuae, & ornatus tui*, seu *ex habitaculo sanctissimo, ornatissimo, pulcherrimo*, id est e caelis, periphrastice. זביל *zebul*, *Habitaculum*, dicitur de templo Salomonis I. Reg. VIII. 13. & de caelo, quod est proprie habitaculum Dei, hic. UBI EST ZELUS TUUS, ET FORTITUDO TUA, &c. Hoc hemistychium ex Heb. alii reddunt: I. *ubi zelus tuus*, id est amor ille vehementissimus, quo ante nos prosecutus es? *& robur tuum? multitudo viscerum tuorum & misericordiarum tuarum quomodo se erga me continent?* II. *ubi est zelus tuus?* maioribus nostris opere demonstratus ad servandum ipsos? quasi dicat: Iam non exstat, nusquam apparet amplius: humanitus dictum: *& maxima potentia tua?* nam Hebraice est plurali numero: *potentiae tuae? fremitus viscerum tuorum, & misericordiarum tuarum erga me continerent sese?* id est, numquamne velut poenitentia adductus, & dolore interno misereberis mei? metonymice; sic Cantic. v. 3. התאפקו *hithappaku*, praeteritum Hithpahel significatum intendit; quasi dicat, Valide, vehementer sese continuerunt. Quidam reddunt: *vimne sibi fecerunt erga me?* scilicet, cohibitae ne descendant ad me?

V. 16. TU ENIM PATER NOSTER, &c. Hunc versum ex Heb. reddunt: I. *Cum tu sis pater noster* (*siquidem Abraham nos non cognoscit, neque Israel nos novit*) *tu Iehova, pater noster es, redemptor noster, nomen tuum ab aeterno*, vel fama tua celebris fuit etiam ab initio mundi. II. *Tu enim pater noster es*; prior causa postulati, ut diximus versu praecedente a foedere Dei constantissimo: *quamvis Abraham nesciturus nos, & Israel non agniturus esset nos: tu, Iehova, pater noster es, Vindici nostro a saeculo nomen est tibi*. Occupatio brevis. At qui (dixerit quispiam) Deus pater est Abrahami & Israelis ambulantium coram se, vos autem plane a foedere discessistis, & maiorum vestigia in fide reverentiaque Dei ambulantium: ita omisistis, ut ne ipse quidem Abraham aut Israel (si in vivis essent) vos pro filiis agnoscerent, Deuteron. XXXII. 5. Respondent: Fatemur quidem nos ita depravatos esse vitiositate nostra, ut indigni simus qui Dei Abrahami, & Israelis filii appellemur; sed nitimur so-

lo Dei fœdere gratuito, quod scimus esse constantissimum, ut Deus est. Sic perstringitur brevi argumentum illud, quod postea adiicitur vers. 5. & duobus sequentibus capitis LXIV. quasi dicant: Etsi nos a fœdere Dei, quod cum Abrahamo & Iisraele patribus nostris inivit, desciverimus; non tamen Deus a se vel a fœdere suo descifcere potest: Deus enim negare se non potest. Aliqui exponunt: Tu, tu, inquam, pater noster es, nihil enim genus Abrahæ curamus, nihil hic ostendimus ius patrium aut cognationem, solo tuo amore nitimur, nullo nisi te patre gloriamur: nihil nobis cum Abrahamo & ceteris patribus est, præter, vel extra te.

V. 17. De viis tuis; id est, ab obsequio, fide & cultu tuo, quem observari vetant adversarii, & tua gloria flagitat. Indurasti cor nostrum ne timeremus te? Verbum קשח *kaschach*, in Hiphil, quod hic tantum, & Iob XXXIX. 16. habetur, varie exponunt: I. Aben Ezra: *amovisti*, *removisti*, *recedere fecisti cor nostrum a timore tuo*. II. Noster, Rabbini, Schelomoh, & Kimchi, Sanctes, Vatablus, Forerius, Marinus, Leo Iudas, Buxtorfius: *obdurasti*, *indurasti*, *indurare fecisti cor nostrum a timore tuo*; id est, quo minus timeremus te. III. Reuchlinus & Buxtorfius: *dure*; seu *crudeliter tractasti cor nostrum*, &c. IV. Forsterus, Vatablus, Avenarius, Schindlerus: *abhorrere facis*, vel *facies*, aut *fivisti*, *fecisti cor nostrum a timore tuo*. V. Tremellius, & Iunius: *torrefaciens obdurans animum nostrum a reverentia tui?* nempe misera servitute qua servitur satanæ, peccato, & omnibus inimicis Dei tamquam in fornace ferri; ex qua incommodorum consuetudine fere exuitur pietas, & induitur obduratio: metaphora a fornacibus, in quibus cuditur, & obduratur ferrum. Mihi tamen eorum sententia probatur, qui verbum קשח *kaschach*, cum *cheth*, idem significare quod *kaschah* cum *He* existimant; unde hic reddunt: *durum*, *perplexum*, *rigidum*, *intricatum*, *pertinax reddes cor nostrum a timore tuo*, seu *reverentia*, *cultu*, *religione tua*, ne eam scilicet ex animo amplectamur. Convertere, vel *revertere*. Exponunt: Id est, tamquam reversus, tuos a suis erroribus revoca: humanitus dictum. Propter servos tuos; id est, propter gratiam & fœdus tuum, quo nos tibi servos gratuito comparasti. Quiddam reddunt: *redi nobiscum in gratiam propter servos tuos*; id est, quod eis benevertat.

V. 18. Quasi nihil possederunt, &c. Hunc versum alii ex Heb. exponunt: I. *Ad breve tempus possedit populus sanctus tuus*, subaudi, hereditatem tuam: *hostes nostri conculcaverunt sanctuarium tuum*, id est templum. II. *Parum diu possedit populus tuus sanctuarium tuum: hostes enim nostri conculcaverunt illud*. Videtur esse traiectio verborum. III. *Ad minimum usque hereditario iure possident populum sanctitatis tuæ, hostes nostri conculcant sanctuarium tuum*. Secunda causa, ut diximus in vers. 1. videtur respicere cladem urbis & templi per Babylonios. IV. *Modicum fuit*, vel *parum abest quin hostes possideant populum sanctum tuum, coarctatores nostri conculcent sanctuarium tuum*.

V. 19. Facti sumus quasi in principio, &c. Hunc versum diversimode ex Heb. explanant: I. *Nos fuimus tui a sæculo, tu non dominatus es eorum*, scilicet hostium, *nec invocatum est nomen tuum super eos*. II. *Facti sumus ut olim, quibus non dominabaris*, vel *ut ii quibus a sæculo non es dominatus*; id est, deservisti nos, Domine, uti eos quibus numquam fueris dominatus, & finis mirum in modum affligi a Chaldæis: *& super quos non invocabatur nomen tuum*; vel *similes*, *inquam*, *iis super quos non fuit invocatum nomen tuum*; id est, qui tui numquam vocati sunt, quasi dicat: Fuimus ut ii, quorum non fuisti Dominus, aut qui te non agnoverunt, quasi ad te nihil pertinuerimus: & qui non fuerunt vocati de nomine tuo; id est, qui non fuerunt populus tuus. III. *Fuimus velut a sæculo, quando non dominabaris in eos: non invocabatur nomen tuum super eos*; id est, Fuimus veluti quando ab initio non eramus populus tuus, & cum non dicebamur tui; quasi dicat: Et propter peccata, & propter calamitates videris nos penitus abiecisse. Mutatio personæ. IV. *Sumus illi*, videlicet in quos dominaris, & super quos invocatur nomen tuum: nam hæc zeugmatice petenda sunt ex sequente membro, vel potius ex vers. 17. resumenda: *a sæculo non dominatus es*, vel *numquam dominatus es in istos*, videlicet hostes tuos, *neque invocatum est nomen tuum*.

tuum super istos; id est, numquam invocaverunt aut coluerunt te.

MENOCHII.

Vers. 1. QUIS EST ISTE, &c. Christi victoris, & de gentilibus sibi subactis triumphantis speciem describit. Loquitur Propheta, aut Sion, sive Ecclesia. DE EDOM: qui Idumæam, immo gentes omnes subiecit: nam per Edom, & Bosra, quæ civitas erat Metropolis in Idumæa, significantur omnes gentes a populo Dei alienæ, quas Christus ad earum salutem devicit. TINCTIS VESTIBUS. In Hebræo est, *rubricatis vestibus*, scilicet ex sanguine hostili. FORMOSUS IN STOLA SUA: decorus in veste sua militari, in sua chlamyde. IN MULTITUDINE FORTITUDINIS: gradu imperatorio, ex quo robur corporis, & animi celsitudo eminet. EGO QUI LOQUOR, &c. est Christi responsio; quasi dicat: Ego sum qui iustam sententiam profero pro genere humano a diabolo, tyranno, & a peccatis, ac morte afflicto, & oppresso. PROPUGNATOR, &c. humanæ salutis conciliator, & propugnator contra hostes.

V. 2. SICUT CALCANTIUM IN TORCULARI: quorum vestimenta musto imbuta rubra fiunt. TORCULAR CALCAVI SOLUS; quasi dicat: Ego victoriam hanc difficilem, & cruentam solus mihi peperi, neque enim ullus fuit qui me adiuvaret, & mecum contra hostes pugnaret. ASPERSUS EST SANGUIS EORUM, &c. ut fit in victoria, in qua quis multos occidit.

V. 4. DIES ENIM ULTIONIS IN CORDE MEO; id est, venit enim dies in qua de hostibus meis ultionem sumere decreveram. REDEMPTIONIS: populi a servitute dæmonis, & peccati.

V. 5. SALVAVIT MIHI: auxilio, & saluti mihi fuit. INDIGNATIO MEA: zelus potentiam acuens.

V. 6. CONCULCAVI POPULOS: non eos mactando, & perdendo sed convertendo, & subigendo, vitia eorum mactando. INEBRIAVI EOS IN INDIGNATIONE MEA; hoc est, supplicio, quod mea indignatio eis propinavit, & inflixit. DETRAXI IN TERRAM: everti, & ad terram afflixi. VIRTUTEM EORUM: eorum potentiam.

V. 7. MISERATIONUM DOMINI: beneficiorum a Domino populo fideli factorum. LAUDEM DOMINI, &c. scilicet cantabo, vel recordabor: eiusque argumentum erunt beneficia in nos collata. REDDIDIT, id est tribuit.

V. 8. ET DIXIT, scilicet Deus. VERUMTAMEN: utique, sane, certe. POPULUS MEUS EST, &c. loquitur Deus more humano, ac si nescisset quæ futura essent, & quomodo se gesturus esset populus. FILII NON NEGANTES, scilicet erunt; quasi dicat: Hebræi fidem mihi datam, cum fœdus cum iis pepigi in monte Sina, nullo modo fallent. ET FACTUS EST EI SALVATOR; quasi dicat: Hac spe ductus est, ex AEgypto evocatos, intactos, & illæsos per desertum duxit.

V. 9. IN OMNI TRIBULATIONE EORUM: qua Deum murmuris peccato, & aliis quodammodo affligebant. NON EST TRIBULATUS: ut scilicet eorum curam, & providentiam abiiceret. In Hebræo est, *in omni angustia eorum ei fuit angustia*, cui bene concordaret vulgata interpretatio si per interrogationem legeremus; *in omni tribulatione eorum non est tribulatus*: eis scilicet compatiens, & eorum damna, & incommoda tamquam propria existimans. LXX. habent, *ex omni tribulatione eorum non legatus, neque Angelus, sed ipse salvavit eos*, quod scilicet ipsemet populo suo adesset. PORTAVIT: quasi nutrix. ELEVAVIT. LXX. *exaltavit*, Chald. *sustinuit*. CUNCTIS DIEBUS SAECULI: omnibus superioribus sæculis.

V. 10. SANCTI EIUS, id est Mosis. ET IPSE: Deus, peccatis eorum irritatus. DEBELLAVIT EOS: subiiciens eos servituti Philisthæorum, Madianitarum, &c.

V. 11. RECORDATUS EST, scilicet Deus. DIERUM SAECULI, id est dierum antiquorum. MOYSI, ET POPULI SUI: quam scilicet sibi Moses fidelis, & gratus fuerit, & etiam recordatus se populum elegisse, ut eum peculiari favore prosequeretur. UBI EST, &c. Inducit Isaias populum afflictum Dei auxilium implorantem, veterum commemoratione beneficiorum. DE MARI, rubro. CUM PASTORIBUS: ducibus populi, Moyse, & Aaron. IN MEDIO EIUS: scilicet populi Israelitici. SPIRITUM SANCTI SUI: Moysen, quem Deus multiplici spiritu ornavit, spiritu scilicet sapientiæ, fortitudinis, mansuetudinis, &c.

V. 12. AD DEXTERAM, id est velut dexte-

dextera tenens. LXX. *dextera*. MAIESTATIS SUAE: potentiæ suæ divinæ. SCIDIT AQUAS: Maris rubri. NOMEN: gloriam: sic n. 14. sequenti.

V. 13. PER ABYSSOS: per voragines maris rubri. QUASI EQUUM, &c. addens eis animos, & vires, ut alacriter emetiretur illud iter, ut velox equus, & validus per solitudinis alicuius planitiem decurrit.

V. 14. IN CAMPO DESCENDENS; quasi dicat: Facile, quemadmodum per declive facile ambulamus.

V. 15. ZELUS TUUS: quem toties ostendisti contra hostes nostros. VISCERUM TUORUM, id est *miserationum tuarum*, ut statim additur. SUPER ME CONTINUERUNT SE; quasi dicat: Eas non experior, nam se cohibere videntur, & nos cum calamitatibus conflictari permittunt.

V. 16. TU ENIM PATER NOSTER; quasi dicat: Multo plus tibi debemus quod simus, quam Abrahamo, aut Iacob. NESCIVIT NOS: cum parentes nostros genuit, nescivit quos aut quales esset suscepturus. Sic sancta illa mulier filiis suis dicebat II. Machab. VII. 22. *Nescio qualiter in utero meo apparuistis, neque enim ego spiritum & animam donavi vobis & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi*, &c. A SAECULO NOMEN TUUM; id est, hoc tibi nomen est, ut sis pater, & redemptor noster.

V. 17. ERRARE NOS FECISTI; id est, errare nos permisisti, & obdurari cor nostrum. CONVERTERE: ad nos, ne avertas faciem tuam. PROPTER SERVOS TUOS, id est propter duodecim tribus Israel, quæ populum tuum continent, quæ est hereditas tua.

V. 18. QUASI NIHILUM, &c. id est, hostes nostri possederunt, & tractarunt nos quasi essemus res nihili, quisquiliæ, & fæces & purgamenta mundi. SANCTIFICATIONEM TUAM, id est templum.

V. 19. FACTI SUMUS, &c. quasi dicat: Sumus a te derelicti, ut fuimus olim in AEgypto antequam nos in tuum ius, dominium, & Ecclesiam asciceres. NEQUE INVOCARETUR, &c. cum necdum vocaremur, nec essemus populus Dei.

T I R I N I.

Vers. 1. QUIS EST ISTE QUI VENIT DE EDOM? id est, ex Idumæa, & e BOSRA, quæ est Idumææ metropolis. Erat tamen & alia eiusdem nominis civitas in Moab, inquit S. Hieronymus. Sed per hæc duo nomina designantur etiam alii omnes hostes populi Dei. Allusio quoque est ad etymon Bosra, quoad vindemiam; & *Edom*, quod rufum significat; quasi dicat: Quis est victor ille & triumphator, qui madens sanguine hostili ex rubra & cruenta pugna, & quasi e vindemia, totus ruber procedit? Hanc interrogationem vult Osorius, Vatablus, Sasbout & Sanchez esse Isaiæ: Forerius & a Lapide & plures alii, esse Ecclesiæ primitivæ: angelis eam adscribunt S. Dionysius, Origenes, Hieronymus, Cyrillus, Ambrosius, Augustinus: diabolo S. Athanasius, & ex eo Concilium Constantinopolitanum tertium. Respondet Christus: EGO is sum QUI LOQUOR IUSTITIAM, id est qui iustam sententiam & profero & exequor, *propugnans* AD SALVANDUM genus humanum: ita Sasbout, Forerius & alii.

V. 4. VENIT ENIM, & iam adest, DIES ULTIONIS, quam destinavi IN CORDE MEO adversus hostes meos. Sed idem ille dies exitialis hostibus, saluti erit civibus & amicis meis, ut dixi cap. LXI. 2. Ad hanc ultionem sumendam

V. 5. BRACHIUM MEUM SALVAVIT MIHI: de quo vide cap. LIX. 16. Porro beneficiorum divinorum molem mirata Ecclesia

V. 6. Laudat Deum quanto potest affectu, tum ob præstita perpetuo beneficia, tum ob toleratam patienter rebellis populi ingratitudinem. Nam cum ob enormia sua scelera extirpari, mererentur.

V. 8. DIXIT DEUS: VERUMTAMEN; Hebraice, *utique*. certe, POPULUS MEUS EST: filii mei sunt: eruntque ut spero, FILII NON NEGANTES; Hebraice, *non mentientur*, non fallent, supple, fidem mihi datam in Sinai Exodi XXIV. Loquitur Deus more humano, more parentis de filio prodigo desperare nolentis. Unde quoties inciderunt Israelitæ in aliquas calamitates, toties FACTUS EST EIS SALVATOR.

V. 9.

V. 9. IN OMNI TRIBULATIONE EORUM; id est, quandocumque ipsi adversitate opprimebantur; ipse Deus NON EST TRIBULATUS, id est non passus est se opprimi sua ira vel zelo, ut eos plane abiiceret & deleret; sed levi prece Mosis reconciliatus, & modica castigatione contentus, misit statim *angelum* FACIEI *suæ*, id est angelum iugiter sibi præsentem *a* & assistentem in cælo, in terra vero faciem *b* & personam Dei referentem, eiusque vicarium: puta Archangelum *Michaelem*, qui perruptis omnibus difficultatibus SALVAVIT EOS. Licet

V. 10. IPSI sæpius rebelles *afflixerint* SPIRITUM, id est animum, SANCTI EIUS, *c*, id est Moysis: ita S. Thomas, Salbout, Lyranus, Sanchez & alii. Cum ergo *debellaret* EOS Deus, nunc per Philisthæos, nunc per alios hostes;

V. 11. RECORDATUS semper EST DIERUM SAECULI, id est antiquorum temporum, *Moysis* sibi fidelis, ET POPULI SUI, adeo sibi chari & dilecti. Itaque ob gratiam & merita Moysis, item ob affectum populi sui, olim a se quasi in *d* primogenitum filium electi, misertus est eius, misitque ei salvatores *e*, nunc Gedeonem, nunc Iephte, nunc alios. UBI nunc EST idem ille Deus, QUI POSUIT IN MEDIO gregis sui SPIRITUM SANCTI SUI, id est spiritum Moysis? nempe spiritum fortitudinis adversus hostes, & spiritum mansuetudinis erga subditos. Quem spiritum ut communicavit LXX. senioribus, Num. XI. 25. ita optavit toti populo communem esse. Ubi ergo nunc, cum illo maxime egemus, est ille spiritus? ubi prisca tua, o Deus, in populum tuum pietas? ubi robur brachii tui? quo

V. 12. EDUXISTI ex AEgypto MOYSEN, AD DEXTERAM ipsum apprehendens? ita LXX. Vatablus & Forerius.

V. 16. TU PATER NOSTER es: & hoc NOMEN tibi est A SAECULO, id est ante omnem sæculorum memoriam. ABRAHAM NESCIVIT NOS, ET ISRAEL IGNORAVIT NOS, id est non curat nos, sed spernit & abiicit nos, offensus est nobis, quia nos te offendimus: ita S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, & alii SS. Patres. Sic Matth. XXV. 12. *Nescio*, id est non curo, *vos*. Deinde solum comparative *f* dicitur Abraham *non curare* res filiorum suorum, quia respectu divinæ curæ & opis, illa Abrahami erat exigua & quasi nulla, maxime in re quæ vires Abrahami longe excederet. In Chaldæo enim est, *Abraham non eduxit nos ex AEgypto, & Israelem non fecit nobis mirabilia in deserto*. Unde & Calvinus ingenue fatetur, *ex hoc loco elici non posse, Sanctos vita functos nostri curam non habere*. Quod adversus Marloratum & alios Hagiomachos notatum oportet.

V. 17. QUARE ERRARE NOS FECISTI DE VIIS TUIS? nempe permissive & occasionaliter, non abducendo nos a deviis itineribus, inquit Sanchez. Et cur simili modo INDURASTI COR NOSTRUM, non emolliendo illud timore tui sancto? Vide dicta Exodi VII. vers. 3.

V. 18. HOSTES NOSTRI QUASI NIHILUM, id est quasi essemus res nihili, aut quisquiliæ, POSSEDERUNT & tractarunt NOS: CONCULCAVERUNT profanis pedibus suis SANCTIFICATIONEM TUAM, id est templum sanctum tuum, nempe Chaldæi *g*, Syri *h*, Romani *i*.

V. 19. SUMUS a te derelicti QUASI alieni, uti a PRINCIPIO eramus, seu in AEgypto, seu in Ur Chaldæorum, CUM NONDUM instar patris DOMINARERIS NOSTRI, NEQUE INVOCARETUR NOMEN TUUM SUPER NOS; id est, cum necdum vocaremur, neque essemus, populus tuus, filii tui, hereditas tua.

(a) Tobiæ XII. 12. & Apoc. IV. 4.
(b) Exodi XXXIII. 14.
(c) Psal. CV. 16. & 32.
(d) Exodi IV. 22.
(e) Iudic. II. 18.
(f) Proleg. de Idiotism. Hebr. n. 6.
(g) IV. Reg. ult.
(h) I. Mach. I. 23.
(i) Ioseph. de Bello.

GORDONI.

Vers. 1. QUIS EST ISTE? &c. Allegorice quidem hæc sunt de Angelis mirantibus Christum ascendentem in cælum, spoliis hostium onustum, triumphantem, & sanguine aspersum, aut fatentibus se ignorare diem secundi adventus. Sensus tamen ad litteram est, vel de Isaia admirante hæc omnia; vel certe ex Hieronymo est admiratio Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ, admirantis

rantis tam potenter & miraculose subactas gentes esse per mysterium crucis. Hic triumphator noster Idumæos & gentes alias captivas, & tamen volentes vocat, vincit & in Sionem perducit. BOSRA civitas erat in Edom, & metropolis. Subiungitur vox Christi respondentis: *Ego sum qui loquor*.

V. 2. QUARE ERGO RUBRUM? Respondet vers. 3. torcular calcans solus; calcavi, non uvas, sed hostes: torcular, calcare oppressionem, & vehementem signat laborem, præsertim quando non est vir qui adiuvet.

V. 4. DIES ENIM ULTIONIS, &c. Heb. & Sept. *redemptionis annus*, vel *dies*; non est legendum retributionis. Ultio hæc est contra peccatum, & idem cum redemptione.

V. 7. MISERATIONUM DOMINI RECORDABOR, &c. Post explicatum Christi triumphum, iam reliquo hoc capite, & per totum caput LXIV. Isaias fundit ad Deum orationem, in qua primum agnoscit Dei beneficia & misericordias, vers. 7. Deinde vers. 9. narrat populum hunc deviasse a Deo sub Mose (cuius spiritum afflixerunt) & aliis, & fuisse castigatum aliquoties iterumque datos illi fuisse salvatores & iudices sub Gedeone & successoribus.

V. 10. UBI EST QUI EDUXIT, &c. Vox est Isaiæ & populi, memoris antiquarum felicitatum quas hic commemorat, ut inducatur Salvator Christus ad suum adventum; quasi dicat: Misertus es olim, Domine, & nunc etiam propera: vers. 15. CONTINUERUNT se miserationes, ne opem ferrent, seu conseruerunt.

V. 16. TU ENIM PATER NOSTER, &c. Comparat hic Abraham & Patres antiquos cum Deo, quasi nihil contulissent populo Israel, si conferatur quod illi egerunt cum Dei auxilio. Illi fuerunt in hac antithesi, ac si non cognovissent nos.

V. 17. QUARE ERRARE NOS FECISTI, &c. hoc est, permisisti, ut sæpe alibi dixi. Sane Deus ob delicta sæpe permittit homines labi in peccata; sicut etiam aliqua facit per quæ obiicitur occasio erroris, præsertim post graviora peccata. Unde solet sequi induratio: vide quæ dixi Exod. VII.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 9. NON EST TRIBULATUS. Dum turbaretur populus, & Deum offenderet, adhuc non ita turbatus est, ut curam eorum abiecerit, & non cogitaverit de eorum salute.

Vers. 18. QUASI IN NIHILUM. Isaias aversu undecimo inducit populum commemorantem pristina beneficia: nunc vero quasi admirantem, quod non obstantibus beneficiis toties peccaverit. SANCTIFICATIONEM, templum.

CAPUT



CAPUT LXIV.

Petit Propheta ut Deus nomen suum & potentiam inimicis nota faciat : facta quoque mentione felicitatis quæ Deum expectantibus præparata est, confitetur ac luget populi sui iniquitates, immunditias, & exilium, orans pro liberatione.

1. Utinam dirumperes cælos, & descenderes: a facie tua
montes defluerent. 2 Sicut exustio ignis tabescerent, a-
quæ arderent igni, ut notum fieret nomen tuum inimicis
tuis: a facie tua gentes turbarentur. 3. Cum feceris mi-
rabilia, non sustinebimus: descendisti, & a facie tua mon-
tes defluxerunt. 4. (*a*) A sæculo non audierunt, neque au-
ribus perceperunt: oculus non vidit, Deus absque te, quæ
præparasti expectantibus te. 5. Occurristi lætanti, & fa-
cienti iustitiam: in viis tuis recordabuntur tui: ecce tu iratus es, & peccavi-
mus; in ipsis fuimus semper, & salvabimur. 6. Et facti sumus ut immundus
omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ iustitiæ nostræ: & cecidimus
quasi folium universi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. 7.
Non est qui invocet nomen tuum, qui consurgat, & teneat te: abscondi-
sti faciem tuam a nobis, & allisisti nos in manu iniquitatis nostræ. 8. Et
nunc Domine, pater noster es tu, nos vero lutum: & fictor noster tu,
& opera manuum tuarum omnes nos. 9. (*b*) Ne irascaris Domine satis, &
ne ultra memineris iniquitatis nostræ: ecce respice, populus tuus omnes nos.
10. Civitas sancti tui facta est deserta, Sion deserta facta est, Ierusalem de-
solata est. 11. Domus sanctificationis nostræ, & gloriæ nostræ, ubi lauda-
verunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, & omnia desiderabilia
nostra versa sunt in ruinas. 12. Numquid super his continebis te Domine,
tacebis, & affliges nos vehementer?

(a) I. Cor. 11. 9. (b) Psal. lxxviii. 8.

BRUGENSIS.

ROMANA CORRECTIO.

Vers. 6. *Et facti sumus ut immundus omnes nos*. Nec hic mutes numerum singularem *immundus* in pluralem *immundi*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. UTINAM DIRUMPERES. Hic versus apud Hebræos finis est præcedentis capitis. Sed melius apud Latinos & Græcos principium est LXIV. capitis: magis enim cum eo hæret, quam cum præcedenti. Dirumpere cælos hoc lo-

-co significat Deum præeuntibus tonitribus ac fulguribus in auxilium venire, sicut olim venit in Montem Sinai (eo enim videtur nunc alludere) Exod. XIX. & 18. XX. 18. & sicut dicit David Psal. XLIX. 2. *Deus manifeste veniet, Deus noster & non silebit. Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida*. Historice refertur hæc prophetia ad liberationem populi ex Babylonica captivitate: mystice vero ad incarnationem Christi, & generis humani redemptionem.

V. 2. SICUT EXUSTIO IGNIS TABESCERENT (montes.) Heb. Aliquid intelligitur per comparationem, כקדה אש חמסים, *sicut exustio ignis liquefactionum*; id est, sicut (cera) liquefit igne exurente, sic montes liquefierent a conspectu tuo si descenderes. AQUAE ARDERENT; id est, sicut aquæ ebulliunt igne, ita montes in conspectu tuo culiuent; quasi dicat, Omnia a conspectu tuo formidarent.

V. 3. CUM FECERIS MIRABILIA NON SUSTINEBIMUS; id est, ita venies ut non possimus aspectum tuum ferre; sicut patres nostri in monte Sinai dixerunt Moysi, *Loquere tu nobis, & audiemus, & ne loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur*: Exod XX. 19. DESCENDISTI. Hebraismus, pro, si descenderes, a facie tua montes defluerent.

V. 4. OCULUS NON VIDIT, DEUS ABSQUE TE; id est, nisi tu illi revelaveris, sicut videtur D. Paulus interpretari I. Cor. II. x. ubi postquam hunc locum induxisset, addidit: *Nobis autem revelavit Deus per spiritum suum*. Hebræi legunt, לאראתה אלהים זולתך יעשה למחבה לו עיך, quod alii per vocativum interpretantur, *Oculus non vidit, o Deus, præter te, quæ faciet expectanti se*; id est, tu solus nosti quid facturus sis iis, qui sperant in te. Alii per accusativum, *Oculus non vidit Deum præter te; qui faciat speranti in se* (sub. quod tu sperantibus in te facis) id est, oculus non vidit ullum verum Deum præter te. Nobis non licet ab interpretatione D. Pauli discedere, I. Cor. II. 9. Neque quisquam mirari debet, quod D. Paulus aliquid addiderit, ut illud, *Neque in cor hominis ascenderunt*: cetera vero neque cum Hebræis neque cum Septuag. legerit: non enim erat illi propositum recitare verba, sed sensum interpretari.

V. 5. OCCURRISTI LAETANTI ET FACIENTI IUSTITIAM; id est, ultro & non rogatus opem tulisti iis qui observatione legis tuæ oblectabantur, & iusta faciebant, quique in viis tuis recordabantur tui. ECCE TU. Dictio, *ecce*, hoc loco vim habet adversativæ particulæ; id est, nobis autem propterea non solum non occurris, sed neque clamantibus respondes, quia peccavimus, & ideo iratus nobis es. IN IPSIS FUIMUS SEMPER. Heb. עלם, *diu*. Aliqui exponunt, *in ipsis viis tuis*: quod videtur mihi Prophetæ repugnare, qui dicit, PECCAVIMUS. Alii melius, *In ipsis* (peccatis) *fuimus diu*, id est contenuimus, & salvabimur. Hebraismus, pro, quamvis nobis iratus sis, quamvis peccaverimus, quamvis in peccatis inveterati simus, tamen misericordia tua salvabimur. Alii בהם, interpretantur, *propter ipsos* (patres nostros) *qui lætabantur in lege tua, qui iustitiam faciebant, & recordabantur tui in viis tuis*, id est propter Abraham & Iacob; quasi dicat: Etsi nos peccatores simus, tamen meritis Abraham & Iacob nos liberatum iri confidimus: vel per præteritum, propter ipsos iam diu salvi fuimus; quasi dicat: Iam diu propter peccata nostra aboliti essemus, nisi propter Abraham & Iacob servasses nos. Quæ interpretatio valde mihi placet, & quia loco, & quia religioni nostræ optime convenit.

V. 6. ET QUASI PANNUS MENSTRUATAE: בבגד עדים. Alii exponunt *vestem immundam*, alii, *pannosam*. Certum est sensum esse: Ex nobis quidem cooperti eramus peccatis, & si quid iustitiæ habebamus, id ipsum erat multis sceleribus contaminatum, sed propter patres nostros servati sumus.

V. 7. QUI CONSURGAT ET TENEAT TE: להחזיק בך, *ad comprehendendum te*, id est ut te consectetur. Non est qui a peccatis suis discedat, & te quærat, ac sequatur. ABSCONDISTI PACIEM TUAM; id est, removisti misericordiam tuam a nobis. ET ALLISISTI. Heb. תמוגנו, *& tabescere*, aut *diffluere fecisti nos*. IN MANU INIQUITATIS NOSTRAE, id est propter iniquitatem nostram.

V. 8. ET NUNC DOMINE. Excitant Deum ad commiserationem proposito patris & fictoris nomine, & e diverso exposita per similitudinem luti humana infirmitate. Hæc enim Deum movent, ut ait David

vid. Psal. CII. 13. *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum. Recordatus est, quia pulvis sumus*, vel, *homo, sicut fœnum dies eius, tamquam flos agri, sic efflorebit*.

V. 9. NE IRASCARIS DOMINE SATIS, id est, usque ad satietatem. Heb. עַד מְאֹד, *usque valde*, ad verbum, id est supra modum. *Ne accendas omnem iram tuam*, ut loquitur David Psal. LXXVII. 38. ECCE RESPICE. Dictio, *ecce*, vim habet adversativæ particulæ, ut supra vers. 5. quasi dicat: Sed potius respice, quod populus tuus simus, cuius misereri debeas.

V. 10. CIVITAS. Heb. עָרֵי קָדְשְׁךָ, *urbes sanctitatis tuæ*, id est Iudææ, quia omnes erant Deo quodam modo consecratæ, ut in eis populus habitaret. Nominat autem montem Sion & Ierusalem, ubi templum erat, ad augendam miserationem.

V. 11. DOMUS SANCTIFICATIONIS NOSTRAE; id est, templum, ubi abs te sanctificabamur, vel, ubi sanctificabatur & laudabatur a nobis nomen tuum. ET GLORIAE NOSTRAE, id est quo gloriari solebamus, exustum est. ET OMNIA DESIDERABILIA NOSTRA, id est pretiosissima quæque ornamenta templi.

V. 12. NUMQUID SUPER HIS: id est, cum hæc animadvertas, continebis te, & tacebis, id est conquiesces, ita ut non ulciscaris iniurias nostras. ET AFFLIGES NOS VEHEMENTER: עַד מְאֹד, *supra modum*, ut sup. vers. 9.

S A.

Vers. 1. DEFLUERENT, id est liquescerent, seu destruerentur.

V. 2. EXUSTIO IGNIS, id est ut solent igni combusta. TABESCERENT, id est dissolverentur. A FACIE; pro, & a facie. TURBARENTUR, scilicet præ timore. Not. per hæc significari desiderium ingens Prophetæ, ut Deus ostendat potentiam suam salvando genus humanum, devicta diaboli potestate.

V. 3. FECERIS; pro, faceres, scilicet olim in Sinai. SUSTINEBIMUS, id est ferre potuimus, sed diximus, *Non loquatur nobis Dominus*, &c. quasi dicat: Si cœperis punire, non poterimus ferre vim tuam. DESCENDISTI, scilicet olim in montem Sinai.

V. 4. ABSQUE TE, id est præter te.

V. 5. OCCURRISTI, pro, occurres. LAETANTI, ET FACIENTI, id est cum lætitia facienti. VIIS, id est mandatis. ET PECCAVIMUS; pro, quia peccavimus. IPSIS, scilicet peccatis. ET SALVABIMUR; pro, sed salvabimur, scilicet per misericordiam tuam.

V. 6. OMNES: loquitur in persona malorum, secundum Hieron. ABSTULERUNT, scilicet a via recta, seu a te.

V. 7. TENEAT, id est placet. IN MANU, id est causa.

V. 9. SATIS. Chald. *supra modum*. LXX. *nimis*. ECCE. LXX. *& nunc*.

V. 10. SANCTI; pro, sanctuarii, vel sanctitatis.

V. 11. SANCTIFICATIONIS NOSTRAE. Chald. *sanctuarii nostri*.

V. 12. CONTINEBIS, scilicet ne opem feras, vel hostes ulciscaris.

E S T I I.

Vers. 4. A SAECULO NON AUDIERUNT, NEQUE AURIBUS PERCEPERUNT: OCULUS NON VIDIT, DEUS ABSQUE TE, QUAE PRAEPARASTI EXPECTANTIBUS TE. Citat hunc locum Apostolus I. Cor. II. magis sensum reddens, quam verba: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum*. Et solet vulgo hæc sententia proferri ad docendum incomprehensibilia esse ea bona, quæ electis præparata sunt in regno cælorum. Sed alium sensum indicat nobis Apostolus Paulus: refert enim ad mysteria religionis Christianæ; scilicet quæ ante Christum latebant, & obscure continebantur in lege, in Psalmis & Prophetis; post Christum autem manifestata sunt credentibus ministerio Apostolorum. Sic enim progreditur Apostolus: *Loquimur*, inquit, *Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est; quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram; quam nemo principum huius sæculi cognovit. Sed sicut scriptum est; Quod oculus non vidit, nec auris audivit*, &c. Quin & addit: *Nobis autem revelavit Deus per spiritum suum*. Ex quo manifestum est non pertinere hanc sententiam proprie ad bona futuri sæculi, sed ad mysteria fidei Christianæ. Vide nostrum comment. dicto loco.

V. 6. Et facti sumus, ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatae universae iustitiae nostrae. Sententia hæc frequens est in ore hæreticis nostri temporis, qui docent in sola remissione peccatorum iustitiam hominis consistere; nequaquam autem in operatione virtutum: eo quod, (ut ex hoc loco volunt) omnia opera, etiam iustorum sint peccata. Sed respond. Primum loquitur Isaias non in persona sua, sed populi; id quod circumstantia sermonis satis declarat. Deinde de populo loquitur quatenus vetus erat, & servilis; cuius iustitia ex sola legis cognitione procedebat, non ex gratia Dei: ideoque omnis illa iustitia nihil erat aliud quam immunditia. Si qui erant sancti in illo populo, qui ad spiritum libertatis pertinebant, paucissimi erant; & sic in hac generali sententia non est eorum habita ratio. At vero de operibus ipsis piorum, longe aliter loquitur Scriptura. Sic Paulus ad Titum II. de Christo: *Qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum*. Ecce populus novi testamenti est populus mundatus, & sectator bonorum operum. Hinc & Apoc. XIX. iustificationes sanctorum comparantur byssino splendenti & candido.

M A R I A N AE.

Vers. 1. Vtinam dirumperes caelos. Optat Christi adventum; aut ut Deus veniat, & ulciscatur impios. A facie tua montes defluerent, igne de cælo tacti.

V. 2. Sicut exustio ignis tabescerent. vox *tabescerent* Heb. non est, hoc tantum, *sicut exustio ignis liquefactionem* (id est magni ignis, qualis est qui omnia liquefacit) Aquae arderent igni. Heb. *aquæ ebullirent*, seu *ferverent igne in tuo adventu*. Gentes turbarentur. Heb. *tremerent*.

V. 3. Cum feceris mirabilia. Locus intricatus. Sic verto: *In faciendo te mirabilia* (quæ) *non expectabamus; descendisti, a facie tua montes defluxerunt;* quasi dicat: Iam hoc factum est, cum descendisti in montem Sina, petimus, ut rursus facias.

V. 4. A Saeculo non audierunt; id est, numquam sunt visa neque audita, quæ tunc mirabilia fecisti. Quae praeparasti. Heb. (quæ) *fecit expectanti eum*. Mutat repente personas, & a prima transit ad tertiam. Aut sic sensus: Non sunt audita, neque visa, quæ Deus faciet expectantibus eum. Ideo non est mirum, si petimus, ut nunc repetat mirabilia quæ olim fecit.

V. 5. Occurristi laetanti, scilicet in te, in tua lege, nimirum ut illi benefaceres. In viis tuis recordabuntur tui: aut *recordati sunt tui*, propter tua opera & vias, aut in lege tua facientes eam. Ecce tu iratus es, et peccavimus, id est postquam peccavimus. *Et*, pro, postquam, aut pro, quia. In ipsis fuimus semper. In ipsis viis tuis, in lege tua fuimus. Loquitur non de omnibus, sed de iustis. Et salvabimur, aut, *salvati sumus;* futurum pro præterito.

V. 6. Et facti sumus ut immundus. Deus superius dicta bona contulit, nos contra polluti sumus. Pannus menstruatae. Heb. *sicut vestis vetus & centonum*. Abstulerunt nos, id est removerunt a te & a tua lege nostræ iniquitates.

V. 7. Qui consurgat. Heb. *qui se excitet nullus est*, ut te placet. Et allisisti. Heb. *dissolvisti nos*. In manu iniquitatis nostrae. In iniquitate nostra, id est propter iniquitatem. Vox *manu* redundat.

V. 9. Ne irascaris Domine satis, id est valde. Et ne ultra. Heb. *& ne in perpetuum recorderis iniquitatis*, scilicet nostræ. Respice, scilicet nos.

V. 10. Civitas sancti tui. Heb. *civitates sanctitatis tuæ*, id est sanctæ tuæ. Utroque nomine tueri debes, & quod sanctæ, & quod tuæ. Facta est deserta. Heb. *factæ sunt desertum*. Sion desertum scilicet fuit.

V. 11. Domus sanctificationis nostrae. Heb. *sanctitatis*, id est sancta, templum. Versa sunt in ruinas. Heb. *fuere in desolationem*.

V. 12. Continebis, aut *roborabis*, indurabis te, ne scilicet miserearis? Chald. *Numquid super his confortaberis Domine?* Sic cap. superiori vers. 15: vertit Chald. in roborandi significatione idem verbum תתאפק *thithapak*. Tacebis, scilicet ad preces nostras.

MAL.

MALVENDAE.

Verf. 1. UTINAM DISRUMPERES CAELOS, ET DESCENDERES: &c. Regressio, inquiunt, ad postulatum expositis argumentis, ut dictum est in vers. 15. superioris capitis, quod elegantissimis comparationibus illustratur. Sunt autem huius postulati duo capita, unum adversus hostes Dei & Ecclesiæ, usque ad versum 4. alterum, pro Ecclesiæ, ut doctrina Evangelii afferretur per Christum, vers. 4. Reddunt ergo hunc versum: *Utinam lacerares cælos, & descenderes*: (humanitus dicta) *a facie tua montes diffluerent*: ut Iudic. v. 5. Alii: *O si cælum scindas, ac descendas, quo montes, tamquam ab ignis incendio colliquescant*. Iungunt sequentibus nonnulli: *Utinam rumperes cælos & descenderes, a facie tua montes stillent aquam*! Hæc verba in Hebraicis codicibus iunguntur ultimo versui præcedentis capitis.

V. 2. SICUT EXUSTIO IGNIS TABESCERENT, &c. Hunc versum ex Heb. varie efferunt: I. Sanctes: *Instar inflammantis ignis effervéntes aquas*, sive *dissolutas aquas, erat deflagratio ignis tui, ad manifestandum nomen tuum hostibus tuis: a facie tua gentes formidabant*. II. Vatablus: *Sicut exarsit ignis dissolutionum, & aquam fecit fervere ignis, ut celebre redderes nomen tuum apud hostes tuos; sic a te gentes timeant*. Ignem dissolutionem vocat omnia colliquefacientem, hoc est vehementissimum & acerrimum. Alludit ad descensum olim in monte Sinai factum. III. *Secundum ardere ignem liquefactionum, aquas bulliet ignis, ad notificandum nomen tuum hostibus tuis, a facie tua gentes formidabunt*. IV. *Tamquam incendio ignis liquefactionum, ignis aquas ebullire fecit, &c.* V. *Sicut exarsit ignis dissolvens, & aquas fervere fecit ignis; ut notum faceres nomen tuum*, &c. VI. *Sicut exurit ignis liquefaciens, aquam bullire facis ignis, ut nomen tuum*, &c. VII. Forsterus: *Iuxta accendi ignem*, id est iuxta accensum ignem, *liquidas aquas defervet ignis*: vel *sicut in incendio ignis, liquidas aquas, quas eruit*, seu *elicit ignis*, id est eliquefacit, & ebullit; *ad scire faciendum nomen tuum adversariis tuis; a facie tua gentes commovebuntur*. VIII. Leo Iudas: *Tamquam ab incendio ignis, ignis inquam, qui ebullit violentas aquas, ut innotescat nomen tuum hostibus tuis, & gentes a conspectu tuo contremiscant*. IX. Forerius: *Sicut accenso igne liquidas aquas elicit ignis*; id est, ebullire facit, vel ex herbis, aliisque rebus distillatoria arte elicit: *ut notum fieret nomen tuum: a facie tua gentes commovebuntur*. X. Avenarius: *Quemadmodum inflammatur ignis liquidarum aquarum*: vel *sicut fervefacit ignis liquores, & aquas eliciet ignis, ad notificandum nomen tuum angustatoribus tuis: a facie tua gentes contremiscent*. XI. Marinus: *Quando ardet ignis liquefactionum, aquas ebullire facit ignis*, vel *aquas quærit*, seu *requirit ignis*, Hebraismo pulcherrimo, *al fue o si richio del aqua per estinguerlo: ad manifestandum nomen tuum hostibus tuis: a facie tua hostes horrebunt*. XII. Schindlerus: *Sicut exurit ignis liquefactionum, aquas fervefaciet ignis*, quo liquescunt montes: Accentus *Rebia* ostendit pertinere ad præcedentia, non ad consequentia, videlicet: *A facie tua montes defluxerunt sicut exurit ignis liquefaciens omnia, & aquas fervefaciens*. XIII. Fremellius, Iunius, & Buxtorfius: *sicut conflagrat ignis*, vel *quemadmodum conflagrante igne cremia*, seu *stipulas, aqueas bullat ignis*, sive *aquarum bullas excitat ignis: ut notum faceres nomen tuum hostibus tuis, a facie tua gentes contremiscant*. Elegans comparatio montium diffluentium cum aquis ferventibus in olla ad luculentum ignem: quæ allegoria in fine versus exponitur. XIV. Hispanicus Interpres: *Como fuego qua abrasando derrite, fuego que haze heruir el agua, paraque hizi esses notorio tu nombre a tus enemigos, y las gentes templassen a tu presentia*. TABESCERENT. המסים *hamasim*, exponunt, *liquidi, liquefactiones, liquores*. Alii, *cremia, stipulas secas* interpretantur. Leo Iudas exponens *violentias*, cum *Cheth* legisse videtur, חמסים *chamasim*.

V. 3. CUM FECERIS MIRABILIA, NON SUSTINEBIMUS, &c. Hunc versum ex Heb. alii explicant: I. *Cum faceres mirabilia, quæ non sperabamus, descendisti, a facie tua montes defluxerunt*. II. *Cum feceris mirabilia, non intenti erimus, descendisti a facie*, &c. III. *Cum faceres miracula, quæ non sperabamus, descendisti e cælo, & ob te præsentem montes stillaverunt*. Subaudiunt aliquid in principio versus, eiusmodi est:

Face-

Facere potes quod dico, nam & olim idem fecisti; *Cum enim faceres miracula*, &c. IV. Utinam, inquam, descenderes, ut olim, *cum faceres terribilia*, *quæ non expectabamus*, *& a conspectu tuo montes colliquebant*. V. *Faciens terribilia*, *quæ non expectassemus*, id est omnem hominum cogitationem superantia, quæ ne in mentem quidem hominis ascenderunt, ut I. Corinth. II. 9. *utinam descendas*, *a facie tua montes diffluent*.

V. 4. A SAECULO NON AUDIERUNT, NEQUE AURIBUS PERCEPERUNT, &c. Hunc versum ita quidam ex Heb. accipiunt: *Et inde a sæculo inaudita*, *auribus minime percepta*, *quæ oculus non vidit*, *o Deus*, *præter te*, *Deus*, *Deus comparet præstolanti ipsum*; id est, mysteria Evangelii revelata per Spiritum, in quæ desiderant angeli prospicere, ut interpretantur Apostoli, I. Corinth. II. 9. & I. Petri I. 12. utinam compareet Deus, cuique piorum. EXPECTANTIBUS TE. לְמְחַכֵּה לוֹ *limehaccheh lo. prolonganti*, *longe expectanti*, *præstolanti*, *anhelanti*, *inhianti ei*, vel *ad ipsum*.

V. 5. OCCURRISTI LAETANTI, ET FACIENTI IUSTITIAM, &c. Alii: *Occurris gaudenti*, *& exercenti iustitiam*, id est ei, qui cum gaudio incumbit iustitiæ, &c. Tertia pars orationis, nimirum confirmatio postulati, ut dictum est in vers. 7. capitis præcedentis, qua Ecclesia primum misericordiam Dei erga resipiscentes, & vere pœnitentes, ac iustitiæ studiosos explicat; deinde peccata sua confitetur, qua in confessione sincera posita sunt initia veræ pœnitentiæ, ut ostendit David. Psalm. XXXI. 5. quæ duo proleptice hoc versu ponuntur, postea vero exornatur peccatorum confessio, vers. 6. & 7. ex qua postremo conclusio efficitur implorans misericordiam Dei erga resipiscentem & pœnitentem Ecclesiam, a vers. 8. ad finem usque capitis. Est autem *occurrendi* verbum humanitus attributum Deo. Alii: *Occurristi gaudenti in te*, *& facienti iustitiam*, subaudi, occursu mortis; id est, sustulisti de medio eos, qui gaudebant in te, & faciebant iustitiam, & meminisse solebant tui, quibus nimirum dignus non erat mundus. Nonnulli exponunt: *Olim solebas occurrere patribus*, *eosque præsentia tua exhilarare*; *ecce autem nunc longe abes*: occulta antithesis. Quidam: *Exaudisti orationem eorum*, *qui gaudebant in te*, *& faciebant iustitiam* *&c.* ECCE TU IRATUS ES, ET PECCAVIMUS. Alii: I. *ecce autem tu iratus es quod*, vel *quia peccavimus*. II. *en tu efferves cis cum peccamus*. IN IPSIS FUIMUS SEMPER, ET SALVABIMUR. Quidam interrogante accipiunt: In peccatis continuo manemus, & putamus nos salvum iri? Alii: I. *& in iis peccatis consenuimus*, *alioqui salus nobis contigisset*. II. *in ipsis fuimus in sæculum*, *& tamen salvi facti sumus*. Sæculum hoc loco pro diuturno tempore; quasi dicat: Tametsi obstinati diu mansimus in peccatis nostris, ac digni fuimus quos millies perderes, tamen misericordia tua servati sumus. III. illud *in ipsis*, referunt non ad peccata, sed ad *vias tuas*, quæ paulo ante præcesserunt, ita: *perpetuo in illis stando servati fuissemus*, nimirum in illis viis Dei, quarum meminit priore membro. Est autem his verbis elegans hypothesis, adversativa confessio subiicitur.

V. 6. ET FACTI SUMUS UT IMMUNDUS: Alii: *Sed sumus ut immundus*; id est, peccatis nostris tamquam lepræ sordibus, ab ipsius Dei, hominumque consortio separati. Vide Levitici XIII. 40. & sequentibus. Nonnulli abstracte reddunt: *ut pollutio*, *contaminatio*, *inquinamentum*, quod sensum auget. MENSTRUATAE. עִדִּים *ghiddim*, quod semel hic tantum in Scriptura invenitur, aiunt esse pannos exutos & abiectos, centones laceros ac detritos, frusta vestium consumpta, putrida, sordida, putida. Quidam *remotiones* exponunt, id est res inquinatas & abominabiles, quæ removentur & abiiciuntur. Sanctes reddit: *& sicut vestimentum inquinatorum*. Vatablus, *sordidatorum*, id est factum panniculis putidis. Forsterus: *& quasi vestes detritæ*, seu *abiectæ*. Marinus, Tremellius, Iunius, Buxtorfius: *& sicut panniculus remotionum*, id est abiectissimus; vel *sicut pannus menstruorum*, quod plerique Hebræorum sequuntur: is enim removeri a conspectu & abiici solet: vel *& menstruæ remotionis*; diverso vocabulo Hebraice appellatur, Levit. XII. 2. vide Thesaurum novissimum Pagnini, Colum. 1884.

V. 7. NON EST, vel *Nullus est*, QUI INVOCET NOMEN TUUM, &c. id est, ac ne tuis quidem ferulis cæsi resipuimus: exaggeratio. QUI CONSURGAT, ET TENEAT TE. Alii: I. *aut qui sese incitet*, *ut te* ap-

apprehendat, id est ut adhæreat tibi. II. *excitans se ad prehendendum te*, id est consequendum, ut loquitur Apostolus Philip. III. 12. ET ALLISISTI NOS. Heb. *dissolvisti, resolvisti, liquefecisti nos*. IN MANU INIQUITATIS NOSTRAE. Alia Heb. exemplaria cum *Iod* habent, *in manu iniquitatum nostrarum*, quod plenius est, id est propter, vel per iniquitates nostras; quasi dicat: Peccatis nostris effectum est, ut dissolveremur, & quasi cera liquesceremus.

V. 8. ET NUNC, DOMINE, PATER NOSTER ES, &c. Alii: *Iam vero, Iehova, pater noster*, &c. Conclusio ex antecedentibus confecta, ut dictum est in vers. 5.

V. 9. NE IRASCARIS DOMINE SATIS. Heb. *Ne effervescas, Iehovah, usque ad valde*, id est quam plurimum, ultra modum, infra vers. 12.

V. 10. CIVITAS SANCTI TUI FACTA EST DESERTA, &c. Heb. pluraliter: *Urbes sanctitatis tuæ sunt desertum*, &c. Hebræi, & plerique Nostrorum duos hos versus ad Assyriacas vel babylonicas devastationes referunt: alii, ad supremam per Romanos. Satis videtur hic loqui Ecclesia ex reliquiis Iudæorum reprobatorum collecta, ut videbimus sequente capite.

V. 12. NUMQUID SUPER HIS, &c. Hunc versum alii ex Heb. explanant: I. *Num in his te continebis, o Iehova?* vel *num ob hæc continebis*, subaudi, iram tuam, *o Iehova?* id est, numquid ob has iniurias Chaldæorum continebis te diutius ne ostendas illis iram tuam, & nobis liberationem? quasi dicat, Non; nam tandem sumes pœnas de illis, & nos servabis: *num dissimulabis, & tam vehementer nos affliges?* II. *An propter illas continebis te Iehova?* nimirum, propter illas iniquitates nostras, de quibus supra vers. 5. 6. 7. & 9. quasi dicat: Indignum esset te magis ad peccata nostra respicere, quam ad gloriam tuam in liberatione Ecclesiæ positam: *sileres, & affligeres nos quam plurimum*.

MENOCHII.

Vers. 1. DIRUMPERES: aperies, aceres. DEFLUERENT, id est liquescerent. Alludit ad descensum Domini in montem Sina, cum legem dedit Hebræis, tunc enim mons ille contremuit, & quasi liquefactus est coram Domino, ex mera, & naturali quadam Dei reverentia. Vide Exod. XIX. 18.

V. 2. SICUT EXUSTIO IGNIS TABESCERENT: liquescerent, solverentur, ut ea solvuntur, quæ igni comburuntur. AQUAE ARDERENT IGNI: licet aquis sociari non posse videatur. Alludit ad fulmina, & tonitrua, quæ in nube aquis gravida emicuerunt in Sina. UT NOTUM FIERET NOMEN TUUM INIMICIS TUIS. LXX. habent, *& manifestum erit nomen tuum in adversariis*, id est gloria, maiestas & potentia tua. TURBARENTUR: timerent, revererentur te gentes, quæ te Deum non agnoscunt.

V. 3. CUM FECERIS MIRABILIA: per Christum præsertim in conversione Gentium. NON SUSTINEBIMUS: hanc Christi gloriam, & efficaciam, quia illa sui amore æque ac tremore, & stupore nos percellet, & subiget, ut demus ei manus, & colla subdamus. Ita explicat D. Hieronymus. DESCENDISTI. Loquitur Propheta quasi a Deo exauditus, & voti sui compos factus. MONTES DEFLUXERUNT. Videtur significare potentes, & principes prius superbos, & elatos, qui se Christi Cruci subiecerunt.

V. 4. A SAECULO NON AUDIERUNT, &c. Numquam auditum est populo alicui tam multa, & tam eximia bona data esse, ut dabit Christus fidelibus, cum carnem sumpserit, & cum beatos in æternam patriam receperit. ABSQUE TE: idem est quod, *præter te*, uno te excepto: Unde S. Paulus I. ad Corinth. 1. explicat, *absque spiritu Dei*; quasi dicat: Solus Deus, Deique spiritus cognoscit hæc bona, & ille, cui ea ipse voluerit revelare.

V. 5. OCCURRISTI LAETANTI, ET FACIENTI IUSTITIAM; id est, in hac vita eis qui cum lætitia, & alacritate iustitiam faciunt occurret, preces eorum exaudiendo, & consolationibus recreando; in vita vero futura eos ad gloriam admittendo. Vel sensus est, occurristi, & exhibuisti te gentibus cum lætitia excipientibus te, & Deum agnoscentibus, & legem tuam admittentibus, & servantibus. IN VIIS TUIS RECORDABUNTUR TUI: hi autem memores erunt tui, & in mandatis tuis ambulabunt strenue, & cum lætitia. ECCE TU IRATUS ES, ET PECCAVIMUS; quasi dicat: At vero nobis Iudæis iratus es, qui peccavimus, nec a peccato absistimus. IN

IPSIS,

ipsis, peccatis. ET SALVABIMUR: sed per misericordiam tuam salvabimur; tuo enim beneficio fiet, ut admissa scelera detestemur, & aliam agendi, & vivendi rationem instituamus.

V. 6. UT IMMUNDUS, &c. ac si essemus leprosi, aut alia huiusmodi immunditia maculati, & fœdi: est vox Iudæorum quærentium iustificationem, & emundationem a peccatis, post promulgatam legem Christi, quo tempore omnes purificationes, & sacrificia pro expiatione peccatorum instituta non solum mortua sunt, & virtute cassa, sed etiam mortifera, & adeo a peccatis non purgant, ut potius magis fœdent, & deturpent ea usurpantes. CECIDIMUS QUASI FOLIUM; quasi dicat: Olim floruit synagoga, nunc aruit, & ut folium marcescens defluxit.

V. 7. NON EST QUI INVOCET NOMEN TUUM: ea fide, mente, sanctitate & iustitia, qua par est. TENEAT TE: placet te, & quasi prohibeat, ne nos punias. ALLISISTI NOS IN MANU INIQUITATIS NOSTRAE; quasi dicat: Tradidisti nos peccato, quasi lictori, cruciandos, & allidendos.

V. 9. SATIS. In Hebr. est *usque valde*, hoc est ultra modum nimis.

V. 10. SANCTI TUI. Hebr. *sanctitatis tuæ*, sanctuarii tui, in quo scilicet templum sanctum tuum est.

V. 11. DOMUS SANCTIFICATIONIS; scilicet Templum. DESIDERABILIA: quidquid eximium, & splendidum erat Ierosolymis, palatia, prætoria, ædes elegantes.

V. 12. CONTINEBIS TE: ne scilicet nobis opem feras, & hostes ulciscaris.

TIRINI.

Vers. 1. UTINAM, o Deus, DIRUMPERES CAELOS, ET ad nos in terram DESCENDERES! non loco (cum ubique præsens sis,) sed nova operatione, nempe assumptione naturæ nostræ humanæ. Simili catachresi aiebat cap. XLV. vers. 8. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum*. Optat enim his verbis obices omnes & remoras tolli. Utinam

V. 2. TABESCERENT MONTES SICUT EXUSTIO IGNIS, id est ut solent res igni adustæ dissolvi, vel liquari & diffluere: Alludit ad descensum Domini in montem Sinai *a*, inquiunt Tertullianus, S. Iustinus & Hieronymus *b*. Utinam AQUAE ARDERENT IGNI! id est, fulmina e nubibus diffectis emicent! ut ibidem factum. Vel ignis e cælo delapsus absumat aquas quæ lambunt victimas! ut contigit ad preces Eliæ *c*, & post etiam *d* Nehemiæ, inquit Alcazarius.

V. 3. CUM eiusmodi MIRABILIA etiam inter nos FECERIS, nempe de cælo cum tanta maiestate ad nos descenderis, NON SUSTINEBIMUS, ultra diffluere a te; sed tremore ac stupore perculsi & subacti, dabimus tibi manus, & colla iugo tuo subdemus. Alludit ad terrorem Hebræorum viso igne & flammis in monte Sinai, Exodi XX. 18. ita S. Hieronymus. Mox quasi exauditus Propheta, & voti compos factus, Iam, inquit DESCENDISTI ad nos, o Deus, iam spiritu video te hominem factum, & in terra nobiscum versantem: iam MONTES, id est quæcumque alta, sublimia, potentia sunt in mundo, DEFLEXERUNT A FACIE TUA, id est instar mollis ceræ ad præsentiam tanti ignis liquata, dissoluta, dissipata sunt.

V. 4. A SAECULO enim; id est, ex quo conditus est mundus, nemo umquam *audivit*, nemo *vidit*, sed nec cogitavit, nec suspicatus fuit tanta tamque augusta gratiarum dona, quanta, o Christe, PRAEPARASTI *&* *donasti* EXSPECTANTIBUS TE. Ita explicat S. Paulus I. Corinth. II. 9. Quod de donis præsentis vitæ intelligunt S. Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, Anselmus in eum Pauli locum: Forerius, Sasbout, Leo Castrius & Sanchez hic: item Tertullianus, Cyprianus & alii, quos citat & sequitur Gabriel Vasquez *e*. Sed de futuræ vitæ gloria exponunt S. Dionysius, S. Thomas, Bernardus *f*, Haymo, a Lapide, quin & ex supra citatis Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus & Anselmus *g*, sed aliis locis. Porro donis his tuis

V. 5. OCCURRISTI ultro obviam veniens cuique LAETANTI de adventu tuo, tibique credenti, adhærenti, servienti, ET FACIENTI IUSTITIAM, & IN VIIS mandatorum tuorum ambulanti, & iugiter *tui recordanti*. E contrario: ECCE IRATUS ES nobis impiis, perfidis & obstinatis Iudæis, qui noluimus te excipere, te honorare, te sc-

sequi; sed PECCAVIMUS in te, te spernendo, vexando, occidendo, & in hoc tui contemptu & offensione iugiter persistendo: ET tamen SALVABIMUR tua misericordia & merito, si velimus. Nam quantum est ex parte nostra,

V. 6. FACTI SUMUS UT IMMUNDUS OMNES NOS, idque tam coram Deo, quam coram hominibus, quibus more leprosorum, seminifluorum vel pestiferorum, horrori fuimus & terrori & odio: ita S. Hieronymus, Forerius & alii. Quod in Iudæos etiam hodie quadrat ad litteram. Si quid vero videamur habere IUSTITIAE, seu naturalis, v. g. caritatis in proximum; seu legalis, ut sacrificia expiatoria, lotiones manuum & calicum, &c. id omne simile est *panno* mulieris MENSTRUATAE, id est sordidissimo & fœtidissimo: nempe propter innumera scelera quibus illæ iustitiæ ut iunguntur, ita & inquinantur & contaminantur. Nullus vero hic sermo est, etiam Calvino & Musculo testibus, de bonis operibus iustorum, sed de fictis iustitiis perfidorum Iudæorum, ut etiam clarissime patet ex vers. seq. NON EST QUI INVOCET NOMEN TUUM, &c. Unde ALLISISTI NOS & contrivisti IN MANU, id est per manum, INIQUITATIS NOSTRAE, tamquam lictoris & carnificis; cui solemne est sævire in auctorem.

V. 9. NE IRASCARIS DOMINE SATIS. Hebraice, *usque valde*, seu *nimis*: quod in fine capitis Noster vertit, *vehementer*.

V. 10. CIVITAS SANCTI TUI, seu sanctuarii tui, nempe Ierosolyma, in qua erat templum sanctum tuum, de quo quasi inviolabili gloriabamur, iam deserta est, eversa & exusta, tum a Chaldæis, ut Vatablus; tum a Romanis, ut S. Hieronymus & alii passim exponunt.

(a) Exod. XIX. 18. Hebr. XII. vers. 18. Psalm. LXVII. vers. 9.
(b) Tertull. Lib. de Resurr. carnis cap. XXVI. Iustin. & alii a Leone Castrio citati.
(c) II Reg. XVIII. 38.
(d) II. Mach. I. 20.
(e) Vasquez. I. p. disp. 31. cap. 4.
(f) Bern. Serm. XI in Cant.
(g) Tertull. sup. Cypr. ep. v. Hieron. hic, & ep. XVIII. ad Eustochium. Ansel. in I. Cor. 11. & alibi.

GORDONI.

Vers. 1. UTINAM DIRUMPERES CAELOS. Pars est inchoatæ orationis: utinam omnes obices adventus tui tolleres: DEFLUERENT MONTES, &c. Hæc & sequentia verba tendunt eo, ut Deus suam ostendat potentiam in salute per Messiam præstanda; nec deest hic allusio ad ea mirabilia quæ facta sunt in monte Sina, & in AEgypto, coram Pharaone. Addit vers. 3. si feceris mirabilia, dabimus manus: & mox velut in ecstasi videtur sibi Propheta videre venientem.

V. 4. OCULUS NON VIDIT. Plura etiam annuntiat de futura iustorum gloria in Ecclesia triumphante: sic hunc locum interpretatur Paul. I. Cor. 11. 9. & ita passim Patres; nec debet de Incarnatione intelligi. Hinc habes visionem beatam esse supernaturalem.

V. 5. OCCURRISTI LAETANTI, quasi diceret: Occurristi iustis tuis qui sunt ex gentibus ad Ecclesiam vocati; idque in hac insigni lætitia. At nos Iudæi qui in lætitia tui adventus (inquit Propheta) restitimus tibi, certe peccavimus tibi & iratus es nobis. Sed quæres quomodo Iudæi in peccatis semper, & tamen salvabuntur? quidam legunt, salvabimur, per interrogationem, ut sit negatio, nequaquam; unde LXX. habent *ideo erravimus*, ἐπλανήθημεν: verum ex mente Hieronymi, hic sensus est, Nos Iudæi qui semper fuimus in peccatis (utpote quæ non defuerunt inter nos; immo omnes qui venientem non recepimus) tua tantum misericordia conversi salvabimur & gratia: nam per nos sumus immundi, & quidquid ex nobis videmur habere iustitiæ, est velut pannus menstruatæ; nec opera legis nostræ, nisi tua adsit misericordia nos salvabunt. Et hoc quidem, ut verum est, ante hunc Christi adventum, ita iam evidentius post legem Evangelicam, quando omnes Iudæi qui Christum non receperunt sunt in peccatis.

V. 6. & 7. Pergit Propheta loqui in persona Iudæorum non recipientium Christum; quasi dolens eorum vicem, quorum iustitia legalis post Christum est ut pannus menstruatæ; quod egregie explicat Hieronymus. Si quis, inquit, post Evangelium Chri-

Christi, & adventum filii Dei, pædagogi legis observat cæremonias, audiat populum confitentem, quod omnis illa iustitia pannis fordidissimis comparetur.

Incipie ergo Novatores hinc colligunt omnia hominum omnium opera esse peccata (licet, inquiunt, iustis non imputentur) Hos damnarunt Leo X. & Trident. Sess. VI. can. VII. Et quid mirum si horum Iudæorum opera sint sic impura & inutilia ad vitam æternam, cum etiam ad salutem non sufficiant Christianorum opera, quæ non ex gratia, sed ex solis viribus naturæ procedunt.

V. 8. Et nunc Domini, &c. Deprecatio est Prophetæ pro hoc suo populo Christum reiiciente; quasi dicat: Pater es: civitas est eversa; exustum est templum: quæ omnia belle refert Hieronymus ad tempora Christi.



CAPUT LXV.

Gentium conversio, & Iudæorum propter iniquitates suas & idololatriam abiectio, servatis tamen paucis reliquiis ex ipsis: comminatio his qui Dei legem abiecerunt, & prospera ac nova omnia servis Dei nuntiantur: de quorum felicitate & Dei erga ipsos benignitate multis agit Propheta.



1. Quæsierunt me qui ante non interrogabant, invenerunt qui
non quæsierunt me: dixi: (*a*) Ecce ego, ecce ego ad Gen-
tem, quæ non invocabat nomen meum. 2. Expandi
manus meas tota die ad populum incredulum, qui gra-
ditur in via non bona post cogitationes suas. 3. Populus
qui ad iracundiam provocat me ante faciem meam sem-
per: qui immolant in hortis, & sacrificant super late-
res: 4. qui habitant in sepulcris, & in delubris ido-
lorum dormiunt: qui comedunt carnem suillam, & ius profanum in vasis
eorum. 5. Qui dicunt, Recede a me, non appropinques mihi, quia im-
mundus es: isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. 6. Ecce
scriptum est coram me: non tacebo, sed reddam * & retribuam in sinum
eorum 7. iniquitates vestras, & iniquitates patrum vestrorum simul, dicit
Dominus, qui sacrificaverunt super montes, & super colles exprobraverunt
mihi, & remetiar opus eorum primum in sinu eorum. 8. Hæc dicit Domi-
nus: Quomodo si inveniatur granum in botro, & dicatur: Ne dissipes il-
lud, quoniam benedictio est: sic faciam propter servos meos, ut non disper-
dam totum. 9. Et educam de Iacob semen, & de Iuda possidentem mon-
tes meos: & hereditabunt eam electi mei, & servi mei habitabunt ibi.
10. Et erunt campestria in caulas gregum, & vallis Achor in cubi-
le armentorum, populo meo qui requisierunt me. 11. Et vos, qui de-
reliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, qui poni-
tis Fortunæ mensam, & libatis super eam. 12. Numerabo vos in gla-
dio, & omnes in cæde corruetis: (*b*) pro eo quod vocavi, & non
respondistis: locutus sum, & non audistis: & faciebatis malum in oculis
meis, & quæ nolui elegistis. 13. Propter hoc hæc dicit Dominus Deus:
Ecce servi mei comedent, & vos esurietis: Ecce servi mei bibent,
& vos

& vos sitietis: 14. * Ecce servi mei lætabuntur, & vos confundemini : Ecce
servi mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cor-
dis, & præ contritione spiritus ululabitis. 15. Et dimittetis nomen vestrum
in iuramentum electis meis : & interficiet te Dominus Deus, & servos suos
vocabit nomine alio. 16. In quo qui benedictus est super terram, benedice-
tur in Deo amen : & qui iurat in terra, iurabit in Deo amen : quia obli-
vioni traditæ sunt angustiæ priores, * & quia absconditæ sunt ab oculis meis.
17. (c) Ecce enim ego creo cælos novos, & terram novam, & non erunt
in memoria priora, & non ascendent super cor. 18. Sed gaudebitis & exul-
tabitis usque in sempiternum, in his quæ ego creo : quia ecce ego creo Ie-
rusalem exultationem, & populum eius gaudium. 19. Et exultabo in Ieru-
salem, & gaudebo in populo meo : & non audietur in eo ultra vox fletus
& vox clamoris. 20. Non erit ibi amplius infans dierum, & senex qui non
impleat dies suos : quoniam puer centum annorum morietur, & peccator
centum annorum maledictus erit. 21. Et ædificabunt domos, & habitabunt:
& plantabunt vineas, & comedent fructus earum. 22. Non ædificabunt, &
alius habitabit : non plantabunt, & alius comedet : secundum enim dies li-
gni, erunt dies populi mei, & opera manuum eorum inveterabunt : 23. *
electi mei non laborabunt frustra, neque generabunt in conturbatione : quia
semen benedictorum Domini est, & nepotes eorum cum eis. 24. (d) Eritque
antequam clament, ego exaudiam : adhuc illis loquentibus, ego audiam. 25.
(d) Lupus & agnus pascentur simul, * leo & bos comedent paleas : & ser-
penti pulvis panis eius : non nocebunt, neque occident in omni monte san-
cto meo, dicit Dominus.

(a) Rom. x. 20. (b) Prov. I. 24. Ier. VII. 23. Inf. lxvi. 4. (c) Inf. lxvi. 22. Apoc. xxi. 1.
(d) Psalm. xxxi. 5. (e) Sup. xi. 6.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 6. *Et retribuam in sinum eorum.* Pro *sinum*, cave scribas, addita *g* littera, *signum*.

Vers. 14. *Ecce servi mei lætabuntur, & vos confundemini.* Nullo modo omittenda est hæc pericope.

Vers. 16. *Et quia absconditæ sunt ab oculis meis.* Non est mutandum pronomen *meis* in *nostris*.

Vers. 23. *Electi mei non laborabunt frustra.* Alii sic distinguunt, ut *electi mei*, non inchoet hanc periodum, sed finiat præcedentem. Lege Notationes.

Vers. 25. *Leo & bos comedent paleas.* Non præponas coniunctionem & voci *leo*.

NOTATIONES.

Vers. 22. & 23. ET *opera manuum eorum inveterabunt electi mei. Non laborabunt frustra.* Octo manuscripti codices, & post Moguntinam editionem impressi plerique cum Dionysio Richelio distinguunt hunc ad modum : *Et opera manuum eorum inveterabunt. Electi mei non laborabunt frustra :* quam distinctionem Græcus Auctor Cyrillus sequitur, & Græca antigrapha, ea quæ nos videmus, exigunt : sic enim habent : *Opera enim laborum suorum (manuum suarum R) vetera facient. Electi autem mei non laborabunt in vacuum.* Porro alteram distinctionem, *Et opera manuum eorum inveterabunt electi mei. Non laborabunt frustra*, quæ D. Hentenio probata fuit, servant nostra decem manuscripta; quam & Hebraici libri, quos ego viderim, referunt; & translatio 70. duorum ut est in Hieronymi commentariis : *Opera laborum suorum inveterascere facient ele-*

 cti

cti mei: non laborabunt in vacuum. Sunt alia nostra manuscripta 13. quæ eumdem ad modum distinguunt, sed paulo aliter legunt: *Et opera manuum eorum inveterabunt electis meis. Non laborabunt frustra*, quibus comprehensa sunt antiquiora atque integriora nostra, Brug. Leod. Lob. Pl. m. E. O. Q. His suffragantur vetera Parisiensium Di. o. l. Ge. o. l. p. & antiqua Epanorthotæ. Hugo Cardinalis de hac istorum lectione. „ Hanc „ litteram, inquit, habet Hieronymus, & „ libri correcti. " Habet eam diserte Hieronymi commentario adiunctus textus (quamquam pro *inveterabunt*, *veterasces* legat) nec parum vult ei ipse Hieronymi commentarius, si diligenter discutiatur. Atque etiam hoc indicet transtulisse eum *electis meis*, potius quam *electi mei*, quod *eorum* non *suarum*, dixerit: *Et opera manuum eorum*: satis enim commentaria docent, & veriores codices, non eum sequentibus copulasse τὸ *electi mei*. Haymo utramque lectionem explicat, *electis meis*; cuius ad litteram sensus est: Opera populi Dei ad eius usum vetera fient, itaut interim dum nova & recentia sunt, nec pereant, nec per mortem auferantur, nec ab hoste diripiantur; id quod Hebraice, & Chaldaice ad verbum est: *Et opus manuum suarum ad vetustatem perducent electi mei*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. QUAESIERUNT ME. Hoc debet esse initium huius capitis sicut apud Hebræos est, & sententia ipsa postulat. Heb. נִדְרַשְׁתִּי, *quæsitus sum*; id est, repertus, ab iis qui me ante non interrogabant, a gentibus, quæ ignorabant me, ut interpretatur D. Paulus Rom. x. 20. INVENERUNT QUI NON QUAESIERUNT ME; id est, sponte mea ostendi me me gentibus, quæ me non quærebant. DIXI, ECCE EGO, patefeci me.

V. 2. EXPANDI MANUS MEAS. Expandere manus, eleganti metaphora significat non solum vocare; sed etiam gratiam offerre, aut, vocare hominem longe distantem, qui cum vocem audire nequeat, signa tamen manuum videre potest. Indicat ergo Deus se incredulum Iudæorum populum, & ab eo per peccata longe discedentem, non verbis tantum, sed etiam manibus, id est miraculis vocavisse. INCREDULUM. Heb. סוֹרֵר, *rebellem*. POST COGITATIONES SUAS, id est post humana inventa, relictis mandatis Dei: sic vocat idola, quia inventa hominum sunt, ut Psal. cv. 29 *Et irritaverunt eum in adinventionibus suis*: & vers. 39. *Et fornicati sunt in adinventionibus suis*.

V. 3. POPULUS QUI AD IRACUNDIAM PROVOCAT ME ANTE FACIEM MEAM, id est, qui coram me idola colit. Omnibus peccatis Deus ad iracundiam provocatur, sed præsertim idololatria. QUI IMMOLANT IN HORTIS, id est in lucis, ubi sacrificia idolis fiebant: Exod. xxxiv. 13. Deut. vii. 3. & xii. 3. sæpeque alias. ET SACRIFICANT, וּמְקַטְּרִים, *& suffiunt* SUPER LATERES, id est super tecta quæ lateritia erant, ut aliqui Hebræi exponunt. Vel, ut alii, quibus magis assentior, *super altare lateritium*.

V. 4. QUI HABITANT IN SEPULCRIS. In sepulcris etiam frequentes esse solebant, ut a mortuis responsa postularent. ET IN DELUBRIS, בנצורים, *in desertis locis idolorum pernoctant*, ילינו. His duobus verbis, *habitare*, & *pernoctare*, significat quanto studio atque labore idolis servirent. ET IUS PROPANUM: פרק פגולים, *iusculum pollutorum*, id est confectum ex carnibus lege prohibitis, IN VASIS EORUM, id est in ollis reperitur.

V. 5. QUI DICUNT, RECEDE A ME. Heb. קְרַב אֵלֶיךָ, ad verbum, *appropinqua tibi*, vel, *sta apud te*. Gallice, *Retire toy*. NE APPROPINQUES MIHI, אל תגש בי, *ne tangas me*. QUIA IMMUNDUS ES. Heb. קְדַשְׁתִּיךָ. Noster Interp. reddidit, *quia immundus es*, quoniam קדש aliquando significat immundum: eaque significatio visa illi est huic loco convenire. Alii, *quia sanctificarem te*. Alii, *quia sanctior sum te*. Septuag. ὅτι καθαρός εἰμι, *quia mundus sum*. Notat summam Iudæorum arrogantiam, qui ista facerent: non patiebantur se a Prophetis, vel quoquam alio admoneri; sed respondebant se illis esse sanctiores. ISTI FUMUS ERUNT, id est, excitabunt tamquam fumum furorem meum, ut eos perdam, eruntque mihi ignis materia,

teria, ut sup. cap. XLVII. 14. *Ecce facti sunt quasi stipula, ignis combussit, non liberabunt animam suam de manu flammæ.*

V. 6. ECCE SCRIPTUM EST CORAM ME. Significat Deus, se non posse oblivisci scelerum illorum, quia omnia in conspectu quasi scripta habet: sicut econtrario dicitur habere librum vitæ, ubi bonorum merita scripta sunt, qui nihil aliud est, quam eius scientia. NON TACEBO, id est non dissimulabo, sed RETRIBUAM, illis (peccata sua) IN SINUM EORUM. Retribuere aut reddere in sinum, significat aliquem pro suis meritis tractare, sive puniendo, ut Psal. LXXVIII. 12. *Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum*: sive remunerando, ut Luc. VI. 38. *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum*: vide vers. 7.

V. 7. ET INIQUITATES PATRUM VESTRORUM. Non quod filius iniquitatem patris portet, id est propter eius peccata condemnetur: Ezech. XVIII. XIX. XX. sed filiorum corpora tamquam membra parentum occidat, sicut occidit filium Davidis propter adulterium patris: II. Reg. XII. 14. Hoc enim modo dicitur visitare iniquitates patrum in filios usque in tertiam & quartam generationem. ET REMETIAR OPUS EORUM PRIMUM, id est a primo usque ad ultimum dignis pœnis afficiam, ut vers. 6.

V. 8. HAEC DICIT. Videbatur Deus superioribus versibus generalem omnium Iudæorum interitum comminatus; adhibet nunc moderationem sententiæ: declarat enim eleganti similitudine, non ita se deleturum omnes, quia servaturus sit pauculos iustos, si repererit, ut dixit idem Isaias supra x. 22. & D. Paulus Rom. IX. 27. *Si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiæ salvæ erunt.* NE DISSIPES ILLUD QUONIAM BENEDICTIO EST (בו *in eo*) id est bonum est: metaphora sumpta est a vindemiatoribus, qui racemos putridos aut acerbos abiiciunt; sed si vel unum granum bonum in aliquo inveniant, servant illud. NON DISPERDAM TOTUM (populum) vel כל, *omnes.*

V. 9. ET EDUCAM DE IACOB SEMEN: ut inde Christus nascatur, veraque sit promissio, Gen. XLIX. 10. *Non auferetur sceptrum de Iuda*, sicut sup. Propheta dixit cap. XI. 1. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* ET HEREDITABUNT EAM (hereditatem, relativum sine antecedente.) Intelligitur autem hoc de hereditate terræ Iudæ post captivitatem Babylonicam; mystice autem de Ecclesia, quam electi Iudæi hereditaturi erant.

V. 10. ET ERUNT CAMPESTRIA. Heb. שרון, *Saron*, nomen proprium fertilissimæ regionis inter montem Tabor & mare Tyberiadis, ut Hieron. ait, I. Paral. XXVII. 29. & Isai. XXXIII. 9. & Act. IX. 35. ET VALLIS ACHOR. Vallis pascua erat in tribu Iuda, Iosue XV. 7. Sensus ergo est, fore ut electi redeant in terram Iuda, ibique ita multiplicentur, ac ditescant, ut pascua pecoribus & armentis cooperiantur.

V. 11. ET VOS. Opponit nunc malos bonis. QUI PONITIS FORTUNAE לגד, alii, *exercitui* (cæli) id est, stellis. MENSAM, id est aram ad sacrificandum, sicut nos altare mensam Domini vocamus. ET LIBATIS SUPER EAM. Heb. והממלאים למני ממסך, *& impletis numerum* (stellarum) *illibamine*, id est tot sacrificiorum genera immolatis, quot stellæ in cælo sunt, quia singulas stellas singulos deos putatis, ut IV. Reg. XVII. 16. *Et adoraverunt universam militiam cæli.*

V. 12. NUMERABO VOS IN GLADIO; id est, singillatim gladio occidam, quemadmodum si numerarem vos. Usus est numerandi verbo, ut alluderet ad id quod vers. præcedenti dixerat: *Impletis numerum*; quasi dicat: Sicut vos stellas numerastis, ut illis sacrificaretis; ita ego numerabo vos, ut occidam. ET FACIEBATIS MALUM IN OCULIS MEIS, in contemptum mei, scientes quod viderem vos.

V. 15. ET DIMITTETIS NOMEN VESTRUM IN IURAMENTUM: לשבעה, *in execrationem* ELECTIS MEIS: ita ut cum execrari aliquem velint, dicant, Faciat tibi Deus quod Iudæis fecit. ET SERVOS SUOS: electos sive ex Iudæis, sive ex gentibus, (ut ante nominavit.) VOCABIT NOMINE ALIO, id est Christianos: vel, redemptos a Domino, ut dixit supra cap. LXII. 12. *Et vocabunt eos, Populus sanctus, Redempti a Domino.*

V. 16. IN QUO QUI BENEDICTUS EST: המתברך, *qui benedicitur*, vel, *qui se ipsum benedicit*, vel *qui se ab aliis benedici cupit.* SUPER TERRAM; id est, in toto orbe terrarum, non in Iudæa tantum ut ante. Significat Christianum nomen ubique terra-

rum

rum in honore futurum. BENEDICETUR IN DOMINO AMEN. Coniunctè legendum, ut Heb. באלהי אמן, *in Deo. amen* (in genitivo) id est, in Deo veritatis, in Deo veraci, ac fideli. Sensus est, fore ut qui in nomine Christiano rum benedicentur, non frustra benedicantur, & inaniter, sed ut Deum veracem ac fidelem experiantur, qui promisit se daturum quidquid a se in nomine Christi peteretur, Ioan. XIV. 13. Quare & Ecclesia omnia per Christum petit. QUIA OBLIVIONI TRADITAE SUNT. Christianorum & electorum verba sunt lætantium se a Domino præteritis miseriis liberatos. *Transivimus per ignem & aquam, & eduxistis nos in refrigerium*; Psal. LXV. 12. *Et lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala*: Psal. LXXXIX. 15. ET ABSCONDITAE SUNT AB OCULIS NOSTRIS, id est non eas amplius videmus. Noster Interpres legit, עינינו. Hebræi nunc legunt עיני, *ab oculis meis*, ut sit Deus qui loquitur, & dicat se non recordari præteritorum malorum, ut ea iterum inducat.

V. 17. CAELOS NOVOS. Locutio est hyperbolica, qua magna quædam & incredibilis mutatio in melius significatur. Status enim Ecclesiæ Evangelicæ tanto melior est quam Iudaicæ, ut sub novo cælo, & in nova terra habitare videatur, sicut D. Petrus II. epist. cap. III. 5. dicit ante diluvium alios fuisse cælos, & aliam terram; post resurrectionem vero hæc quæ nunc sunt renovatum iri: vers. 13. *Novos vero cælos & novam terram secundum promissa ipsius expectamus*: & Apocal. cap. XXI. 1. *Et vidi cælum novum, & terram novam*: & vers. 5. *Ecce nova facio omnia*: vide inf. cap. LXVI. 22. ET NON ASCENDET IN COR, id est nemo recordabitur eorum.

V. 18. SED GAUDEBITIS. שישו: rectè noster Interpres existimavit Imperativum Hebraicum pro futuro positum esse. IN PERPETUUM IN IIS QUAE EGO CREO, id est vita beata ac sempiterna. QUIA ECCE EGO CREO IERUSALEM EXULTATIONEM, id est exultantem & gaudentem; ita describit Ecclesiam triumphantem. Aut, exultationem & gaudium mihi, id est in qua ego exultabo & gaudebo, ut statim ait vers. 19.

V. 20. NON ERIT IBI AMPLIUS; id est, nemo prævenietur morte, sed omnes, & iuvenes & senes annos suos complebunt: significat nullum ibi morbum futurum. QUIA PUER, centum annorum deest, בן *filius* CENTUM ANNORUM MORIETUR; id est, quamvis aliquis puer moriatur qui bene vixerit, existimabitur centesimo ætatis suæ anno mortuus esse, ut Sap. IV. 13. *Consummatus in brevi explevit tempora multa*. ET PECCATOR CENTUM ANNORUM MALEDICTUS ERIT; id est, puer censebitur mori, quamvis diu vixerit. Maledictionis enim divinæ genus putabatur in pueritia mori.

V. 21. ET AEDIFICABUNT DOMOS, ET INHABITABUNT; id est, non ædificabunt aliis, sed sibi, & fructus vinearum quas plantaverint, ipsi comedent, non alii, sicut supra cap. LXII. 8. *Si dedero triticum tuum ultra cibum inimicis tuis*. Significat hac metaphora felicitatem status Ecclesiæ Catholicæ.

V. 22. SECUNDUM ENIM DIES LIGNI; id est, vitis quam plantaverit, ERUNT DIES POPULI MEI. Tamdiu vivet unusquisque in populo meo, quamdiu vinea quam plantavit duraverit, ut comedat omnes fructus eius. ET OPERA MANUUM EORUM, ומעשה necessario est aliquid subintelligendum: potest autem intelligi aut כ, *secundum opus manuum eorum inveterabunt electi mei*: id est, tamdiu vivent, quamdiu durabunt domus, (has enim vocat opus manum eorum) quas ædificaverint. Aut potest intelligi præpositio ב cum nomine בחירי, *cum electis meis*, ut sit sensus, Neque ipsi morientur ante opera ipsorum, neque ipsorum opera peribunt ante illorum mortem. Prior lectio & interpretatio mihi magis placet.

V. 23. NON LABORABUNT FRUSTRA, id est ita ut non fruantur laboribus suis. NEQUE GENERABUNT IN CONTURBATIONE, לבהלה, *in terrore*; id est, eum generabunt, non perturbabuntur morte filiorum. QUIA SEMEN BENEDICTORUM EST; id est, longissime vivent, donec nepotes suos videant. Aut, non solum ipsi, sed etiam eorum nepotes diutissime vivent.

V. 25. LUPUS ET AGNUS PASCENTUR SIMUL: כאחד, *eodem modo*; id est, lupus non vescetur carnibus, sed herbis sicut agnus, & leo non comedet carnes, sed paleas sicut bos; & serpens non edet sanguinem aut carnem, sed pulverem; quasi dicat, Omnia restituentur per Christum in eum.

rum statum, quo antequam Adam peccaret, creata fuerant; tunc enim bestiæ, neque hominibus, neque aliis bestiis nocebant, sed herba unus omnium cibus erat. Quod de bestiis dicitur, non de illis, sed de hominibus intelligendum est, qui ita Christi doctrina mansuefacti sunt, ut ex lupis agni, ex leonibus boves facti esse videantur. Similis locus supra cap. XI. 7.

S A.

Vers. 1. QUAESIERUNT, scilicet gentiles. INTERROGABANT, id est consulebant. LXX. totum locum sic verterunt: *Apparui non quærentibus me, inventus sum a non interrogantibus me*: quod Rom. x. citatur paulo aliter. EGO; scilicet adsum. Vox Christi.

V. 2. POPULUM, scilicet Iudaicum. INCREDULUM, &c. LXX. *non credentem, & contradicentem*. COGITATIONES SUAS. LXX. *peccata sua*.

V. 3. LATERES, id est altaria ex lateribus.

V. 4. SEPULCRIS, scilicet ut a mortuis in somnis responsa accipiant. PROFANUM, id est carnium vetitarum.

V. 5. DICUNT, scilicet aliis. IMMUNDUS ES. Chald. *purior te sum*. LXX. *mundus sum*. IGNIS, &c. Chald. *ultio eorum erit in gehenna, ubi ignis*, &c.

V. 6. SCRIPTUM; pro, velut scriptum; quasi dicat, apertum, vel statutum. TACEBO, id est dissimulabo.

V. 7. EXPROBRAVERUNT MIHI, id est me probro seu contumelia affecerunt. REMETIAR. LXX. *reddam*. PRIMUM, id est pristinum. IN SINU EORUM. Chald. *eis ultionem peccatorum ipsorum, & tradam morti secundæ corpora eorum*.

V. 8. BENEDICTIO; pro, benedictum.

V. 9. SEMEN, id est filios spirituales. MONTES, scilicet Ierusalem, per quam Ecclesia intelligitur.

V. 10. CAMPESTRIA, &c. quasi dicat: Dabo illis loca ampla & commoda.

V. 11. FORTUNAE. Chald. *idolis*. LXX. *dæmoni*.

V. 12. NUMERABO, id est numeratos tradam, scilicet nullo relicto. LXX. *tradam*.

V. 15. IN IURAMENTUM, id est exsecrationem, scilicet dicent cum iurabunt: Mihi contingat (nisi verum dico) quod Iudæis. LXX. *in satietatem*, scilicet tædebit vos nominare. INTERFICIET. Chald. *interficiet morte secunda*. ALIO, scilicet Christianos.

V. 16. IN QUO, scilicet nomine, vel tempore. AMEN. Chald. *vivo*. LXX. *vero*. MEIS, scilicet poterit quisque eorum dicere.

V. 17. SUPER COR, id est in cogitationem.

V. 18. IERUSALEM; pro, super Ierusalem. POPULUM; pro, super populum.

V. 19. IERUSALEM, scilicet cælesti.

V. 20. DIERUM, id est ætate; quasi dicat: Omnes erunt in cælo adulta & perfecta ætate. PUER CENTUM, &c. id est, natus centum annos, si peccator sit, morietur tandem: & erit maledictus: id autem dicit ad ostendendam differentiam electorum & reproborum.

V. 21. AEDIFICABUNT, scilicet in hac vita. Intellige vero per hæc corporalia, res spirituales.

V. 22. LIGNI. Chald & LXX. *ligni vitæ*; quasi dicat, Erunt diuturni, seu perpetui, aut felices. INVETERABUNT, id est diu durabunt.

V. 23. IN CONTURBATIONE. Chald. *ad mortem*. LXX. *in maledictionem*.

V. 25. LUPUS, &c. Significatur, homines alioqui contrarios moribus concordes futuros in Ecclesia, iisdemque cibis spiritualibus & ritibus usuros. SERPENTI, id est diabolo. PULVIS, id est peccatores, seu reprobi.

E S T I I.

Vers. 17. ECCE ENIM EGO CREO CAELOS NOVOS, ET TERRAM NOVAM. Nomine cælorum non solum intelliguntur orbes cælestes; verum etiam quidquid sub illis est, usque ad nos; id est, in genere, quidquid supra nos est. Totum enim hoc cælum vocatur, more Scripturæ, ut eum toties dicitur, volucres cæli, & similia. Hoc loco autem sic generaliter accipi nomen cæli, satis patet ex II. Petri III. cum hoc loco collato. Item ex eo, quod Propheta respicit ad primam rerum creationem de qua Genes. I. *Creavit Deus cælum & terram*, ubi etiam cælum ita generaliter accipitur. Denique quomodo hic locus

in

intelligendus sit, vide clare Apocal. xxi. & nostrum com. loco citato.

V. 24. ERITQUE ANTEQUAM CLAMENT, EGO EXAUDIAM. Similis locus est Psalm. xxxi. *Dixi*, *Confitebor adversus me iniustitiam meam Domino*, *& tu remisisti iniquitatem peccati mei*. Quibus modis loquendi, per quandam velut hyperbolen significatur Deum certissime & statim exaudire; quasi dicat: Antequam clament, & clamorem finierint, ego exaudiam: quem sensum satis clare ipsa Scriptura quoque indicat; cum immediate subiungit Dominus: ADHUC ILLIS LOQUENTIBUS, EGO EXAUDIAM.

MARIANAE.

Vers. 1. QUAESIERUNT ME. De vocatione Gentium agit. QUI ANTE NON INTERROGABANT, id est consulebant. Vox *ante* Heb. non est, sed suppletur. Supplet Chald. QUI NON QUAESIERUNT ME; supple, ante. Non solebant me quaerere. ECCE EGO; id est, praesto sum, vos exaudiam, vobis responsa dabo.

V. 2. EXPANDI MANUS MEAS, ut amplecterer, acciperem; quasi dicat: Non miror, si alias gentes admitto, quando meus populus me repudiat. AD POPULUM INCREDULUM. Heb. *rebellem*, contumacem, declinantem. QUI GRADITUR IN VIA NON BONA POST COGITATIONES SUAS; supple, nempe post cogitationes, id est libita.

V. 3. ANTE FACIEM MEAM, id est in oculis meis, me vidente. SACRIFICANT. Heb. *adolent*, thurificant. SUPER LATERES; scilicet dum coquuntur lateres, ut bene res vertat, & lateres bene coquantur, thus adolent idolis. Aut *sacrificant super lateres*, id est super altaria e lateribus.

V. 4. QUI HABITANT IN SEPULCRIS. Sedent, manent in sepulcris, ut mortuos consulant, ab iis responsa quaerant. ET IN DELUBRIS IDOLORUM, sive *in desertis pernoctant*. Sic Pagn. ut videant scilicet stellas, & ex iis coniectant futura. Septuag. *in specubus dormiunt propter somnia*. ET IUS PROFANUM; supple, est in vasis eorum, scilicet ex suilla. Qui dicunt:

V. 5. RECEDE A ME. Heb. *accede ad te*, id est a me recede, ut Hieronymus dixit. QUIA IMMUNDUS ES. Alii, *sanctior te sum*. Heb. *sanctus sum te*, id est prae te, nempe qui superbiunt. Et quidem verbum קדש kadas ambiguum est: & *sanctum esse* significat, & *immundum esse*. Priorem significationem secuti sunt alii: Hieronymus posteriorem, nec incongrue. Ergo Heb. *sanctificavi te* perinde erit, atque *immundum te esse iudico*, *nostro colloquio indignum*. ISTI FUMUS ERUNT. Qui eiusmodi sunt, eos puniam; ut ligna subiecto igne in fumum abeunt, sic isti nihil erunt. IN FURORE MEO, qui ut ignis semper ardet, & consumet eos.

V. 6. ECCE SCRIPTUM EST, scilicet peccatum hoc. Non delebitur a memoria, ut ea quae scribuntur. NON TACEBO; pro, non dissimulabo, aut non quiescam, donec ulciscar eorum peccata.

V. 7. OPUS EORUM PRIMUM, id est antiquum & patrum, puniam. Nimirum maiorum peccata posteros luere constituit. IN SINU EORUM, scilicet filiorum ponam.

V. 8. QUOMODO SI INVENIATUR GRANUM IN BOTRO. Sept. *acinus*. Heb. *mustum in racemo*. NE DISSIPES ILLUD. Heb. *ne corrumpas illum racemum*, scilicet calcando illum. QUONIAM BENEDICTIO EST. Heb. *benedictio in eo*, id est pulcher est; quasi dicat: Ut in vindemia quibusdam racemis parcunt, sic ego faciam. NON DISPERDAM TOTUM. Heb. *non corrumpam omnes*. Aliquos mihi servabo.

V. 9. ET EDUCAM DE IACOB SEMEN, id est aliquos e posteris. MONTES MEOS, scilicet montem Sion, ubi arx erat, & montem Moria, ubi templum, erunt qui possideant. HEREDITABUNT EAM, scilicet urbem Ierusalem.

V. 10. ET ERUNT CAMPESTRIA. Septuag. *silva*. Pagn. *planities*. Heb. *erit Saron in caulam gregum*. Chald. *erit Saronitis mansio*. Itaque *Saron*, quod est in Heb. sumit pro monte eius nominis, ubi laeta pascua erant. ET VALLIS ACHOR. In valle herbae luxuriant, armentis pascua magis commoda. Iis in locis erunt caulae & armenta, iis quos servare vult.

V. 11. QUI PONITIS FORTUNAE MENSAM. Pagn. *militiae caeli*. Et per *mensam* aut altare intelligit, aut convivia, quae in honorem idolorum instruebant. In Luciano Hecates seu Lunae coena celebratur I. Dia-

Dialogo Mortuorum. Apud alios mensa Solis famosissima, ut Hieronymus ad Paulinum ait, & Pomponius Mela Lib. III. cap. x. plura, cum Spartianus Severum Imper. ad eum locum profectum ait rei fama permotum. ET LIBATIS SUPER EAM. Heb. *& impletis Planetis libamen. Implere* est offerre seu sacrificare.

V. 12. NUMERABO VOS IN GLADIO; id est, numeratos vos caedi tradam, unus e vobis non effugiet.

V. 14. CONFUNDEMINI, erubescetis. LAUDABUNT PRAE EXULTATIONE CORDIS. Heb. *iubilabunt servi mei prae bonitate*, id est iucunditate cordis, quod vos punierim.

V. 15. IN IURAMENTUM ELECTIS MEIS erit vestrum nomen. Sic Chald. Septuag. *in saturitatem*. Nimirum ש *Sin*, in voce *sebuhah*, legerunt cum puncto *Smol*. Heb. Schol. *in execrationem*. Sed est iuramentum execrativum, quo hae interpretationes in speciem pugnantes concilientur. Ergo erit nomen vestrum in execrationem. Dicent enim: Sic faciat tibi Deus, ut illis fecit. Ierem. XXIX. 22. magis declaratur hic modus execrationis, quando Achab & Sedeciam pseudoprophetas fore execrationi denuntiat. ET INTERFICIET TE. Haec sunt execrationis verba: Dicent, scilicet electi, interficiat te Dominus, sicut scilicet interfecit eos homines impios. ET SERVOS SUOS VOCABIT NOMINE ALIO; scilicet nomen eorum non erit in execrationem, sed in benedictionem.

V. 16. IN QUO QUI BENEDICTUS EST SUPER TERRAM. *In quo*, scilicet nomine servorum Dei benedicetur, qui in mundo benedictus fuerit. Hebraica sic verto: *Quo*, pro, in quo, *se benedicens in terra se benedicet*. IN DEO AMEN, id est in Deo veritatis. Septuag. *in Deo vero*. Chald. *in Deo vivo*. Unde id? Ut sensus constet, suppleri debet coniunctio *&*, sic: Se benedicet, & in Deo vero. Itaque in nomine servorum Dei, & in Dei nomine se benedicet. IURABIT IN DEO AMEN. Supplco, qui iuraverit, iurabit in nomine iustorum, & in Deo vero. QUIA OBLIVIONI TRADITAE SUNT ANGUSTIAE PRIORES. Non est mirum, si meorum nomen sic exalto: antiquam severitatem benignitate mutavi; malorum, quae intuli, non recordor. AB OCULIS MEIS: sic Heb. non *nostris*, absconditae sunt angustiae priores.

V. 17. CREO CAELOS NOVOS; id est nova rerum omnium facies erit. Laetis cuncta videntur pulchriora. PRIORA, id est antiqua, neque peccata, neque supplicia recordabor.

V. 18. SED GAUDEBITIS ET EXULTABITIS. Heb. *quinimo gaudete & exultate*; pro *gaudebitis & exaltabitis*. Imperativus pro futuro. IN HIS QUAE EGO CREO, id est propter ea quae ego facio. Mea indulgentia erit gaudii materia. CREO IERUSALEM EXULTATIONEM; id est, in Ierusalem pono exultationem, & in populo eius gaudium. Faciam ut gaudeat.

V. 19. ET EXULTABO IN IERUSALEM. Ego quoque cum ceteris me laetum ostendam. IN EO, scilicet populo. Heb. *in ea*, scilicet Ierusalem.

V. 20. INFANS DIERUM, id est tenerae aetatis, non erit. QUI NON IMPLEAT DIES SUOS. Pueri & senes ad longaevam aetatem pervenient. ET PECCATOR CENTUM ANNORUM. Senex, qui abusus aetate longaeva peccarit infamis erit & maledictus.

V. 22. SECUNDUM ENIM DIES LIGNI, id est arboris vivacis. ERUNT DIES POPULI MEI. Ut sciat quod fore Deus pollicetur, se non aedificaturum domum quam alius habitet, & plantaturum vineam quam alius vindemiet, ut contingit iis, qui cito moriuntur. ET OPERA MANUUM EORUM; id est, quousque vetera sint opera, manebunt penes illos.

V. 23. ELECTI MEI. Heb. Septuag. & Chald. iungunt cum praecedenti verbo. Sic Goth. sed legunt, *electis meis*, id est cum electis meis: quae lectio commodior est. *Opera sua inveterabunt electis meis:* sic Hieronym. in Comm. NON LABORABUNT FRUSTRA Heb. *in vanum*. NEQUE GENERABUNT IN CONTURBATIONE, aut *in timore*, id est quos fore aliorum servos, aut brevi morituros filios timeant. ET NEPOTES EORUM CUM EIS. Heb. *germina*. Sed per *germina*, *nepotes*, posteros, & filios possumus intelligere. Itaque posteri erunt cum eis, & sospites eos habebunt; nullus casus auferet.

V. 25. LUPUS ET AGNUS. Repetit quae dixerat cap. XI. 7. Quod referendum est ad pacem, qua vivent in Ecclesia gentes variis moribus & ingenio. Quod si pax erit, nulla timoris & calamitatis occasio electis manebit. LEO ET BOS COMEDENT PA-

PALEAS; id eſt, leo ut bos comedet, & eo cibo ſatiatus non nocebit. ET SERPENTI PULVIS PANIS EIUS, id eſt cibus eius. Pulvere paſtus non mordebit, neque nocebit, non captabit prædam. NON NOCEBUNT, ſcilicet hæ feræ, quas dixit; nulli nocebunt in Eccleſia. Is eſt mons ſanctus Dei, quem ſic vocat.

MALVENDAE.

Verſ. I. QUAESIERUNT ME, &c. Obſervant, ad antecedentem Eccleſiæ poſtulationem hoc capite reſpondere Chriſtum, ut diximus cap. LXIII. I. Eſſe autem huius reſponſi tres ſummatim partes; primam eſſe, narrationem vocationis Eccleſiæ ex gentibus, & Iudæorum caſtigatorum reliquiis, uſque ad verſ. II. ſecundam, conteſtationem Iudæorum, inde ad verſ. 18. tertiam, concluſionem a magnificis Dei promiſſionibus erga filios ſuos, ad finem uſque capitis. Hunc autem verſum varie ex Heb. convertunt: I. *Quæſitus ſum ab his, qui non interrogaverunt*, vel *qui antea me non requirebant*, aut *non conſuluerant me; inventus ſum ab iis, qui me non quæſierunt*, vel *feci ut invenirent me qui non requirebant me: dixi, Ecce ego, ecce ego adſum ei genti, quæ non vocabatur nomine meo*. II. *Quæſitus ſum*, vel *expoſitus ſum*, ut Pſalm. cx. 2. *eis, qui non interrogabant; inventus ſum ab eis, qui non quærebant me: dixi, Ecce me, ecce me, genti, quæ non vocatur de nomine meo*, id eſt gentibus; quæ prius alienæ fuerunt a republica Iſraelis, extraneæ a pactis promiſſionis &c. Epheſior. II. 12. Hunc & ſequentem verſum adducit Paulus Romanor. x. 20. & 21. ad demonſtrandam vocationem gentium, & Iſraelitarum reprobationem: idque ex LXX. editione.

V. 2. EXPANDI MANUS MEAS &c. Alii ex Heb. hunc verſum reddunt: *Expandebam manus meas toto die ad populum rebellem*, ſeu *deſertorem, qui ambulant via non bona, ſequendo cogitationes ſuas*. Secundus narrationis locus, quo Deus exponit primum improbitatem Iudæorum, verſ. 3. 4. & 5. & ultiones ſuas, verſ. 6. & 7. deinde vocationem, reliquiarum ſecundum electionem gratiæ, tribus ſequentibus. Eſt autem *expandere manus*, humanitus dictum de Deo, pro eo quod eſt, invitare & vocare ad ſe. Nec deſunt, qui putent alluſum ad geſtum Chriſti expandentis in cruce manus. *Cogitationes ſuas*, id eſt opiniones, ſeu ſtudia vana aut noxia.

V. 3. POPULUS QUI AD IRACUNDIAM PROVOCAT ME ANTE FACIEM MEAM SEMPER. Alii ex Heb. I. *Ad populum, inquam, irritantes me*, vel *qui iraſci faciunt me in faciem meam ſemper*. II. *qui laceſſunt me in faciem meam iugiter*; id eſt, qui me coram, palam, in faciem conviciis impetunt. III. *Ad populum, qui provocant me*, extimulant ad iracundiam, *in os iugiter*. QUI IMMOLANT IN HORTIS. Heb. *ſacrificantes in hortis*, id eſt pomariis, & lucis, quos idolis conſecraverant, ut ſupra cap. I. 29. ET SACRIFICANT SUPER LATERES. Quidam: *& adolentes in lateribus*, ſeu *lateritiis*, id eſt in altaribus ſuis ſtructilibus omiſſo altari Dei. Per lateres aras ſignificat, quæ cocto lapide contra legem conſtructæ erant: vide Exod. xx. 24. & 25. Nonnulli Hebræorum exponunt, In tectis domorum, quæ lateribus ſternebantur. Quidam: in vaſis fictilibus ac teſtaceis, ſeu e lateritia materia, cum deeſſent aurea & argentea: tanta erat libido adolendi, vel tam late patens, ad pauperes uſque.

V. 4. QUI HABITANT IN SEPULCRIS. Alii: *qui ſedent ad ſepulcra*; id eſt, necromantæ, qui animas defunctorum eliciunt, & mortuos conſulunt, de quibus Deuteronom. XVIII. 11. & ſupra cap. VIII. 19. quali fuit pythoniſſa illa Saulis. ET IN DELUBRIS IDOLORUM DORMIUNT. Heb. *& in aſſervatis, reſervatis, obſervatis, cuſtoditis, pernoctant*. Aliqui: *& in ruinis, deſertis locis pernoctant*, ibi enim ſolebant conſulere dæmones. Alii: *& apud cuſtodita pernoctant*, nempe idola: quæ ita per contemptum vocantur, propterea quod ipſa non cuſtodiunt cultores ſuos, ſed cuſtodibus habent opus, ut ſupra cap. XLVI. Chaldæus, & Rabbi Scelomoh exponunt: *& apud cadavera mortuorum*, quæ necromantæ cuſtodire ſolebant, ut ab iis aliquid ſciſcitarentur. Forſterus: *& in obſervatis morantur*, id eſt in locis abominoſis & tetris, e quibus prætervare ſe oportebat, ne contaminarentur. Avenarius: *& in obſervationibus pernoctabunt*, id eſt in cuſtodiis, vel excubiis templorum, vel idolorum. Arias Montanus: *& in monumentis pernoctabunt*, quæ ſint

sunt clausa & custodita. QUI COMEDUNT CARNEM SUILLAM, seu porcinam: contra legem Levit. XI. & Deuteronom. XIV. ET IUS PROFANUM IN VASIS EORUM. Notant Hebraice duplicem esse lectionem, in textu scribitur ופרק פגולים *uperak*, *pigguilim*, quod exponunt: *& abruptio*, *ruptura*, *fragmen*, *fructum abominationum*, seu *profanatorum*, *inquinatorum*, seu *inquinationem*, id est fructum carnium abominandarum, *vasa eorum*, seu *in vasis eorum*, aut *ex instrumentis suis*, subaudi, proferunt. Id sequuntur Tremellius, Iunius, Buxtorfius. Marinus etiam, qui explicat: *& abruptio abominationum sunt vasa eorum*; id est, digna ut abrumpantur tamquam abominabilia. In margine vero legitur. ומרק *umrak* פגולים *pigguilim*, quod *Mem*, & *Phe* sint eiusdem organi, nempe labiales, ideoque facile inter se permutentur: *& ius inquinatorum*, seu *inquinationum*, sive *abominabilium carnium in vasis eorum est*. מרק *marak*, enim dicitur *ius*, quasi defricatio, detersio, & defecatio carnium; seu amurca carnium, ut Iudic. VI. 20. Hunc sensum cum Nostro amplectuntur Reuchlinus, Sanctes, Vatablus, Leo Iudas, Mercerus, Avenarius, Forsterus, Forerius, & passim Hebræi. Hispanicus Interpres: *y en sus ollas ay caldo de cosas immundas*, id est *de carnes de animales prohibides*, Levit. XI. & Deuteronom. XIV. Forerius vertit, *edulium inquinationum vasa eorum*; quod in vasculis, & utensilibus eorum reperirentur edulia contra legem. Montanus: *& fervor nidorum vasa eorum*. Hispanice, *y fervor de cochambres sus vasiias*: פרק *parak*, *fervorem* exponit, & *phiggulim*, *nidores*: rationem suæ versionis ipse viderit, nam ego non capio. Ego facile exposuerim: *& defricatio*, *abstersio*, *emundatio inquinationum vasa eorum*; id est, sordes illæ, quæ ex inquinatis vasis defricantur & deterguntur; quasi dicat, Vasa eorum sunt inquinatissima & sordidissima. Hispanice, *estanse conlas fregaduras*.

V. 5. QUI DICUNT: RECEDE A ME, NON APPROPINQUES MIHI, QUIA IMMUNDUS ES. Varie alii ex Heb. I. *Dicentes*, *Mane apud te*; id est, contine te in loco tuo, *ne accedas ad me*, *quia sanctior sum te*. II. *Qui dicunt*, *Accede ad te*, vel *retrocede illuc apud te*; id est, *recipe te in locum tuum*, *ne appropinques mihi*, vel *ne contingas me*, *quia sanctior sum te*. III. *Qui dicunt*, *Appropinqua ad tuos*, *ne attingito me*, *quia sanctior sum te*. Notat arrogantes & fastuosos hypocritas Pharisaica imbutos superbia, quibus etiam integerrimi prophetæ, & germana Ecclesiæ membra præ ipsis sordent. Possis reddere: *quia sanctificavi te*; id est, sacrum te & intestabilem habeo; immundum, profanum, nam id quoque verbum קדש *kadasch*, posse significare, nomen *kadesch* ex eo verbo ductum, quod *profanum*, *pollutum*, *impurum*, *meretricarium & scortatorem* significat, satis ostendit: ut etiam Latinis *sacer*, & sacrum, & execrabilem significat. ISTI FUMUS ERUNT IN FURORE MEO, IGNIS ARDENS TOTA DIE. Quidam exponunt: Irato mihi fumum excitant, & ad iracundiam provocant me perpetuo. Alii: *exurentur penitus a meo furore*, *& in fumum abibunt*. Nonnulli: *istis fumus est in naso meo*, *ignis ardens toto die*; id est, contra istos exarsit ira mea. Et si hoc quoque modo possit exponi: *ista sunt fumus in naso meo*, *ignis adurens omni die*; pro eo quod est, hæc fastidio, horum me tædet, atque hoc tædio ira mea accenditur.

V. 6. ECCE SCRIPTUM EST CORAM ME &c. Alii hunc versum ex Heb. elucidant: *Ecce peccatum istud scriptum est coram me: non tacebo*, *sed reddam & rependam in sinum eorum*; vel *non cessabo*, *quinimmo retribuam & retribuam super sinum eorum*; quasi dicat: In numerato sunt hominum scelera, & quæ quisque pro eis passurus sit, apud Deum. Videtur respexisse Isaias ad locum Deuteronom. XXXII. XXXIV. & XXXV. II. *Ecce scriptum est coram me*: *non tacebo nisi rependero*; id est, mihi est compertissimum, neque umquam excidet a memoria mea: ut Deuteronom. XXXII. 4. *in sinum istorum*. Vide Psalm. LXXVIII. 12. sic versu sequente.

V. 7. ET REMETIAR OPUS EORUM PRIMUM IN SINU EORUM. Quidam reddunt: *quapropter remetiens opus eorum primum*, *regeram in sinum eorum*; id est, in quo inde a principio cum ipsi, tum maiores ipsorum sese occuparunt; quomodo Petrus vanam conversationem vocat, id est *paternam traditionem*, I. Petri I. 18.

V. 8. HAEC DICIT DOMINUS, &c. Alii: *sic ait Iehova*, &c. Iam transit Christus ad exceptionem reliquiarum ex Iudæis,

tribus versibus, ut dictum est in vers. 2. Quomodo si inveniatur granum in botro, &c. Alii ex Heb. I. *Quemadmodum cum acinus in botro reperitur, quis dicit, Ne perdas eum, quia est in eo benedictio: faciam propter servos meos, ne cunctos perdam*. II. *Ut, cui præsto est mustum in botro, is dicit, Ne perdito istum, quia benedictio est in eo: ita facturus sum propter servos meos, ne perdam istos omnes*.

V. 9. Et educam, &c. Alii: *producam*. Quidam: *Nam excipiam e Iahakabo semen, & de Iuda possidentem montes meos*, vel *& e Iehuda heredem montium meorum*, ut Exod. xv. 17. Et hereditabunt eam electi mei. Alii: *& possidebunt hereditatem istam electi mei iure hereditario*. Heb. est relativum sine expresso antecedente: *& hereditario iure possidebunt eam*, scilicet hereditatem, *electi mei*.

V. 10. Et erunt campestria in caulas gregum. Alii ex Heb. I. *Eritque Soharonitis regio caula gregum*: de Saron vide supra cap. xxxv. 2. & cap. xxxiii. 9. In caulas gregum. Heb. *in nomum*, *pascuum*, *caulam* (vide in Exod. xv. 12.) *ovis*, seu *pecoris*, aut *gregis*. Et vallis Achor, id est Ierichuntina, per synecdochen, quæ est fertilissima: vide de ea Iosue vii. 26. & Hoseæ ii. 15. Hæc erat in regno Iehudæ; Saronis vero regio in regno Iisraelis: ut significetur illa futura regnorum conglutinatio, de qua Hoseæ i. 11. & Ezechiel. xxxvi. 34. & alibi; quasi dicat: Reliquiis meis assignabo loca in Ecclesia mea, in quibus tranquille & beate vivant, summa animorum & rerum concordia.

V. 11. Et vos qui dereliquistis Dominum. Alii: *Vos vero desertores Iehovæ*, &c. Secunda pars responsi, ut dictum est in vers. 1. nimirum contestatio & sententia condemnationis adversus Iudæos degeneres, hoc & sequente versu, quæ deinde exornantur elegantissima antithesi promissionum erga bonas reliquias, & denuntiationum in illos, usque ad vers. 18. Qui obliti estis montem sanctum meum. Alii: *qui obliviscimini montis sanctitatis meæ*; id est, tamquam obliti negligitis, neque acceditis. Qui ponitis Fortunæ mensam. *Gad*, pro *Fortuna* recte accipi queat, ut Genes. xxx. 11. varie tamen alii reddunt: I. *qui paratis exercitui cæli mensam*, id est militiæ cæli, stellis, astris, sideribus. II. *qui instruitis ipsi Gad mensam*, sive *Excursori*, vel *Gradivo*, hoc est *Marti*: nam gentes crediderunt Martem præbere fortunam militibus in bello. Festus, *Gradivus Mars appellatus est a gradiendo in bella ultro citroque*. Servius in I. AEneidos: *Mars enim cum sævit, Gradivus dicitur; cum tranquillus est, Quirinus*: & in III. AEneidos; *Gradivum, exilientem in prælia*. *Alii*, *Gradivum, quod gradum inferant qui pugnant, aut quod impigre gradiantur, vel quod huc illuc gradiantur*. *Alii Gradivum, quod numquam equester, aut a gradu dictum*. III. *parantes Iovi mensam*. IV. *qui disponitis turmæ*, seu *globo*, aut *coniunctioni stellarum*, *constellationi*, *mensam*. V. *instruentes eum turma*, seu *copia*, aut *plenitudine mensam*; nam continuo subiicitur, *qui impletis ad numerum libamen*; hoc est, ut nihil desit, vel addi possit: videtur intelligere mensam variis dapibus refertam, & opipare instructam. VI. *instruentes bono eventui*, aut *bonæ gratiæ mensam*; id est, qui genio indulgetis, & laute vivitis. VII. *qui instruitis turmæ illi mensam*. Sic loquitur Propheta per contemptum, idola velut digito exerto commonstrans. Hunc sensum ex Chaldæo Interprete hauserunt. Et libatis super eam. Heb. *& implentes ipsi Meni infusionem*. Alii varie exponunt: I. *quique adimpletis numero stellarum*, seu *planetis libamen*. II. *quique impletis numero illi*, seu *numeris illis*, quod numeri pluraliter tantum hac significatione dicantur; id est, copiis, quibus velut exercitus cælum, terra, & aqua instructa sunt; quasi dicat, Variis ordinibus rerum creatarum, ut Genes. ii. 1. nam illis servitur contra præceptum Dei, Exod. xx. 4. *libamen*; vel *numeris istis*, scilicet deorum cælestium, seu stellarum, quæ pro diis celebrabantur. III. Forsterus: *& impletis Meni libamen*. מני *meni*, *stella quædam*, *cui a numeratione nomen idololatræ indiderunt libantes ei*, *ut in negotiationibus eo feliciores essent: verisimile est esse eum planetam, quem astrologi Mercurium appellant: Nam eidem etiam hodie in illos, qui eo horoscopo, seu ascendente, aut alia duodecim domorum feliciter posito nascuntur, vim ac divinam quamdam potentiam ascribunt, quod sint in negotiationibus, ceteris multo feliciores*. Id ferme

me ſequuntur, Forerius, Avenarius, Mercerus, Schindlerus. Nec deſunt, qui *meni* pro *Fato* accipiant. IV. Reuchlinus: *& peragitis numero de libamine. Id eſt ſacrificatis ſeptem planetis. Ego autem numerum ſic puto ſignificari, ut idololatras Pytagorizantes notarit numero ſervientes*: a qua expoſitione non prorſus abludunt Mercerus & Marinus. At Schindlerus vertit: *& implentes numero idolorum miſtum*, vel *miſturam*. S. Hieronymus in commentariis ſcribit: *Iuxta* LXX. *Paratis fortunæ menſam, & impletis dæmoni poculum, aut ceraſina, quod omnes ſimiliter tranſtulerunt: id eſt, miſtam potionem. Eſt autem in cunctis urbibus, & maxime in AEgypto, & in Alexandria idololatriæ vetus conſuetudo, ut ultimo die anni, & menſis eorum qui extremus eſt, ponant menſam refertam varii generis epulis, & poculum muſto miſtum: vel præteriti anni, vel futuri fertilitatem auſpicantes. Hoc autem faciebant & Iſraelitæ, omnium ſimulacrorum portenta venerantes, & nequaquam altari victimas, ſed huiuſcemodi menſæ liba fundebant.* V. Montanus: *qui complentes ad numerum de miſtione*. Nam antiqui in conviviis certum numerum poculorum præſcribebant: de quo more vide Lipſium Antiquarum Lectionum Lib. III. pag. 162. & Stuckium Antiquitatum convivalium Lib. III. cap. XIII. VI. Scholiaſtes Tranſlationis Pagnini hunc locum ita exponit: *diſponentes exercitui commeatum, & complentes vini modum iuxta numerum militum. Numerabo quoque vos in gladio*, &c.

V. 12. NUMERABO VOS IN GLADIO. ומניתי *manithi*, *numerabo*, paronomaſia cum מני *meni* quod proxime præcedit, qualibus Propheta hic paſſim delectatur; quaſi dicat: Vos libatis numero, ego numerabo vos ad gladium. Varie reddunt: I. *& ſubtraham vos, detraham, ſubducam de numero veſtro, per gladium*; ut indicet illam arithmeticæ ſpeciem, quam ſubtractionem ſeu ſubductionem appellant. II. *& ſupputabo vos, deputabo vos gladio*; id eſt, deſtinabo. III. *Tradam quoque numeros veſtros gladio*. IV. *Dinumerabo vos ad gladium*; id eſt, Dinumeratos vos, enſi obiiciam. ET OMNES IN CAEDE CORRUETIS. Alii I. *& ad mactationem vos univerſi incurvabitis vos*, ut ſcilicet vos incurvaſtis idolis. II. *& omnes vos mactationi ſuccumbetis*. FACIEBATIS MALUM IN OCULIS MEIS. Alii: *Sed feciſtis quod malum videtur in oculis meis*. ET QUAE NOLUI ELEGISTIS. Alii I. *& in quibus non complacui, eligentes complacuiſtis*. II. *& id, quo non delector, elegiſtis*. Sic infra cap. LXVI. 4.

V. 13. PROPTER HOC, HAEC DICIT DOMINUS DEUS. Alii ex Heb. *Idcirco ſic ait Dominus Iehovi*, &c. Exornatio antecedentis ſententiæ, ut diximus in verſ. 11. De appellatione vero *Iehovi*, quod huic Prophetæ ſit valde familiare coniungere hæc duo nomina, ADONAI, & IHUH, vide in Geneſ. XV. 2. ſic infra verſ. 15.

V. 14. ECCE SERVI MEI LAUDABUNT PRAE EXULTATIONE CORDIS. Hebr. *Ecce ſervi mei gratulatorie acclamabunt*, vel *iubilabunt, ovabunt, canent, præconia dicent a bono cordis*, ſeu *præ iucunditate, hilaritate animi*.

V. 15. ET DIMITTETIS NOMEN VESTRUM IN IURAMENTUM ELECTIS MEIS. Heb. *in adiurationem, abiurationem, imprecationem, execratorium, imprecatorium*. Quiddam reddunt: *ut ſit execrationi electis meis*; quaſi dicat: Faciam ut nomen veſtrum in malis imprecationibus & iuramentis execratoriis locum habeat, dicantque homines, qui ſibi male precabuntur: Ita mihi contingat ut illi Iudæo idololatræ; vel Diſpeream ut Iudæus idololatra, ſi non id fecero, &c. ET SERVOS SUOS VOCABIT NOMINE ALIO. Alii: *ſervis autem ſuis indet nomen aliud*, quam nunc obtineant, quod exprimitur ſequente verſu: ſic ſupra cap. LXII. 4. & ſequentibus. Plerique exponunt: Non vocabuntur ultra Iudæi, ſed Chriſtiani.

V. 16. IN QUO QUI BENEDICTUS EST SUPER TERRAM, BENEDICETUR IN DEO AMEN. Varie alii ex Heb. I. *Qui benedicet ſe in terra*; id eſt, qui benedictus haberi volet, *benedicet ſeſe in Deo veraci*; id eſt, dicet, & profitebitur ſe benedictum eſſe a Deo, in Deo, & per Deum veracem, qui præſtat quod pollicetur. II. *In quo*, ſcilicet nomine Chriſti, *qui bene dixerit ſe in terra*; id eſt, qui ſibi bonum aliquod in nomine Chriſti imprecatus fuerit, *benedicet ſe in Deo veritatis*; id eſt, is ſane ſibi precatur bonum in nomine veri Dei, qui fidelis eſt, & præſtare poteſt quod petitur. Perſpicue oſtendit Chriſtum verum Deum eſſe. III. *Quod, qui bene-*

a

dicit se in terra, *benedicet se in Deo veritatis*. IV. *Qui sibi benedicere voluerit*, *benedicet sibi in Deo vero*; id est, qui sentiet se felicem, dicet se benedictum a Deo vero Christo. V. *Ut qui sibi benedicturus est in terra*, *benedicat sibi per Deum firmi*, id est per Deum populi Sancti, qui fundatus & radicatus in Deo, firmus & immotus permanebit, ac ne portæ inferorum quidem prævalebunt adversus eum. Sed אמן *amen*, potius substantivum quam adiectivum esse videtur, in Deo fidei, fidelitatis, veritatis, constantiæ, stabilitatis, firmitatis, ratitudinis: nam nomen Dei hic est in regimine. Vide in Numeror. v. 22. sic sequente membro.

V. 17. ECCE ENIM EGO CREO CAELOS NOVOS, &c. Alii: *Nam ecce ego creaturus sum cælos novos*, &c. id est, omnia instauraturus sum in Christo, ut supra cap. XXV. 28. ET NON ASCENDENT SUPER COR. Alii: *neque venient in animum*, seu *in mentem*; id est, non amplius cogitabunt de illis.

V. 18. SED GAUDEBITIS ET EXULTABITIS, &c. Alii hunc versum reddunt: *Sed gaudete & exultate in sempiternum*, *quos ego recreo: nam ecce ego recreo urbem Ierusschalaimorum exultatione*, *& populum eius gaudio*. Conclusio responsionis Christi, ut dictum est in vers. 1. a promissis amplissimis, per apostrophen ad pios: quibus regeneratis prædicuntur lætitia, hoc & sequente versu; vita, vers. 20. pax & prosperitas, tribus sequentibus: idque per efficacitatem providentiæ Dei, vers. 24. quæ omnia exornantur communi hyperbole, versu ultimo. USQUE IN SEMPITERNUM. Heb. geminata voce עדי עד *ghade ghad*, quod exponunt: *ultra & ultra*, vel *assidue magis*. Alii *in æternitatem æternitatis*; id est, in omnimodam & absolutam æternitatem, in omnem æternitatem.

V. 19. ET EXULTABO IN IERUSALEM, ET GAUDEBO IN POPULO MEO. Quidam reddunt: *Et exultante me de Ieruschalaimis*, *& gaudente de populo meo*: ut Deuter. XXVIII. a vers. 1. ad 15. & supra cap. LX. 4. & 5.

V. 20. NON ERIT IBI AMPLIUS INFANS DIERUM. Quidam: *Non existet illic amplius infantulus ætate*. Aliqui exponunt: *Non egredietur illuc ultra parvulus dierum*; non immatura morte rapientur parvuli, qui paucos dies vixerunt; quasi dicat, Quam diutissime vivent. Sed aptius est, nullus erit infantulus ætate sensuum aut spiritus: sed omnes viri perfecti, &c. ET SENEX QUI NON IMPLEAT DIES SUOS: id est, qui ante plenum suæ ætatis tempus moriatur. Nonnulli reddunt: *cuius non impleat dies Deus*. QUONIAM PUER CENTUM ANNORUM MORIETUR. Hebr. *quia puer filius centum annorum morietur*. Quidam: *nam puer natus centum annos morietur*; id est, suum vitæ spatium decurret sine impedimento ullo: non morietur antequam plenum vitæ curriculum, quod erit centum annorum, impleverit. ET PECCATOR CENTUM ANNORUM MALEDICTUS ERIT. Alii: *peccator autem*, *etiam natus centum annos*, *maledictus erit*; id est, quo magis longæva ducetur vita, eo maiores maledictiones experietur. Plerique, peccatorem centum annorum, inveteratum, & obduratum in peccatis accipiunt. Nonnulli exponunt: *& qui post centum annos peccaverit*, *maledicetur*. Tam raro & tarde peccabunt, ut portenti loco habeatur execratione digni, si quis post longissimum vitæ tempus peccaverit. Quidam hæc verba ita accipiunt: Qui centesimo vitæ anno morietur, puer existimabitur; & qui centesimo ætatis suæ anno morietur, tamquam peccator maledicetur, utpote indignus ob peccata, qui longiorem vitam viveret: adeo longævi futuri sunt homines illius temporis. Hyperbole. Hæc autem omnia hyperbolice de felicitate terrena figurate dicuntur, ad delineandam omnimodam prosperitatem spiritualem, quæ futura erat in Ecclesia Christi.

V. 22. NON AEDIFICABUNT, ET ALIUS HABITABIT; NON PLANTABUNT, ET ALIUS COMEDET. Contra quam impiis denuntiat Deus, Deuteron. XXVIII. 30. & sequentibus. SECUNDUM ENIM DIES LIGNI, ERUNT DIES POPULI MEI. Quidam: *sed ut sunt dies arboris*, *dies erunt populi mei*, id est robusti, atque diuturni, ut Psal. I. 3. & LI. 10. & XCI. 13. Plinius Lib. XVI. cap. XLIV. *Vita arborum quarumdam immensa credi potest*, *si quis profunda mundi*, *& saltus inaccessos cogitet*: & cap. II. *In septemtrionali plaga Hercyniæ silvæ roborum vastitas intacta ævis*, *& congenita mundo*, *prope immortali sorte miracula excedit*. LXX. & alii eos secuti reddunt: *secundum enim dies ligni*

gni vitæ erunt dies populi mei, id eſt ſempiterni, ut lignum vitæ, quod imortalitatem homini tribuebat, Geneſ. II. 9. Vide hunc Iſaiæ locum expoſitum in Paradiſo noſtro, cap. LXXIII. ET OPERA MANUUM EORUM INVETERABUNT ELECTI MEI: Alii: I. *& opus manuum ſuarum antiquabunt, antiquum facient, ad vetuſtatem perducent electi mei;* id eſt, facient opera ſua durabilia, ac diuturna: *Opera enim eorum ſequuntur illos*, ſcilicet mortuos in Domino, Apocalypſ. XIV. 13. II. *& opera manuum eorum durabunt cum electis meis;* quaſi dicat: Si ædificabunt domos, & plantabunt vineas, nihil opus erit ut iterum ædificent, aut plantent; nam hæc eorum opera tantum durabunt, quandiu ipſi vixerint. III. *& opus manuum ſuarum deterent electi mei;* id eſt, percipient uſum & fructum ex eo.

V. 23. NON LABORABUNT FRUSTRA, vel *inaniter*, aut *in vacuum*; quod impiis interminatur Deus Levit. XXVI. 16. & Deuteron. XXVIII. 30. & ſequentibus. NEQUE GENERABUNT IN CONTURBATIONE. Alii: I. *neque gignent ad conturbationem;* id eſt, ut omnibus rebus conturbatis tradantur populo extraneo, & abeant in captivitatem, Deuteron. XXVIII. 32. & 41. II. *neque parient*, aut *gignent filios in conturbatione;* id eſt, quorum immatura & acerba morte conturbentur & contriſtentur. III. *neque generabunt in præcipitantia*, aut *celeritate*, id eſt fœtus immaturos & abortivos, vel *ut cito orbentur*. ET NEPOTES EORUM CUM EIS. Heb. *& exitus, egreſſiones, germina, propagines, progenies, prognati, fœtus eorum, apud, penes eos*, vel *cum eis;* vide ſupra cap. LXI. 9.

V. 24. ERITQUE ANTEQUAM CLAMENT, &c. Hunc verſum alii reddunt: *Eritque nondum clamantibus, ut ego reſpondeam; adhuc ipſis loquentibus, ut ego exaudiam.* Novit enim pater cæleſtis nos indigere iis omnibus antequam oremus, Matth. VI. 32.

V. 25. LUPUS ET AGNUS PASCENTUR SIMUL, &c. Vide de hoc verſu ſupra cap. XI. 6. quaſi dicat, Nihil damnoſum eſſe poterit Eccleſiæ, ut Hoſeæ II. 18. & Marci XVI. 18. ET SERPENTI PULVIS PANIS EIUS. Heb. *& ſerpens, pulvis panis eius.* Quidam: *ſerpenti autem pulvis erit cibo.* Haud difficile erit conicctari, alluſum hic ad pœnam ſerpentis, Geneſ. III. 14. quaſi dicat: Serpens iam veneno non nocebit, nec morſu interficiet homines, ſed contentus erit cibo ſuo, id eſt pulvere, qui ei præſcriptus eſt a Deo initio mundi: & figurate id intelligatur de hoſte humani generis, cuius maledictio tempore Chriſti plene impleta ſit, cuius vis omnes in hominibus per Chriſtum labefactata ſit.

MENOCHII.

Verſ. 1. QUAESIERUNT ME: ſcilicet, gentiles. Reſp. enim Deus querelæ Iſaiæ de Iudæorum reprobatione. QUI ANTE NON INTERROGABANT: quis, aut ubi eſſem. ECCE EGO, &c. id eſt, relictis Iudæis incredulis convertam me, & abibo ad gentes, quæ non invocant nomen meum.

V. 2. EXPANDI MANUS MEAS, &c. quaſi dicat: Ad Iudæos iam inde ab initio ſinum, & manus expandi, quaſi profundens in eos mea munera, & chariſmata, ac præſertim manus expandi in cruce. INCREDULUM. In Hebræo eſt סרר *ſorer*, id eſt recedentem, rebellem, contumacem, & ut Apoſtolus vertit, *Non credentem, & contradicentem*. POST COGITATIONES SUAS. LXX. *poſt peccata ſua*. ANTE FACIEM MEAM SEMPER: nam patres in templo quaſi ante faciem Dei immolabant idolis: filii vero Chriſto in faciem reſiſtebant, eique conviciabantur. IMMOLANT IN HORTIS: contra legis præſcriptum, quæ in templo ſuper altari holocauſtorum ſacrificari iubebat. SUPER LATERES, id eſt altaria ex lateribus, & hoc etiam erat contra legem, quæ iubebat altare fieri ex terra, aut lapide impolito Exod. XX. 24.

V. 4. QUI HABITANT IN SEPULCRIS: ut ſcilicet dæmones conſulant, & reſponſa eliciant. LXX. habent: *Qui in ſepulcris, & ſpecubus dormiunt, propter ſomnia:* ut, ſcilicet a mortuis in ſomnis reſponſa accipiant. COMEDENT CARNEM SUILLAM: contra legem Levitici XI. 7. IUS PROFANUM: in quibus carnes ſuillæ, aut aliæ lege vetitæ, elixatæ fuerant.

V. 5. QUI DICUNT, ſcilicet gentili. RECEDE A ME, QUIA IMMUNDUS ES: Iudæi enim gentiles quaſi immundos averſabantur. FUMUS ERUNT: convertentur in fumum ardentem, & flammas.

V. 6. SCRIPTUM EST CORAM ME: ſcilicet, peccatum eorum meæ inhæret memoriæ.

moniæ. NON TACEBO: non quiescam, non cessabo a vindicta Iudæorum. SED REDDAM: infligam pœnam, quam meriti sunt.

V. 7. ET INIQUITATES PATRUM VESTRORUM SIMUL. In Hebræo est, *reddam simul*. SUPER MONTES: in locis altis, quæ excelsa dicta sunt. EXPROBRAVERUNT MIHI: qui enim idola colunt exprobrant Deo, quod sibi immerito divinitatem usurpet. OPUS EORUM PRIMUM; quasi dicat: Prima, & prisca Iudæorum opera remunerabor, rependamque, pœnas meritas in sinum eorum refundendo.

V. 8. QUOMODO SI INVENIATUR GRANUM, &c. Significat se paucos sanctos, & a scelere integros conservaturum, ut non tota gens pereat, sed maneat semen. Hi autem fuerunt Apostoli, & qui per Apostolos, vel cum Apostolis per Christum crediderunt. QUONIAM BENEDICTIO EST: omnes fruges & fructus arborum, & quæ ad vitam conservandam faciunt, nomine benedictionis comprehendebant Hebræi, quod essent beneficium quoddam, quo Deus illis benedixisset. Hoc loco accipitur pro semine, & spe propaginis.

V. 9. SEMEN: de quo proxime dictum est. DE IUDA: de Iudæis. POSSIDENTEM MONTES MEOS: Apostolos scilicet, & eorum successores, qui possidebant Ierusalem in montibus sitam, id est Ecclesiam, cuius vita, doctrina excelsa est, & cælestis.

V. 10. ERUNT CAMPESTRIA, &c. Sensus versiculi est: Omnia tam plana, quam montana gregibus, & armentis plena erunt, quæ allegoria multitudinem credentium significat. Ergo campestria, hoc est loca plana, caulis ovium abundabunt. ET VALLIS ACHOR, &c. id est, ut planities, sic etiam valles, & montes gregibus & armentis redundabunt. Vallis Achor erat iuxta Iericho Iosue VII. 26. & erat admodum fertilis. POPULO MEO, QUI REQUISIERUNT ME, ecclesiæ gentium. Vide supra, initium huius capitis num. 1.

V. 11. MONTEM SANCTUM MEUM: montem Sion, in quo templum meum est. QUI PONITIS FORTUNAE MENSAM. Pro *fortunæ*, in Hebræo est, גד *Gad*, id est, *felicitas fortunæ*: sic Lia filium ex Zelpha ancilla sua natum appellavit *Gad* dicens: *Feliciter*. Hunc autem ritum ponendi mensam Fortunæ explicans D. Hieronymus sic habet. *Est in cunctis urbibus, & maxime in Ægypto, idololatriæ vetus consuetudo, ut ultimo die anni ponant mensam refertam varii generis epulis, & poculum mulso mixtum, vel præteriti anni, vel futuri fertilitatem auspicantes. Hoc autem faciebant Israelitæ, omnium simulachrorum portenta venerantes*. LIBATIS SUPER EAM: libationis superstitiosam ceremoniam usurpantes, vinum aut alium liquorem in Fortunæ honorem effundentes. In Hebræo est, *Impletis ipsi Meni potionem*; quid autem sit *Meni*, non omnes eodem modo explicant, cum tamen certum sit a radice מנה *mana* deduci, quæ numerare significat. Del-Rio tom. I. Adagialium, Adagiali 810. putat hic notari eos, qui in honorem Dei sui, tot bibebant cyathos, quot litteras numerabant in nomine, cum qua explicatione bene cohærent sequentia.

V. 12. NUMERABO VOS IN GLADIO, &c. quasi dicat: Quia vos ad numerum bibendo coluistis Fortunam, ideo pariter ad numerum ego vos gladio trucidabo, cum scilicet omnes, & singulos quasi numeratim, & ex ordine gladio feriam.

V. 13. PROPTER HOC, &c. incredulorum infelicitatem, credentium vero felicitatem describit. SERVI MEI, fideles. COMEDENT, ET BIBENT. Hac cibi, & potus allegoria omne genus spiritualium delitiarum significatur, præsertim tamen illud, quod in Eucharistiæ sacramento experiuntur, qui ad illud digne accedunt.

V. 15. DIMITTETIS NOMEN VESTRUM IN IURAMENTUM, id est execratorium; dicent enim cum iurabunt, mihi contingat, si mentior, aut fallor, quod Iudæis contigit. NOMINE ALIO: vocabit eos Christianos, relicto nomine Israelitarum: vide supra cap. LXII. 2.

V. 16. IN QUO: scilicet Christo, sive, Deo Christianorum. QUI BENEDICTUS EST SUPER TERRAM, id est is cui in hoc Christi nomine benedictum fuerit. BENEDICETUR IN DEO AMEN. *Benedicetur in Deo vero*, ut habent LXX. nam Christus verus Deus est, & Deus *Amen*, id est *fidelis*. QUI IURAT IN TERRA; scilicet per Christum. IN DEO AMEN: per Deum verum: talis enim est Christus, & per Deum fidelem, qui fideliter servat promissa. QUIA OBLIVIONI, &c. cum enim Deus fidelis sit,

fit, præstabit etiam quod promisit, ut scilicet abstergatur memoria antiquarum calamitatum, multitudine, & magnitudine novorum beneficiorum.

V. 17. ECCE EGO, &c. sunt Christi verba. CAELOS NOVOS, ET TERRAM NOVAM: Ecclesiam intelligit. PRIORA: priores calamitates, prior status infelix. NON ASCENDENT SUPER COR: non erit eorum memoria, non venient in mentem.

V. 18. IERUSALEM, id est Ecclesiam. EXULTATIONEM: exultantem, ut etiam, GAUDIUM, id est gaudentem; ponuntur enim abstracta pro concretis.

V. 19. ET NON AUDIETUR, &c. Videtur hoc intelligendum non solum de Ecclesia triumphante, sed etiam de militante, tales enim sunt viri sancti, & perfecti Ecclesiæ filii.

V. 20. NON ERIT IBI INFANS DIERUM; quasi dicat: Renati per baptismum non erunt infantes dierum paucorum, sed instar virorum, gratia, & virtutibus erunt pleni, & validi. Loquitur de adultis baptizatis, qui mox crescunt in virum virtute perfectum, quales erunt primi Christiani. ET SENEX QUI NON IMPLEVERIT DIES SUOS; quasi dicat: In lege nova non erit infans, nec senex dierum, qui scilicet non impleat dies suos, virtutis, & sanctitatis. QUONIAM PUER CENTUM ANNORUM MORIETUR. Dat causam cur dixerit in Ecclesia non fore senem, qui non impleat dies suos, moribus, & virtutibus: quia scilicet si quis senex esset, qui moribus esset puerilibus, essetque puer centum annorum, id est ætate centum annorum, sensibus vero, & vitiosa vita esset puer; is non transiret ab Ecclesia militante ad triumphantem, sed puniretur morte æterna, & malediceretur a Deo. ET PECCATOR, &c. est usitata repetitio proxime dictæ sententiæ.

V. 21. AEDIFICABUNT DOMOS, &c. domos, & vineas spirituales, id est Ecclesias, monasteria, religiosas familias, &c.

V. 22. ET ALIUS HABITABIT; quasi dicat, Sed ipsi habitabunt. SECUNDUM DIES LIGNI. LXX. *ligni vitæ;* quasi dicat, Erunt diuturni, perpetui, felices. INVETERABUNT: quia in æternum præmio illorum fruentur.

V. 23. NEQUE GENERABUNT IN CONTURBATIONE. Chald. *ad mortem*. LXX. *in maledictionem*. In pace degentes, & gaudio generabunt filios Christi, quos non conturbet malignus hostis, & ad mortem trahat, sed qui tendant ad vitam, & in numero benedictorum censeantur. ET NEPOTES EORUM CUM EIS: scilicet erunt semen benedictorum Domini.

V. 24. ANTEQUAM CLAMENT; quasi dicat, Præveniam eorum vota, & preces.

V. 25. LUPUS ET AGNUS, &c. Significatur, homines alioqui contrarios moribus concordes futuros in Ecclesia, iisdem cibis spiritualibus, legibus, & ritibus usuros. SERPENTI PULVIS PANIS ERIT; id est, serpens morsu homines petere solitus, iam eo cibo erit contentus, ad quem a Domino damnatus fuit, cum ei dictum est Gen. III. 14. *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes:* significatur iracundos, & in alios insolentes, humiles fore, & mansuetos, & nemini noxios, aut molestos. NON OCCIDENT, &c. non erunt cædes, &c. quia in Ecclesia caritas dominabitur.

TIRINI.

Vers. 1. QUAESIERUNT ME magna aviditate & studio, simulatque per Apostolos meos ipsis innotui, Gentiles QUI ANTE NON INTERROGABANT de me. Unde & *dixi* eis, ECCE EGO promptus excipere vos in filios meos: ita S. Paulus ad Rom. X. 20. E contrario

V. 2. POPULUS meus, AD quem EXPANDI MANUS MEAS TOTA DIE; id est cui iam inde ab initio manus ambas porrexi, auxilium, solatium, cælestia & terrestria munera sine mensura illi impertiens: ac novissime etiam ambas manus in cruce expansas quanta potui & vi & caritate protendi, ut vel moriens populum illum occiforem meum ad sinum meum allicerem, immo pertraherem: sed ab *incredulo*, ingrato & rebelli populo nihil hisce modis omnibus extorsi: ita S. Paulus supra, & ibid. Origenes, Ambrosius, Chrysostomus, & alii.

V. 3. IMMOLANT idolis suis hostias IN HORTIS & lucis, idque non in altari ex ære, vel auro, vel lapide vivo, exstructo, ut mihi Ierosolymis immolari iussi *a*, sed SUPER LATERES, id est in altari ex vili latere compacto, more Gentilium, inquit S. Hieronymus.

V. 4. HABITANT IN SEPULCRIS. LXX. addunt, *propter somnia*, nempe quibus edoceri *b volunt* ut de futuris eventibus, inquit Cyrillus & Theodoretus. Vel ut captent responsa dæmonum, qui fœtidissima ambiunt *c* loca.

V. 5. DICUNT Gentili, RECEDE A ME, QUIA IMMUNDUS ES, eo quod suila & iure aliarum immundarum carnium profano, seu vetito contaminatus sis. Interim hypocritæ Iudæi ipsimet eosdem cibos immundos comedunt, nec tamen volunt immundi audire: at ego ut immundos tractabo. ISTI FUMUS ERUNT & IGNIS; id est, obiecta & fomenta ignis, non lucentis & lympidi, sed fumantis & caliginosi, puta excitandi a Chaldæis & Romanis Ierosolymæ, & a dæmonibus in gehenna: ita S. Hieronymus, Forerius & alii.

V. 7. INIQUITATES VESTRAS præsentes, ET INIQUITATES PATRUM VESTRORUM præteritas, quas mox vocat OPUS EORUM PRIMUM, id est prima & prisca parentum peccata, SIMUL cum præsentibus scleribus filiorum, REMETIAR, id est remunerabor, rependens condignas pœnas IN SINUM EORUM, ita solet Deus punire cum completa est mensura, de qua dixi Gen. c. xv. 16. tamen

V. 8. NON DISPERDAM TOTUM Israelem; sed *semen* mihi reservabo: sicut ex BOTRO contrito pedibus aut putrido, SI vel unum GRANUM integrum & illæsum supersit, continuo *dicitur*, NE DISSIPES ILLUD, sed sine ut seratur, germinet & in novam vitem excrescat, QUONIAM BENEDICTIO *in eo* EST, ut habent Hæbræa, id est fœcunditas, vis seminalis, spes propaginis. De hoc semine Isaias cap. I. & ex eo Paulus Rom. IX. ait: *Nisi Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus.*

V. 10. ET VALLIS ACHOR *d*, nempe pars Iudææ iuxta Iericho pinguissima & fertilissima sic dicta ab *Achan* ibi lapidato & exusto, Iosue VII. 26. *erit* IN CUBILE ARMENTORUM in quo quiete degent, pascentur & pascent iusti ex Iudæis convertendi ad Deum. At vos, o increduli Iudæi,

V. 11. PONITIS & instruitis MENSAM tum victimis, tum epulis, non Deo cæli, sed FORTUNAE; Hebraice, גד *gad*, id est felicitati *e*. Exprobrat stultis hominibus, quod contempto Deo, eiusque infallibili providentia, invicta potentia, & experta toties benevolentia, supplicent *fortunæ* profanæ, incertæ, cæcæ & imbelli. Quam impietatem dicit S. Hieronymus Iudæos hausisse ab AEgyptiis, qui Numini huic suo *ponebant ultimo die anni in cunctis urbibus mensam refertam varii generis epulis, & poculum mulso mixtum*, eo ritu *fertilitatem vel præteriti anni* terminantes, *vel futuri auspicantes*. Et hic Gentilium mos instruendarum ultimo anni die epularum, videtur apud eosdem etiam ad Christum conversos, perdurasse, ut præteriti anni felicitatem cum gaudio terminent, & novi prosperitatem mutuo apprecentur. Vide Lactantium & Lipsium *f*.

V. 15. DIMITTETIS NOMEN VESTRUM IN IURAMENTUM *g* execratorium; ut nempe dum volent aliquem execrari, dicant, Fiat tibi quod factum est Iudæis: Gladius, fames, excidium Iudaicum te comprehendat: ita S. Hieronymus. Loco autem tuo substituet alios sibi SERVOS, quos VOCABIT non Israelitas, non Iudæos, sed ALIO NOMINE *novo*, ut addunt LXX. nempe a Christo vocabit omnes Christianos, ut factum legimus Antiochiæ Actor. XI. 26.

V. 16. IN QUO nomine Christi, quasi IN DEO ipsius AMEN *h*, id est quasi in Deo *veritatis*, seu vero ut vertunt LXX. *benedicetur* QUICUMQUE BENEDICTUS esse volet SUPER TERRAM, ET IURABIT QUICUMQUE IURAT IN TERRA; quasi dicat: Benedictiones & iuramenta fient per nomen Christi, quasi veri Dei, & non amplius per Abrahamum, vel Deum Abrahami: multo minus per Iovem, per Herculem, per alia idola: ita Forerius, Sasbout, Sanchez & alii.

V. 17. ECCE EGO CREO CAELOS NOVOS, ET TERRAM NOVAM, id est novum mundum, puta metaphoricum, nempe Ecclesiam Christi, quæ multo amplior, ornatior, angustior est Synagoga, & est quasi novus mundus.

V. 18. CREO IERUSALEM, id est Ecclesiam Christi, EXULTATIONEM, id est exultantem, ET POPULUM EIUS GAUDIUM, id est gaudentem. Ponuntur enim abstracta pro *i* concretis; quasi dicat: Ita exultantem & gaudentem, ut videatur esse ipsa exultatio & gaudium.

V. 19. NON AUDIETUR IN EA VOX FLETUS ET CLAMORIS; nempe ex præmatura morte filiorum suorum: nam

V. 20. NON ERIT IBI INFANS DIERUM, aut

aut SENEX, QUI DIES vitæ suæ concessos sibi a Deo NON IMPLEAT, supple, bene vivendo, & suæ ætatis officia ac munia recte obeundo. Ut enim dies vacui & inanes *k* sunt qui vitiose traducuntur; sic pleni & completi dicuntur qui honeste & bonis operibus, ad quæ dati sunt, implentur. Quamvis ergo inter Christianos moriatur quis PUER, id est ætate adhuc tenera, tamen quoad mores & sensum perinde MORIETUR, ac si esset CENTUM ANNORUM, id est sapientia cælesti & virtutibus maturus ac inveteratus. AEstimabitur enim & laudabitur sola virtus & scientia, non vero ætas minus vel magis adulta. Unde quicumque fuerit in ea PECCATOR etsi CENTUM sit ANNORUM, & artes & experientiam & opes nactus sit maximas; quia tamen virtute caret, nihili æstimabitur, sed probrosus apud omnes, ET MALEDICTUS ERIT: ita S. Gregorius *l*, Arias, Alvarez & alii.

V. 22. NON AEDIFICABUNT domos, ET alius eas in HABITABIT *m*, ut fit tempore belli, vel creditore te expellente, vel inopia te ad vendendum compellente: nam plena quiete & pace fructur Ecclesia bonis suis, maxime spiritualibus, quæ nullus invito tibi rapiet latro, nulla vis, nullus dolus, sed nec ipsæ portæ infernales. En alteram remover occasionem fletus & clamoris. SECUNDUM DIES LIGNI, id est pro conditione arboris iuxta *n* aquas semper vernantis, ERUNT DIES POPULI MEI: ita Arias & Sanchez. At S. Hieronymus, Cyrillus, Lyranus, Sasbout, a Lapide & Alvarez id exponunt de *ligno vitæ o*: quia sic verterunt LXX. & in Hebræo est, *illius ligni*, nempe famosi & præcellentis aliis; quasi dicat: Fideles mei longævi, læti, alacres & bene sani erunt, perinde ac si essent in primævo innocentiæ statu, & vescerentur fructu arboris vitæ.

V. 25. LUPUS ET AGNUS PASCENTUR SIMUL: LEO ET BOS; Hebraice, *leo ut bos*, COMEDENT PALEAS. Sed hæc supra explicui capite II. 6. SERPENTI PANIS, seu cibus, erit PULVIS: & hoc cibo contentus non lædet amplius homines vel alia animalia. Loquitur de hominibus serpentinis, qui venenosa sua lingua vel cauda lædebant alios, eorumque famam, substantiam, vitam vorabant: iam per Christum ponent venenatam hanc rabiem, non pascentur amplius nec delectabuntur aliorum interitu vel damno; sed cibo innocuo, facile obvio, sibique a Deo parato contenti erunt, ut cap. XI. fusius dixi.

(a) Exod. XX. 24. & cap. III. 8.
(b) Pomponius Mela teslis & alii.
(c) Matth. VIII. 28.
(d) Osee II. 15.
(e) Genes. XXX. 11.
(f) Lactant. Lib. III. 18. Lipsius Lib. II.
(g) Ierem. XXIV. 9. & cap. XXIX. 22.
(h) II. Cor. I. vers. 19. &c.
(i) Proleg. de Idiotism. Heb. n. 47.
(k) Sap. XIII. 1. & cap. IV. 8.
(l) Greg. Lib. XVI. Moral. cap. III.
(m) Amos. V. 11. & Sophoniæ I. 13.
(n) Psal. I. 3.
(o) Genes. III. & Prov. III. 18.

GORDONI.

Vers. 1. QUAESIERUNT ME, &c. Respondet Deus, ut dicebam, quæsierunt me gentes & invenerunt. Populus iste non quæsivit, immo reiecit me, & ideo reiectus est. Reprehenditur hic Iudæorum idololatria, item gula & inobedientia. Dices non coluisse idola post Christi adventum. Respondeo hic commemorari peccata tum Patrum in idolis, tum filiorum qui propriis peccatis impleverunt mensuram patrum suorum; quod totum recte explicat, vers. 6. Inepte Novatores hoc vertunt contra vigilias in Ecclesiis, & contra delubra Martyrum.

V. 8. HAEC DICIT DOMINUS, &c. Hic Deus solamen aliquod roganti Isaiæ pollicetur. Futurum nempe ut ex rebelli populo aliqui convertantur, & non disperdatur totus. Similitudine hoc declarat in botro vitiato, si vel unum granum illæsum inveniatur non debet succidi, & abiici botrus; sed custodiri debet, ut feratur & germinet, quoniam habet benedictionem & fertilitatem. Ita erit de hoc populo.

V. 9. Semen de Iuda sunt Apostoli. Ierusalem Ecclesia, & sic de aliis quæ (per loca Iudæorum) designant res in Ecclesia futuras. Qui vero obstinati manent, peribunt. Vers. 10. vallis Achor erat fertilissima iuxta Iericho: Iosue cap. VII.

V. 13. PROPTER HOC DICIT DOMINUS, &c. Hic per antithesin, bonorum & malorum sortem proponit, ut hic merito miseris discipulorum spiritualem felicitatem & gratiam sub Christo; & Iudæorum infelicitatem tum spiritualem, tum tempora-

lem. Quæ etiam felicitas cumulatissime in cælo implebitur, & infelicitas in inferno.

V. 15. Et dimittetis nomen vestrum in iuramentum; hoc est, pro imprecatione iurantis erit nomen vestrum, quando dicet qui imprecatur alteri, sit tibi calamitas & maledictio Iudaica, servos suos vocabit nomine alio, scilicet Christi, & Christianos. Hinc vers. 16. in quo (scilicet Christo) qui benedicetur, benedicetur in nomine veri Dei; & iurans, iurabit in nomine non idolorum, sed veri Dei. In Deo amen, in Deo veritatis. Septuag. *in Deo vero*. אמן *veritas;* & tandem vers. 17. transit sensim ad felicitatem beatorum, & malorum plenam oblivionem.

V. 20. Non erit ibi amplius, &c. Non male hunc locum expressit Pintus, intelligens sub nomine pueri & senis, malos & bonos; quasi dicat: Hæc est illius temporis in Ecclesia conditio. Inter renatos & pie viventes nullus puer erit; hoc est, pueriliter, aut moribus parvulus (hac allusione depingit effectum gratiæ, & Sacramentorum.) nec reperietur senex seu piis moribus, qui rapietur donec in perseverantia dies suos a Deo definitos compleat. Qui vero est sensu illo puer & peccator, quamvis centum annorum sit, moritur. Tales erunt, inquit, illo tempore pueri & senes: sic obscure Isaias de bonis & reprobis: subiungit deinde varia elocutione reliquas conditiones vitæ Evangelicæ & Ecclesiæ, partim clare, partim allegorice: quæ ex his quæ iam præmisi facile intelliguntur, de prosperitate & propagatione Ecclesiæ, de Dei præsenti auxilio, ac protectione & virtute Christianæ legis, quæ mansuescere faciet homines ferinis antea moribus.

Ex Eiusdem Auctario.

Vers. 4. Ius profanum, ex carne suilla, aut alia vetita.

Vers. 5. Qui dicunt, gentili. Sed quid sunt nisi fumus & qui illis in flammam vertetur.

Vers. 6. Scriptum est, memoriæ mandatum est.

Vers. 17. Creo caelos novos. Novitas cælorum, & cetera quæ insequuntur, sanctitatem Ecclesiæ Christianæ designant tum militantis, tum etiam magna ex parte triumphantis.

CA-

CAPUT LXVI.

Dominus cæli & terræ non templum respicit, quod Iudæi pro loco quietis illi ædificare volebant, sed spiritum humiliatum: reiiciuntur veteris legis sacrificia: Iudæorum adversus Christum ipsiusque discipulos pervicacia punienda ostenditur: de Christi nativitate & Ecclesiæ fecunditate; cui ut omnes collætentur exhortatur, ostendens beneficia quæ a Domino recipiet, & quale futurum sit malorum iudicium, & quomodo per discipulorum Christi prædicationem Gentes convertentur: de finali quoque retributione malorum & bonorum.

1. HAEc dicit Dominus: (a) Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum: quæ est ista Domus, quam ædificabitis mihi? & quis est iste locus quietis meæ? 2. Omnia hæc manus mea fecit, & facta sunt universa ista, dicit Dominus, ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos? 3. Qui immolat bovem, quasi qui interficiat virum: qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem: qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat: qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo. Hæc omnia elegerunt in viis suis, & in abominationibus suis anima eorum delectata est. 4. Unde & ego eligam illusiones eorum: & quæ timebant, adducam eis: (b) quia vocavi, & non erat qui responderet: locutus sum, & non audierunt: feceruntque malum in oculis meis, & quæ nolui elegerunt. 5. Audite verbum Domini, qui tremitis ad verbum eius: dixerunt fratres vestri odientes vos, & abiicientes propter nomen meum: glorificetur Dominus, & videbimus in lætitia vestra: ipsi autem confundentur. 6. * Vox populi de civitate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis suis. 7. Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus eius, peperit masculum. 8. Quis audivit umquam tale? & quis vidit huic simile? numquid parturiet terra in die una? aut parietur gens simul, quia parturivit & peperit Sion filios suos? 9. Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? si ego, qui generationem ceteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus? 10. Lætamini cum Ierusalem, & exultate in ea omnes qui diligitis eam: gaudete cum ea gaudio universi, qui lugetis super eam, 11. ut sugatis, & repleamini ab ubere consolationis eius: ut mulgeatis, & deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius. 12. Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam Gentium, quam sugetis: ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis. 13. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, & in Ierusalem consolabimini. 14. Videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinabunt: & cognoscetur manus Domini servis eius, & indignabitur inimicis suis. 15. Quia ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ eius: reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis: 16. quia in

igne

igne Dominus diiudicabit, & in gladio suo ad omnem carnem, & multipli-
cabuntur interfecti a Domino, 17. qui sanctificabantur, & mundos se putabant
in hortis * post ianuam intrinsecus, qui comedebant carnem suillam, & abo-
minationem, & murem: simul consumentur, dicit Dominus. 18. Ego autem
opera eorum, & cogitationes eorum, venio ut congregem eum omnibus gen-
tibus & linguis: & venient & videbunt gloriam meam. 19 Et ponam in eis
signum, & mittam ex eis qui salvati fuerint, ad Gentes in mare, * in Afri-
cam, & Lydiam tendentes sagittam; in Italiam & Græciam, ad insulas lon-
ge, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam. 20 Et
annuntiabunt gloriam meam Gentibus, & adducent omnes fratres vestros
de cunctis Gentibus donum Domino, in equis, & in quadrigis, & in lecti-
cis, & in mulis, & in carrucis, ad montem sanctum meum Ierusalem, dicit
Dominus, quomodo si inferant filii Israel munus in vase mundo in domum
Domini. 21. Et assumam ex eis in sacerdotes, & levitas, dicit Dominus:
22. (c) quia sicut cæli novi, & terra nova, quæ ego facio stare coram me,
dicit Dominus: sic stabit semen vestrum, & nomen vestrum. 23. Et erit men-
sis ex mense, & sabbatum ex sabbato: venient omnis caro ut adoret coram
facie mea, dicit Dominus. 24. Et egredientur, & videbunt cadavera virorum,
qui prævaricati sunt in me: (d) vermis eorum non morietur, & ignis eorum
non extinguetur; & erunt usque ad satietatem visionis omni carni.

(a) Act. VII. 49. (b) Prov. I. 24 Ierem. VII. 13. Sup. LXV. 12. (c) Apoc. XXVI. 1. (d) Mar. IX. 41.

B R U G E N S I S.

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 6. *Vox populi de civitate*. Non substituas *fremitus*, pro populi.

Vers. 17. *Post ianuam intrinsecus*. Non facile corrigas *unam* pro *ianuam*, quod multi faciunt: qua de re notationes nostræ legi possunt.

Vers. 19. *In Africam & Lydiam, tendentes sagittam*. Insignis correctio, qua scriptum est *tendentes* a tendo tertiæ coniugationis, pro *tenentes* a teneo secundæ.

NOTATIO.

Vers. 17. *Qui sanctificabantur & mundos* (*inmundos* o.) *se putabant in hortis post ianuam intrinsecus*. Quidam codices pro *post ianuam*, legunt *post unam*, Hentenii septem, Parisiensium quinque, Di. o. l. Ge. o. l. p., correcti Lyrani, antiqui Dominicanorum. Epanorthotes dicit, antiquiores habere *post ianuam*, satis antiquos *post unam*; id quod omnino se ita habere ex nostris deprehendimus exemplaribus. Vetustissima namque Brugense, Leodiense, Lobiense (his enim non existimo alia ex nostris esse vetustiora) *post ianuam* scribunt: nonnulla vero vetustate his inferiora, Plantini medium & Hunnæi L. M. & G. atque unicum Bessarionis *post unam* legunt, quibus adde alia duo, quæ utrumque indicant modum. Dominicani Hieronymo attribuunt lectionem *post unam*: verum non id liquet ex Hieronymi commentario, neque id habet textus commentario nunc addictus. Haymonis enarrationibus adscriptum est *ianuam*; Glossæ ordinariæ *unam*; id quod Richelius manifeste interpretatur. Lyranus, & Carensis utrumque exponunt. Hebraice est: *sanctificantes se & purificantes se in hortis post* אחר *in medio*: אחר quod scribunt Hebræi *unum*; אַחַת quod legunt, *unam* significat: nullo autem modo *ianuam*: itaque vertunt complures, *Post unam* vel *post peculiarem*. Pagninus explicationis ergo nonnulla addidit: *Post piscinam peculiarem quæ est in medio horti*. Forerius reddidit: *Alienus unus in medio*; *alienus* reddidit, quod alii *post*, punctis vocis אחר mutatis: Chaldæus paraphrastes transtulit. סִיעָא בָּתַר סִיעָא quod est, *cœtus post cœtum*, seu *societas post societatem*, quo modo & R. Salomon, si N. Lyrano credas, exponit, non sit verisimilis, mihi quidem, Foreri annotatio quæ in Chal-

dæo

dæo mendose arbitratur legi, pro סיפא (quod angulum & limen significat) סיפא: repetitur enim סי׳ כ׳ סי׳. Similem esse puto Chaldæi metaphrasin Symmachi, & Theodotionis versioni, qui D. Hieronymo teste interpretati sunt: *Alter post alterum*. Quod sequitur בתוך *in medio*, sequentibus hi coniunxere, *Inter eos qui comedunt &c.* in Chaldaico vel omissum est, vel in eo quod attulimus comprehensum. Potuit enim Chaldæus hoc *post unam in medio* intellexisse, primæ media succedente, atque id unam societatem altera sequente. Subaudierunt Interpretes Theodotio, & Symmachus, ac fortasse etiam Chaldæus, alterum אחר: neque enim eis bis אחר lectum necesse est dicere. Horum autem omnium interpretationes ei suffragantur lectioni, quæ *post unam* habet quam existimant nonnulli amplectendam, Nicolaus a Lyra, Adamus Sasbout. Castigatores Parisienses, & Dominicani in textum eam recepere. Et certe videri possit, quia obscurior est, scribarum lectorumve temeritate mutata. Facilius enim adduci possim ut credam *post unam* variatum fuisse in *post ianuam*, quam e converso *post ianuam* in *post unam*. Verum enim vero putat Forerius *post ianuam* Hieronymum transtulisse, secutum 72. senes, quorum versio est: *Qui sanctificantur, & purificantur in hortis*: καὶ ἐν τοῖς προθύροις, idest, *& in liminibus*, vel *& in vestibulis*. Leo Carensis arbitratur Hieronymum Hebraicæ lectioni *post unam* subaudisse *ianuam*, sicque convertisse *post ianuam*. Sed neuter horum meminit variæ Latinorum codicum scripturæ, quam, etsi varia sit, Lyranus, & Epanorthotes in eumdem sensum interpretantur, eum quem Carensis Hieronymo transferenti attribuit: „ Post unam, inquit Lyranus, scilicet portam, vel clausuram; & ideo aliqui libri „ habent *post ianuam*. “

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. CAELUM MIHI SEDES EST, &c. id est omnia impleo, ne existimetis me vestro templo conclusum esse. Ita exponit Stephanus Act. VII. 40. & D. Paulus Act. XVII. 24. Dicebatur quidem Deus in templo habitare, tamquam in loco requietis suæ, ut Psalm. CXXXI. 8. *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ*: vers. 14. *Hæc requies mea in sæculum sæculi*: sed non vult homines abuti templo, & eo nimium confidere, aut existimare Deum templo concludi quasi alibi audire non possit preces: sed ea opinione templo uti, qua illud Salomon ædificavit, III. Reg. VIII. 27. *Si*, inquit, *cœlum, & cœli cælorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc quam ædificavi.*

V. 2. OMNIA HAEC: relativum fine antecedente. Ostendit autem res omnes creatas; quasi dicat: Non concludor vestro templo, cum totum hunc mundum ego fecerim. ET FACTA SUNT: ויהיו *& extiterunt*; id est, si ego non fecissem, non extitissent. AD QUEM AUTEM RESPICIAM. Cum dixit, *Omnia hæc manus mea fecit*, allusit ad templum: cum nunc dicit, *Ad quem respiciam*, alludit ad sacrificia, quæ illi in templo offerebantur: Dicitur enim Deus ad sacrificium respicere, cum illud acceptum & gratum habet, ut Gen. IV. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*. Sensus ergo est, malle Deum sacrificium animi humilis & timentis eum, quam arietum & bovum, ut Psal. L. 18. 19. *Utique holocaustis non delectaberis, Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.*

V. 3. QUI IMMOLAT BOVEM. Dura videtur hæc sententia, cum enim Deus ipse huiusmodi sacrificia instituerit, quomodo comparat homicidio. Non comparat, si ita fiant, ut ab eo instituta sunt; sed ita ut a Iudæis offerebantur, inquinata scilicet conscientia. QUI RECORDATUR THURIS, id est qui statis temporibus non obliviscitur offerre thus. QUASI QUI BENEDICIT IDOLO, און, *iniquitati*. Sed ita Hebræi idolum vocant; itaque recte reddidit noster Interpres: alii, *quasi qui offert pecuniam inique acquisitam*. HAEC OMNIA ELEGERUNT IN VIIS SUIS; id est, in huiusmodi externis ceremoniis totam sanctitatem posuerunt.

V. 4. UNDE ET EGO ELIGAM ILLUSIONES EORUM; id est, illudam illis puniens eorum peccata. Aut, מעליל הם, *studia eorum*; id est, convertam opera eorum in

caput

caput ipsorum, recordabor operum eorum ad sumendas pœnas: *Eligere* enim posuit pro *recordari*, ut alluderet ad id quod ante dixerat, *Hæc omnia elegerunt in viis suis*: ut Prov. I. 26. *Ego quoque in interitu vestro ridebo & subsannabo, cum vobis id quod timebatis evenerit*. QUIA VOCAVI: ut supra LXV. 12. & Prov. I. 24. & Ier. IX. 13.

V. 5. AUDITE VERBUM DOMINI. Convertit Deus orationem ad iustos ac pios, eosque armat adversus impiorum convitia. DIXERUNT FRATRES VESTRI; id est, Iudæi filii Abraham secundum carnem, sicut vos, tamen impii, & qui vos propter nomen meum odio habent, & abiiciunt. GLORIFICETUR DOMINUS. Hæc dicebant impii; id est, semper speratis fore ut Dominus glorificetur, liberans vos ab ista servitute, qua nunc opprimimini; cum id Dominus fecerit, cognoscemus ex lætitia vestra, & credemus ita esse. IPSI AUTEM; id est, impii qui hoc dicunt, confundentur: verba Dei sunt. Alii interpretantur, נראה, *videbitur* (Dominus) id est, glorificabitur, *apparebit contra eorum opinionem, ipsi autem confundentur*.

V. 6. VOX POPULI: קול שאון, *vox fremitus* aut *tumultus de civitate* (audietur.) Declarat quod dixerat, fore ut impii confunderentur, docetque futurum aliquando, ut Deus veniat ad sumendum de illis supplicium, tantusque sit terror omnium, ut in civitate, & in templo nihil, nisi clamor, & tumultus audiatur. Potest etiam Hebraice sensus esse, Vox tumultus Dei audietur in civitate & in templo; sicut statim sequitur, VOX DOMINI REDDENTIS RETRIBUTIONEM: cum enim Deus ad puniendum venit, non tacitus & lenis, sed magno cum tumultu venire dicitur: ut cum Adam audivit vocem eius ambulantis in paradiso: Gen. III. 8. & ut David ait Psalm. XLIX. 2. *Deus manifeste veniet, Deus noster, & non silebit, ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida*. Videtur autem hæc prophetia ad excidium Ierosolymitanum sub Tito referenda.

V. 7. ANTEQUAM PARTURIRET, PEPERIT. Præt. pro fut. antequam parturiat, pariet, id est, inopinato, & non præcuntibus ullis partus indiciis, sicut in parientibus solent longo tempore præcedere dolores. Loquitur autem de Ecclesia electorum, de quibus dicebant impii paulo ante, *Glorificetur Dominus, & videbimus in lætitia vestra*: quam parituram dicit, id est multos filios genituram Christo, antequam parturiat, id est subito, ut Act. II. 41. legimus una Petri concione tria millia, & Act. IV. 4. alia concione quinque millia hominum credidisse, cum ante nihil de Christo cogitassent. Parit etiam Ecclesia antequam parturiat, id est sine dolore, ut B. Maria, quæ Ecclesiæ figura erat, peperit Christum: gignit enim Christianos ex Spiritu sancto, sicut illa Christum, ut veteres auctores docere solent.

V. 8. QUIS AUDIVIT UMQUAM TALE. Quale accidit Ecclesiæ? NUMQUID PARTURIET TERRA UNA DIE? num proferet omnia quæ ex ea nascuntur, sicut Ecclesia uno momento homines Christianos facit: videmus enim arbores & cetera, quæ ex terra nascuntur, longo tempore generari. Heb. היוחל, *num parietur terra una die*, id est omnes homines, qui in terra sunt; quasi dicat, Non, ut statim explicat. AUT PARIETUR GENS SIMUL, QUIA PARTURIVIT; id est, sicut parturivit & peperit simul SION (Ecclesia) FILIOS SUOS (Christianos)

V. 9. NUMQUID EGO. Declarat quomodo Sion una die tam multos filios procreaverit: scilicet non naturæ lege (id enim nullo modo fieri potuisset) sed divina quadam vi. *Spiritus enim ubi vult spirat, & nescis unde veniat, aut quo vadat*: Ioan. III. 8. quod autem id facere possit, ostendit argumento a minori ad maius: facio alios parere, multo ergo magis ego pariam. Quos enim Ecclesia ex Spiritu sancto parit, Deus parit.

V. 10. LAETAMINI CUM JERUSALEM. Excitat ad lætitiam propter futurum felicem Ecclesiæ statum, eos qui propter Babylonicam captivitatem eam lugebant. Loquitur enim Propheta quemadmodum si in ipsa captivitate esset.

V. 11. UT SUGATIS, id est quia sugetis: למען, *propterea quod sugetis ab ubere consolationum eius* (Sion aut Ierusalem: est enim Hebraice relativum generis feminini.) Reddit causam cur gaudere debeant. Myst. Ecclesiæ ubera sunt Sacramenta, lac consolationis gratia, quæ per Sacramenta recipitur. UT MULGEATIS, למען,

למען תמוצו, *quia mulgebitis* (sub. lac consolationis) ET DELITIIS AFFLUETIS, delectabimini, AB OMNIMODA GLORIA: מזיז כבודה, *ob splendorem & pulchritudinem gloriæ eius*, ut noster Interpres alibi solet vertere, ut Psal. XLIX. 11. *Et pulchritudo agri mecum est*.

V. 12. ECCE EGO DECLINABO, id est fluere faciam, SUPER EAM (Ierusalem) QUASI FLUVIUM PACIS. Nomine pacis, ut sæpe diximus, omnem felicitatem significat: nomine autem fluvii abundantiam & perpetuitatem, ut Psal. XXXV. 9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*. ET GLORIAM GENTIUM (derivabo in eam) QUASI TORRENTEM INUNDANTEM. Gloriam gentium appellat earum multitudinem; ea enim re gloriatur quisque qua excellit maxime: gentes autem multitudine excellebant; earum ergo gloriam in Ecclesiam quasi torrentem derivavit Deus, cum dedit eas Christo hereditatem suam: Psal. II. 8. AD UBERA (mea dicit Dominus) PORTABIMINI, sicut infantes. ET SUPER GENUA (mea) BLANDIENTUR VOBIS, תשעשעו, *ludetis*, *gaudebitis*, ut infantes super genua matris. Exprimit Deus singularem suum erga nos amorem, cum se matri comparat.

V. 14. ET OSSA VESTRA QUASI HERBA GERMINABUNT. Germinare videntur ossa nostra, cum læti sumus, sicut e diverso spiritus tristis exiccat ossa: Prov. XVII. 22. ET COGNOSCETUR MANUS DOMINI, id est potentia, a servis eius, cum indignabitur inimicis suis, id est cum posuerit inimicos suos scabellum pedum suorum: sicut in cruce fecit, & clarius in extremo iudicio facturus est.

V. 15. QUIA ECCE DOMINUS IN IGNE VENIET, id est iratus & iudex. Ignis enim utrumque significat & iudicium & supplicium, ut apud D. Paulum I. Cor. III. 13. *Uniuscuiusque opus manifestum erit, dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscuiusque opus quale sit ignis probabit*. ET QUASI TURBO QUADRIGAE EIUS, id est subita & terribilis, omniaque prosternens. Depingit terribilem Christi adventum ad iudicium, quamvis hæc omnia non ad illud tantum supremum iudicium, sed etiam ad alia quædam, quæ sæpe fiunt, referenda sint. Quale fuit illud, quo Iudæos a Babyloniorum servitute liberavit, & illud, quo eosdem sub Vespasiano perdidit.

V. 16. QUIA IN IGNE DOMINUS IUDICABIT, id est puniet per ignem. Non solum de igne inferorum loquitur (quamvis illum etiam comprehendat) sed de omni pœnarum genere, quas metaphorice ignem vocat. ET MULTIPLICABUNTUR; id est, magna erit multitudo eorum, qui a Domino interficientur.

V. 17. QUI SANCTIFICABANTUR, id est sanctificari se putabant sacrificantes idolis in hortis, id est in lucis ubi idola esse solebant, ut sup. diximus cap. LXV. 3. POST IANUAM INTRINSECUS. Ita noster Interpres vertit, sicut & Sep. ἐν προθύροις. Sensus autem est, eos non solum publice in hortis, sed etiam privatim domi post ostium solitos sacrificare. Solebant enim idola post ostium habere, ut illud ingredientes, egredientesque salutarent, ut supra indicavit Isaias cap. LVII. 8. *Post ostium retro postem posuisti memoriale tuum*. Heb. est אחר אחד בתוך, ad verbum, *retro unam in medio*. Quod Hebræi interpretantur, *post unam* (piscinam) id est, *singularem notam* (quæ est) *in medio* (horti.) ET ABOMINATIONEM, id est quod non licebat Iudæis edere: quidquid enim prohibitum illis erat, abominatio vocabatur. ET MUREM. Mus inter animalia immunda numerabatur: Levitici XI. 29.

V. 18. EGO AUTEM; id est, veniam, ut colligam opera & cogitationes eorum simul cum gentibus; id est, sine discrimine eos pariter puniam, & gentes, a quibus idolatriam didicerunt. Hebr. ואנכי, &c. EGO OPERA EORUM ET COGITATIONES EORUM (sub. observo, aut video) ut Chaldæus & Septuag. interpretantur. באה לקבץ, *venit* (tempus) *ad congregandas gentes* (in Ecclesiam) ET VENIENT (gentes) ET VIDEBUNT GLORIAM MEAM, id est participes erunt gratiæ meæ, quæ per Evangelium, & per Spiritum sanctum in eos effundetur, ut ait Petrus Act. X. 47. *Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur ii, qui Spiritum sanctum receperunt sicut & nos*.

V. 19. ET PONAM SIGNUM, id est prædicationem Evangelii, quæ quasi militare vexillum erit, ut ad illud gentes confugiant, sicut sup. cap. XLIX. 22. de eadem gen-

gentium vocatione loquens ait, *Ecce levabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum.* Possumus etiam per signum domum miraculorum intelligere, quod Christus Apostolis largitus, ut gentes miraculorum fama commotæ ad Evangelium venirent. ET MITTAM EX EIS QUI SALVATI FUERINT, id est ex reliquiis Iudæorum, ut Paulum & septuaginta duos discipulos, quos designavit, Luc. x. 1. IN MARE, תרשיש, *in Tharsis*, alii, *in Ciliciam*: sed de hac re sæpe diximus. IN AFRICAM, פול *Pul*, & לוד *Lud*, quod alii aliter interpretantur: illud vero certum est, significari remotissimas quasque nationes, sicut statim explicat. AD INSULAS LONGE. TENENTES SAGITTAM. משכי קשת, *tenentes arcum*. Hac periphrasi barbaras & immanes gentes significat, quæ plerumque arcubus utuntur.

V. 20. ET ADDUCENT OMNES FRATRES VESTROS, id est Gentiles, qui nunc quidem a vobis alieni sunt, tunc autem quia fide filii Abrahæ futuri sunt, fratres vestri erunt. DONUM DOMINO: מנחה ליהוה, *sacrificium aut oblationem Domino*. Conversionem enim gentium D. Paulus Rom. XV. 16. oblationem vocat: *Ut fiat oblatio gentium accepta & sanctificata in spiritu ad Deum*. IN EQUIS. Significat Apostolos nullis rebus parcituros, ut gentes ad fidem adducant, omnemque illis opem laturos; non quod equis aut curribus advecturi sint, sicut supra cap. XLIX. 22. alia usus metaphora dixit, *Et afferent filios tuos in ulnis, & filias tuas super humeros portabunt*. AD MONTEM SANCTUM MEUM, id est, ad Ecclesiam, quæ per montem Sion & per Ierusalem significatur. MUNUS IN VASE MUNDO, aut mundum. Alludit ad morem Hebræorum, qui quædam animalia non sacrificabant, quod immunda putarent. Gentes ergo quasi animalia immunda ducebant, indignaque ut Deo sanctificarentur. Docet ergo fore ut opinionem mutent, gentesque mundum sacrificium ac Deo dignum esse iudicent, quemadmodum D. Petro linteo omni bestiarum genere pleno cælitus demisso demonstratum est: Act. X. 11. & 12.

V. 21. ET ASSUMAM EX EIS. Prius non nisi ex Iudæis & ex sola familia Aaron Deus sacerdotes & Levitas assumebat, nunc ex omnibus gentibus. Quod hæretici hoc loco dicunt omnes Christianos Sacerdotes esse, etsi eo sensu quo nos D. Petrus I. epist. II. 9. regale Sacerdotium appellat, verum est tamen si de Sacerdotibus .... *Pauca desunt*.

S A.

Vers. 1. SEDES; pro, velut sedes. SCABELLUM; pro, velut scabellum, scilicet habitat Deus in iustis, conculcat impios. AEDIFICABITIS; pro, ædificastis.

V. 2. FACTA, id est opera, scilicet mea. PAUPERCULUM, ET CONTRITUM SPIRITU. LXX. *humilem & quietum*. TREMENTEM SERMONES MEOS. Chald. *mutantem se propter sermonem meum*.

V. 3. QUI IMMOLAT, scilicet in peccato. LXX. *iniquus immolans*. THURIS, scilicet ut offerat; vel quasi dicat: Qui in mei memoriam seu accepti beneficii, thus offert. QUI BENEDICAT IDOLO. LXX. *blasphemus*. Omnia, scilicet mihi ingrata.

V. 4. ILLUSIONES, id est peccata, scilicet quæ puniam. Chald. *interitum*.

V. 5. GLORIFICETUR, &c. Ironia; quasi dicat, Glorificetur sane Dominus, & appareat beneficentia eius in vos. IPSI, scilicet inimici vestri.

V. 6. POPULI, scilicet timentis, & tumultuantis adveniente calamitate, cum Deus puniet.

V. 7. PARTURIRET, scilicet Ecclesia, vel Maria; quasi dicat: Ante signa partus, derepente pariet filium. PARTUS. LXX. *dolor partus*. PEPERIT MASCULUM, scilicet Christum. Chald. *revelabitur rex eius*.

V. 8. PARTURIET, id est pariet, scilicet omnes fructus, aut requirentes diversa tempora. SION, id est Ecclesia, scilicet eodem die plurimos.

V. 9. PARIAM, scilicet per Ecclesiam.

V. 10. LAETAMINI CUM. LXX. *letare*.

V. 12. DECLINABO, id est derivabo. AD UBERA, &c. quasi dicat: Nutriemini a divitibus, & principibus, ut solent parvuli a matribus.

V. 13. IERUSALEM, id est Ecclesia militante, vel triumphante.

V. 14. GERMINABUNT, id est revivifcent, scilicet in resurrectione.

V. 15.

V. 15. VENIET, scilicet die iudicii. QUADRIGAE, id est Angeli, quorum opera utetur. FUROREM. Chald. *maledictionem*. INCREPATIONEM, id est punitionem.

V. 16. GLADIO, id est iustitia punientе. CARNEM, id est hominem.

V. 17. IANUAM, scilicet domus, vel templi. ABOMINATIONEM, id est cibos vetitos, seu idolis immolatos.

V. 18. OPERA. LXX. *novi opera*. CUM OMNIBUS, &c. Hebr. Chald. & LXX. *omnes gentes*, &c. GLORIAM, id est maiestatem, scilicet die iudicii.

V. 19. SIGNUM, id est vexillum scilicet Crucis; seu prædicationis. IN MARE. Chald. *maritimas*. TENDENTES, &c. id est populos utentes sagittis. GLORIAM, id est potentiam, seu miracula.

V. 20. IN EQUIS; &c. quasi dicat, Commode, & facile. CARRUCIS. Chald. *laudibus*. LXX. *umbraculis*.

V. 21. LEVITAS, id est diaconos, seu ministros Ecclesiæ. Dicit vero, ASSUMAM, quia non nascuntur ex certa familia, ut in veteri Testamento.

V. 22. FACIO, pro, faciam. NOMEN, scilicet filiorum Dei, seu electorum, vel Beatorum.

V. 23. MENSIS, &c. quasi dicat: Perpetuæ Neomeniæ, & sabbata, id est festa, scilicet in cælo. EX, id est post; quasi dicat, Unum aliud sequetur.

V. 24. EGREDIENTUR, scilicet mente. CADAVERA, scilicet mortui sunt damnati morte secunda. VERMIS. Chald. *anima*. ET ERUNT, &c. Chald. *Et erunt impii iudicati in gehenna*. USQUE AD SATIETATEM, id est fastidium, vel abominationem. Chald. *& dicent super eos iusti: Satis vidimus*. CARNI, id est hominibus, scilicet sanctis.

ESTII.

Vers. 1. 2. & 3. HAEC DICIT DOMINUS, CAELUM SEDES MEA, TERRA AUTEM SCABELLUM PEDUM MEORUM: QUAE EST ISTA DOMUS, QUAM AEDIFICABITIS MIHI? Figurate hoc dictum est ad exprimendam immensam Dei maiestatem, ut ostendat, quam modicum sit ad tantam maiestatem capiendam templum ab homine factum, cum mundus universus eum capere non possit. Quare autem cælum vocetur sedes eius, & terra scabellum pedum eius, non satis liquet. Quidam hoc schemate sermonis nihil aliud significatum putant, quam quod ait Dominus Ierem. XXIII. *Cælum & terram ego impleo*. Et quod canit Ecclesia: *Pleni sunt cœli & terra gloria tua*. Potest tamen huius locutionis etiam specialior ratio reddi. Non enim ait, Terra sedes mea, aut cælum scabellum, sed contra: loquitur enim Propheta de Deo more humano seu antropopatice, quasi ascribens ei membra humana, & humanas qualitates. Cum ergo cælum sursum sit, terra deorsum recte, per eamdem sermonis figuram, cælum vocatur sedes Dei, quasi in ea sedeat, terra autem scabellum pedum eius, quasi in ea pedes suos figat more humano. Simili modo dictus est sedere super Cherubim, & arca esse scabellum pedum eius: Vide Psal. XCVIII. & I. Reg. IV.

Mystice per cælum homines cælestes, id est pii, per terram homines terreni intelliguntur. In piis enim tamquam in sede residet Deus per gratiam suam; terrenos autem homines velut scabellum calcat, & premit potentia & iustitia sua. Porro quod sequitur: *Quæ est ista domus, quam ædificabitis mihi?* non est reprehensio eorum, qui Deo templum ædificant, sed instructio; ut sciant templi usum; non ut in eo Deus habitet (quem cælum & terra capere non possunt) sed ut Deum in templo tamquam precationis loco oraturus, adferat illuc cor contritum, & humiliatum; quod solum propter se Deo placere potest. Inde enim sequitur: AD QUEM AUTEM RESPICIAM NISI AD PAUPERCULUM, ET CONTRITUM SPIRITU, ET TREMENTEM SERMONES MEOS? Hoc enim sacrificium per se placet, iuxta illud Psal. L. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*. Alia sacrificia placere non possunt nisi ex pietate offerentium: quæ si desit, tunc (ut hic subditur) QUI IMMOLAT BOVEM, QUASI QUI INTERFICIAT VIRUM; QUI MACTAT PECUS, QUASI QUI EXCEREBRAT CANEM. Et vere talia erant sacrificia veteris legis, exclusa gratia novi testamenti.

V. 21. ET ASSUMAM EX EIS IN SACERDOTES ET LEVITAS. Refellitur hic figmentum Lutheri qui ut tolleret sacrificium altaris, docebat omnes christianos esse spiri-

tuales sacerdotes. Nam hic aperte significatur non omnes novi testamenti filios fore sacerdotes, immo nec levitas, sed ex eis certos quosdam ad hæc omnia assumendos. Est ergo in nova lege sacerdotium quoddam, non omnibus Christianis commune, sed quibusdam proprium; ad quod peculiariter a Deo assumpti sunt. Id autem non aliud est, quam potestas offerendi corpus & sanguinem Domini, iuxta illud: *Hoc facite in meam commemorationem*, Matth. XXVI. Levitas autem vocat Diaconos, aliosque inferiores ministros. Unde Stephanus & Laurentius etiamnum in Ecclesia Levitæ appellantur. Et notandum illos duos ordines in hac prophetia potissimum exprimi, quia illorum institutionem in novi testamenti Scriptura expresse habemus; videlicet sacerdotum in ultima cœna, ut dictum est Matth. XXVI. & Diaconorum Act. VI. Et sicut in veteri lege sub nomine Levitarum aliquando omnis generis inferiores ministri tabernaculi intelligebantur, ita & hic quoque novi testamenti ordines reliqui, Subdiaconorum, Lectorum, &c. comprehendantur. Vide etiam similem locum Ieremiæ XXXIII.

MARIANAE.

Vers. 1. CAElum sedes mea. Invehitur Propheta in sui temporis mores, ac Iudæos abducere conatur a cærimoniis Legis & templo. Quae est ista Domus. Heb. *ubi ista domus:* & *ubi iste locus?* Meæ maiestati ubi invenietur locus idoneus?

V. 2. Omnia haec, id est cælum & terram ego feci. Et facta sunt, scilicet verbo meo: neque tamen ea rerum magnificentia oblector. Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum. Septuag. *Super quem respiciam, nisi super humilem?* Hieronymus *pauperculam* pro *humili* posuit. Sententia eadem est; scilicet Magis oblector humilibus quam aliis. Et contritum spiritu. Sept. *& quietum*, καὶ ἡσύχιον. Sic Cassianus Lib. XII. Institut. cap. XXXI. totum hunc locum citat: *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum & trementem verba mea?* Quæ verba ex editione Vulgata antiqua citat Gregorius V. Moral. cap. XXXI. & ex illa mansere in usu communi: de quare plura in nostra Disputat. pro Editione vulgata, cap. XVIII.

V. 3. Qui immolat bovem, scilicet cum sit iniquus. Quasi qui excerebret, seu *decervicet*, canem, immundum animal, sacrificio ineptum. Qui recordatur thuris, id est qui offert thus. Verbum זכר *zachar*, & *recordari* & *offerre* significat. Quasi qui benedicat idolo און *aven*, & *idolum* significare potest, & *iniquitatem*, seu *rapinam*, quod sequitur Chald. Ergo *quasi qui benedicat*, id est offerat munus ex rapina. Haec omnia elegerunt. His oblationibus me placare voluerunt, cum essent contaminati peccatis, & anima eorum oblectaretur abominationibus.

V. 4. Eligam illusiones eorum, id est considerabo attente eorum peccata, ut ex eis sumam pœnas. Et quae timebant, scilicet gladium, famem, pestem adducam eis. Et quae nolui elegerunt; id est, quæ mihi grata non erant, sed potius ea aversabar.

V. 5. Fratres vestri. Hostes vocat *fratres*, & forte ironice dicitur. Et abiicientes, id est qui expellunt vos, ducunt in captivitatem. Propter nomen meum: quia me colitis. Glorificetur Dominus, scilicet vos liberando. Et videbimus in laetitia vestra; pro, videamus lætitiam vestram ob datam scilicet libertatem. Hactenus hostium verba. Ipsi autem confundentur. Supple, videbunt ipsi hostes & pudefient, cum id acciderit præter eorum opinionem.

V. 6. Vox populi. Chald. *vox sonitus*. Septuag. *vox clamoris*. Hieronymus in Comment. *vox fremitus:* atque ita est Heb. Ergo vox populi tumultuantis. De civitate, scilicet Ierusalem. Sed quorsum hæ voces? Heb. Schol. refert ad tempus Messiæ, cum populus egredietur in bellum contra Gog & Magog. Nugæ. Hieronymus ad obsidionem sub Tito, cum populus trifariam divisus tumultuabatur. Ego ad liberationem e captivitate refero. Dixerant hostes, velle se eam liberationem videre. Nunc quasi id contigisset, ait, voces auditas in urbe & in templo, quasi lætantium ob datam libertatem. Vox Domini reddentis, id est Babylonios, qui Iudæos opprimebant, vindicantis. Addit, id gaudium fore repente, & præter spem.

V. 7. Antequam parturiret. Repen-

pente veniet ea liberatio, quam partui mulieris comparat, qui repente venit. PARTUS EIUS. Heb. *dolor eius*. PEPERIT MASCULUM. Masculi ortu lætantur parentes. Sic eam lætitiam, masculi exortui comparat.

V. 8. NUMQUID PARTURIET TERRA IN DIE UNA, id est fructus num repente proferet. Sic Septuag. Heb. *numquid parta est*, id est condita, *terra in die una*; id est numquid repente terra & orbis facta sunt, ut hæc liberatio? Sententia Vulgatæ eadem. GENS SIMUL, id est una natio hominum num repente fit; quasi dicat, Minime. Multo tempore e parentibus & posteris exurgit natio quæque. Quomodo ergo repente Sion peperit, acquisivit filios suos?

V. 9. QUI ALIOS PARERE FACIO. Heb. *ego frangens*, scilicet vulvam, quod fit in partu. Ergo si facio, ut mulier pariat, ego pariam data libertate. STERILIS ERO. Heb. *claudar*, scilicet ut non possim parere.

V. 10. QUI LUGETIS, ob eius afflictiones lugere solebatis. SUPER EAM; vel, propter eam, nunc lætamini.

V. 11. ET REPLEAMINI, satiemini. AB OMNIMODA GLORIA EIUS. Heb. *ab splendore gloriæ eius*. Ea sit causa satietatis & lætitiæ.

V. 12. QUASI FLUVIUM PACIS. Heb. *sicut fluvium pacem*, scilicet dabo. Per *pacem* intellige omnia bona. GLORIAM GENTIUM, divitias ornamenta. QUAM SUGETIS. Heb. *& sugetis*, id est participabitis, ea Gentium gloria. AD UBERA PORTABIMINI. Sic Chald. Heb. *super latus portabimini*. Septuag. *parvuli eorum in humeris portabuntur*. BLANDIENTUR VOBIS. Heb. *super genua oblectabimini*. Sic solent infantes imponere genibus, & cum eis ludere.

V. 14. ET OSSA VESTRA QUASI HERBA GERMINABUNT, nempe gaudium & lætitiam. MANUS DOMINI, id est potentia, auxilium. SERVIS EIUS. Heb. *cum servis suis*.

V. 16. ET MULTIPLICABUNTUR INTERFECTI A DOMINO. Heb. *interfecti Domini*. Qui sunt hi interfecti? Per *interfectos* videtur intelligere damnatos, propterea quæ inferius dicuntur.

V. 17. QUI SANCTIFICABANTUR. Heb. *qui se sanctificant, & purificant*. IN HORTIS POST IANUAM INTRINSECUS. Heb. *in hortis post unam in medio*. Heb. Schol. dicit eam *unam*, esse piscinam, quæ in medio horto erat, ut scilicet ea aqua loti se purificarent. Septuag. *purificati in hortis & liminibus*, id est *in ianua*, ut Noster dixit. ET ABOMINATIONEM comedebant, id est cibos vetitos. ET MUREM. Per *murem* intelligit omnia immunda & fœda animalia. Hi sunt, in quos Deus debebat debævire. Hi sunt, interfecti Domini.

V. 18. EGO AUTEM OPERA EORUM, scilicet novi, nihil me latet, opera etiam in occulto facta; mentis cogitationes exploratas habeo. VENIO. Heb. *venit* scilicet tempus: iam est maturum. UT CONGREGEM CUM OMNIBUS GENTIBUS. Heb. *ut congregem omnes gentes*, scilicet in Ecclesiam. ET VENIENT, ET VIDEBUNT GLORIAM MEAM eæ gentes.

V. 19. ET PONAM IN EIS SIGNUM, id est characterem inuram quibusdam ex eis, scilicet piis, ne interficiantur in ea rerum permixtione. EX EIS QUI SALVATI FUERINT, id est mittam eos, qui evaserint. IN MARE mittam *Tharsis*, Heb. quæ hoc loco Carthago est, aut Tunetum. IN AFRICAM. Heb. *Pul*. Septuag. *Phud* legunt, quæ proculdubio est *Phut*. Genes. x. 6. id est Occidua Mauritania, ubi urbs Phutensis, hodie *Fez*. Hieronymus putavit ea voce significari totam Africam a Libya usque ad Mauritaniam, ubi est fluvius eo nomine. ET LYDIAM: in Asia est, cuius colonia sunt Hetrusci. TENDENTES SAGITTAM. Sic Hieronymus in Comment. non *tenentes*, ut plerique codices male habent. Heb. *tendentes arcum*. IN ITALIAM, ET GRAECIAM. Heb. *Tubal* & *Iavan*. Sed pro *Tubal*, *Hispania* forte melius poneretur, quoniam eam *Tubal* condidit. Ii signati & missi in provincias, sunt Apostoli, quos in omnes gentes mittet Deus.

V. 20. ET ADDUCENT OMNES FRATRES VESTROS. Iudæos dispersos inter Gentes adducent in Ecclesiam. QUOMODO SI INFERANT; id est, tam gratus mihi erit eorum adventus, quam munus quodcumque oblatum in vase mundo.

V. 22. QUIA SICUT CAELI NOVI. *Cælos novos, & novam terram* ad iudicii diem refert Petrus II. Epist. III. 13. Erunt autem novi non secundum substantiam, sed pro-

propter novam formam; quæ forma perpetuo ſtabit, non mutabitur. SIC SEMEN VESTRUM; id eſt, poſteri perpetuo ſtabunt, non deficiet Eccleſia. Nomen quoque veſtrum perpetuum erit. Semper erunt, & vocabuntur fideles.

V. 23. ET ERIT MENSIS EX MENSE. Heb. *Et erit de menſe in menſem, & de ſabbato in ſabbatum eius*, id eſt omni tempore ſine intermiſſione. VENIET OMNIS CARO, UT ADORET. Hoc in Eccleſia eſt factum, ad quam omnes Gentes venere, & complebitur magis in futura vita, in patria.

V. 24. CADAVERA VIRORUM, QUI PRAEVARICATI SUNT IN ME. Damnatos intelligo per *cadavera*. VERMIS EORUM, id eſt conſcientiæ morſus, aut quoniam in cadaveribus ſunt vermes, damnatorum cruciatus vermes vocavit. ET IGNIS EORUM. Verus ignis in inferno erit. ET ERUNT USQUE AD SATIETATEM VISIONIS. Satiabitur omnis caro eo ſpectaculo. Heb. *& erunt in opprobrium*, ſeu *nauſeam omni carni*. Omnes qui viderint, abominabuntur ea cadavera, propter tetrum odorem & ſaniem qua diffluent.

MALVENDAE.

Verſ. 1. HAEC DICIT DOMINUS: &c. Heb. *Sic ait* IHAH: *Cælum ipſum ſolium meum eſt, & terra ſcabellum pedum meorum*, &c. Huius, inquit, concionis (qua Propheta exitium veteris ſynagogæ, & Chriſtianæ Eccleſiæ conſtitutionem explicat) quatuor ſunt capita: primum eſt, contestatio Iudæorum & hypocritarum, quibus cum ipſorum ſcelus & ſupplicium, tum humilium reliquiarum ſalus prænuntiatur, verſibus quatuor: ſecundum eſt, propoſitio ad ſanctas Iudæorum reliquias, qua de hypocritarum caſu, & liberorum in Eccleſia gignendorum promiſſionibus confirmantur, a verſ. 5. ad 10. tertium eſt, hortatio ad amicos Eccleſiæ, ut lætentur cum ea, & benedictiones Dei participent ad gloriam ipſius, uſque ad verſum 15. poſtremum eſt, narratio benedictionum, quas effecturum ſe Deus promiſerat, inde ad finem uſque. CAELUM SEDES MEA, TERRA AUTEM, &c. Vide de hoc verſu Actor. VII. 48. & 49. & cap. XVII. 25. QUAE EST ISTA DOMUS, QUAM AEDIFICABITIS MIHI, &c. Alii: *ubinam eſſet domus, quam ædificaretis mihi? & ubinam locus quieti meæ?* quaſi dicat: Putaretiſne hypocritæ, me excelſiſſimum in manufactis templis habitare, Actor. VII. 48. & 49. & cap. XVII. 24. ac proinde iſto templo capi, includi infinitam maieſtatem meam? non eſt illa mea habitatio iuſta, ſed in animo pauperum & contritorum ſpiritu, ibi unanimiter habitaturus & ambulaturus ſum, II. Corinth. VI. 16.

V. 2. ET FACTA SUNT UNIVERSA ISTA. Quidam: *& verbo meo facta ſunt omnia hæc*. Hebr. *& fuerunt omnia iſta*; id eſt, eſſe acceperunt e manu mea. Alii: *& per eam exiſtunt omnia iſta*. Sanctes: *& fuerunt omnia hæc antequam eſſet templum*. AD QUEM AUTEM RESPICIAM, &c. Alii ex Heb. I. *& cum toto hoc ad affectum ipſum ego potius ſpecto, ad contritum ſpiritu, & trementem ſuper verbum meum*. II. *ad hunc autem reſpiciam, ad eum, qui eſt humili & fracto ſpiritu, & qui ad verbum meum reverentia quadam contremiſcit*. III. *ſed in hunc intueor, in pauperem & contritum ſpiritu, ac trepidantem ad verbum meum*; id eſt, ii demum ſunt vera templa mea: nam alioqui ſtructura illa templi aſpectabilis deſtituta veris ſervis Dei, templiſque illius viventibus, erat ingrata Deo; quamobrem utrumque coniunxit Schelomoh dicens: Ut *ſint oculi tui aperti erga domum hanc auſcultando orationi, quam oravi ſervus tuus*, &c. I. Reg. VIII. 29. & ſequentibus IV. *& ad quem reſpiciam? ad inopem, & caſum, percuſſum, ſaucium ſpiritu & trementem*, ſeu *trepidum ſuper verbo meo*.

V. 3. QUI IMMOLAT BOVEM &c. Hunc verſum ſubobſcurum Hebraice, evidentius alii transferunt: I. *Qui immolat bovem eſt ac ſi interficeret virum, qui immolat pecus perinde eſt ac ſi decervicaret canem, qui offert oblationem eſt ac ſi offerret ſanguinem ſuillum, qui ſuffire facit thus eſt ac ſi benediceret idolo: etiam hæc elegerunt in viis ſuis, & abominationibus ſuis anima eorum delectata eſt*. Hæc eſt ultima ratio improbationis lapidei templi: non ſolum enim prædictis rationibus, in ſpiritu erit verum Dei templum; ſed etiam hac, quod abominationem in iſto vos faciatis. II. *Qui bovem mactat eſt ut qui hominem occidit*, id eſt, qui citra fidem offert ſacrificium

ficium, tantum peccat, quam is qui hominem occidit: *qui pecudem cædit, est ut is qui canem ingulat;* id est, qui pecus Deo sacrificat sine pietate, perinde agit, ac si illi canem immundum animal & lege sacrificari prohibitum, sacrificaret: *Offerens mincha*, seu *munus, offert suillum sanguinem*; id est, offerens sacrificium farinaceum sine fide, tam peccat quam qui suillum sanguinem offerret: *qui thuris meminit*, vel *qui thus adolet*: *rem vanam laudat*: vel *ut qui benedicit iniquitatem*; id est, offert pro munere pecuniam rapto comparatam: *& ista elegerunt isti in viis suis, & animus eorum istis abominandis rebus delectatus est*. III. *Qui mactat taurum, cædit virum: qui sacrificat pecudem, decervicat canem: qui offert oblationem, sanguinem suis: qui commemorat thus, benedicit violentiæ: immo hæc elegerunt in viis suis, & in abominationibus suis anima ipsorum complacuit*. Ac si dicat: Sacrificia lege præscripta, citra fidem ac pietatem ab istis hypocritis immolata, nedum non grata erant Deo, sed penitus & summe detestanda, ut res extreme abominabiles. IV. *Qui iugulat bovem*, in templo videlicet, ex ritu externo legis, sed non abiecto & contrario animo ac trepidante ad verba Dei, ut cap. I. 11. & sequentibus, & cap. LVIII. *ac si percuteret virum*; id est, homicidium perpetraret; quasi dicit: Non magis mihi acceptus est, quam qui scelerate cædem perpetrat contra legem: *qui mactat parvam pecudem, ac si decollet canem*, id est animal inceptum sacrificiis, synecdoche: *qui offert munus, ac si sanguinem porci*: nam utroque interdicitur lege, sanguine & sue: cum munera e simila, oleo, & vino, non autem ex sanguine fierent, Levit. II. sus vero neque in publico Dei cultu, neque in privato usu permissa esset, Levitic. XI. 7. *qui adolet thus ac si benedictionem offerret vanitati*, seu *muneraretur idolum*: *etiam isti eligunt vias suas*, non autem instituunt iis quas ego elegi; *& abominationibus suis anima eorum delectatur*. IDOLO. Heb. *concupiscentiæ*: sed און *aven*, sæpe in Scriptura sumi pro idolis & cultu idololatrico, non semel annotavimus: vide supra cap. XLI. 29.

V. 4. UNDE ET EGO ELIGAM ILLUSIONES EORUM. De voce תעלליהם *taghalulim*, vide supra cap. III. 4. Varie hic exponunt: I. Forrerius: *Ego quoque eligam cogitationes eorum*; id est, illas ipsorum cogitationes, sollicitudines, curas, angores, quos illi formidant, accurate in illos adducam; ut illud Evangelii: *Venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem*. Leo Iudas: *Unde & ego eligam illusiones illorum*, seu *perdita eorum flagitia*; id est, ex eorum operibus perditis seligam pessima; de quibus sumam pœnas. III. Tremellius, & Iunius: *Etiam ego eligam propter facinora eorum*; id est, delectum habebo, & exquisitas pœnas immittam eis. IV. Aben-Ezra: *Occasiones eorum*; id est, quæ causa fuit in eos vel eventura illis. V. Kimchi: *corrupta opera eorum*. VI. Hispanicus Interpres: *Tambien yo escogere sus escarnios*. VII. Avenarius: *in prava studia eorum*. VIII. Marinus: *in puerilia eorum*. IX. Buxtorfius: *in ludificationes eorum*. X. Schindlerus: *in iniurias eorum*. XI. Vatablus: *in adinventiones eorum*. XII. Forsterus & Mercerus: *in ludicra eorum*. Hispanice: *eu sus barlas y iuegos*, qui de rebus Dei ludos faciunt. ET QUAE TIMEBANT. מגורותם *meghurotham*, *contractiones, peregrinationes animi, timores, metus, pavores, formidines, eorum*: vide in Psal. XXXIII. 5. & Proverb. X. 24. ET QUAE NOLUI ELEGERUNT. Alii: *& id quo non delector, elegerunt*: ut supra cap. LXV. 12.

V. 5. AUDITE VERBUM DOMINI QUI TREMITIS AD VERBUM EIUS. Alii: I. *Audite verbum Iehovæ, qui ad sermonem eius reverentia quadam contremiscitis*. II. *Audite verbum Iehovæ, qui trepidatis ad verbum eius*. Secunda pars capitis, propositio ad reliquias Iudæorum Sanctas, ut observavimus in vers. I. DIXERUNT FRATRES VESTRI, ODIENTES VOS. Alii: *dicunt fratres vestri, osores vestri*; id est, qui in propatulo Iudæi sunt secundum litteram & carnem, sed revera Iudæis germanis inimiei. ET ABIICIENTES VOS. Alii: I. *& qui vos expellunt*. II. *abominantes vos*. III. *elongantes vos*. IV. *procul arcentes vos*: ut supra cap. LXV. 5. V. *separantes vos*. Notant verbum נדה *niddah*, in Pihel ex nomine suo verbali, *niddah*, proprie significare, *removere, & avertere quippiam tamquam immundum & pollutum, cum indignatione & detestatione rem tamquam execrandam a se cum gestu abominantis amoliri*; unde reddunt: *removentes*, vel *removentes vos propter nomen meum*. Forsterus annotat:

tat: *Christus hanc propheta prædictionem suis discipulis renovans Ioann.* XVI. 2. *aut sane Ioannes ipse verius vertit*, ἀποσυναγώγους, Alienos a synagogis facient vos. *Sic cap.* IX. 22. Iam enim conspiraverant Iudæi, ut si quis confiteretur eum esse Christum, aposynagogus, extra synagogam esset, *& cap.* XII. 42. Verumtamen ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter Pharisæos non confitebantur, ne e synagoga eiicerentur, &c. *Quanquam hoc Græcum non satis exprimat Hebraicæ vocis significationem*. Hæc Forsterus, quæ quoque imitati sunt Forerius & Mercerus. Et sane Hebræi נדוי niddui, inter excommunicationum genera recensent, quam ipsi *remotionem*, *profligationem*, *proscriptionem*, *relegationem*, *expulsionem*, *fugation m* interpretantur: vide Eliam in Thisbi, pag. 110. & 271. Unde hic reddimus: *odientes vos*, *removentes*, *separantes*, *expellentes*, *profligantes*, *excommunicantes vos*, vel *abstentos facientes vos*. Non dubitaverim ad hunc locum Isaiæ respexisse, ex coque verba desumpsisse Christum Lucæ VI. 22. *Beati eritis cum vos oderint homines, & cum separaverint vos, & exprobraverint, & eiecerint nomen vestrum tamquam malum, propter Filium hominis*. PROPTER NOMEN MEUM; id est, propterea quod me honoratis. Alii ex accentibus Hebraicis iungunt sequentibus: *propter nomen meum honoratur Iehova*. Fastuosorum hypocritarum verba, qui Deum inglorium & inhonoratum fore iactant, nisi ab ipsis coleretur; aliorum cultum præ suo nihili faciunt, & Deum perinde sibi obstrictum putant, ac si in ære ipsorum esset, & ipsorum nomine coleretur. Hæc autem ita fuisse accipienda, clare docent distinctiones Hebraicæ. Sed enallage numeri non satis apte hunc sensum admittit. GLORIFICETUR DOMINUS, ET VIDEBIMUS IN LAETITIA VESTRA. Hæc tantum verba volunt esse Iudæorum hypocritarum. Quidam exponunt: *Gloriosus appareat Iehovah ut videamus gaudium vestrum*. Ironia est infidelium Iudæorum; scilicet: Ostendat se Iehova gloriosum liberando, & beando vos, & videamus materiam amplam gaudii vestri, id est liberationem, quam toties Iehova vobis pollicitus est; quasi dicat: Liberet vos Iehova, & inter vos regnet, & nos admirabimur felicitatem vestram, & congaudebimus vobis de bono ac gaudio vestro. Sed nihil minus fiet. Verum quia verbum כבד cabad, in *Kal* ægre reperitur in significatione *gloriæ*, plerique Hebræorum reddunt: *Aggravabitur*, vel *gravis erit Iehova*; scilicet, gravia, ponderosa, molesta erunt verba, seu præcepta, seu supplicia eius: ut hæc sint dumtaxat verba hypocritarum, cetera vero huius versus, sint prophetæ. ET VIDEBIMUS IN LAETITIA VESTRA: IPSI AUTEM CONFUNDENTUR. נראה nireh, potest esse futurum plurale *Kal*: *& videbimus*: & præteritum singulare Niphal: *& videbitur*, *conspicietur*, *apparebit*. Quidam reddunt: *sed videbitur*, *manifestus erit*, *in lætitia vestra*, *cum illi pudefient*; id est, manifestabitur Iehova in felicitate vestra, o piæ reliquiæ, cum illi hostes vestri ac perduelles suppliciis confundentur. Alii: *sed videbimus lætitiam vestram*, *cum isti erubescent*. Nimirum videbimus ego, & vos, o pii omnes, cum Deus gloriam suam explicaverit illustratione Evangelii ad lætitiam vestram, & totius Ecclesiæ, de qua infra vers. 10.

V. 6. VOX POPULI DE CIVITATE. Heb. *Vox obruitionis, ruinæ, irruptionis, sonitus, strepitus, tumultus, fremitus, fragoris, ex urbe*. Quidam hunc versum ex Heb. reddunt: *Voce tumultuosa e civitate, voce a templo, voce Iehovæ, rependente retributionem inimicis suis*. Exponunt: *voce tumultuosa*, &c. id est Evangelio, ad cuius auditionem quasi tumultus invadentis, turbatur mundus (ut Matth. II 3.) quia prædicatio illius in iis qui pereunt, est odor mortis ad mortem: postquam Deus huius seculi excæcavit eorum mentes, ne irradiet eos lumen Evangelii gloriæ Christi, II. Corinth. II. 16. & IV. 4. Atque hæc iungenda sunt superioribus: *cum isti erubescent voce Evangelii insonante ex omni loco*, &c.

V. 7. ANTEQUAM PARTURIRET, PEPERIT: &c. Hunc versum alii ex Heb. reddunt: *Cum nondum*, vel *priusquam*, *parturiret*, *pepererit*; *cum non invadet dolor eam*, *iam posuerit marem*. Secundus locus propositionis de gignendis mirifice Ecclesiæ liberis, ut supra cap. XLIX. 18. & sequentibus, & cap. LX. 4. Erit (inquit Deus) hic Ecclesiæ partus longe gloriosior, & admirabilior quam Hebræarum in AEgypto, Exod. I. 19. Atque descriptio huius versus, subitam, celerem & mirabilem rationem pariendi,

fine

sine ope humana & externa, sola gratia regenerationis ex semine incorrupto verbi significat: quam sequentia magis explicant. PARTUS EIUS. חבל chebel, funis, id est dolor gravissimus, qualis est parturientium, qui hominem quasi fune arctissime constringit: ut supra cap XIII. 8. PEPERIT MASCULUM. הִמְלִיטָה himlitah. Varie exponunt: posuit, exclusit, enixa est, edidit, proiecit, fecit evadere, salvum enixa est marem: ut supra cap. XXXIV. 15. Sed in futuro reddendum: & eripiet, salvum evadere faciet, vel salvum pariet masculum. Nam est Vau conversivum.

V. 8. QUIS AUDIVIT UMQUAM TALE? &c. Quidam reddunt: *Quis audivit rem huiusmodi, quis vidit talia*, &c. Exaggeratio mirifici operis Dei in genitura Ecclesiæ, per comparationem geniturae naturalis & ordinariæ. NUMQUID PARTURIET TERRA IN DIE UNA? יוחל iuchal, est futurum Hophal verbi חול Chul. Varie interpretantur: I. *num terra condita est uno die?* II. *num parietur*, seu *parta est terra die una?* III. *num formata est*, vel *genita est terra die uno?* IV. *num dolore parabitur terra die uno?* V. *an efficeretur ut pariat terra*, id est populus, metonymice, *die uno?* Aliene Forerius: *numquid profanabitur terra in die uno?* a חלל chalal; id est, nixu & partu rumpetur in filios? QUIA PARTURIVIT ET PEPERIT SION FILIOS SUOS? Alii: *quod parturit, simulque parit Tziion filios suos?* id est Ecclesia.

V. 9. NUMQUID EGO, QUI ALIOS PARERE FACIO, IPSE NON PARIAM? Varie ex Heb. elucidant: I. *Num ego mulierem venire faciam ad partum, & non parere faciam?* II. *Num ego contererem, & non facerem parere?* III. *Egone qui ad partum perduco, non facerem parere?* IV. *Num ego effringerem matricem, & non facerem parere?* V. *Num ego tormina parientis afferrem, nec parere facerem?* VI. *An ego frangere faciam*, id est parere faciam, quod in partu corpus parientis frangatur, *& non gignam?* VII. *An ego fracturam fieri sinam*, seu *faciam, & non gignam*, seu *gignere faciam?* VIII. *An ego aperirem os matricis, & non gignirem?* Subiectio ad interrogationem præcedentem, qua Deus totum geniture opus in Ecclesia sibi arrogat, & porro facturum pollicetur, per comparationem geniture naturalis: Ego, inquit, qui aliis sum gignendi auctor, an non ipse gignerem nunc & in sæculum arbitratu meo? Notant verbum שבר schabar, in Hiphil, hic mutuari suam significationem a nomine מַשְׁבֵּר maschber, eiusdem radicis, quod confractionem matricis exponunt, II. Reg. XIX. 3. quasi sit, *facere confringere matricem;* id est, tormina parturientis afferre. STERILIS ERO? Alii ex Heb. *& claudar, occludar, cohibebor, detinebor, concludar, coercebor?* Forsterus: *ego prævalescerer?* hoc est, impedirer. Tremellius, & Iunius: *amplius occluderem?* id est, deinceps non propagarem Ecclesiam, committendo ei semen incorruptum verbi?

V. 10. LAETAMINI CUM IERUSALEM. &c. Alii: *cum urbe Ierushalaimorum*. Tertium concionis caput, ad Iudæos & gentes amicas Ecclesiæ, quæ prius fuerant illi inimicæ, ut diximus in vers. 1. continens hortationem duobus versibus, & ætiologiam tribus aliis. UNIVERSI, QUI LUGETIS SUPER EAM. Alii: *quicumque lugebatis de ea*, id est piæ Iudæorum reliquiæ, (nam in præcedente membro, *amantes eam*, intelligit gentes amicas) lugentes & bene cupientes Ecclesiæ: siquidem ex his duobus coagulata est Ecclesia Christi: ac propterea seorsim sui fines proponunt hysteron proteron, sequente versu.

V. 11. UT SUGATIS, ET REPLEAMINI, &c. Alii hunc versum exponunt: *ut fugatis, & saturemini ubere consolationum eius*, nimirum vos, qui lugebatis de ea: hoc ad reliquias pertinet: *ut exprimatis & delicias agatis a splendore gloriæ eius*. Hoc ad gentes amicas Ecclesiæ spectat. UT MULGEATIS. Hebr. est futurum, *emungetis, emulgetis, exsugetis, extrahetis, elicietis, exprimetis*. ET DELICIIS AFFLUATIS. Alii: *& delicias agatis, deliciemini, delectemini*, o*blectemini*. Forsterus: *& delicate pascatis vos*. Forerius: *& deliciis vosmetipsos ingurgitetis*, vel *vosmetipsos deliciis affluentes reddatis*. Verbum ex Hitphahel significatum intendit: *& deliciari vos ipsos facietis;* id est, uberrime deliciis abundetis & fruamini. AB OMNIMODA GLORIA EIUS. Alii: *a splendore gloriæ eius*. Forsterus: *de universitate gloriæ eius*, id est de gloria universa eius, vel *ab immensa gloria eius*. A Avenarius: *a copia gloriæ eius*. Sed de voce זיז ziz, abunde diximus in Psal. XLIX. 11.

V. 12. QUIA HAEC DICIT DOMINUS: ECCE EGO DECLINABO SUPER EAM QUASI

ET FLUVIUM PACIS, &c. Alii: *Nam ita ait Iehova: Ecce ego extensurus sum ad eam tamquam fluvium pacem*, &c. AEtiologia, ab amplissimis Dei promissionibus erga Ecclesiam, & omnes amantes eius. *Tamqam fluvium pacem*: vide supra cap. XLVIII. 18. AD UBERA PORTABIMINI, ET SUPER GENUA BLANDIENTUR VOBIS. Heb. *ad latus levabimini, & super genua oblectabimini*. Vatablus: *& super genua ad gaudium: & lusum provocabimini*, ut scilicet infantes. Sanctes: *risu afficiemini & lusu*. Forsterus: *in latere portabimini, & super genubus excipiemini amanter*; blande, cum gestu voluptatis & oblectationis applicabimini: vide supra cap. XLIX. 22. & cap. LX. 4.

V. 13. QUOMODO SI CUI MATER BLANDIATUR, &c. Alii ex Heb. I. *Ut quispiam, quem mater sua consolatur, sic ego consolaturus sum vos, & in Ierusalaimis consolatione perfundemini*. II. *Perinde enim atque mater sua quempiam consolatur, sic ego vos consolabor, & in Ierusalaimis consolationem accipietis*. Nam verbum est ex Puhal.

V. 14. ET OSSA VESTRA QUASI HERBA GERMINABUNT. Alii ex Heb. I. *& ossa vestra ut gramen virebunt*. II. *& ossa vestra ut herba tenera reflorescent*; id est, vos, qui tam misere prostrata & sepulta malis Ecclesia iacetis velut arida, putridaque ossa per terram, divinitus instaurabimini, ut Ezechiel. XXXVII. ET COGNOSCETUR MANUS DOMINI, &c. Alii: *& agnoscetur manus Iehovae erga servos suos, & indignatio contra inimicos suos*. Transitio ad narrationem sequentem propositis duabus illis partibus, nempe beneficentiae erga suos, & irae in hostes, quae deinde per hysterosin explicantur.

V. 15. QUIA ECCE DOMINUS, &c. Alii: *Nam ecce Iehova*, &c. Ultima pars concionis, ut dictum est in vers. 1. narratio operum Dei in Ecclesia, quorum unum est indignatio contra hypocritas, tribus versibus: alterum est Ecclesiae multiplicatio & dignitas, in sequentibus. IN IGNE VENIET. Alii: *cum igne venturus est*. Cuius meminit Ioannes Matthaei III. 12. Sic perstringitur allegorice vehementia, celeritas, & gloria iudiciorum Dei, hoc & sequente versu. REDDERE IN INDIGNATIONE FUROREM SUUM, &c. Alii: I. *ad reddendum cum furore iram suam*. II. *ad reddendum cum excandescentia iram suam, & increpationem suam cum flammis ardentibus*: vide supra cap. XLII. 25. III. *ut vertat indignationem suam in iram, & increpationem suam in flammas ignis*; vel *ardentes*; id est, ut gravissime irascatur, & gravius puniat. IV Forerius: *ad efflandum in ardore nasi sui*. להשיב *lehaschib*, deduxit a נשב *naschab*, cum potius alii שוב *schub*, & חמה *chemah*, *ardor*, non est in regimine.

V. 16. QUIA IN IGNE DOMINUS DIIUDICABIT. נשפט *nischphat*, potius videtur participium Niphal, quam praeteritum: *Quoniam in igne Iehovah iudicio contendens*. Quidam reddunt: *Iehova enim igne disceptaturus est, & gladio suo contra omnem carnem*. ET MULTIPLICABUNTUR INTERFECTI A DOMINO. Alii: *& multiplicabuntur*, seu *multi erunt*, *confossi Iehovae*; id est, infiniti erunt, quos Deus conficiet suo potente verbo, & spiritu oris sui. INTERFECTI. Heb. *violati*, *laesi*, *vulnerati*, *perfossi*, *saucii*: nonnulli intelligunt eos, qui impegerunt & offenderunt in Evangelium, quod ipsis fuit petra scandali & ruinae; vel intelligit hostes Evangelii, quos Deus innumeros delevit.

V. 17. QUI SANCTIFICABANTUR, ET MUNDOS SE PUTABANT IN HORTIS. Alii: *Qui sanctificant se, & qui mundant se in hortis*. Explicatio hostium, quos confossurus est Dominus: nimirum qui cultum divinum idolis exhibent, & vitam constituunt contra legem. IN HORTIS. Heb. *ad*, *apud hortos*: de quibus supra cap. I. 29. & cap. LXV. 3. POST IANUAM INTRINSECUS. Contendent aliqui non sine valida coniectura, nostrum Interpretem scripsisse *unam*, deinde ab oscitantibus irrepsisse *ianuam*. Diversimode alii exponunt Hebraea: I. *post una in medio*; id est, post unam insignem & praecipuam ac peculiarem piscinam, quae est in medio horti. Heb. in margine legitur אחת *achath*, *unam*; at in contextu אחד *achad*, *unum*; id est, post unum peculiarem & insignem fontem; quasi dicat: Pone singularem & insignem cisternam, aut fontem, qui erat in medio horti, sanctificabant se, & mundabant, hoc est lustrabant. II. Forerius: *alienus unus in medio*, id est posito in medio horti alieno quopiam externo & falso deo, cui sacra faciunt. Sed tunc non אחר *achar*, sed *acher* dicendum fuisset. III. Tremellius, & Iunius:

nius: *post unum in medio ipso;* id est, sequentes alter alterum palam. IV. *unus post unum in medio;* id est, tres ordine siti, quibus conferuntur porcus, abominatio, & mus. Videtur peculiaris fuisse ritus idololatricus. Observabis paronomasiam, *achar, achad, post unum:* quibus gaudere solet Propheta. Hispanicus Interpres prius hemistychium huius versus ita reddidit: *Losque se sanctifican ey losque le purifican en los huertos;* id est, *en los bosques o sotos plantados parala idolatria, despues de uno en medio,* id est *por orden, unos tras de otros:* ut ad hortos seu arbores, & ad homines referri possit. SIMUL CONSUMENTUR. Heb. *pariter deficient, desinent, finientur, interibunt.*

V. 18. EGO AUTEM OPERA EORUM &c. Hunc versum varie ex Heb. explanant: I. *Ego autem* ero cum *operibus eorum, & cogitationibus eorum* quando erit tempus *veniens, ut congregem omnes gentes & linguas: venientque & videbunt gloriam meam;* quasi dicat, Opportune in improbos hypocritas ostendam gloriam iudiciorum meorum. II. *Ego autem novi opera eorum, & cogitationes eorum, venit tempus ut congregem,* &c. III. Tremellius, & Iunius sententiam huius versus sequente absolvunt: *De me autem;* id est, quod ad me attinet. Altera pars narrationis, de operibus Dei erga servos suos, ut diximus in vers. 14. & 15. in quibus numerantur ista, vocatio gentium in Ecclesiam ministerio sanctarum reliquiarum ex Iudæis, tribus versibus; communis & æqua illorum dignitas in ministerio Dei, tribus alteris; & Ecclesiæ totius de hostibus triumphus, versu ultimo: *cum factorum horum,* vel *erga hos, cogitationumque horum,* sive *erga hos quæque adveniet, congregando omnes gentes, & linguas, quæ venientes visuræ sunt gloriam meam:* id est, cum plenitudo temporum advenerit, quæ effecturus sum ea quæ cogitavi & statui in consilio meo, & vocaturus gentes in Ecclesiam: *Ponam in his signum,* &c. VENIO. באה *baah,* est proculdubio participium femininum, *veniens,* nec ad Deum Heb. referri omnino apte posse videtur; plerique ad *tempus,* quod subaudiunt, vel ad unamquamque cogitationum referunt. Noster, vel בא *la,* legit sine *He,* vel Spiritum sanctum venientem intellexit, qui Hebræis feminei generis est.

V. 19. ET PONAM IN EIS SIGNUM. Exponunt, Crucis; id est, prius prædicabitur eis remissio peccatorum per crucem & mortem Christi. Alii, ad illud Actor. II. 2. referunt: *Factus est repente de cælo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis,* & cum Spiritus sanctus in signo venti & ignis effusus est in discipulos. Tremellius, & Iunius: *Ponam in his signum;* id est, signabo servos meos intus virtute spiritus, & administrationem ipsorum signis fidei confirmabo. Marc. XVI. 17. & 20. ET MITTAM EX EIS QUI SALVATI FUERINT, AD GENTES. Heb. *& mittam ex eis evasores ad gentes,* vel *& mittam ex his, qui evaserint, ad gentes;* id est, Iudæorum reliquias, nempe apostolos, & discipulos Domini, qui ex Iudaismo ad Ecclesiam evaserint, mittam ad adducendas gentes ad Evangelium. Non tam recte alii active: *mittam ex eis evadere facientes,* vel *qui salvent & evadere faciant,* & auctores sint evasionis. IN MARE: *Tharsis: in Oceanum,* vel *in mare magnum elatum;* aut *in Indiam,* vel *in Ciliciam.* Omnia enim hæc subsunt voci *Tharsis.* Vide Librum VI. de Antichristo, cap. XXIX. §. 1. & 2. Tremellius, & Iunius: *in Oceanum;* id est, mari æque ac terra ad Evangelium provocabo, ut exempli gratia nationes aliquot deinde nominantur. IN AFRICAM. Heb. פול *phul.* S. Hieronymus: *Phut autem, sive Phul, Libyes, omnisque Africa usque ad mare Mauritaniæ, in qua fluvius hodie, qui Phut dicitur, & cuncta circa eum regio Phutensis appellatur.* Videtur existimasse idem omnino esse Phul, & Phut, de quo Genes. X. 6. Vide ibi eumdem S. Hieronymum in Quæstionibus Hebraicis. Tremellius, & Iunius annotant: *Phul, id est, Cyrenas sive Pentapolim, & ulteriorem Africam, ubi regnavit Aphulla ab Agathocle Siculo circumventus, corrupte Ophellas appellatus apud Iustinum Lib.* XXII. Potuit dici *Aphulla* a *Phul* regione: sed regio Phul ab Aphulla dici non potuit ab Isaia nisi per vaticinium: nam aliquot annorum centenariis Isaias tempora Agathoclis & Ophellæ antecessit. ET LYDIAM. Heb. לוד *lud.* Vide in Genes. X. 22. TENDENTES SAGITTAM. מושכי קשת *moschechc, kescheth,* *tractores arcus.* Quidam hanc partem separant de Lydis, *& ad trahentes arcus,* id est ad *Traces,* seu *Turcas,* aut potius Cappadoces, vel *Moschovitas;* qui mirifici sunt tractores arcuum, referunt. Sed præstat cum No-

Nostro, aliisque cum Lydis coniungere: qui tametsi a sagittandi peritia non commendentur ab Herodoto, commendantur tamen a Ieremia XLVI. 9. IN ITALIAM. Heb. תובל *Thubal.* Vide in Genes. X. 2. ET GRAECIAM. Heb. יון *Iavan* vide ibidem.

V. 20. FRATRES VESTROS. Non quidem genitos secundum carnem, ut supra vers. 5. sed a Deo genitos spiritu per fidem & semen incorruptum verbi. ET IN LECTICIS. צבים *tzabbim*, proprie, *& in tumoribus*, id est *vehiculis tumidis*, *plaustris seu curribus obtectis*, *tumbatis*, *in modum tumbarum concameratis*. Quidam reddunt, *in curribus cameratis*: alii, *in tumbis*: nonnulli, *in pilentis*. Vide in Numeror. VII. 3. ET IN CARRUCIS. כרכרות *chircaroth*, voce consentiente plerique cum Nostro *Carrucas* interpretantur. Quidam Hebræorum, *camelos præstantissimos*, vel *animalia velocia*. Forsterus, *equos saltantes*, *proportione tipulæ incedentes*, seu *gradarios*. Tremellius, Iunius, Buxtorfius, *veredarios*. Nos, *desultorios*, quod propius accedit ad notionem Radicis. *Equos gradarios* exponit Vatablus.

V. 21. EX EIS: vel *ex istis*, fratribus vestris spiritu, de quibus ante; videlicet ex gentibus, quæ in munus oblatæ fuerint Iehovæ.

V. 22. QUIA SICUT CAELI NOVI, ET TERRA, &c. Aliqui hunc versum reddunt: *Nam quemadmodum cæli illi novi & terra ipsa nova*, de quibus supra cap. LXV. 17. *quam ego facturus sum*, *constituta sunt coram me*, ac proinde ministratura mihi in sæculum ad bonum Ecclesiæ; *dictum Iehovæ: ita constitutum est semen vestrum, & nomen vestrum*; coram me, ut mihi iugiter in Ecclesia ministrent. Alii hæc ad extremum Iudicii diem referunt, quo & cæli & terra recreabuntur: II. Petri, III. 12. & 13. ita semen Christianum & nomen Christianum, per resurrectionem gloriose innovati vivent in æternum. Sed prior sensus est aptior.

V. 23. ET ERIT MENSIS EX MENSE, ET SABBATUM EX SABBATO, &c. Alii ex Heb. I. *Et erit a mense in mensem eius*; *& a sabbato in sabbatum eius*, &c. id est; Ab initio unius mensis usque ad initium sequentis, & ab initio hebdomadæ usque ad initium hebdomadæ proxime secuturæ; id est, totis & plenis mensibus & hebdomadibus; quasi dicat: Assidue, continenter, perpetuo tempore electi mei, qui præditi sunt corde carneo & non lapideo, dabunt operam ut me colant in spiritu & veritate. II. *Eritque de novilunio in novilunium alterum*, *& de sabbato in sabbatum alterum*, *ut veniat omnis caro ad incurvandum se coram me*, *ait Iehova*; id est, Ecclesia indesinenter colet me, non autem anniversariis ritibus ex veteri lege. Vide in Hamos VIII. 5. III. *Et erunt perpetuæ neomoniæ*, *& perpetua sabbata*, id est perpetua festa in Ecclesia, &c. IV. *Et erit exuberantia mensis in mense suo*, *& exuberantia sabbati in sabbato suo*; id est, tanta erit rerum omnium copia & redundantia, ut non solum anno, sed nec mensi, nec diei cuivis quidquam desit. Heb. *de sufficientia mensis in mense suo*, *& de sufficientia sabbati in sabbato suo*; id est, de sufficiente, pleno, integro mense cum mense suo sequente, &c. id est, singulis quibusque mensibus, & singulis hebdomadibus, non ut olim ter in anno, sed iugiter Christiani colent Deum. VENIET OMNIS CARO. Id est, summo studio adorabit & colet Deum. Nam *veniendi* verbum studium & curam importat, quod qui cupiunt a nobis aliquid fieri, sæpe ad nos veniant.

V. 24. ET EGREDIENTUR, ET VIDEBUNT CADAVERA, &c. Triumphus Ecclesiæ de prostratis & interfectis hostibus. Alii hunc versum referunt ad suprema supplicia improborum in die iudicii, quæ pii omnes palam cernent. VERMIS EORUM NON MORIETUR. Vel est allegoria a cadaveribus corruptis & putrefactis, quibus perpetui insunt vermes: vel de verme seu cruciatu conscientiæ damnatorum in inferno accipiendum, ut Marci IX. 45. ET IGNIS EORUM NON EXTINGUETUR. Aut est allegoria a bello, ubi ferro & igni grassatur in hostes: vel de vero igne gehennæ, quo improbi in æternum puniuntur, intelligendum: ut eodem Marci loco. ET ERUNT USQUE AD SATIETATEM VISIONIS OMNI CARNI. Apte, דראון *deraon*, composuisse videtur ex *Dai*, *sufficientia*, *exuberantia*, & *Raah*, *vidit*; ut etiam Chaldæus Interpres. Varie tamen alii. Sanctes ex Hebræis: *Deraon*, *contemptus*, *abominatio*, *reprobatio*. Forsterus, Mercerus, Marinus, Schindlerus, Forerius, *despectio*, *abominatio*.

tio, *fastidium*. Tremellius, Iunius, Buxtorfius: *fastidium*, *nausea*. Avenarius: *Deraon*, *diritas*, *immanitas*, *abnuntiatio*, *dirarum execratio*, *& imprecatio dira & horrenda*, *item inferorum diræ*, *seu furiæ quibus malefici exagitantur*, *a verbo inusitato* דרא *dara*, *idest*, *diris devovit*. *Cognationem habet cum* דרר *dabar*, terruit calcando, & incedendo immaniter; *item cum* דור *dir*, torruit: *nam diris devoti torrebuntur igne inextinguibili*. Sed hic passim putide aucupatur vocum assonantias. Unde vertit: *& erunt in diritatem omni carni*. Alii: *eruntque fastidio*, *nauseæ omni carni*, scilicet ob multitudinem vermium, qui in illis erunt, & ob fœtorem.

Valentiæ 10. Iulii, in die S. Christophori, 1627. ætatis meæ 62. cum tamen opus intermissum fuerit quatuor menses integros, ob iter Cæsaraugustanum, & alias occupationes.

MENOCHII.

Vers. 1. HAEC DICIT DOMINUS, &c. Reiicit Deus Iudæorum templum, & victimas, tum quod ipsi se vocantem spreverint, minaturque eis confusionem, & cladem. CAELUM SEDES MEA, &c. quasi dicat: Putatis me admodum delectari vestro templo, in quo pro sede habeo alas Cherubim, & propitiatorium pro scabello pedum. Vestra opinio vos fallit; nam Sionem vestram, & templum vestrum non depereo: Cælum enim ipsum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum. QUAE EST ISTA DOMUS, &c. si cum cælo, & terra conferatur?

V. 2. OMNIA HAEC, &c. quasi dicat: Vestro templo non indigeo, sum enim omnium Dominus. Simile est illud Psalm. XLIX. 9. *Non accipiam de domo tua vitulos*, *neque de gregibus tuis hircos*, *quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum*, *iumenta in montibus & boves*, &c. AD QUEM RESPICIAM: quo ergo delectabor? quem amabo? quem fovebo? PAUPERCULUM, ET CONTRITUM SPIRITU. LXX. habent, *Humilem*, *& quietum*. TREMENTEM: valde reverentem.

V. 3. QUI IMMOLAT BOVEM, &c. Asseverat Deus se detestari sacrificia Iudæorum, eaque comparat homicidio, mactationi canis, oblationi sanguinis suilli, & idololatriæ. Ideo vero hæc detestabatur, quia omnem pietatem in cultu externo sacrificiorum ponebant, interimque legem violabant, & rapinis, libidinibus, aliisque sceleribus vacabant. Vide supra cap. 1. 11. Ita etiam loquitur de victimis Mosaicis, quia respicit ad tempora Christi, quando hæc sacrificia abolita sunt, immo facta mortifera. QUASI QUI EXCEREBRET CANEM. Pagnin. vertit, *Ac si decervicasset canem*, id est cervicem amputasset. LXX. habent: *Quasi qui occidat canem*. RECORDATUR: recordando offert, & adolet; vel quasi dicat: Qui in mei memoriam, seu accepti beneficii, thus offert. QUASI QUI BENEDICAT IDOLO: execror, ac si illa adoleret idolo. HAEC OMNIA: mihi scilicet ingrata, eligunt, usurpant, & illis placent. LXX. habent, *& ipsi elegerunt vias suas*.

V. 4. ELIGAM ILLUSIONES EORUM, id est pœnam peccati huius, ut scilicet capiantur, cædantur, & illis illudatur a Romanis.

V. 5. QUI TREMITIS, &c. qui reveremini verbum Dei, eius iussa, & minas. PROPTER NOMEN MEUM: ob fidem Christi. GLORIFICETUR DOMINUS, &c. id est ostendat Christus gloriam suam, resurgendo, & alia miracula patrando, ut lætemini, & nos videamus lætitiam vestram, & eius gloriam; sunt verba infidelium Iudæorum irrisorie dicta. IPSI AUTEM CONFUNDENTUR: impii nimirum Iudæi ita loquentes.

V. 6. VOX POPULI DE CIVITATE; quasi dicat: Iam videor mihi audire vocem populi de civitate perculsi, & ululantis propter obsidionem Romanorum. VOX DE TEMPLO: Angelorum clamantium, *Migremus hinc*. VOX DOMINI: per Prophetas, & per alios clamantis. Vide Iosephum Iudæum Lib. VII. de bello Iudaico cap. XII. RETRIBUTIONEM: pœnam sceleribus debitam.

V. 7. ANTEQUAM PARTURIRET, &c. Prædicit partum, & sobolem numerosam Ecclesiæ, cui promittit ubera consolationis, pacem, delitias, & gloriam gentium. ANTEQUAM PARTURIRET, PEPERIT; id est, Ecclesia Christi subito, sine longo ministerio, cruciatu, & labore, qualis est parturientium, per Apostolos, qui ex Sion prodierunt, Christianos plurimos per totum orbem pariet Christo, illo tempore, quo Iu-

Iudæi eorum irrisores cædentur a Romanis. PEPERIT MASCULUM: viros egregios, & mascula virtute, quales fuere martyres Christi.

V. 8. QUIS AUDIVIT UMQUAM TALE, &c. Sententia est: Magnum hoc est miraculum, & supra vires naturæ, ut tam cito, tam multa succreverit soboles, nam quæ naturaliter fiunt sensim fiunt, & in tempore. QUIA PARTURIVIT, &c. quasi dicat: Sion autem, hoc est, Ecclesia simul, & quasi eodem puncto temporis plurimos peperit.

V. 9. NUMQUID EGO, &c. quasi dicat: Hæc tam subita generatio, & multiplicatio Christianorum non fiet naturali vi, sed mea divina: ego enim qui alios parere facio, maxima, & infinita pariendi vi præditus sum, ac proinde in puncto temporis infinitos ecclesiæ filios generare possum, & parere.

V. 10. LAETAMINI CUM IERUSALEM, id est cum Ecclesia, propter eius gloriam, & propagationem.

V. 11. UT SUGATIS, id est & sugite, vel, & sugetis, id est participes eritis.

V. 12. FLUVIUM PACIS: pacem exuberantem, & bonorum omnium affluentiam. GLORIAM GENTIUM: quas ad Ecclesiam, cum suis opibus, & potentia, adducam. AD UBERA PORTABIMINI, &c. Alloquitur fideles, qui omni genere deliciarum affluent, absque molestia & labore, immo cum maxima voluptate, qualem experiuntur infantes, cum securi portantur in sinu matrum, aut nutricum, aut cum illis sedentibus, & ipsi super genua earum molliter sedent.

V. 14. OSSA VESTRA, QUASI HERBA GERMINABUNT. Symmachus habet, *florebunt*; quasi dicat: Tanta erit vestra lætitia, ut ossa vestra mœrores squalida, marcida, & quasi emortua, reviviscere, & reflorescere videantur. COGNOSCETUR MANUS DOMINI: Dei providentia, & cura in suos, & eiusdem virtus, & potentia. INDIGNABITUR INIMICIS SUIS: tum Iudæos vastando per Romanos, tum eos, omnesque impios damnando in die iudicii: ad eum enim transit, ut patet ex sequentibus.

V. 15. IN IGNE VENIET: intellige ignem conflagrationis mundi. De quo Psal. XCVI. 3. *Ignis ante ipsum præcedet*.

V. 16. QUADRIGAE EIUS. Per currus, & quadrigas metaphorice significatur maiestas victoris, & iudicis Dei. REDDERE IN INDIGNATIONE FUROREM SUUM. LXX. habent, *Reddere in furore ultionem suam*. INCREPATIONEM: punitionem, ultionem.

V. 16. IN IGNE DOMINUS DIIUDICABIT: tam dictum est significari ignem conflagrationis mundi. Potest etiam intelligi vis, potestas, zelus, & efficacia divinæ vindictæ. ET IN GLADIO SUO AD OMNEM CARNEM. Pagninus vertit, *& gladius eius est cum omni carne*; id est, gladius ultionis eius depascetur omnem carnem, id est omnes homines. MULTIPLICABUNTUR INTERFECTI A DOMINO; quasi dicat: Christus multos, id est omnes reprobos interficiet, tradens in gehennam, & mortem æternam.

V. 17. QUI SANCTIFICABANTUR, &c. qui sanctificabant, & purificabant se in hortis, abluendo se aquis expiatoriis, & sacrificando idolis. POST IANUAM. Symmach. & Theodotio habent, *unus post unum*. LXX. *in liminibus*. Post ianuam superstitioni operam dabant fortassis latebras captantes, & secessum, ita ut post ianuam idem sit quod clausis ianuis. Vel, post ianuam, qua in interiori parte ædis ad ianuam idolum stat uebant. Vide supra LVII. 8. & ibi dicta. ABOMINATIONEM: cibos vetitos. MUREM. In Hebræo est עכבר *hacbar*, quæ vox etiam glirem significat. Muris autem, seu gliris eius vetitus erat Iudæis Levit. XI. 29. Glires olim ad mensas expetitos fuisse patet ex Varrone de re rustica Lib. III. cap. XV.

V. 18. EGO AUTEM OPERA EORUM: scilicet vidi, & cognovi. In Hebræo est, *ego autem ero cum operibus eorum*. UT CONGREGEM: ad iudicium in valle Iosaphat.

V. 19. ET PONAM IN EIS, &c. resilit hic Isaias ab impiis ad pios, a secundo Christi adventu ad primum. SIGNUM: intelligit charismata spiritus sancti, ut linguas igneas datas Apostolis in Pentecoste his enim quasi Apostoli designati, profecti sunt in Africam, Lydiam, &c. TENDENTES SAGITTAM: vel nectendum cum *gentes*, vel de Apostolis intelligendum, qui fuerunt quasi electæ Dei sagittæ, ad penetranda corda mortalium vi prædicationis, & qui celerrime, ut sagittæ, ad varias mundi plagas volarunt.

V. 20.

V. 20. DONUM DOMINO. Pro *donum* Heb. est מנחה *mincha*, id est *donum*, *oblatio*, *sacrificium*. Nobilissimum est, & Deo gratissimum donum, & sacrificium, si animæ ad ipsum adducantur, & convertantur. IN EQUIS, ET IN QUADRIGIS, &c. Allegoria equorum, quadrigarum, &c. significantur quævis auxilia, & solatia tum humana, tum Angelica, tum divina. Alludit ad Iudæos Babylone redeuntes in Iudæam; hi enim favente Cyro, commode, & exultantes redierunt in patriam.

V. 21. EX EIS: scilicet ex Christianis, qui ex gentilismo conversi fuerint ad fidem; olim enim alienigenæ sacerdotio fungi non poterant, immo ne omnes quidem Israelitæ, sed ii tantum, qui ex tribu Levi essent, & ex filiis, & nepotibus.

V. 22. QUIA SICUT CAELI, &c. Sententia est: Sicut cæli hi cum terra innovandi, in æternum perseverabunt, mihique servient; sic semen vestrum, o Apostoli, id est fideles a vobis Ecclesiæ aggregati. ET NOMEN VESTRUM: quo filii vestri gloriabuntur. Sic Hispani D. Iacobo gloriantur, Romanii SS. Petro, & Paulo, &c.

V. 23. ERIT MENSIS EX MENSE, &c. quasi dicat, Perpetuæ Neomeniæ & sabbata, id est festa. Ita est in Ecclesia militanti, in qua etiam profesti dies *Feriæ* appellantur. Idem verius erit in Ecclesia triumphanti. OMNIS CARO; omnes homines.

V. 24. EGREDIENTUR, ET VIDEBUNT CADAVERA, &c. SS. Hieronymus & Augustin. & alii passim, hæc referunt ad futurum sæculum; quasi dicat: Beati, mente & contemplatione, vel etiam localiter, si velint, egredientur de cælo, ut cominus intueantur damnatorum supplicia, quæ ipsi singulari Dei beneficio evaserunt, & in quæ hostes suos impios in æternum volutari videbunt. VERMIS EORUM NON MORIETUR: ut enim cadavera illa animata damnatorum æternum vivent in igne, ita vermes quibus cruciabuntur. ET ERUNT USQUE AD SATIETATEM, &c. id est erunt sempiternum iustis spectaculum.

TIRINI.

Vers. 1. QUAE EST ISTA DOMUS, QUAM exustam tum a Chaldæis, tum a Romanis, re *ædificare* MIHI cupitis? quasi dicat: Vos o Iudæi, putatis me materiale Sionis vestræ templum deperire, meque illi quasi throno meo affixum esse, ut ab eo divelli nequeam: fallimini toto cælo. Ego enim sum spiritu infinitus & immensus: non capior, non adstringor, non delector loco Et si quando delectari volo, totum cælum mihi pro throno est, in quo maiestatem meam spectandam exhibeo: tota vero terra non est mihi nisi parvulum scabellum. Sed nosse vultis quo loco, quo throno, quo templo ego delecter? *Spiritu* peccatoris *contrito*, mihique subiecto & obediente: vel ut LXX. vertunt, *humili & quietos* ita S. Hieronymus, Cyrillus, Ambrosius *a*, Procopius, Theodoretus & Gregorius *b*.

V. 3. QUI IMMOLAT BOVEM, QUASI QUI INTERFICIAT VIRUM; quasi dicat: Ita detestor vestra sacrificia, ac si essent homicidia, victimæ caninæ, suillæ & idololatricæ, quæ vobis & mihi extremæ abominationi sunt. Causas dedi cap. 1. 11. Et hic mox unam subiicit, nempe: HAEC sacrificia sua OMNIA non mihi oblectando vel honorando, sed suis sceleribus hoc pallio velandis ELEGERUNT, ipsi interrim permanentes sesque oblectantes IN VIIS SUIS pessimis ET ABOMINATIONIBUS extreme execrandis; ita petulantissime illudentes mihi.

V. 4. UNDE ET EGO ELIGAM, non quæ ipsis oblectandis, sed quæ *illudendis* vicissim serviant, immittens eis Romanos, per quos illudantur, cædantur, exterminentur: ita S. Cyrillus & Procopius. Ad vos ergo solos me converto, qui ex impia hac Iudæorum fæce conversi estis ad me, & ad Christum meum, ad vos inquam Apostolos & discipulos Christi.

V. 5. DIXERUNT FRATRES VESTRI, secundum carnem, Iudæi in iudaismo obstinati: GLORIFICETUR DOMINO; id est, ostendat Christus vester gloriam & potentiam suam, nempe descendendo de cruce, resurgendo a mortuis, & alia miracula patrando: ut sic & vos lætemini, & nos vestram lætitiam videntes, una vobiscum læte-

te-

temur; quasi dicat: Non est quod ab homine crucifixo & mortuo gaudium aliquod vel gloriam speretis: nihil ab eo nisi confusio, probrum & mœror vobis obveniet. Sed magno stabit sannionibus istis hic lusus. Non vos confundemini, sed IPSI CONFUNDENTUR: Christus enim resurgens fat manifestabit & toti orbi probabit suam gloriam, tum per se, tum per vos Apostolos suos. Per Titum vero ceterosque Romanos æterna confusione & probro plectet sanniones istos. Atque ecce, sonat ex nunc in auribus meis

V. 6. VOX POPULI DE CIVITATE, perculsi, ululantis & clamantis, ob adventum Romanorum, & urbis obsidionem: VOX item angelorum DE TEMPLO, ex intimis adytis clamantium, *Migremus hinc*: c denique vox DOMINI iubentis exscindi Ierosolymam, & sic REDDENTIS RETRIBUTIONEM, seu mercedem condignam perfidis & obstinatis Iudæis, INIMICIS SUIS: ita S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, Haymo & alii.

V. 7. ANTEQUAM vero Sion, id est Ecclesia primitiva ex Iudæis ad Christum conversis conflata, PARTURIRET, subito PEPERIT MASCULUM, nempe sine longo ministerio, sine longo cruciatu & labore, qualis solet esse parturientium; quasi dicat: Dum impii Iudæi irrisores Ecclesiæ Christi funditus exscinduntur, Ecclesia Christi maximis incrementis exsurget, non sensim & lente, ut olim Synagoga, sed simul & subito. Sic unica concione S. Petrus Actor. II. 42. peperit tria hominum millia, altera quinque millia. Et *peperit* non femineam, sed *masculeam* prolem, id est masculo & forti animo præditam, martyrio parem: ita S. Hieronymus & alii iam citati, cum S. Ambrosio *d*, Forerio & Sasboat. Sed Nyssenus & Damascenus *e* id B. Virgini & partui Christi adaptant, neque omnino male, quia per hunc *masculum* alii omnes masculi & heroes Christiani procreantur. Huc alludit S. Ioannes Apoc. XII. ubi Ecclesiam quasi mulierem masculos tales pugiles procreantem inducit.

V. 8. AN PARTURIET TERRA IN DIE UNA? nequaquam: nam multo eget tempore ut semen germinet, excrescat, fructificet. AUT PARIETUR integra una GENS SIMUL? minime. Nihilominus SION, id est primitiva Christi Ecclesia, PARTURIVIT simul & eodem tempore PEPERIT FILIOS SUOS tanto numero, tanto robore, quanto iam vidimus. Sed quid mirum? quid impossibile mihi?

V. 9. NUMQUID EGO, QUI ALIOS PARERE FACIO, IPSE NON PARIAM? & qui infinita vi pariendi præditus sum, non potero uno instanti infinitos parere? quasi dicat: Non fiet hæc subita Christianorum multiplicatio vi naturali præconum Evangelii, sed mea divina, qua possum quidquid volo.

V. 12. AD VERBA PORTABIMINI. Loquitur Ecclesiæ recens nascenti & adhuc tenellæ. Cetera vide cap. XLIX. 23. & sequentibus.

V. 14. OSSA VESTRA: præcipua pars corporis vestri; id est, per synecdochen, vos ipsi, quamvis antea mœrore squalidi & aridi; novo gaudio excitati, QUASI HERBA *germinabitis*, id est revirescetis & reflorebitis *f*. Unde palam COGNOSCETUR MANUS, id est potentia, protectio, favor, DOMINI erga *servos suos*. Tertullianus, Irenæus *g*, Hieronymus & Augustinus *h* hoc exponunt de resurrectione ossium Sanctorum in die iudicii, de qua Ezechiel. XXXVII.

V. 15. & 16. ECCE DOMINUS IN, seu cum, IGNE VENIET: primo, iustitiæ & vindictæ temporalis in obstinatos Iudæos tempore excidii Ierosolymæ: secundo cum igne conflagrationis, & gladio divinæ ultionis, AD OMNEM CARNEM, in die extremi iudicii, quando MULTIPLICABUNTUR INTERFECTI, id est maximo numero interficientur morte æterna, in inferno. Porro per *quadrigas* metaphorice designatur maiestas victoris & iudicis Christi: per *turbinem* celeritas & impetus iudicii, inquiunt S. Hier. Cyrillus, & Augustinus.

V. 17. QUI IN HORTIS, ubi idololatriæ & turpilibidini vacarant, aquis expiatoriis SANCTIFICABANTUR: item POST IANUAM INTRINSECUS in domo, ubi lares suos, aliaque idola reposita habebant, & ut in loco secretiore, obscænis sacrificiis colebant, inquit S. Augustinus *i*, Arias & alii. QUI COMEDEBANT MUREM, lege Iudæis vetitum Levit. XI. 29. aliosque cibos immundos. Et per hæc intellige quævis alia impiorum scelera: quæ quicumque patrarint, *consumentur*, damnabuntur.

V. 18. EGO enim ad iudicium VENIO, UT

UT OPERA omnium impia CONGREGEM in valle Iosaphat, & ibi quasi in publico orbis theatro OMNIBUS GENTIBUS ET LINGUIS spectanda proponam: ita Sasboldus & a Lapide. Sed ante quam congregem omnes gentes in valle Iosaphat,

V. 19. PONAM IN EIS SIGNUM, id est, inter eos erigam vexillum meum, nempe *k.* crucis, ad quod omnes evocabo & invitabo. Ideoque EX EIS QUI SALVATI FUERINT, id est, ex numero illorum qui ex iudaismo & gentilismo erepti, & ad salutis portum, nempe christianismum, traducti fuerint, MITTAM legatos AD GENTES IN MARE, id est ad insulas & transmarinas nationes, IN AFRICAM, in Italiam: Hebræum תובל *thubal l* etiam Hispaniam significat, teste S. Hieronymo: mittam & IN GRAECIAM ET LYDIAM TENDENTES SAGITTAM: Hebraice, משכי *mosche* : quod tamquam proprium nomen retinent LXX. & Leo Castrius vult Moscos seu Moscovitas intelligi. Uno verbo, mittam per universum orbem qui populos omnes quantumcumque remotos & barbaros ad bellum meum pertrahant, ad fidem, & ad salutem deducant.

V. 20. IN EQUIS, IN QUADRIGIS, IN LECTICIS, id est per quævis oportuna auxilia, subsidia, solatia; humana, angelica, divina; verbo, opere, exemplo; arguendo, obsecrando, increpando: ita S. Hieronymus, Cyrillus, Augustinus *m*, Theodoretus. Alludit ad Iudæos Babylone redeuntes Ierosolymam maximo gaudio & commodo suo.

V. 21. EX EIS, id est ex Gentilibus ad Christum conversis, ASSUMAM multos mihi non solum in vinitores & agricolas, ut dixi LXI. 5. sed etiam IN SACERDOTES LEVITAS, id est in Ecclesiæ ministros, etiam primarios & summos; quasi dicat: In Synagoga ad templi ministerium non assumebantur nisi ex una tribu Levi: at in Ecclesia Christi assumentur ex omni gente; idque usque ad finem mundi.

V. 22. QUIA SICUT CAELI NOVI, ET TERRA NOVA, quæ ego (ut dixi cap. præced. vers. 17.) creo, & FACIO initium concussa STARE CORAM ME; SIC SEMEN VESTRUM, o Apostoli, id est fideles a vobis conversi, ET NOMEN VESTRUM, seu gloria sacerdotii & præfecturæ vestræ, æternum perdurabunt.

V. 23. ET ERIT MENSIS EX MENSE; id est, *neomenia* alia nascetur *ex neomenia eius*, ut est in Hebræo; quasi dicat: Novi generis neomenia *n* erit in Ecclesia Christi, longe solemnior, iucundior, Deo gratior, quam neomenia Synagogæ, & alia festa eius: quæ non erant nisi figuræ & typi festorum novi testamenti, & plerumque propter adiuncta Iudæorum festum celebrantium scelera, odio *o* & nauseæ erant Deo: ita Arias & Gabriel Alvarez, immo & S. Hieronymus. Sed hic vult insinuari transmutationem festorum temporalium & terrenorum in cælestia & æterna festa Beatorum. Tertullianus, Augustinus & Theodoretus, & alii volunt hac phrasi designari perpetuam continuationem festivitatum, id est quietis, gaudii, iubili, maxime in Ecclesia triumphante. Sicut ex adverso impiis & damnatis æternus erit dolor & supplicium ex igne inextinguibili, & *verme* infernali perpetuo corrodente, de quibus alibi *p* fusius.

V. 24. ET EGREDIENTUR Sancti non sola mente & contemplatione, ut vult Forerius & Sanchez, ad spectandas quotidianas strages & supplicia impiorum, partim in inferno; sed & realiter & motu locali, si velint, egredientur cælo, ut cominus *videant* & spectent CADAVERA VIRORUM, id est corpora damnatorum, licet animata, fœda tamen & olida, & tormentis subacta, instar cadaverum: ita S. Hieronymus, August. S Thomas *q*, Sasboldus & alii. Immo Christus ipse Marci IX. 45. hunc Isaiæ locum de damnatis in inferno exposuit. ET ERUNT & durabunt hæc tormentorum spectacula OMNI CARNI, id est, omni homini beato & sancto, USQUE AD SATIETATEM VISIONIS, id est donec satientur videndo. Erunt enim æterna, inquit S. Cyprianus *r*. Et ex hoc pœnarum suarum spectaculo damnatis accrescet novus dolor, maxime cum sentient Sanctos nulla sui pœna vel lamentis moveri, nisi ad irridendum & insultandum miseris, eorumdemque impietatem, stultitiam, ignaviam ipsis æternum exprobrandam. Sicut enim Deus *ridet s in interitu* impiorum, ita & *lætabitur t iustus cum viderit vindictam*; *manus suas lavabit in sanguine peccatoris*.

(a) Ambros. in Psal. xxx.
(b) Gregor. Lib. II. Mor. cap. VIII. & Lib XXXI.
(c) Ibi...

(c) Ioseph. Lib. VII. Belli cap. XII.
(d) Ambr. Exhort. ad Virg. & Lib. I. de Cain & Abel cap. x.
(e) Nyss. orat. de Resurr. Damasc. Lib. IV. de Fide cap. xv.
(f) Prov. XVII. 1.
(g) Tertull. Lib. de Resurrect. carnis cap. XXXI. Irenæus Lib. V. cont. hæres. cap. xv.
(h) Aug. Lib. XX. de Civ. cap. XXI.
(i) August. Lib. IV. de Civit. cap. VII.
(k) Isaiæ XI. 12.
(l) Genes. xx. 2.
(m) August. Lib. XX. de Civ. cap. XXI.
(n) Num. XXVIII. 11.
(o) Isaiæ I. 14.
(p) Iudith. ult. vers. 21. Eccli. VII. 19. & cap. x. 13.
(q) August. sup. S. Thom. in Supplemento. III. p. q. LXXXIV.
(r) Cypr. contra Demetr. tract. I. in fine.
(s) Prov. I. 26.
(t) Sap. v. &c. Psal. LVII. 11.

GORDONI.

Vers. 1. HAEC DICIT DOMINUS, &c. Deus ubique est, cælum & terram implet; dicitur tamen speciali modo in cælo, quia ibi maiestas eius & potentia, vel maxime apparet. Inepte ergo Novator, est in cælo, ergo non in Eucharistia. Immo extra cælum per immensa spatia est, & in terra ut hic habes; cælum vero est medius Dei thronus, in quo gloriam suam beatis ostendit: ergo ubique præsens.

V. 2. OMNIA HAEC, &c. quasi dicat: Omnia vestra & templum (quo tantopere vultis gloriari) ego feci, qui & templum & sacrificia vestra abiiciam, quia vos bonis meis abutimini.

V. 5. AUDITE VERBUM DOMINI, &c. Convertit sermonem a Iudæis impiis ad bonos, & credentes Christo Iudæos & gentes, qui sunt Apostoli & socii vocationis. Hos consolatur Deus; quasi dicat: Fratres vestri odientes, seu Iudæi isti impii dixerunt irridentes, ostendat gloriam suam vester Christus, ut nobis etiam sit lætitia. Hæc illi. Sed tamen confundentur: nam (ex vers. 6.) videor, inquit Isaias, audire vocem confusionis, & desolationis de civitate, de templo, &c.

V. 7. ANTEQUAM PARTURIRET PEPERIT, &c. Convertitur sermo ad Apostolos; ubi non est vox confusionis, sed lætantium in partu, licet simul patiantur dolorem parturientis: simul enim conversa sunt 8000. hominum; & persecutionem seu dolores parturientis passi sunt: Act. II. vers. 4. non sic, inquit, (vers. 8.) antiqua Synagoga, quæ non nisi longo tempore crevit, parturivit & peperit: non sic terra quæ nequit uno die parturire, & parere.

V. 9. NUMQUID EGO QUI ALIOS PARERE FACIO ALIOS IPSE NON PARIAM. Sane ut recte plures. Sensus hic ad litteram est de incremento Ecclesiæ, & adoptione spirituali, ut docent priores versiculi. Deus dat creaturis vim pariendi omnibus: æquum est ut ipse quoque pariat; pariet autem suscitando spiritualiter filios Ecclesiæ. Hinc quidem Theologi a paritate ipsi etiam argumentantur, pro generatione æterni verbi divini. Si enim Deus naturalem generandi vim dat creaturis, æquum est credere in Deo patre esse naturaliter quoque fœcunditatem ad generandum filium æternum & consubstantialem.

V. 10. LAETAMINI CUM IERUSALEM, &c. Sermo est ad credentes Christo, ut lætentur de propagatione Ierusalem & Ecclesiæ, cui promittitur post exilem numerum, & tolerantiam aliquam, magna in omnibus accessio.

V. 15. QUIA ECCE DOMINUS IN IGNE VENIET, &c. Quamvis hoc aliqui referant ad primum adventum, tamen certius est referri debere ad iudicii diem, ut verba & res demonstrant; & ita docent Cyril. Hieron. & Augustin. XX. civit. cap. XXI.

V. 19. ET PONAM IN EIS SIGNUM, &c. Orditur epilogum, totius huius libri, & universi operis redemptionis per Christum; ac si diceret: Extollam signum (crucem plures recte intelligunt.) mittam sacerdotes & legatos, in mundum per nationes: congregabunt vario modo in Ecclesiam, antequam veniat dies extremus. Illud vers. 20. de modo in lecticis & carrucis habet allusionem ad reditum e Babylone Cyro suppeditante currus & equos. LXX. *in umbraculis* (σκιαδίων) pro carrucis: carruca penultima brevi, genus vehiculi constantis duabus rotis.

V. 22. QUIA SICUT CAELI NOVI, &c. Sicut cæli novi seu aliquo modo in fine immutandi. Stabunt deinceps æternum; gaudebunt sancti, & cruciabuntur impii.

V. 24. Vide Marc. cap. IX. vers. 44.

Ex

Ex Eiusdem Auctario.

Verſ. 1. Scabellum : ſermo ad Iudæos . Fallimini , ſi putatis vos aliquid eſſe magnum, quia templum habetis . Ego templum , & terram totam pro pedum ſcabello reputo. Cælum mihi ſedes eſt : ſic reprimit Iudæorum opinionem.

Verſ. 3. Cauſam dat, cur deteſtetur Deus ſacrificia iſta : tantum hærebant in externo ritu ; quod virtutis erat, negligebant.

Verſ. 17. Qui ſanctificabant , & mundabant ſe in hortis ſacrificando idolis.

FINIS TOMI DECIMI SEPTIMI.





